114-7
13

Theological Seminary.
PRINCETON, N. J.

Part of the
ADDISON ALEXANDER LIBRARY,
which was presented by
MESSRS. R. L. AND A. STUART.

Case,
Shelf,
Book,

Division
Section
No.

BS1145
.R815
1828
v.6

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERI

THEOL. DOCT. ET LITTERR. OO. IN UNIV. LIPS. P. P. O.

SCHOLIA

IN

PROPHETAS MINORES

IN COMPENDIUM REDACTA.

POST AUCTORIS OBITUM

EDIDIT

JO. CHR. SIGISM. LECHNER,

PHILOS. DOCT.

LIPSIAE,

SUMTIBUS JO. AMBR. BARTHII

MDCCCXXXVI.

Jos. Addison Alexander

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERI

THEOL. DOCT. ET LITTERR. OO. IN UNIV. LIPS. P. P. O.

SCHOLIA

IN

VETUS TESTAMENTUM

IN COMPENDIUM REDACTA.

POST AUCTORIS OBITUM

EDIDIT

JO. CHR. SIGISM. LECHNER,

PHILOS. DOCT.

VOLUMEN SEXTUM,

SCHOLIA IN PROPHETAS MINORES

CONTINENS.

LIPSIAE,

SUMTIBUS JO. AMBR. BARTHII

MDCCCXXXVI.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Princeton Theological Seminary Library

https://archive.org/details/scholiainvetuste06rose

IN

DUODECIM PROPHETAS MINORES PROOEMIUM.

Duodecim prophetarum, qui *minores* vocantur, oracula in unum librum collecta sunt, ne, quod singula justo volumina minora essent, si quaeque seorsim servarentur, aliaque eorum negligentius haberentur, tandemque amitterentur. Hinc est, quod Siracides (49, 10.) duodecim hosce prophetas uno et communi commendet encomio, porro, quod Josephus (*Contra Apion.* L. 1. §. 8. coll. *Antiqq.* L. 10. c. 2. §. 2.) et ex eo Eusebius (*Hist. eccles.* L. 4. c. 25. 26.) aliique ecclesiae priscae doctores, qui canonem recensuere, uno volumine XII prophetas complexi sint. Huc pertinet, quod *prophetas posteriores*, quos Judaei dicunt, omnes quaternario numero includunt, et *quatuor prophetas posteriores* inscribunt, Jesajam videlicet, Jeremiam, Ezechielem, et unum duodecim prophetarum volumen numerantes; nec non, quod communi omnes nomine comprehendunt, et Judaei quidem שְׁנֵים עָשָׂר *duodecim*, Graeci vero *Δωδεκαπρόφητον* dicunt. Ceterum *minores* hosce vates appellari constat, ob scriptorum molem, et quod sermones eorum, qui quidem supersunt, comparati cum Jesajanis, Jeremianis, Ezechielanis et Danielicis, breviores sunt. Nec aetate a majoribus prophetis vincuntur; ex illis enim alii Jesaja vetustiores sunt, alii vero Jeremiam, Ezechielem et Danielem aetate superant. Plurimi sane illorum scripta vel ideo sunt aestimanda, quod ab interitu pluria historiarum monumenta, ad regna Judae, Israelis, Babyloniae, Idumaeae, Aegypti, Moab

et Ammon spectantia, vindicaverint; monumenta eo majori in pretio habenda, quo rariora sunt ea, quae ceteroquin in Hebraeorum libris historicis vetustissimis supersunt.

Horum prophetarum duo, Hoseas et Jonas, in regno Samariae vaticinabantur. Posterioris tamen, Jonae, quae supersunt, oracula, nec non Nahumi, contra regnum Assyriacum sunt directa. Amos, haud longe, ut videtur, ab inito prophetae munere e regno pulsus, in ditionem Juda facessere coactus est. Joel, Micha, Zephanias, Habacuc ad regnum Juda spectant. Habacuc et Obadias excidium urbis Hierosolymitanae oculis spectarunt, vitam etiam ultra eam aetatem prorogantes. Haggai, qui stans primum templum viderat, secundo post reditum e terris Babylonicis excitando

---

XII Minores Prophetae

In textu hebraeo et Vulgata Latina	*In codicibus versionis Graecae Alexandrinae.*
1. Hoseas.	1. Hoseas.
2. Joel.	2. Amos.
3. Amos.	3. Micha.
4. Obadias.	4. Joël.
5. Jonas.	5. Obadias.
6. Micha.	6. Jonas.
7. Nahum.	7. Nahum.
8. Habacuc.	8. Habacuc.
9. Zephanias.	9. Zephanias.
10. Haggai.	10. Haggai.
11. Zacharias.	11. Zacharias.
12. Malachias.	12. Malachias.

citando adfuit. Ad eandem aetatem spectat Zacharias, quamquam in ulteriora vaticiniis suis excurrerit, quum Haggai oracula intra templi aedificandi limites contineantur. Malachias omnium postremus sub Nehemia floruisse videtur, totusque in criminibus sacerdotum, ministerium suum non sancte obeuntium, versatur.

Ordo duodecim prophetarum in exemplaribus versionis Graecae Alexandrinae plane differt ab eo, quo in Hebraicis recensentur; uterque vero discrepat ab ordine chronologico, in quem singulos digessimus in tabula infra apposita. Apud Graecos quatuor majoribus prophetis praeponuntur, in Hebraeo succedunt Jesajae, Jeremiae et Ezechieli; Danielem enim subjiciunt libro Jobi, Psalmorum scriptisque Salomonicis.

---

juxta ordinem quem tenent

temporis, quo singuli vixerunt, ratione,

1.	Jonas	floruit	circa	annum	ante	C. N. 800.
2.	Joel	—	—	—	—	— 790.
3.	Amos	—	—	—	—	— 788.
4.	Hoseas *)	—	—	—	—	780.
5.	Micha	—	—	—	—	— 754.
6.	Nahum	—	—	—	—	— 750.
7.	Zephanias	—	—	—	—	625.
8.	Habacuc	—	—	—	—	— 585.
9.	Obadias	—	—	—	—	— 582.
10.	Haggai	—	—	—	—	— 527.
11	Zacharias	—	—	—	—	526.
12.	Maleachi	—	—	—	—	— 435.

*) Quod Hoseas, etsi Jona, Joele, Amoso aetate serior, in codice tamen Hebraeo illis praeponitur, ratio videtur hinc esse repetenda, quod prophetarum, qui minores dicuntur, omnium diutissime munere sit functus. Ceterum cf. JAEGERI Programmata duo *de ordine prophetarum minorum chronologico* Tubing. 1823. 1827. Eorum epitomen dedit auctor in *der Tübinger Zeitschrift für Theologie* F. II. p. 218. seqq.

IN HOSEAM PROOEMIUM.

De Hoseae gente nil constat, nisi quod in libri, qui ab eo nomen gerit, inscriptione dicitur, eum fuisse filium *Beeri* (בְּאֵרִי) cujusdam, quem Hebraeorum quidam temere confundunt cum *Beera* (בְּאֵרָה), principe Rubenitarum, qui captivus in Assyriam abductus legitur per Tiglathpilesarem. Sed enim vero, nec nominis consentit terminatio, nec temporis id admittit ratio, nec ulla probabilis suadet causa. Hoseam gente Israelitam fuisse, et in regno Samariae sive decem tribuum vixisse, inde satis verisimiliter colligitur, quod perpetuus scelerum et superstitionis Ephraimitarum est insectator, et *Ephraimum*, *Israelem*, *Samariam* saepius diserte compellat. Exprobrat illis impudentiam et pervicaciam Gabaitis parem 9, 9. 10, 9. Simulacra colebantur Bethel, Samariae, Galgal 4, 15. 9, 15. 12, 12., in monte Thabor, 5, 1., et in Gileaditide 6, 8. 12, 12. Frustra illos conari demonstrat, ut alienigenarum ope ab ultione se Dei subducant; quum pro eo, quod Aegyptios et Assyrios implorarent, a Deo potius roganda fuisset criminum poenitudine venia, 7, 11. 8, 9. 13. 9, 3. 12, 1. 14, 4. Dejiciendos aureos vitulos, prostratosque in Assyriam asportandos minatur, 8, 5. 10, 5. 6. Judam rarius tantum et obiter tangit, 1, 7. 4, 15. 5, 12. 13. 14. 6, 4. 11. 8, 14. 12, 1. 3. Accedit quod 4, 4. Ephraimitae populares dicuntur prophetae. Quod in libri inscriptione tempus, quo vixit Hoseas, ad reges Judae definitur, unius Jeroboami, regis Israelitarum, addita mentione, inde colligendum nonnulli putarunt (ut Maurer in *Observatt. in Hoseam* in *Commentatt. theologg.* a me

et Maurero editt. T. II. P. 1. p. 291. seqq.), nostrum *Judaeum* genere apud *Israelitas* vaticinatum esse. Nam qui patriae fines transgressi ad exteros orationes habuerint prophetae, eorum tempus regibus *utriusque civitatis* finiri, ita tamen, ut indigenae reges *priori loco* collocentur; cf. Amos. 1, 1. Sed libri inscriptionem ab ipso Hosea profectam esse, parum est credibile. Praefixa ea haud dubie est ab homine quodam Judaeo, qui quum oracula dispersa sacrorum scriptorum syntagmati inserenda unum in volumen colligere aggrederetur, in tempore designando potiorem Judaeorum regum rationem a se habendam esse duxerit. Etsi vero manui seriori epigraphen illam adsignemus; non tamen est, cur ei fidem denegemus, quum oraculis nil insit, quod aevo in illa indicato repugnet. Perhibet autem inscriptio, Hoseam vixisse regnantibus in Judaea Usia, Jothamo, Ahaso et Hiskia, in decem vero tribuum regno Jeroboamo II., filio Joasi, cujus mentio ideo fuit adjecta, ut eo propius cognosceretur, tempus, quo vaticinari incepit, non aliud fuisse, quam id ipsum, quo Usias et Jeroboamus reges *σύγχρονοι* erant, quod fuit quatuordecim annorum. Namque regnum ille demum obtinuit anno septimo et vigesimo Jeroboami II., qui clavum imperii tenuit annos quadraginta et unum (uti constat e 2 Reg. 5, 1. coll. 2 Reg. 14, 23.); quo de numero si deducantur viginti et septem anni Jeroboami, quibus Usiae imperium antevertit, reliqui sunt quatuordecim, quibus ambo simul imperarunt, hic Judaeis, ille reliquo decem tribuum populo. Quodsi vero prima oracula edidit Hoseas extremis imperii Jeroboamici annis, ultima autem ineunte Hiskiae regno, per quadraginta fere annos prophetam illum egisse, et aequales sibi in regno Judae Jesajam Michamque habuisse constat.

Quae de illo, quo floruit Hoseas, tempore in V. T. monumentis historicis sunt prodita, satis docent, vixisse illum temporibus difficillimis, statu reipublicae plerumque turbulento, religionis vero penitus corrupto. Maximopere quidem floruerunt res Israelitarum sub Jeroboamo II., qui, rebus feliciter gestis,

urbes ab hoste expugnatas recuperavit, populumque a Syrorum oppressionibus vindicavit (2 Reg. 14, 27. 28.); mox tamen ab ejus obitu cuncta in deterius ruere coeperunt, et turbis, factionibus, belli intestini motibus plena fuerunt omnia, dum caedes promiscuae, dum parricidia viam ad regnum obtinendum muniebant, atque adeo, viribus reipublicae fractis et proculcatis, externis hostibus apertum latus exhibebant, quorum jugum suscipere tandem debuerunt. Pleraque autem eorum, quae supersunt, vaticiniorum Hoseae edita videntur in illo undecim annorum interregno, quod inter mortem Jeroboami II. et filii in ejus locum successionem intercessit. Anno enim decimo quinto Amaziae, regis Judae, regnum auspicatus est Jeroboamus (2 Reg. 14, 22.), idque tenuit per annos quadraginta et unum; ultimus itaque regiminis ejus, sive primus successoris Zachariae, incidere debuit in annum vigesimum et septimum Usiae; sed hujus anno demum trigesimo octavo patri successisse legitur Zachariae (2 Reg. 15, 8.), unde merito colligitur, hoc non nisi post interjectos undecim annos evenisse, atque adeo rempublicam, gubernatore destitutam, toto illo tempore turbarum civilium aestu miserum in modum fluctuasse. Qui vero post graves illas et maxime perniciosas civium inter se digladiantium contentiones regnum tandem occuparunt, bini reges, Zacharia et Sallum, non nisi paucorum admodum mensium reges fuerunt. Paullo quidem diutius rerum potitus fuit Sallumi percussor, Menahemus, sed ita tamen, ut dignitati male partae suis viribus tuendae nunc impar eam magna pecuniae vi ab Assyriorum rege redimere, eique obnoxius fieri necesse habuerit. Successit ei filius, Pekahja, sed post biennium a Pekaho, Remaljae filio, trucidatus. Quo parricida regnante contigit fatalis illa regis Assyriorum expeditio, qua regnum Israeliticum nobilissima sua parte multavit, civibusque in exilium missis, regiones trans Jordanem sitas et superioris Cananaeae partes sui juris fecit, 2 Reg. 15, 29. Hoc vero tempore interregnum iterum statui debere videtur, et quidem octo annorum; namque vigesimus annus imperii Pekahi, qui simul

ultimus ejus fuit, incidit in annum quartum Achazi, primus vero Hoseae, regis Israelitarum, qui illo interemto successit, in duodecimum demum ejusdem Achazi (2 Reg. 17, 1.), quae pugna vix aliter videtur tolli posse, quam si statuamus, sive Pekahum, post imperium viginti annorum per octo adhuc annos superstitem quidem, sed aut profugum, aut captivum abductum fuisse, ita ut reliqui illi octo in censum venire non meruerint; sive potius, effluxisse totidem inter Hoseae conspirationem et illud tempus, quo rex ab universo populo fuerit salutatus. Ultimus ceterum ille fuit Israelitarum rex.

Talibus vero temporibus mores penitus corruptos perditosque exstitisse, et res ipsa docet, et vatis nostri questus crebraeque objurgationes satis declarant. Summi acque ac infimi turpissimae superstitioni publice litabant. Vitulorum aureorum cultui, quo Aegyptiorum superstitionem aemulabantur, religionem addiderunt longe adhuc deteriorem, quam, inter vicinos Phoenices prognatam, et Jezabelis, mulieris propudiosae, patrocinio sibi commendatam, non ita pridem susceperunt, 1 Reg. 16, 30. 31. Proceres injustitia, expilationibus, et caedibus innocentum in ceteros cives saeviebant, Hos. 4, 1. 2. Sacerdotes, auspiciis illius Jeroboami, cujus nusquam sine vituperatione mentio injicitur, introducti, et ab ejus successoribus conservati, quum tueri deberent religionis patriae ac virtutis causam, populumque veram ejus rationem docere, non modo negligebant, quod sui esset muneris, verum etiam contraria faciebant, opibusque et potentia elati, luxuria et lascivia diffluebant, Hos. 4, 6. 8. 8, 13. Privati denique homines neglectis sanctissimis quibusvis officiis, quae tam Deo, quam inter se sibi cives in societate debent, in hoc praecipue studium incumbebant, ut quibus possent artibus ac dolis, opes corraderent aliorumque incommodo ditescerent, atque solo voluptatis amore ducti, vitiorum se illecebris et cupiditatum lenociniis dabant, pietatis vero doctores deridebant, Hos. 4, 2. 11. 13. 14. 12, 8. 9. In tanta igitur quibuscum noster viveret hominum perversitate, conciones ejus, quae quidem nobis super-

sunt, quis miretur potissimum versari in severis comminationibus gravique castigatione scelerum, per omnes tunc ordines turpiter grassantium? Minis tamen atque adhortationibus suis ad resipiscentiam identidem admiscet promissiones de laetiori temporum facie, aliquando futura, quibus meliorem populi partem in adflictissimis reipublicae temporibus erigeret. Dicendi genere utitur gravi et pathetico, pleno fervoris et audaciae. Quamquam vero sermonum suorum argumentum universum sit satis apertum, vix tamen alius vates Hebraeorum aeque est difficilis et involutus, quod tum ex ipsa rerum natura, utpote qui multum a nostra cognitione remotas historias, parumque ex monumentis illorum temporum exploratas innuat, cum etiam ex ipsa styli indole derivatur. Quum enim ex antiquissimis sit Hebraeorum vatibus, stylus quoque ejus incorruptam sermonis vetustatem exprimit, pristinam generis sententiosi brevitatem retinens, a qua vates inferiores aliquid, judice Lowthio, remiserunt. Saepe ex uno in aliud argumentum, ex uno in aliud tempus personamve, non per viam, sed veluti per saltum transilit. Id est, quod de eo notat Hieronymus, *Osee*, inquiens, *commaticus*, *et quasi per sententias loquens.* Obtruncata sententia lectorem suspensum, ejusque prudentiae, quod deest, supplendum relinquit. Res quidem, quas tractat, magna lectissimarum imaginum varietate illustrat; sed quum similitudines usurpatas vel auditoribus applicandas relinquat, vel statim significatas deserat, multum de illarum elegantia et concinnitate lectorem nunc fugere necesse est.

Duae commodissime hujus libri *partes* constituuntur, quarum *prior* capitibus tribus parabola continua uxoris adulterae populi Israelitici defectionem a cultu Jovano perfidiaeque poenas sistit; *altera* vero, reliquis undecim capitibus, plura continet minora oracula, minime inter se cohaerentia, quibus nullo allegoriae involucro Israelitarum scelera castigantur, intermixtis mox poenarum comminationibus, mox etiam feliciorum temporum promissionibus. Ea vero oracula, delecta, uti credibile est, ex multo pluribus, quae per satis longum annorum spatium edidit

vates; quum sint inter se sine ullis temporum notis, aut argumenti distinctione connexa; minime mirum est, si, ut Lowthii verbis utamur (*de Sacra Hebraeor. poesi*, p. 244. edit. Lips.), *Hoseam perlegentes nonnumquam videamur in sparsa quaedam Sibyllae folia incidere.* Quae quum ita sint, cujuslibet oraculi veros limites, initia et fines dignoscendi ratio suppetit nulla, nisi quae ex ipsius argumenti diversitate elicitur, sollicite comparata cum diversis itidem rerum Israeliticarum vicissitudinibus, quarum aliquam saltem memoriam nobis conservarunt codicis hebraei monumenta historica. Conatus quidem est MAURER in *Observatt.* supra p. 4. laudatis singulas orationes diversis temporibus habitas suis intervallis distinguere, et quo tempore unaquaeque dicta fuerit definire (*Commentatt. theologg.* l. l. p. 318. seqq.); sed quas statuit Vir Doctissimus temporum notas nequaquam ita certas esse, ut iis in discernendis singulis oraculis suisque temporibus adsignandis ducibus recte uti possimus, ostendit DE WETTE in scriptionum theologicarum sylloge, quae inscribitur *Theologische Studien und Kritiken*, Vol. IV. 1831. P. IV. p 807. sqq. *(Ueber die geschichtliche Beziehung der prophetischen Reden Hosea's).* Ipse judicat, prophetam inclinante ad interitum regno Ephraimitico quae diversis temporibus, nataque identidem singulorum occasione effata pronunciasset, in unum librum conscripsisse eo consilio, ut aequalibus suis ob oculos poneret, quot et quanta mala per longam annorum seriem se sibi sua impietate suisque sceleribus contraxissent. In quo argumento tractando vatem quendam rerum ordinem, nec tamen satis accuratum, tenere observat, quin V. D. per singula capita et segmenta persequitur p. 814. sqq. Cf. et *Allgemeine Encyclopädie der Wissenschaften und Künste s. v. Hosea* (T. XI. Sect. II. p. 81. seqq.).

HOSEAS.

CAP. I.

Argumentum.

Praemissa gemina inscriptione, generaliori altera totius voluminis (Vs. 1.), altera specialiori, primi vaticinii (Vs. 2. init.), enarrantur signa quaedam et portenta, quibus regni Israelitici mores ac fata significantur. Jubet enim Deus prophetae, ut meretricem sibi conjugio copulet, ex qua susceptum filium Isreelem vocat, quo Israelitici imperii interitus ostenditur (Vs. 2 — 5.). In filia, quae ex eadem impudica uxore nata est, alienum se ostendit Deus a populo, cui ad suam misericordiam aditum dicit esse praeclusum (Vs. 6. 7.). Prole tertia, maseula, portenditur, Israelitas non amplius fore Dei populum peculiarem (Vs. 8. 9.). Istae tamen comminationes mox mitigantur promisso redeundorum aliquando Deo in gratiam Israelitarum, consociandique, uno sub principe, utriusque, Judaici et Israelitici, regni (Vs. 10 — 20.). Orationum quae tribus primis hujus libri Capitibus leguntur, tanta est argumenti et imaginum similitudo, ut vix dubium sit, illas eodem tempore recitatas esse. Id vero Jeroboami II. fuisse, ante violentam Sacharjae mortem, ex eo colligitur, quod vates 1, 4. familiam Jehu brevi *exstinctum iri* dicit. Deinde, quae 2, 16. seqq. de civitatis flore leguntur, ea Jeroboami in aetatem egregie conveniunt, in subsequuta tempora neutiquam cadunt.

1. Pro דְּבַר־יְהוָה Chaldaeus posuit: פִּתְגָם נְבוּאָה מִן קֳדָם יי *Verbum prophetiae a Jova.* הוֹשֵׁעַ est vel Infinitivus (vid. Jer. 11, 12.) explicandus *salvando* scil. salvabit Deus, vel Imperativus, *salva* o Deus! ut הוֹשִׁיעָה נָּא, Ps. 118, 25. De בֶּן־בְּאֵרִי vid. Prooem. עֻזִּיָּה, qui et עֲזַרְיָה dictus, et 52 annos regnavit, 2 Reg. 14, 21. 15, 1. seqq. יוֹתָם, qui sedecim annis rex fuit, 2 Reg. 15, 32. אָחָז, et hic sedecim annis regno praefuit, 2 Reg. 16, 1. sqq. יְחִזְקִיָּה, novem supra viginti annos regnavit, 2 Reg. 18, 1. וּבִימֵי יָרָבְעָם *Nempe* incipiens *in diebus* viventis adhuc *Jeroboami II.*, Amos. 1, 1. 7, 9., qui quadraginta annos et unum satis feliciter regnavit, usque ad annum vigesimum septimum Usiae, vid. 2 Reg. 15, 1.

2. תְּחִלַּת דִּבֶּר־יְהוָה בְּהוֹשֵׁעַ וַיֹּאמֶר יְהוָה *Principio atque, s. quando primâ vice loquutus est Jova per Hoseam, dixit* rel. Nomini תְּחִלַּת per statum constructum pro complemento subjungitur enunciatio, ita ut Verbum finitum pro infinito, nominis loco, ponatur, ut Jes. 29, 1. קִרְיַת חָנָה דָּוִד idem significat ac si scriptum esset קִרְיַת חֲנוֹת דָּוִד *urbs habitationis Davidis.* Exod. 6, 28. בְּיוֹם דִּבֶּר יְהוָה *quo die loquutus est Jova*, quod et scribi potuisset בְּיוֹם דַּבֵּר יְהוָה. Vid. Roorda *Gramm. Hebr.* § 502. 503. דִּבֶּר saepe, praesertim media in sententia, per Segol, pro דִּבֵּר scribitur, quemadmodum verba כִּבֶּס *lavavit* et כִּפֶּר per *Segol* scribi amant. Ceterum hisce verbis indicatur, hoc vaticinium, corum oraculorum, quae Hoseas edidit, esse primum. בְּהוֹשֵׁעַ *Per Hoseam*, ut Num. 12, 2. *Num Jova solum* בְּמֹשֶׁה דִּבֶּר *per Mosen loquitur, nonne* גַּם־בָּנוּ *et per nos loquitur?* Cf. 2 Sam. 23, 2. Hebr. 1, 1. ὁ Θεὸς λαλήσας ἐν προφήταις. Alii: *(loquutus est) cum Hosea*, ut Zach. 1, 9. 14. 2, 2. 7. Quidam: *(loquutus est) in Hoseam*, ut vates divino spiritu repletus significetur. Cf. Drusii *Animadverss.* L. II. Cap. 49. (in *Criticor. SS.* T. VI. p. 1254.). לֵךְ *I!* i. e. agedum, ut infra 3, 1., quod nec Latinis insolitum. Sic Propertius *Eleg.* 1, 9. 13. *I quaeso et tristes istos compone libellos.* קַח־לְךָ *Sume*, duc *tibi* uxorem ח matrimonio, de quo ineundo verbum לָקַח et Gen. 4, 19. 24, 3. 67. 34, 4. Jerem. 29, 6. usurpatur. Eodem sensu λαμβάνειν legitur Marc. 12, 19., et παραλαμβάνειν Matth. 1, 20. אֵשֶׁת זְנוּנִים *Mulierem scortationum*, i. e. maxime libidinosam, quae diu assuevit scortationibus, ut אֵשֶׁת מִדְיָנִים *mulier rixarum*, i. e. rixosa, Prov. 27, 15., אִישׁ־דָּמִים *vir sanguinum*, sanguinarius, Ps. 5, 7., אִישׁ־מַכְאֹבוֹת *vir dolorum*, i. e. doloribus consumtus, Jes. 53, 3. Vates num enarret rem in facto positam, vel talem, quae per quietem aut visionem ei oblata esset, vel denique parabolam, operose disquirunt interpretes. Et ad primam quidem sententiam quod attinet, vere esse ab Hosea gesta, quae hic leguntur, ut portenderet illis suorum popularium mores ac fata; nos minime ignoramus, nihil fuisse priscis hominibus familiarius, quam ut animi cogitata et consilia factis et actionibus declararent, gestibusque pro verbis uterentur; qua de re nemo subtilius doctiusque disseruit Guil. Warburtono in opere, quo divinam Mosis legationem demonstravit *(The divine legation of Moses demonstrated)* Lib. IV. Sect. 4. Vol. III. p. 105. seqq. edit. Londin. 1765., vel in vers. teuton. Vol. II. p. 126. sqq. Sic Idanthura, Scytharum rex, narrante Pherecyde apud Clementem Alexandrinum (*Strom.* p. 567.), ut Dario, qui Istrum transiisset, significaret, se exercitum contra eum ducturum, non literas, sed symbolum misit, *murem, ranam, avem, telam et aratrum* (Φασὶ γοῦν καὶ Ἰδάνθουραν, τῶν Σκυθέων βασιλέα, ὡς ἱστορεῖ Φερεκύδης, ὁ Σύριος, Δαρείῳ διαβάντι τὸν Ἴστρον πόλεμον ἀπειλοῦντα, πέμψαι σύμβολον ἀντὶ τῶν γραμμάτων, μῦν, βάτραχον, ὄρνιθα, ὀϊστὸν,

ἄροτρον). Et in vetustissimis oraculis signa pro verbis usurpata fuisse, docet illud Heracliti effatum, quod Plutarchus nobis servavit (in libro, qui inscribitur περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔμπυρα, p. 962.): *Rex ille, cujus oraculum est Delphis, neque loquitur, neque tacet, sed per signa oracula edit* (Οὔτε λέγει, οὔτε κρύπτει, ἀλλὰ σημαίνει). Ejusmodi vero actionem symbolicam simplicem esse oportere, brevissimo temporis spatio absolvendam, et paucissimis signis gestibusque circumscriptam, quis non videt? Longe diversa est ratio eorum, quibus Hoseas populi Israelitici scelera et poenas adumbrasse legitur. Fac enim, quae hoc Capite commemorantur, vere gesta esse, fieri profecto per rei naturam non potuit, ut ea singula, matrimonium, a propheta initum, trium liberorum, unius post alterum ortus, filiolae ablactatio, eodem tempore contingerent. Illa autem per plurium annorum spatium producenda signa nihil sane apud populum effecissent, nec ad eum erudiendum admonendumque quicquam valuissent. Cf. Staeudlinii *Novas Symbolas ad Prophetarum interpretationem (Neue Beyträge zur Erläuterung der biblischen Propheten*, Götting. 1791.) p. 130. Quis talia inania atque inutilia ab homine sano umquam suscepta esse credat? Abjicienda igitur sententia, quae vati, ne dicam sapientissimo numini, cujus ille jussu egisse narratur, affingit insulsi et inepti aliquid. Quod vero alii, auctore Maimonide, in *Doctore Perplexorum* P. II. Cap. 46. (p. 324. vers. lat.) statuunt, exponi rem, quae vati in visione aut per insomnium oblata fuisset, sine ulla ratione sumitur; nam in toto, qui sequitur, sermone ne levissimum quidem vestigium apparet, quod visionem nocturnam a vate referri arguat. Restat itaque tertia sententia, quae sola probanda, adumbrari populi Israelitici mores ac fata *narratione allegorica*, sive *parabola matrimonii cum uxore adultera initi.* Nihil usitatius esse prophetis, quam rationem, quae Deo cum populo Israelitico intercedebat, *conjugii* imagine sistere, quis nescit? Dei amorem et curam pro isto populo comparant cum amore, quo maritus fertur in conjugem a se amatam; illius vero impietatem et invictam ad idolorum cultum propensionem comparant cum scortatione et adulterio, quo fidem marito datam ac debitam fallat libidinosa uxor. Vid. Jes. 54, 5. sqq. Ezech. 16. et 13. „Quae notio V. T. scriptoribus ita est familiaris, ut pro idolorum cultu passim usu receptum sit *scortandi* vocabulum, nec alienum locum ibi occupasse, sed paene suum ac proprium obtinuisse videatur," ait Lowthius *de S. Poesi Hebraeor.* Prael. XXXI. p. 401. ed. Oxon. (p. 617. ed. Götting.), qui allegoriae ejus originem et rationem pluribus exposuit. *Parabolam* ab Hosea narrari, vidit Chaldaeus interpres, qui illius sensum verbis propriis declarat. Ita autem ille nostrae narrationis exordium exponit: *vade, profer vaticinium contra habitatores civitatis idololatrae, qui addunt peccare.* Et Hieronymus in Commentario ad Vs. 8. postquam haec

omnia allegorice exposuisset, in hunc modum pergit: „Si quis autem contentiosus interpres nolucrit recipere ista, quae diximus; sed meretricem nomine Gomer, filiam Deblaim, primum et tertium masculos, secundam, quae media est, feminam intellexerit procreasse, hoc volens Scripturam sonare, quod legitur; respondeat, quomodo in Ezechiel [4, 4. seqq.] illud exponat, ubi jubetur a Domino portare iniquitates domus Israel, id est, decem tribuum, et trecentis nonaginta diebus in uno latere sinistro dormire perpetuo, et dormire ita, ut numquam evigilet, nec mutet latus. Hoc enim rerum natura non patitur, ut quisquam hominum per trecentos nonaginta dies in uno semper latere dormiat. Si illa et cetera his similia, quae in Scripturis sanctis legimus, facta non poterit approbare, sed aliud quid significare contenderit; ergo et meretrix ista mulier, et illa adultera mulier, quae aut Prophetae jungebantur, aut servantur a propheta, non turpem stupri conjunctionem, sed sacramenta indicant futurorum.“ Ad verba, quae in Hebraeo sequuntur, וְיַלְדֵי זְנוּנִים, repetendum esse קַח, quod praecessit, recte observat Hieronymus: „Quodque additur, *ac filios fornicationum, ἀπὸ κοινοῦ* subauditur *sume tibi.*“ Drusius: „*Accipit* uxorem, qui ducit, *suscipit* liberos, qui procreat. Posses ergo hunc locum ita supplere: *accipe tibi uxorem scortationum, et suscipe ex ea filios scortationum.* Nam ut recte dicimus *accipere uxorem*, non *suscipere*, ita e contrario dicimus *suscipere natos ex aliqua uxore*, non *accipere.* Utrumque uno verbo enunciant Ebraei, quod nunc jam in duo resolvi debet, ita exigente idiotismo linguae Latinae.“ *Natos scortationum* Hieronymus ait utrumque intelligi posse, „quod et fornicariae mulieris priores de fornicatione susceptos recipiat filios, et ipse ex meretrice generet filios, qui idcirco *fornicationis* appellandi sint *filii*, quod sint de meretrice generati.“ Sed intelligendos esse filios ex ipso propheta generatos, inde apparet, quod Vs. 3. seqq. uxor vatis matrimonio gravida facta et filios peperisse narratur. Quemadmodum vero אֵשֶׁת זְנוּנִים *uxorem scortationibus deditam* notare vidimus, ita יַלְדֵי זְנוּנִים erunt liberi, qui, matri similes, scortationi et libidini sint addicti. Aliis sunt *liberi ex adulterio nati*, i. e. spurii, quos eo consilio vates in scenam producat, ut iis imaginem istam exornet, hoc est, effrenatas adulterae libidines ante oculos hominibus ponat. כִּי־זָנֹה תִּזְנֶה *Nam scortando scortatur*, i. e. deos alienos colit, vid. quae paulo superius monuimus, et cf. Jer. 3, 1. 6. seqq. et infra 3, 8. 4, 12. 15. הָאָרֶץ *Haec terra*, metonymice pro *terrae* Israeliticae *incolis*, יוֹשְׁבֵי הָאָרֶץ, ut habetur infra 4, 1. מֵאַחֲרֵי יְהוָה *Relicto Jova*, ut Ps. 73, 27. Zeph. 1, 6. 2 Reg. 17, 21., cf. 1 Reg. 11, 2, seqq. Chaldaeus: *nam errando errant habitatores terrae a cultu Jovae.*

3. וַיֵּלֶךְ וַיִּקַּח *Abiit* igitur propheta divinum jussum (Vs. 2.) exsequutus, *et duxit* uxorem אֶת־גֹּמֶר בַּת־דִּבְלָיִם, *Gomeram*

filiam Diblaiimi, quibus posterioribus verbis quidam significari opinantur, *oriundam* eam fuisse *Diblaiimis*, quae *Diblah* Ezech. 6, 14., vel דִּבְלָתַיִם *Diblataim*, Jerem. 48, 22. dicta fuerit, urbs Moabitarum. Sed quum illa loquendi formula parentes, a quibus sint orti liberi, indicari soleant, vates דִּבְלָיִם sine dubio pro nomine patris *Gomerae* haberi voluit. Est autem illud nomen viri, ut אֶפְרַיִם. Quemadmodum vero liberorum nominibus singulis, *Isreel* (Vs. 4.), *Lo-Ruchama* (Vs. 6.), *Lo-Ammi* (Vs. 9.) aliquid portenditur, ita nec matris nomen sua potestate carere verisimile est. In ea tamen definienda non plane consentiunt interpretes. HIERONYMUS: „*Gomer* interpretatur τετελεσμένη, id est, *consummata* atque perfecta; alii θώρακας, id est, *loricas*, significari putant. Sunt, qui *mensuram* [עֹמֶר], sive *amaritudinem* [מַר] suspicentur: quod recte dicerent, si ג literam non haberet. *Deblaim* παλάθας sonat, quarum in Palaestina permagna copia est, et quas Esajas propheta ulceri Ezechiae regis jubetur apponere [2 Reg. 20, 7. Jes. 38, 21.]. Est autem massa pinguium caricarum, quas in morem laterum figurantes, ut diu illaesae permancant, calcant atque compingunt. Igitur ex Israel *consummata* in fornicatione atque perfecta filia voluptatis, quae fruentibus suavis videtur et dulcis, in typo ab Osee uxor accipitur.“ Hebraei, Jarchio referente, Hoseae uxorem גֹּמֶר dici existimant a גָּמַר *complere*, quod omnes in ea complerent libidinem [גּוֹמְרִין], filiam vero דִּבְלָיִם vocatam esse, quod comprimerent eam frequenti concubitu sicut massam ficuum. Chaldaeus גֹּמֶר *consummationem* interpretatus est ideo, quod uxor illa imago esset populi Israelitici brevi delendi, דִּבְלָיִם vero de *foliis ficulneis* mox defluendis intellexit. Nos quidem גֹּמֶר non dubitamus indicare *perfectionem*, sive *consummationem* vel scelerum, vel libidinis, דִּבְלָיִם vero *voluptatis lenocinia;* ut igitur in rei summa cum Hieronymo consentiamus. וַתַּהַר וַתֵּלֶד־לוֹ בֵּן *Et gravida facta est, peperitque ei filium.* Quod dicitur לוֹ *ei* significat, filium illum, quamvis ex adulterio natum, hic legitimum, tamen ab Hosea tanquam a patre susceptum et ex communi hominum opinione pro nato ejus fuisse habitum.

4. Filio e Gomere suscepto vates a Deo jubetur nomen imponere (uti Jesajas 7, 3. 8, 3. filiis qui popularibus ostenta esse debebant) יִזְרְעֶאל, quo vero non, ut interpretum plures existimant, significatio vocis *seminabit Deus*, i. e. seminantis instar quoquoversum disperget populum, respicitur; sed ad nomen hujus nominis Isreel, ubi impius ille rex, Achabus, et pejor adhuc ejus uxor sedem suam regiam habuerant, et etiam tunc habebant improbi illius successores, quorum sub imperio arx quasi facta erat omnis nequitiae, oppressionis et tyrannidis. Observandum, *Isreel* levi tantum flexu differre a glorioso illo et illustri *Israelis* nomine, quocum mox Vs. 5. per paronomasiam commutatur, ut

indicetur, gentem illam, nobili hoc nomine indignam, *Isreelitas* potius esse appellandam. Cf. similem paronomasiam infra 4, 15. 5, 8. Verba quae sequuntur nominis filio imponendi rationem declarant: יֶהוּא — כִּי־עוֹד *nam parum adhuc propediem* (ut Jes. 29, 17. Hagg. 2, 6. LXX: ἔτι μικρὸν, ut Joa. 16, 16.) *et visitabo sanguines Isreel super domo Jehu*, i. e. poenas summam sanguinis effusi in Isreel de posteris Jehu. Verbum פָּקַד, quod in universum valet *attendere*, *considerare*, *observare* (ut Arabicum ﻗﺼﺪ, cf. Num. 3, 10. Ps. 17, 3.), in utramque partem dici notum est, vel in bonam, ut significet, *considerare aliquem benevolo animo*, curare aliquem, prospicere alicui, ut Gen. 21, 1. Ruth. 1, 6., vel, *considerare aliquem irato animo*, animadvertere in aliquem, poenas delictorum ab aliquo repetere, ita Exod. 20, 5. *Ego, Deus tuus*, פֹּקֵד־עֲוֹן אָבוֹת עַל־בָּנִים *supplicia sumam delictorum patrum a filiis.* Cf. infra apud Nostrum 2, 15. 4, 9. Hinc recte LXX h. l. ἐκδικήσω, et Syrus *ulciscar ego* reddiderunt. יִזְרְעֶאל, *Jizreel*, ut ait HIERONYMUS ad h. l., „est civitas metropolis decem tribuum, in qua interfectus est Naboth [1 Reg. 21, 1. seqq.], ob cujus sanguinem suscitatus Jehu, qui delevit domum Achab et Jezabel. Verum quia et ipse ultor sanguinis justi ingressus est per vias Hieroboami, filii Nebath, qui fornicari fecit Israel, et constituit vitulos aureos in Dan et in Bethel; regnum quoque ejus dicitur subvertendum, sub cujus pronepote Hieroboam [II.] prophetare coepit Osee, quo mortuo filius ejus Zacharias successit in regnum, quem sexto mense imperii sui occidit Sellum, de alia stirpe generatus.“ *Caedibus in Isreele*, arce regia impii Achabi, commissis, quarum ream vates h. l. dicit peragendam esse domum Jehu, et Chaldaeus, uti Hieronymus, intelligit caedem illam a Jehu perpetratam, qua Achabum cum suis omnibus e medio sustulit, vid. 2 Reg. 9, 21. sqq. 10, 1. 7. sqq. Recentiores plures interpretes דְּמֵי יִזְרְעֶאל, *caedibus Isreele commissis*, omnino facinora quaevis, a regibus e Jehui familia oriundis patrata, homicidia, injustas condemnationes, aut alias crudelitates in arce regia Jesreele commissas indicari existimant. וְהִשְׁבַּתִּי *Et* sic tandem prorsus *cessare faciam*, ut infra 2, 13. Jes. 13, 11. מַמְלְכוּת בֵּית יִשְׂרָאֵל *Regnum domus Israel*, decem tribuum, quod inde a tempore Jehui debilitari coepit, et a vicinis hostibus male mulctari, vid. 2 Reg. 10, 32., tandemque post accepta ab Assyriis detrimenta varia, plane est sublatum, vid. 2 Reg. 17, 6.

5. וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא *Et fiet die illa*, qua vindicabo scelera regum Israeliticorum et populi, cf. infra 5, 9. 9, 7. Amos. 5, 18. וְשָׁבַרְתִּי אֶת־קֶשֶׁת יִשְׂרָאֵל *Et frangam arcum*, arma et praesidia, *Israelis*, vid. eandem figuram Jer. 49, 35. Ezech. 39, 3. Ps. 76, 4. בְּעֵמֶק יִזְרְעֶאל *In valle* s. planitie *Isreelis.* HIERONYMUS: „Supra diximus, Jezraelem, quae nunc juxta Maximopolim est, fuisse

metropolim regni Samariae, prope quam sunt campi latissimi, et vallis nimiae vastitatis, quae plus quam decem millium tenditur passibus.“ In hac igitur planitie, tantae amplitudinis ut maximos exercitus facile caperet, eaque de causa praeliis committendis maxime erat idonea, unde in bellis Israeliticis vix alibi frequentius quam ibi pugnatum legimus (vid. e. c. Jos. 17, 6. Jud. 6, 33.), aliquando copiis Israelitarum vulnus letiferum infligendum esse, vates h. l. praesagit. Cf. libr. nostr. *Handbuch der bibl. Alterthumskunde* s. *Bibl. Geographie* Vol. II. P. I. p. 149. coll. p. 105, 111. Quod autem Hieronymus, et post eum alii, in planitie Isreelis Israelitas ab Assyriis caesos superatosque esse asserunt, nullo probari potest librorum V. T. historicorum loco.

6. Regnum, cujus jacturam portenderet vatis filius e meretrice susceptus, numquam recuperaturum esse Israelem, significat jam secunda prole, feminina, cui nomen לֹא רֻחָמָה *Non-miseranda* imponendum erat, cujus nominis, ut prioris Vs. 4., rationem statim addit: כִּי לֹא אוֹסִיף עוֹד אֲרַחֵם אֶת־בֵּית יִשְׂרָאֵל *nam non addam amplius ut miserear* (cf. eandem loquendi formulam Jes. 47, 1. 5. Prov. 23, 35.), non porro miserebor, *domus Isreelis.* Hieronymus: „Postquam contritus est atque confractus arcus Israel in valle Jezrael, et regnum decem tribuum destitutum, ita ut ducerentur in captivitatem, nequaquam jam Jezrael, id est, semen Dei, nec masculini sexus filius nascitur, sed *filia*, id est femina fragilis sexus, et quae victorum patcat contumeliae, et vocatur *Absque misericordia:* ideireo enim captiva ducta est, quia misericordiam Dei non habuit.“ Nomen לֹא רֻחָמָה Graecus Alexandrinus interpres reddidit *οὐκ ἠλεημένη*, quem sequitur Petrus 1 Petr. 2, 10. Sed olim codices fuisse, in quibus *οὐκ ἠγαπημένη* exstaret, uti habet Paulus Rom. 9, 25., ex hisce intelligitur Hieronymi: „Pro *οὐκ ἠλεημένη*, id est, *absque misericordia*, in quibusdam fertur exemplaribus *οὐκ ἠγαπημένη*, id est, *non dilecta.* Sed veriora sunt exemplaria, quae habent *absque misericordia*, maxime quia ad distinctionem Israelis, cujus non miserctur, infert Deus [Vs. 7.]: *domui autem Juda miserebor.*“ Sane verbum רָחַם videtur *diligere* magis in *Cal* (vid. Ps. 18, 2.), *misereri* autem in Piel, qua forma saepius occurrit, significare. Verba quae sequuntur, כִּי־נָשֹׂא אֶשָּׂא לָהֶם, interpretum plures repetitâ ex verbis antecedentibus negandi partieulâ, sic capiunt: *neque enim ignoscam iis.* Alii, כִּי eventualiter sumto: *ut ignoscam illis.* Sane verbum נָשָׂא, ubi cum ל personae jungitur, pluribus locis *condonare* peccatum (עָוֹן) denotat, vid. e. c. Gen. 18, 26. Num. 14, 19. Ps. 99, 8. Sed h. l. sensus ille languidi quid habet. Sed nihil obstat, quo minus cum Aben-Esra verbum נָשָׂא usitata *tollendi*, *auferendi* notione capiamus, ut v. c Job. 32, 22. כִּמְעַט יִשָּׂאֵנִי עוֹשֵׂנִי *veluti momento auferet me creator meus.* Cf. Jes. 40, 24. 41, 16. Mich. 2, 2. Thren. 5, 13. Dan. 2, 35.

Quare verba commodissime sic redduntur: *nam auferendo auferam iis*, penitus illis auferam scil. quidquid iis est. Eodem modo, non expresso Objecto, infra 5, 14. dicitur, Deum leonis saevissimi instar *rapturum et iturum*, *ablaturum*, *nec fore*, *qui eripiat* (וְאֵין מַצִּיל אֶשָּׂא).

7. Ne de integra Jacobi posteritate actum crederetur, subjicit Deus, *domus Judae se miserturum*, וְאֶת־בֵּית יְהוּדָה אֲרַחֵם (propr. *domum Judae* quod attinet, *miserebor eorum*), eamque in communi illa, qua Israelitas opprimendos minatus est ruina, solam servatum iri. הוֹשַׁעְתִּים בַּיהוָה אֱלֹהֵיהֶם *Et salvos reddam eos per Jovam*, i. e. per me ipsum, qui loquor, *Deum eorum*, i. e. sola mea potentia et virtute, modo igitur inaudito et plane singulari (cf. Deut. 33, 29., ubi populus Israeliticus prodigioso modo Aegypto eductus vocatur עַם נוֹשַׁע בַּיהוָה *populus servatus per Jovam*). Id plerique interpretes referunt ad prodigiosam illam coelitusque Assyriaco exercitui illatam cladem, qua, tempore Hiskiae regis, Judaeorum respublica ab interitu fuit servata, vid. 2 Reg. 19. et Jes. 36. Alii vero hunc locum accipiunt de reditu ab exilio Babylonico. Sed inane est studium, promissa generalia, quibus vates hoc unum spectabant, ut aequalium, gravissimis malis oppressorum, animos erigerent, ad seriores eventus referre, de quibus illi nec cogitare quidem potuerunt. Nostrum imitatur Zach. 4, 6., ubi Deus loquens inductus se Judaeos salvos redditurum dicit: לֹא בְחַיִל וְלֹא בְכֹחַ כִּי אִם־בְּרוּחִי *non copiis* s. *viribus*, *nec robore*, *sed spiritu meo*. וְלֹא אוֹשִׁיעֵם בְּקֶשֶׁת וּבְחֶרֶב *Nec salvos eos reddam per arcum et per gladium*, cf. infra 2, 17. (al. 20.), et Ps. 44, 7. וּבְמִלְחָמָה *Et per bellum*, i. e. apparatum bellicum, exercitus magnos et fortissimos, duces strenuos. בְּסוּסִים וּבְפָרָשִׁים *Per equos et equites*, quibus Israelitae maxime fidebant, cf. infra 10, 13. 14, 4.

8. וַתִּגְמֹל אֶת־לֹא רֻחָמָה וַתַּהַר וַתֵּלֶד בֵּן *Quumque ablactasset* (vid. Gen. 21, 8. et ibi not.) mater, Gomer (Vs. 3.), filiam, cui vates nomen *Lo-Ruchama* imposuerat, Vs. 6, *gravida facta est et peperit filium*. „Quaeri vulgo solet, qua de causa id nunc expresse addatur, et quonam id tendat? Amplificationis ergo, ut in parabolis usu saepenumero venit, ubi singula non aeque premi debent, hoc si quis factum dixerit, a vero forsan non longe aberraverit. Ceteroquin non inepte quis cogitet, hac addita temporis nota haud obscure perstringi insatiabilem Gomeris adulterae libidinem, furtivis amoribus ita deditae, ut, simulac juxta consuetum naturae ordinem liceret, uterum ferret, quod plerumque post ablactationem demum fieri solet; aut hoc veluti signo indicari, post breve temporis spatium, quale illud est, quo lacte nutriuntur infantes, judicium illud divinum, quod per filium hunc recens natum portendebatur, effectum redditum iri. Quod enim quam plurimi per *ablactationem Lo-Ruchamae*

significari autumant ablatum ab Israelitis verbi divini usum, quod cum *lacte* alias comparatur, aut aliorum commodorum, quibus hucusque in patria sua fruiti fuerant, longius utique petitum est, et ab indole hujus emblematis abhorret, dum ablactatio per se nihil mali inferat, praesertim apud Hebraeos, qui diem, quo ad illam aetatem puer pervenerat, festum et genialem habebant [Gen. 21, 8.]." MANGER.

9. וַיֹּאמֶר קְרָא שְׁמוֹ לֹא עַמִּי *Et dixit Jova: voca nomen ejus Lo Ammi.* Rationem addit: כִּי אַתֶּם לֹא עַמִּי *nam vos*, Israelitae, cum quibus in toto hoc sermone actum, minime vero, ut quidam volunt, Judaei, *non* estis *populus meus*, non amplius vos pro populo mihi peculiari agnoscam, וְאָנֹכִי לֹא־אֶהְיֶה לָכֶם *nec* vicissim *ego ero vobis* auxilio, sive Deus, ut Ps. 56, 10. *Hoc scio*, כִּי־אֱלֹהִים לִי *quod Deus mihi* scil. defensor contra hostes, quorum mentio praecesserat. Ps. 118, 6. יְהוָה לִי לֹא אִירָא *Jova pro me, nihil timeo;* quem locum citans e LXX scriptor epistolae ad Ebraeos 13, 6. reddidit: *Κύριος ἐμοὶ βοηθός*. Ps. 124, 1. 2. לוּלֵי יְהוָה שֶׁהָיָה לָנוּ *nisi Jova* esset is, *qui pro nobis sit.* Hinc Chaldaeus nostrum locum sic exposuit: *quia vos non estis populus meus, propterea quod vos non confirmatis verba legis meae, verbum meum non erit in auxilium vestrum.* Alii capiunt לָכֶם pro *possessivo*, ut vertendum sit cum Vulgato: *et ego non ero vester* (LXX: *καὶ ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ὑμῶν*), collatis locis Exod. 19, 5., ubi Deus Hebraeis sua praecepta servaturis promittit, eos *peculium sibi* fore (וְהִיִיתֶם לִי סְגֻלָּה) ex reliquis populis orbis terrarum: Deut. 7, 6. *Deus te elegit* לִהְיוֹת לוֹ לְעַם סְגֻלָּה *ut sis ei populus peculiaris.* Jes. 43, 1. *Vocavi te nomine tuo*, לִי־אַתָּה, *meus es tu*, ut Vulgatus recte. Cf. Ezech. 16, 8. Ps. 119, 94. Cant. 2, 16. Utrolibet modo לָכֶם capias, sententia erit, arctissimum illud communionis vinculum, quo Deus cum populo Israelitico fuerat conjunctus, penitus esse disrumpendum, et, quemadmodum ipsi sanctissimum illud foedus perfide violassent, sic Deum quoque eos, tanquam tutela et patrocinio suo prorsus indignos, benevolentiae suae fructu privaturum, nec quicquam amplius commune cum iis habiturum esse. Sine ratione idonea nonnulli conjiciunt, post לָכֶם excidisse, culpa librariorum, לֵאלֹהִים, quod reponendum sit collato Lev. 26, 12. וְהָיִיתִי לָכֶם לֵאלֹהִים. Cui conjecturae praesidium admodum leve est, quod in Aldina *τῶν* LXX editione, sed in ea sola, legitur: *ἐγὼ οὐκ εἰμὶ θεὸς ὑμῶν*. In plerisque codicibus Hebraeis hoc Versu claudit Caput primum; sed in Graecis et Latinis libris, et in multis versionibus recentioribus tres, qui sequuntur, Versus Capiti primo accensentur; recte: nam Hebraeorum distinctio hoc habet incommodi, quod a se divellat promissionem divinam minis superioribus, more vatum, subjunctam; cum sermone contra consolatorio minarum atque interpretationis plenam orationem proxime conjungat.

10. Moris prophetarum est, ut laeta tristibus admisceant. Quem morem sequutus vates noster, postquam maxime infausta suis comminatus esset, piorum animos protinus erigit spe laetiorum temporum, quibus populus aliquando instaurandus insignique augendus incremento communem nacturus sit regem, sublata prorsus, quae tum cum vates loqueretur, regnabat adhuc inter Judaeos et Israelitas discordia. Ceterum pausa aliqua interjecta, quae jam sequuntur, vates subjecisse cogitandus erit. Nec erat, cur nonnulli, quibus subitaneus ille a minationibus ad felicissimorum temporum promissiones transitus parum esset visus concinnus, hosce tres Versus statuerent esse particulam oraculi longioris deperditi. Nostrum enim saepius ab una re ad aliam repente transeuntem deprehendemus, neque poeta vetustissimus nostro metiendus est modulo. וְהָיָה Aliquando tamen *futurum erit*, temporibus Messiae, ad quae haec esse referenda saniores ex Hebraeis interpretes observant, מְסַפַּר בְּנֵי יִשְׂרָאֵל — וְלֹא יִסָּפֵר *ut numerus Israelitarum instar arenae maris sit, quae nec mensurari nec numerari potest*, comparatio ad ingentem copiam exprimendam Hebraeis familiaris, vid. Gen. 22, 17. 32, 12. 41, 49. Jos. 11, 4. Jud. 7, 12. Jes. 10, 22. Jer. 15, 8. Hab. 1, 9., neque exteris scriptoribus insueta. Sic Horatius *Carm.* 1, 28. 1. Archytam, insignem Geometram, *Numero carentis arenae mensorem vocat.* Et Ovidius *de arte amandi* 1, 254. *Numero cedet arena meo.* Trist. 4, 55. *Meque tot adversis cumulant, quot litus arenas habet.* בִּמְקוֹם אֲשֶׁר *Eo loco, quo*, i. e. in patria terra, Palaestina, in quam redituros esse noster praedicit Versu proximo, et infra 11, 11. Alii intelligunt terras, per quas exsules dispersi futuri sint, ubi Deus illis denuo favoris sui documenta daturus sit, reducendo eos. Ita Chaldaeus, vid. infra. Sunt, qui phrasi hebraea *vicissitudinem* conditionis significari putent, ut vertenda sit: *loco, pro eo quod (anstatt, au lieu que)*, quibus repugnat usus loquendi, vid. Levit. 4, 24. Jerem. 22, 12. Ezech. 21, 35. Nehem. 4, 14. Eccles. 11, 3. Quare Paulus Rom. 9, 26. nostrum locum adducens, recte ἐν τῷ τόπῳ — ἐκεῖ, posuit. In eo ipso loco igitur, quo olim Jova Israelitis patrocinium renunciavit (Vs. 8.), illos rursus filios adoptabit: יֵאָמֵר לָהֶם בְּנֵי אֵל־חָי *acclamabitur eis*, vocabuntur, *filii Dei vivi*, i. e. vere existentis, nam falsi dii tanquam mortui reputantur. *Filii Dei* autem sunt, quos peculiaribus beneficiis ornat, et qui vicissim eum patronum et defensorem colunt.

11. וְנִקְבְּצוּ בְּנֵי־יְהוּדָה וּבְנֵי־יִשְׂרָאֵל יַחְדָּו *Congregabuntur*, s. congregabunt se *Judaei et Israelitae una*, ex terris exteris in patriam redeundi, quod ipsum promittit Jesajas 11, 12. 49, 18. 60, 4. וְשָׂמוּ לָהֶם *Et ponant*, constituent, *sibi*. Sic verbum שׂוּם Deut. 17, 15. de *rege constituendo* dicitur, et respondet graeco τιθέναι, vid. c. c. Act. 20, 28. רֹאשׁ אֶחָד *Caput*, principem (ut

Num. 14, 4.) *unum*, quem inde a Salomone duplicem habuerant; cf. Ezech. 37, 22. Mich. 2, 13. Hoc principe vero et nostrum vatem, et Ezechielem atque Micham, locis indicatis, non Serubabelem, ut quidam nugantur, sed *regem*, eumque longe potentissimum sapientissimumque, e Davidica stirpe oriundum, innuere, non est, cur dubitemus. Nec aliter Hebraei, Chaldaeum sequuti: *et constituent sibi caput unum e domo Davidis.* וְעָלוּ מִן־הָאָרֶץ *Et ascendent e terra* reliqua, in quam exsules dispersi erant, *e quatuor plagis terrae*, uti loquitur Jesajas 11, 12. in ejusdem rei promissione; redibunt in terram patriam. Judaea vero quum reliquis terris et situ et dignitate altior cogitaretur, qui ex his illam petunt, *adscendere* dicuntur, vid. Esr. 2, 1. Neh. 7, 6., ubi עָלָה similiter de redeundis exsulibus, et cf. C. B. Michaelis *Dissertat. de notionibus, Superi et Inferi, indeque adscensus et descensus*, Hal. 1735. (repetita in *Commentatt. theologg.* T. V. p. 400.) §. 38. Hinc Chaldaeus: *et ascendent e terra transmigrationis eorum.* כִּי גָדוֹל יוֹם יִזְרְעֶאל *Nam magnus*, illustris, gloriosus erit *dies Isreelis*, i. e. tempus illud, quo dispersi undecunque patriam tellurem repetent. *Dies alicujus* Hebraeis dicitur illud tempus, quando insigne aliquod faustum vel infaustum ei contigit, vid. Mich. 7, 4. Obad. Vs. 12. Joel. 1, 15. 2, 1. 2. Ps. 37, 13. Similiter *magnum diem* Latini dicunt diem, quo res in ultimum discrimen adducitur, res maxime clara patratur. Ita Tacitus *vit. Agricolae* cap. 34. *Inponite quinquaginta annis magnum diem.* Cf. Burmann. ad *Ovid. Amor.* 3, 9. 27. et *Lucan.* 7, 90. Duker. ad *Flor.* 2, 6. 58. *Isreele* (יִזְרְעֶאל) significatur populus Israelitieus, ita dictus vel quod dispersus undique esset colligendus, vel quod denuo seminandus esset a Deo, quod hoc ipso nomine innuitur infra 2, 22. Certe quicquid dirum et atrox in nomine *Isreel* supra Vs. 5. erat observatum, in meliorem partem nunc inflectitur. Chaldaeus ultimum hujus Versus incisum ita vertit: *quia magnus* erit *dies congregationis suae.*

12. אִמְרוּ לַאֲחֵיכֶם עַמִּי וְלַאֲחוֹתֵיכֶם רֻחָמָה *Dicite fratribus vestris Ammi! et sororibus vestris Ruchamah!* i. e. acclamate vobis invicem *Ammi* et *Ruchamah*, i. e. sumus Deo cari, nos ille servavit, felicitatem amissam restituit. Totam enim gentem, non, ut quidam volunt, Israelitas, a Judaeis compellatos, complectitur haec in fratres et sorores distributa oratio, quae simul mutui illius amoris indicium facit, quo sub uno capite colleeti Judaei et Israelitae (Vs. 11.) deletis omnibus prioris aemulationis vestigiis sese invicem prosequentes futuri sint. לַאֲחוֹתֵיכֶם pro לַאֲחִיוֹתֵיכֶם, usitatior enim pluralis forma nominis אָחוֹת *soror*, est אֲחִיוֹת, sive additis pronominibus, אֲחִיוֹת, vid. Job. 1, 4. 42, 11. 1 Chron. 2, 16. Legitur tamen et Ezech. 16, 61. אֲחוֹתַיִךְ הַגְּדֹלוֹת מִמֵּךְ *sorores tuae te majores.* Alexandrinus Graecus interpres in numero singulari vertit: *εἴπατε τῷ ἀδελφῷ ὑμῶν,*

καὶ τῇ ἀδελφῇ ὑμῶν, quo forsan innuere voluit respici utroque nomine עַמִּי et רֻחָמָה ad eandem illam sobolem, quae prius (Vs. 9.) לֹא־עַמִּי et לֹא־רֻחָמָה dicta fuerat. Eam autem tum, cum in patriam e terris exteris redibit, pristinam suam dignitatem, et cum ea conjuncta jura, ut sit *populus Dei*, recuperaturam esse, indicari patet nomine עַמִּי; quum in eandem reipublicae instauratae faciem quadrat alterum, רֻחָמָה, i. e. *misericordiam consequuta* nomen; quemadmodum enim triste illud exsilium et reipublicae eversio, a qua populus לֹא־רֻחָמָה dicendus fuerat, ex Dei in populi sui excandescentia provenerat, ita ex adverso ipsa illa liberatio Vs. 11. promissa argumentum luculentissimum erat, in gratiam illum Deo ad misericordiam adducto reconciliatum esse.

CAP. II.

Argumentum.

Judicio Deus cum populo Israelitico tanquam cum adultera conjuge disceptat, illamque violatae fidei ac temeratae religionis incusat: quare grave illi supplicium minatur, quo ab amentia atque errore resipiscat et ad desertum et proditum thalamum se referat (Vs. 1 — 12.). Suam deinde benevolentiam et studium promittit, quod nihilo erit languidius, quam si sponsam duxisset primum, cujus esset integer et illibatus pudor. Qualia vero illa conjugalis animi ac fidei promissae pignora futura sint, inde a Vs. 13. ad Capitis finem abunde persequitur.

1. Hieronymus: „Hucusque ad Israel populum, hoc est, decem tribus, sermo directus est; nunc alterum caput incipit, et praecipitur filiis, id est, populo, ut ineant judicium adversus matrem suam, quae eos genuit, quae de meretrice uxor effecta mores pristinos non reliquit, et rursum fornicata est cum amatoribus suis. Et vide clementiam viri: jam repudiata est, jam abjecta est, jam ei loquutus est: *haec non uxor mea, et ego non vir ejus;* tamen praecipit filiis, ut nequaquam ad uxorem patris, quem illa dimisit, sed ad matrem suam loquantur, quae eos genuit, loquantur autem ad poenitentiam provocantes, ut auferat fornicationes a facie sua, et adulteria sua de medio uberum suorum.“ רִיבוּ בְאִמְּכֶם *Contendite cum matre vestra*, litem ei intendite, cf. infra 4, 1. Gen. 31, 36. Jer. 2, 9. *Matris* nomen monstrat, alloquium fieri ad *liberos* seu *filios*, quibus designantur reipublicae decem tribuum cives, ex ea prognati et in ejus sinu educati, qui illam pro matre habebant, ut solet idem

populus *matris* nomine venire, quando universe sumitur, *filiorum* vero, habita singulorum ratione, qui ex eo populo nascuntur. Cui figurationi ansam nunc dabat *Gomeris*, tanquam uxoris perfidae, imago, Capite superiore proposita, qua populus repraesentabatur, olim a Deo in foedus adsumtus, sed qui dudum depravatus progeniem tulerat aeque vitiosam. Chaldaeus: אוֹכַחוּ לְכְנִשְׁתָּא דְיִשְׂרָאֵל *argue coetum Israelis.* Quod vero *filii contendere* jubentur *cum matre*, GROTIUS recte hoc modo explicat: „Jubentur singuli, qui sibi bene esse cupiunt, accusare palam male facta gentis totius, nempe decem tribuum, ut communes poenas evadant.“ KIMCHI: „Jam redit ad objurgationes, quales initio protulerat. Quia vero populum Israeliticum cum meretrice comparaverat, singulisque seculis natos cum sobole impudicae, nunc jubet huic, ut cum matre sua contendat. Totus populus junctim sumtus comparatur matri, singuli autem filiis. Et quod *litigare* jubentur, indicat, sese invicem exhortari debere, ut ad frugem meliorem redeant.“ Verba quae sequuntur, כִּי־הִיא לֹא אִשְׁתִּי וְאָנֹכִי לֹא אִישָׁהּ, interpretum plures parentheseos notâ a reliquis separanda arbitrantur, ut reddant causam litis instituendae, et cur dignus sit populus, qui a Deo rejiciatur. Sed sunt illa potius sic reddenda: *quod ista non sit uxor mea, et ego non sim maritus ejus*, ut iis verbis contineatur *quod illa non sit*, atque argumentum sive summa contentionis. Chaldaeus praemisit: *et dicite ei*, meo scil. nomine. Quod vero Deus negat, *hanc talem suam esse uxorem, aut se ejus maritum*, non absolute est intelligendum, nam prorsus esse repudiandam, proximo demum commate illi minatur Deus, sed hoc modo: populus decem tribuum, cujus personam gerit propudiosa ista Gomer, insano foedarum religionum amore impulsus, sanctissimas illius foederis leges, ex quo meus censebatur, quantum in se erat, violavit, seque adeo indignam ostendit, ut ejus maritus in posterum dicat. וְתָסֵר *Ut auferat*, nam particula ו τελικῶς, pro ἵνα, est capienda, contentionis scopo id exigente. זְנוּנֶיהָ מִפָּנֶיהָ *Scortationibus* quas *a facie sua* removere jubetur, nonnulli, Abarbenelem sequuti, intelligunt fucum, quo meretrices formositatem mentiri student, ut נַאֲפוּפֶיהָ מִבֵּין שָׁדֶיהָ *adulteriis e medio uberum suorum* removendis, vel ipsam uberum inverecundam nuditatem, vel alia quaedam ornamenta, quae suspensa ad ubera libidinis essent irritamenta, et iis quidem hoc loco effigies innui existimant idolorum, quas in auribus, aut e collo suspensas inter ubera gestare solerent. Quemadmodum enim per metonymiam haud raro signum pro re significata ponitur, sic etiam res significata pro illius signo nonnumquam usurpatur. Quomodo *fortitudo*, quae significatur in armis, pro armis adhibetur Ps. 93, 1. *Indutus est Jova* עֹז, *fortitudinem, et praecinxit se.* Cf. Jes. 51, 9. Sic saepe *laetitia* pro laetitiae signis, puta pro canticis et choris. Eodem igitur modo possent et hic *scortationes* meretricios or-

natus indicare. Simplicius tamen est, dictionibus זְנוּנִים et נַאֲפוּפִים *gestus lascivos* et *blandimenta meretricia* intelligere, quae *vultui* atque *uberibus* tribuuntur, ut sistatur mulier toto habitu libidini addicta, atque ad eam excitandam et exercendam unice composita. Solutae enim lasciviae feminis solet suus *vultus* esse, qualis Glycerae apud HORATIUM L. I. *Od.* 19, 7. 8. *Urit grata protervitas, et vultus nimium lubricus adspici.* Ab Anacreonte *Od.* 28, 21. dictus *βλέμμα ὑγρὸν ὡς Κυθήρης*, ab Alciphrone Lib. III. Epist. 40. *πρόσωπον ἐπίπλαστον, καὶ ὁ τρόπος μοχθηρίας*, a Persio *Sat.* 1, 18. *ocellus patrans.* Cujus in culpae partem *ubera* quoque veniunt, quae, Jarchio observante, mulier adultera praebet pertractanda et premenda, plane ut Ezechiel 23, 3. Israelis, feminae impudicae imagine propositae, *ubera in Aegypto pressa* dicit, quod ibi ab avitae religionis puritate deficere coeperat. Dei monitum igitur huc redit: missam tandem faciat putidam istam ficta numina colendi consuetudinem, et mores corruptissimos emendet. Chaldaeus: *usque removeat opera sua mala a conspectu suo, et cultum idolorum e civitatibus suis.* Observationis grammaticae est, quod Aben-Esra ad nomen זְנוּנֶיהָ notat, esse ex eorum numero, quae secundam radicalem geminant; nam a זָנָה formari זְנוּנִים, ut ab הָגָה, הֲגִיג, Ps. 5, 2., in נַאֲפוּפִים vero geminari tertiam radicalem, ut סַגְרִיר Proverb. 27, 15. a סָגַר. Ejusmodi formis intendi significationem, exprimique multitudinem et magnitudinem, notum. Vid. STORRII *Observatt.* p. 179. 189. seq. Ceterum nostrum locum imitatur et explicat Jeremias Cap. 3. Quemadmodum enim ab Hosea Deus sistitur animo miti et ad misericordiam prono, qui etsi repulisse videbatur cum libello repudii adulteram uxorem, ei tamen viam ostendit, per quam possit ad gratiam antiquam, unde exciderat, et ad connubiale pactum, quod adulterando violarat, reverti (vid. Hieronymum sub initio hujus notae allatum); ita apud Jeremiam, loco laudato, quum jam esset Israelitis in exsilium abducta quasi jam demissa et abalienata cum libello repudii indicatur; Deus tamen illam oratione quam mollissima revocare contendit, et ad torum, quem prodiderat, rursus invitat. Dimissam cum libello dicit Vs. 8. *Et vidit perfida ejus soror Juda, quod ego defectricem Israelitidem, propter tot ejus adulterii causas repudiassem, eique libellum divortii dedissem;* et Vs. 12. quam repudiatam dixerat, rursus vocat ad sponsae delicias et nomen. Sic enim Vs. 10. sqq. Jova ad Jeremiam: *I, et haec verba pronuntia aquilonem versus* (ubi tunc Israelitis captiva agebat), *et dic: revertere aversatrix Israel, ait Dominus, nec avertam faciem meam a vobis.*

2. Adhortationem ad morum emendationem confirmat addita gravissimorum malorum comminatione, quae non nisi ista lege averti possent. פֶּן־אַפְשִׁיטֶנָּה עֲרֻמָּה *Ne exuam eam* ita ut reddatur plane *nuda*, vestes scilicet a me datas auferendo adulterae;

cf. infra Vs. 8. 9. Verbo פָּשַׁט significatur *violenta vestium detractio*, cf. Gen. 37, 23. 1 Sam. 31, 8., quae et aliis locis, veluti Jer. 13, 26. 27. Nah. 3, 4. 5. Ezech. 16, 39. 23, 29., ut poena prostibularum proponi solet, qua contumeliis omnibus vexandae tradebantur. וְהַצִּגֹתִיהָ *Et sistam eam*, Exod. 10, 24. Jud. 7, 5. Jer. 51, 34. Job. 17, 6., in conspectu omnium, cum summo pudore et ignominia nudam, כְּיוֹם הִוָּלְדָהּ *sicut die* (יוֹם est in Casu adverbiali positum, *quando*) *quo nata fuit*, quo nuditas non modo, sed summa etiam foeditas adulterae exprimitur, qualis solet esse infantis recens nati, nec a sordibus sanguinis puerperii abluti. Eandem imaginem pluribus exornavit Ezechiel 16, 4. seqq., retentis subinde ipsis Hoseae verbis. Sensus est: contemtum, opibus, potentia, omnibus ornamentis destitutum reddam Israelitarum populum. Interpretum plures vatem respicere existimant populi in Aegypto commorationem, ubi dura, iniqua et servilis ejus conditio. Status miserrimus, in quem redigendus sit populus scelestus, in altero hemistichio alia imagine proponitur. וְשַׂמְתִּיהָ כַּמִּדְבָּר וְשַׁתִּהָ כְּאֶרֶץ צִיָּה *Et ponam*, i. e. reddam (cf. infra Vs. 11. Jes. 14, 23.) *eam tanquam desertum, et efficiam* (cf. eundem usum verbi שׂוּם Jer. 22, 6) *sicut terram aridam*, i. e. omni dignitatis ornamento ac vitae subsidio orbabitur; in eam speciem et squalorem adducetur, quam habet triste et sterile desertum, quod a coeli nubibus nihil accipit incrementi. Cf. Jes. 5, 6. Jer. 6, 8. Zeph. 2, 13. Pro defective scripto וְשַׁתִּהָ in libris pluribus a Kennicotto et De-Rossio enumeratis legitur plenum וְשַׁתִּיהָ. וַהֲמִתִּיהָ בַצָּמָא, *enecabo eam siti*, qualis est deserti prorsus inculti, et solis ardore exusti. וַהֲמִתִּיהָ est contracte pro וַהֲמִיתִיהָ, cf. 1 Sam. 17, 35.

3. Verba וְאֶת־בָּנֶיהָ לֹא אֲרַחֵם sunt, qui vertant cum Hieronymo: *et filiorum ejus non miserebor*, ut inchoetur hic novus ipsius Dei sermo, quo post comminationem incipiat suam sententiam declarare. Verum quum res hoc Versu enuntiata ad praecedentium minarum complementum spectet, praestat, novi sermonis initium sequenti commati, cui כִּי praemissum, atque hic subaudito כֵּן (c Vs. 2.), sic vertere: *nec filiorum ejus miserear.* כִּי־בְנֵי זְנוּנִים הֵמָּה *Quia filii scortationis* sunt *ipsi*, impurae matris progenies nihil melior. Cf. not. ad 1, 2. יַלְדֵי זְנוּנִים, et infra 5, 7.

Verba Schmidii

4. כִּי alii vertunt *nam*, quasi ratio nunc reddatur, cur filiis misericordia sit deneganda; sed vix dubium, cam particulam hic ita capiendam esse, ut כִּי *quia*, et לָכֵן *propterea* (Vs. 5.), sibi invicem respondeant. זָנְתָה אִמָּם *Scortata est mater eorum*, cf. Vs. 1. 1, 2. Jer. 3, 8. Chaldaeus: *quia erravit congregatio eorum post falsos prophetas.* הוֹבִישָׁה quidam explicant *pudefecit* scil. opera sua, i. e. ignominiosa, pudenda commisit. Sed rectius Hieronymus: *et confusa est;* nam verbum הָבִישׁ s. הוֹבִישׁ

notat *de re pudenda convinci*, atque ita publice confundi, ut Jer. 6, 15. 8, 12. הוֹרָתָם *Genitrix eorum*, ut Cantic. 3, 4., cf masculinum הוֹרִי *genitor meus*, Gen. 49, 26. כִּי אָמְרָה *Quia dixit*, et adhuc dicit; Praeteritum enim saepe ita usurpari solet, ut et continuatio actionis ad praesens tempus significetur, ut Jes. 1, 4. Jer. 2, 25. 44, 16. 17. אֵלְכָה אַחֲרֵי מְאַהֲבַי *Ibo post amatores meos* (propr. *amare me facientes*, quod alienas uxores in sui amorem pellicerent donis ac muneribus, Vs. 6. 9. Jerem. 22, 20. Ezech. 23, 5. 9.), i. e. Chaldaeo explicante, *sequar gentes* alias, *amicos meos*. Jarchi: בדרכי האומות *in viis gentium*. Grotius: „Lubet mihi exempla sequi Assyriorum, Syrorum, Aegyptiorum.“ שֹׁמְנִי — נֹתְנֵי לַחְמִי *Qui praebent mihi panem, et aquam, lanam et linum, oleumque.* „*Pane* et *aqua* vivimus, *lana* et *lino* vestimur; *oleo* utimur ad venustatem, item ad robur conciliandum corpori. *Oleum* saepe Ebraei usurpant pro *unguento*, quod bona pars unguenti ex oleo constaret. Horum, inquit, beneficio non solum victus et amictus, verum etiam unguenta reliquaque omnia, quae sunt delicatioris et mollitioris vitae instrumenta mihi abunde suppetunt.“ Drusius. וְשִׁקֻּוַי *Et potus meus*, Ps. 102, 10., vinum aliosque potus factitios vel inebriantes. Quibus significantur reliqua, quae non solum ad victum et amictum pertinent, verum ad delicias etiam et abundantiam faciunt. Kimchi: „*Amicis* (מְאַהֲבִים) innuit Assyrios et Aegyptios, Israelitis foedere junctos, qui eos ab hostibus liberabant, ut tuto viverent, pro muneribus, quae eis dare solebant. Sensus est, se tranquillos, pro foedere cum eis inito, vixisse, et veluti omnia necessaria ab eis accepisse. Nam eorum praesidio tuti sine metu terram suam colebant, et securi in exteras regiones (mercaturae exercendae causa) proficiscebantur.“ Nec aliter Hieronymus: „*Amatores* Hierusalem et gentis Judaeae, secundum historiam illius temporis, Assyrios atque Aegyptios, nationesque ceteras intelligamus, cum quorum idolis fornicata est, a quibus bellorum tempore et prementibus malis frustra speravit auxilium.“

5. לָכֵן הִנְנִי־שָׂךְ *Propterea ecce ego obsepiens sum*, Job. 1, 10. cf. Jes. 5, 5., i. e. occludam. Utitur praesenti ob eventus certitudinem. אֶת־דַּרְכֵּךְ *Viam tuam*, pro quo LXX τὴν ὁδὸν αὐτῆς posuerunt, Syro concinente, quasi דַּרְכָּהּ scriptum esset. Sed praestare, quod in nostris codicibus legitur, recte monuit Kuinoelius: nam alloquitur Deus populum, et subita personarum mutatio Hoseae solennis est. בַּסִּירִים *Spinis*, Jes. 34, 13. Amos. 4, 2. LXX: ἐν σκόλοψι (2 Cor. 12, 7.), pungentibus virgultis, quae transitum difficillimum molestissimumque efficiunt. וְגָדַרְתִּי *Et obducam*, ut Amos. 9, 11. אֶת־גְּדֵרָהּ *Maceriam ejus*, Num. 22, 24., e lapidibus aut ligno constructam (Ps. 89, 41.), quae minus quam sepes e spinis consepta, perrumpi possit; וְנְתִיבוֹתֶיהָ לֹא תִמְצָא *ita ut vias suas invenire nequeat.* cf. Levit. 26, 36.

Alias quidem, ut Job. 1, 10. Jes. 5, 5., in bonam partem adhibetur. Sepimentum a Deo suis circumpositum, quod si sublatum sit et perfractum, statum depingit omni praesidio nudatum atque direptioni relictum; hic autem contrario plane usu Deus viam populi Israelitici occludere dicitur, quando eum, sive turbis civilibus perplexum, sive hostibus circumsessum in eas undique angustias compellit, ut non amplius sui sit juris, nec, quo se demum vertat, inveniat. Eadem imago Job. 19, 8. אָרְחִי גָּדַר וְלֹא אֶעֱבוֹר *semitam meam sepsit, ut non transire possim, et super calles meos tenebras posuit.* Thren. 3, 7. גָּדַר בַּעֲדִי וְלֹא אֵצֵא *circumsepivit me, ne exeam, gravesque mihi compedes adhibuit.* Et Vs. 9. גָּדַר דְּרָכַי גָּזִית *obsepivit vias meas quadrato lapide, tramites meos contortos fecit.* HIERONYMUS: „Dixerat meretrix (Vs. 4.): vadam post amatores meos, qui omnium rerum abundantiam mihi praebuerunt. Respondit Deus: ego sepiam viam tuam spinis sive sudibus, ne possis ire, quo desideras, et interponam maceriam, sive murum; et semitas tuas, quas crebro triveras pede, non invenies, ne apprehendas eos, quos tanto studio sequebaris, et rerum necessitate compulsa revertaris ad virum tuum.“

6. וְרִדְּפָה *Ut cum cupide sectata fuerit*, nam verbum רָדַף in Piel significatione aucta notare *magno studio persequi*, coll. Prov. 12, 11., recte observat Jarchi. אֶת־מְאַהֲבֶיהָ Vid. Vs. 4. וְלֹא־תַשִּׂיג אוֹתָם *Nec eos assequuta fuerit*, Gen. 44, 4. 6. וּבִקַּשְׁתָּם *Et quum quaesiverit eos studiose*, more impudicarum mulierum (nam castae non quaerunt, sed quaeruntur ab amatoribus), cf. Jes. 41, 12. וְלֹא תִמְצָא *Nec inveniat*, et ita vanitatem idolorum agnoscens incipiat cultum eorum detestari, וְאָמְרָה, *ut*, inquam, tandem pudefacta et confusa, ubi spes sua ipsam est frustrata, *dicat:* אֵלְכָה וְאָשׁוּבָה אֶל־אִישִׁי הָרִאשׁוֹן *Ibo*, age! *revertar, ad virum meum priorem illum*, Jovam, qui me ex Aegypto eduxit, suumque peculium fecit. Elegantissima oppositio ad Vs. 4. Cf. infra Vs. 15. 14, 2. 3. Jer. 3, 1. כִּי טוֹב לִי אָז מֵעַתָּה *Nam melius mihi tunc erat*, cum ei serviebam (cf. Jer. 22, 15. 16.), *quam nunc*, quando ab eo deficiens omnibus bonis exuta sum. „Sensus: ad incitas redacti Israelitae, ubi cognoverint, idola ipsis non posse auxilium ferre, ad meliorem frugem redibunt, Deum iterum colent.“ KUINOEL.

7. וְהִיא לֹא יָדְעָה *Etenim ipsa non agnoscit*, ita verbum יָדַע et Jes. 1, 3. usurpatur. כִּי אָנֹכִי נָתַתִּי לָהּ *Me*, Jovam, non alii dii, *dedisse ei*, oppositum verbis Vs. 4. (al. 7.). הַדָּגָן וְהַתִּירוֹשׁ *Frumentum et mustum*, infra Vs. 21. (al. 24.), cf. Deut. 33, 28. Ezech. 16, 10—19. וְהַיִּצְהָר *Et oleum*, praecipui Palaestinae fructus recensentur; cf. Deut. 7, 13. 8, 8. 11, 14. וְכֶסֶף הִרְבֵּיתִי לָהּ *Et argentum multiplicavi ei*, cf. Jes. 2, 7. Omnis generis opes et divitias, quas mercatura sibi comparaverant Israelitae,

significat. Verba וְזָהָב עָשׂוּ לַבָּעַל quidam vertunt: *et aurum fecerunt*, i. e. adhibuerunt, consecrarunt, *Baali*, coll. 2 Chron. 24, 7. *Omnes res sacras domus Jovae* עָשׂוּ לַבְּעָלִים *consecrarunt Baalibus*, illas in horum fana transferri curarunt. Sed rectius alii, subaudito ante עָשׂוּ relativo אֲשֶׁר, et verbis hisce junctis cum iis, quae proxime praecedunt: *multiplicavi eis argentum et aurum*, quod *fecerunt*, transmutarunt *in Baalis* idolum; quomodo verbum עָשָׂה intelligendum Num. 11, 8. וְעָשׂוּ אֹתוֹ עֻגוֹת *fecerunt illud*, Manna, *placentas*, et Jer. 37, 15. *Domum Jonathanis* אֹתוֹ עָשׂוּ לְבֵית הַכֶּלֶא *fecerunt in carcerem*. Recte igitur nostra verba Chaldaeus vertit: *et aurum, ex quo confecerunt idola*. Eum sensum, quem et omnes Hebraei interpretes sequuntur, suadet locus parallelus infra 8, 4. כַּסְפָּם וְזָהָבָם עָשׂוּ לָהֶם עֲצַבִּים *argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola*. *Baalis* autem, idoli Sidoniorum (vid. Jud. 2, 11. 1 Reg. 16, 31. et SELDENI *de Diis Syris* Synt. II. C. 1.), fit mentio, quod ejus cultus maxime in regno decem tribuum, post regem Achabum, qui eum primus introduxit, viguit. Nec alii dii exeluduntur, qui mox Vs. 12. (al. 15.) communi τῶν בְּעָלִים nomine cultu comprehenduntur. Etsi vero a Jehu Baalis cultus sublatus esset, ab aliis regibus tamen restitutus est, aut certe toleratus, et a plebe superstitiosa retentus, quod ex historia Josiae 2 Chron. 34, 6. 7. colligi potest.

8. לָכֵן *Propterea* itaque, quod illa non agnoscit, me illi haec bona dedisse, Vs. 7., cf. Vs. 5. אָשׁוּב וְלָקַחְתִּי *Redibo et auferam*, i. e. rursus auferam ei, per tempestates, locustas, hostes. Verbum שׁוּב non solum *iteratam*, verum etiam interdum *oppositam*, s. *contrariam priori actionem* significat; cf. Gen. 26, 18. 2 Reg. 21, 3. 24, 1. Jer. 12, 15. 18, 4. דְּגָנִי *Frumentum meum*, i. e. quod a me accepit, Vs. 7. בְּעִתּוֹ *In* ipso *tempore suo*, i. e. messis (Jerem. 5, 24. Ps. 1, 3. Job. 5, 26.), quando maxima spes est, potiundi eo et fruendi. וְתִירוֹשִׁי בְּמוֹעֲדוֹ *Et mustum meum in stato tempore ejus*, Num. 9, 2. 3., in ipsa vindemia. HIERONYMUS: „Gravior poena est, quando in tempore messis et vindemiae speratae fruges auferuntur et linum, et quodammodo tentae tolluntur e manibus. Sin autem in tempore areae et praeli, et torcularis, quando sterilitatem praeteritam novis frugibus terra foecundat, omnium rerum penuria est, quid de reliquo anni tempore, quando vetera conservantur, aestimare debemus?“ וְהִצַּלְתִּי *Et eripiam* ei, ut Gen. 31, 9. 16. צַמְרִי וּפִשְׁתִּי *Lanam meam et linum meum*, i. e. laneas et lineas vestes, quas a me accepit, Vs. 4. לְכַסּוֹת אֶת־עֶרְוָתָהּ Quae fuerunt ei a me data *ad tegendum nuditatem suam*, s. *pudenda sua*, cf. Exod. 28, 42. Ezech. 16, 8. Cohaeret לְכַסּוֹת cum proxime praecedentibus צַמְרִי et פִּשְׁתִּי, *lana et linum ad obtegendum* ~~erit,~~ quibus utebatur ad se obtegendam meretrix.

9. וְעַתָּה אֲנִלָּה אֶת־נַבְלָתָהּ *Nunc enim* non solum non dabo amplius, quibus se tegere possit, sed ipse etiam *revelabo s. retegam turpitudinem ejus.* נַבְלוּת, quod hoc solo loco legitur, a נָבַל *emarcuit, flaccidus fuit*, proprie *flacciditatem*, hinc *imbecillitatem*, porro *vilitatem*, hinc *ignominiam*, *partem corporis obscoenam* denotat. Chaldaeus: קְלָנָהּ *ignominiam ejus.* Loca nostro parallela sunt Jes. 47, 3. Jerem. 13, 26. Ezech. 16, 37. Nah. 3, 6. לְעֵינֵי מְאַהֲבֶיהָ *Coram amatoribus ejus*, Vs. 4. (al. 7.), Chaldaeus: *coram populis amatoribus ejus*, „ut, quam velatam desiderabant, apertam contemnant," ait Hieronymus. Deridebitur ac velut abominabilis et prorsus infamis ab illis relinquetur, quippe qui nec, si vel maxime velint, auxilium ei praestare poterunt, subjicit enim Deus: וְאִישׁ לֹא־יַצִּילֶנָּה מִיָּדִי *nec quisquam* (cf. Jerem. 40, 15. 41, 4.) *eripiet eam e manu mea* denudante et plectente, nemo illam supplicio promerito subtrahet, non Assyrius, non Aegyptius, quantumvis sint potentes. Cf. infra 5, 14.

10. וְהִשְׁבַּתִּי *Et cessare faciam*, auferam, ut supra 1, 4. Jerem. 7, 34. Thren. 5, 15. כָּל־מְשׂוֹשָׂהּ *Omne gaudium ejus*, omnem gaudendi materiam, cf. Jes. 24, 8. 11. 32, 13. Praecipue autem hic spectantur dies festi, qui quum florente civitate summa hominum frequentia et concursu soleant agi, si sublati fuerint, imaginem proponunt reipublicae prostratae, vid. Jerem. 7, 34. Thren. 1, 4. Amos. 8, 10. Comprehenduntur illi communi מָשׂוֹשׂ *laetitiae* nomine, quia non tantum plausu et clangore excipiebantur, verum etiam a singulis hilare epulis sive sacris sive communibus celebrari solebant, unde Num. 10, 10. יְמֵי שִׂמְחָתְכֶם vocantur. חַגָּהּ *Festivitatem ejus* anniversariam, ut Paschatos, Pentecostes, Tabernaculorum. חָדְשָׁהּ *Novilunia*, Kalendas *ejus*, festa menstrua, cf. infra 5, 7. Jes. 1, 14. וְשַׁבַּתָּהּ *Et Sabbatha ejus*, dies solennes singularum hebdomadum. וְכָל מוֹעֲדָהּ *Et omnem solennitatem ejus*, quando conventus publici indicantur, LXX: *πάσας τὰς πανηγύρεις αὐτῆς*, Exod. 13, 10. Levit. 23, 2. 4. Zeph. 3, 18. Hieronymus: „Tradita autem Babyloniae servituti nequaquam tres solennitates, Paschae et Pentecostes et Tabernaculorum, celebrare poterit: non Neomeniae, id est Kalendarum, non Sabbathi exercere laetitiam, nec omnes festivitates, quas uno nomine comprehendit."

11. וְהִשַּׁמְּתִי *Et devastabo*, Lev. 26, 31. 32. Ezech. 30, 12. LXX: *ἀφανιῶ*, Hieronymus: *corrumpam.* גַּפְנָהּ וּתְאֵנָתָהּ *Vitem ejus et ficum ejus*, quibus duabus speciebus synecdochice significantur omnes alii fructus, qui vel potum gratum, vel cibum suavem praebent. Quemadmodum igitur in promissionibus, ubi deliciarum a Deo concessarum fit mentio, *ficus* et *vitis* conjunguntur (vid. 1 Reg. 5, 5. al. 5, 25. 2 Reg. 18, 31. Jes. 36, 16.), ita contra etiam in comminationibus raro separantur, vid. Jer.

5, 17. Joel. 1, 7. 12. Hagg. 2, 19. Ps. 105, 33. אֲשֶׁר אָמְרָה *Quas*, de quibus *dixit* illa, supra Vs. 4. (al. 7.). אֶתְנָה i. q. אֶתְנָן infra 9, 1. Deut. 23, 19., et זוֹנָה אֶתְנַן Mich. 1, 7., *merces* meretricia, cf. verbum infra 8, 9. 10. Kimchi: „Quia illa se ab amatoribus frumentum, mustum, oleum et reliqua bona accepisse dicit, ego eam, i. e. terram ejus in solitudinem redigam; tunc intelliget, illa bona num a me, an ab illis acceperit. Quia vero gentem Israeliticam meretrici comparaverat, ideo bona illa vocat *mercedem scorti*. *Ficus* et *vitis* mentionem facit ideo, quod ficus et uvae gratissimus sunt hominibus post frumentum cibus. Dixerat autem jam Vs. 8. (al. 11.): *auferam tempore suo frumentum meum.*“ וְשַׂמְתִּים *Ponam* igitur, redigam *eas*, vineas et ficeta, totamque omnino terram, לְיַעַר *in saltum*, sicut belli et universae devastationis tempore, quando neglecta loca sylvescunt, ut nihil fructuum amplius inde sperari queat. וַאֲכָלָתַם חַיַּת הַשָּׂדֶה *Ut comedant illas bestiae agri.* Cf. similes comminationes Jes. 5, 6. 7, 23. Mich. 3, 12.

12. וּפָקַדְתִּי עָלֶיהָ *Et visitabo super ea*, i. e. animadvertam in eam, cf. supra 1, 4. אֶת־יְמֵי הַבְּעָלִים *Dies Baalorum*, quorum nomine omne genus falsorum deorum complectitur, quos Israelitarum superstitio colebat, et suo licet singuli cognomine distinguerentur, hoc tamen communi nomine, veluti totidem Joves olim fuisse appellatos constat; *dies* vero *eorum*, sive eis consecrati, tempus omne significant, quo cultus ille vetitus in gente Israelitica viguit, quippe mox ab ejus ingressu in terram Cananaeam susceptus, uti liquet ex Jud. 2, 12. 13. 3, 7. 6, 25., et nonnullorum judicum quidem auctoritate nonnunquam interruptus, sed sub regibus nova identidem licentia instauratus; vid. e. c. 1 Reg. 16, 31. 32. Quando autem Deus se illos dies, sive *secundum illos dies* (cf. infra 12, 3.) in eam animadversurum minatur, poenae protractionem, recte observante Kimchio, simul significat, q. d. et istas quidem poenas non per unum alterumve annum ei immittam, sed per plurimos, ita ut abunde ipsis compensetur illud tempus, quo falsorum deorum cultui dediti erant. אֲשֶׁר תַּקְטִיר לָהֶם *Quibus accendebat incensum*, vertit Hieronymus, ut relativum pronomen ad deos falsos referatur. Rectius tamen alii אֲשֶׁר ad יָמִים retulerunt, subaudito בָּם, *quibus* diebus *suffitum fecit illis* falsis diis. Ita LXX: *ἐν αἷς ἐπέθυον αὐτοῖς*, et Chaldaeus: *animadvertam in ea dies, quibus idola coluit, dum iis aromata obtulit.* Verbum הַקְטִיר *adolevit, incendit*, etsi speciatim de suffitu adhibeatur, vid. Ezech. 6, 13. 8, 11. 16, 18, patet tamen latius, et de quovis sacrificio usurpatur, vid. Levit. 1, 9. 3, 15.; eorum enim hoc habebatur praecipuum, ut vel carnes victimarum adiposas, vel thura adolerent, qua de causa sacrificuli מְקַטְּרִים vocantur 1 Reg. 22, 44. וַתֵּעַד *Et ornavit se*, Jes. 61, 10. Jer. 4, 30. Ezech. 16, 13. נִזְמָהּ Hieronymus *inaure*

sua vertit, quem plerique sequuntur, sed proprie nomen נֶזֶם *narium ornamentum, annulum naribus insertum* denotare, patet ex Jes. 3, 21. (נִזְמֵי הָאָף), et Ezech. 16, 12. (נֶזֶם עַל אַפֵּךְ), cf. not. ad Gen. 24, 22., et A. Th. Hartmanni de vestitu mulierum Hebraearum opus sermone vernaculo conscriptum hac epigraphe: *die Hebräerin am Putztische und als Braut* P. II. p. 166. sqq. et P. III. p. 205. וְחֶלְיָתָהּ *Et ornatu*, mundo *suo;* nomen hoc praeter nostrum locum bis obvium, Prov. 25, 12. et Cant. 7, 2, Jarchi recte *arabicum* vocat, convenit enim cum Arabico حُلِيّ, quod Firuzabadius esse ait *quodcunque ornamentum vel e metallis conflatum, vel e lapidibus pretiosis confectum.* Eodem ille nomine arabico interpres arabicus 1 Petr. 3, 3. expressit graecum *περίθεσις χρυσίων.* וַתֵּלֶךְ אַחֲרֵי מְאַהֲבֶיהָ *Et ibat post*, prosequuta est *amatores suos*, sicut prostibula quaerere solent amasios, si non ultra veniunt, cf. supra Vs. 4. (al. 7.). וְאֹתִי שָׁכְחָה *Et mei*, mariti sui, *oblita est;* cf. infra 4, 6. 8, 14. 13, 6. נְאֻם יְהוָה *Dictum Jovae*, veridici, qui quae hic minatus est certissime exsequetur. Chaldaeus alteram hujus Versus partem sic exponit: *Erat similis mulieri, quae reliquit maritum suum, et sese ornavit inauribus atque monili margaritarum suarum, et erravit post amatores suos; ita concioni Israelis placuit idola colere, et meum cultum reliquit, ait Jova.* Hieronymus: „Servat personam meretricis, quae auro ornatur et gemmis, ut placeat amatoribus suis; quicquid pulchritudinis non habet per naturam, arte conquirit. Haec autem universa faciebat, ut sequeretur amatores suos, et relinqueret virum. Tantumque fuit desiderium voluptatis ac libidinis, ut omnem memoriam amiserit maritalem, et oblita sit fuisse se conjugem. Quamobrem ipsis solennitatibus, quibus incendebat thura daemonibus, visitabitur in plagis et corripietur in poenis.“

13. Comminationibus, pro more prophetarum, addit promissiones, subito facto transitu, qualem Cap. 1, 10. observavimus. Neque enim audiendi sunt, qui priori hujus versiculi parte poenas denunciari existimant, sensumque faciunt hunc: *propterea* quod ingratissima illa mei oblita est (Vs. 15.), gravissimis castigationibus et poenis *persuasurus sum ei* (אֲנִי מְפַתֶּיהָ), ut mihi deinceps obtemperet, ideoque per Assyrios *deducam eam in desertum* (וְהֹלַכְתִּיהָ הַמִּדְבָּר), et sic tandem, quum experientia damnorum tractabilis et attentior mihi facta fuerit, *eam consolabor* (וְדִבַּרְתִּי עַל־לִבָּהּ). Quae interpretatio quam multa textui interponat pro lubitu, est manifestum. Poenarum denunciationes clauduntur Versu superiore, solenni formula נְאֻם יְהוָה; transitum ad promissiones facit initio hujus Versus particula לָכֵן, quae ut Arabica لَكِنْ sive لَكِنَّ *veruntamen*, vertenda fuerit, quemadmodum Jerem. 16, 14. 30, 16. Ezech. 39, 25., quibus locis eadem

adhibetur in transitu a malorum comminatione ad meliorum temporum promissiones. Alii tamen illam usitatiore significatu *propterea* et hoc loco capiunt, ut DRUSIUS, qui vim ejus ita exponit: „Non mitigat poenam, sed conatur alia ratione emendare. Quia, inquit, hac non successit, alia aggrediar via: quod severitate non potui, conabor blanditiis efficere.“ Sed prior ratio praestat. הִנֵּה אָנֹכִי מְפַתֶּיהָ *Ecce ego pelliciam eam*, ut 1 Reg. 22, 20. 22. Alii: *persuasurus sum illi* (cf. Jer. 20, 7. Ezech. 14, 9.), q. d. pelliciam ad me blandis verbis, et conabor persuadere, ut, relictis amatoribus, cum quibus hactenus scortata fuit, mecum redeat in gratiam. וְהֹלַכְתִּיהָ הַמִּדְבָּר *Et deducam eam* velut *in desertum*, uti olim quum ex Aegypto migrarent, cf. Deut. 8, 2. Jer. 2, 2. 6. Optime LIVELEUS: „Locus consolationis est, quo post maximam eorum afflictionem Deum eos liberaturum esse ostendit, similitudine sumta a liberatione majorum e servitute Aegyptiaca. Primum enim opera Mosis et Aaronis populo suo persuasit, ut Aegyptum relinqueret, et alio se ad colendum Deum conferret, Exod. 4, 30. 31. et Cap. 14. 15. Postea *duxit in desertum*, inde tandem *ad vallem Achoris* (Vs. seq.), in ipsius terrae promissae possessionem. Cum haec omnia se iterum facturum pollicetur, perinde est ac si dicat, alteram populi liberationem et in optimorum bonorum possessionem adductionem fore. Allegoria est, qualis illa in Eclogis Virgilii [4, 34. sqq.]: *Alter erit tum Tiphys, et altera quae vehat Argo delectos heroas; erunt etiam altera bella; atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.* Jesajas 11, 15. liberationem populi eadem similitudine declarat: *Siccabit Jova linguam maris Aegyptii, et erit agger populo, qualis olim Israeli fuit, cum ascendit ex Aegypto.*“ Cf. not. nostr. ad Ezech. 16, 53. Kimchi conferri jubet Ezech. 20, 35. וְדִבַּרְתִּי עַל־לִבָּהּ *Et loquar ad cor ejus*, „verba,“ inquit HIERONYMUS, „mollia, verba consolatoria, ut tristitiam gaudio temperem, juxta idioma Scripturarum, quibus verbis et Sichem loquutus est ad cor Dinae [Gen. 34, 3.], et Joseph in Aegypto fratribus suis, tristibus et metuentibus [Gen. 50, 21.], ut moeror gaudio mutaretur.“ LIVELEUS: „*Ad cor illius loquar*, idem valet, ac si dicat *eam consolabor*, ut Jes. 40, 1. 2. *Consolamini populum meum, loquimini ad cor Hierosolymae.* Ratio autem hujus loquutionis est, quia quos solamur, eos grato sermone alloquimur. Unde factum, ut Latine *alloqui* dicatur pro *consolari.* VARRO L. V. *de Lingua Latina: Allocutum mulieres ire ajunt, cum eunt ad aliquam, locutum consolandi caussa.* OVIDIUS *Trist.* 1. Eleg. 7. *Quid fuit ingenti prostratum mole sodalem visere? et alloquii parte levare tui?* Idem igitur Hebraeis est *ad* vel *secundum cor loqui*, quod Latinis *alloqui*, cui Graecum παραμυθέομαι consonat a παρὰ, *ad*, et μυθέομαι, *loquor.* Itaque Castellio non male hunc Hebraismum his verbis interpretatur: *benigne alloquar.* Chaldaeus:

et per prophetas, ministros meos, loquar consolationes ad cor ejus.

14. וְנָתַתִּי לָהּ אֶת־כְּרָמֶיהָ *Et dabo*, reddam, *ei vineas suas*, quibus olim Palaestinam abundasse constat. Promittit Deus, se curaturum, ut avitas suas possessiones recuperent Israelitae, *vinearum* nomine designatas; ut supra Vs. 11. (al. 14.) *vitium vicuumque* desolatione omnis regionis vastitatem adumbratam vidimus. Eadem promittuntur Jes. 65, 1. Jerem. 31, 5. Amos. 9, 14. מִשָּׁם *Inde*, i. e. quum primum ex deserto isto egressa fuerit. DRUSIUS: „*Ex illo loco*, videlicet ex deserto. Aut מִשָּׁם dixit pro *ex illo tempore*. Nam שָׁם interdum valet *tunc* [veluti Ps. 132, 17. Jud. 5, 11. Jes. 48, 16.]. Sic *ibi* sumitur in illo Terentii [Enn. 2, 2. 30.]: *Ibi homo coepit me obsecrare.*“ וְאֶת־עֵמֶק עָכוֹר *Et vallem Achor*, i. e. conturbatoris, prope Jerichuntem in ipso terrae Canaanis ingressu, nomen inde naeta, quod in ea populus Israelitieus conturbatus est sacrilegio ab Achane commisso, cladeque propterea a Deo immissa, vid. Jos. 7, 24—26. לְפֶתַח תִּקְוָה *In ostium spei* reddam, i. e. quemadmodum olim Israelitis iter longum ac difficile per desertum emensis, moeror ille, quo in ipso terrae Canaanis limine affecti sunt ob scelus ab Achane commissum, conversus est in gaudium, magna parte victoria de Ai (Jos. 8.), ex qua totius mox terrae obtinendae spem conceperant; ita et redituris aliquando Israelitis e terris exteris, post triste et diuturnum exsilium, laeta felicioruin temporum spes affulget. Alii *vallem Achor* simpliciter ideo commemorari existimant, quia Palaestinam ingressuros, peragrato deserto, vallis haec, cis Jordanem sita, primum exciperet, quae quum esset fertilissima, laetisque paseuis abundans, quare in simili argumento nominatim laudatur una cum Sarone Jes. 65, 10., de rebus suis bene sperare juberet reduces. Verum respici simul etymologiam nominis עָכוֹר, et historiam, quae legitur Jos. 7, 24. sqq., recte observant antiquiores inter Judaeos interpretes. JARCHI: „*Vallemque Achor*, i. e. profunditatem exsilii, in quo Israelitae sunt conturbati, reddam eis *januam*, i. e. initium *spei*, quia per istas compressa (gens) angustias animum applicabit, ut ad me redeat.“ Nec aliter HIERONYMUS: „Promittit, quod loeus tumultus vallisque turbarum, hoc enim interpretatur *Achor*, mutetur in ostium spei, sive ad aperiendam spem atque patientiam, quod ideireo supplicia et tormenta perpessa sit, ut per haec ad prospera perveniret.“ וְעָנְתָה *Et canet* alterno choro, ut olim Israelitae ex Aegypto egressi, Exod. 15, 21. Chaldaeus pro וְעָנְתָה posuit וְיִתְנַהֲגוּן לְמֵימְרִי, *et dedent se verbo meo.* Videtur verbum hebraeum hoc modo cepisse: *respondebit* Deus fidem et obsequium postulanti se ei velle obtemperare. Ita עָנָה Exod. 19, 8. 24, 3. כִּימֵי נְעוּרֶיהָ *Sicut in diebus pueritiae*, s. *adolescentiae ejus*, „nata fuit in Aegypto: *pueritia* igitur dicitur, eum jam inde profecta mare

rubrum trajecisset." Drusius. Cf. infra 11, 1. Jer. 2, 2. Ezech. 16, 7. 8. 23, 19. Statim vates ipse se explicat, dum addit: וְכִיּוֹם עֲלוֹתָהּ מֵאֶרֶץ מִצְרָיִם *id est* (sic enim ו h. l. vertendum), *sicut die ascensionis suae ex terra Aegypti.*

15. וְהָיָה בַיּוֹם־הַהוּא *Et fiet illo die*, בְּעֵת הַהִוא *illo tempore* (ut Chaldaeus vertit), de quo Versu superiori, cum dispersi per terras exteras in patriam redibant. תִּקְרְאִי אִישִׁי וְלֹא־תִקְרְאִי־לִי עוֹד בַּעְלִי, cum me alloeuta fueris, ista appellatione uteris, אִישִׁי, nec me amplius בַּעְלִי appellabis. בַּעַל *maritum* quidem aeque ac אִישׁ significat (vid. Gen. 20, 3. 2 Sam. 11, 26. Prov. 12, 4. 31, 11. 23. 28.), sed quia id nomen Jova commune habet cum falsis diis, ideo non vult ita vocari Deus. Simili ratione Jer. 23, 36. usum nominis מַשָּׂא, alioquin honesti, prophetis interdicit, cum in populi contemtum venisset. Jarchi אִישִׁי vult nomen esse amoris, בַּעְלִי autem timoris, nam proprie sonat *mi domine.* Sed eum, quem indicavimus, hujus loci sensum esse, et vidit Hieronymus, qui hoc modo illum enarrat: „Quod dicit Dominus *vir meus*, hoc est: cum utroque sermone, *Ischi* et *Baali* appellatur *vir meus*, sive *maritus meus;* tantum odi idolorum nomina, ut etiam quod bene dici potest, propter ambiguitatem et verbi similitudinem, nequaquam velim dici, sed appellari me *Ischi* magis, quam *Baali*, ne dum aliud loquitur, alterum recordetur, et virum nominans idolum cogitet.

16. וְהַסִרֹתִי אֶת־שְׁמוֹת הַבְּעָלִים מִפִּיהָ *Et removebo* (ut Ezech. 11, 19. Zephan. 3, 11.) *nomina Baalorum ex ore ejus*, gentis Israeliticae, tunc in uxorem rursus recipiendae a Jova (Vs. 18.). Quam Versu superiori alloquutus erat, de ea jam loquitur in persona tertia; transitu vatibus hebraeis familiari. Sensus: non solum cultum illorum deorum, quae nomen *Baal* gerunt, obliterabo, sed etiam memoriam nominum, quibus appellantur. Peregrinae superstitionis abrogatio pertinet ad aurei seculi felicitatem, vid. Mich. 5, 13. Zach. 13, 2. וְלֹא־יִזָּכְרוּ עוֹד בִּשְׁמָם *Nec memorabuntur amplius nominibus suis*, respicit praeceptum Exod. 23, 13. *Nomen deorum alienorum ne recordemini, neque audiatur in ore vestro.* Alii: cum mentio fiet eorum, non amplius vocabuntur *Baalim.*

17. וְכָרַתִּי לָהֶם בְּרִית בַּיּוֹם הַהוּא עִם חַיַּת־הַשָּׂדֶה *Et pércutiam eis*, in eorum bonum, *foedus isto tempore cum bestiis agri*, reddam eos tutos ab injuriis non modo hominum, sed etiam bestiarum, quasi foedere illas obligassem, ut nullo modo illis noceant. Ita Jobus 5, 23. *Cum lapidibus agri foedus tuum, et bestia agrestis pacem colit tecum.* Plenius hoc declarant Jes. 11, 6. et Ezech. 34, 25., ad quem loc. cf. not. Eadem promittuntur Lev. 26, 6. וְעֵוף־הַשָּׁמַיִם *Et cum volatilibus coeli*, „in queis," inquit Drusius, „locusta, omnium eorum, quae terra

producit, certa pernicies, si quando ingruerit." וְרֶמֶשׂ הָאֲדָמָה *Et reptili terrae*, ut sunt serpentes et scorpii. וְקֶשֶׁת וְחֶרֶב וּמִלְחָמָה אֶשְׁבּוֹר מִן־הָאָרֶץ *Et arcum, et gladium, et bellum frangam* et amovebo *ex hac terra.* Bellum *frangi* dicitur cum cessat. Aut *bellum* vocat belligerantes, vel instrumenti belli, praeter *arcum* et *gladium*, quorum ante mentionem fecit. Chaldaeus: *et bella gerentes a terra abolebo.* Cf. Jes. 2, 4. Ps. 46, 10. וְהִשְׁכַּבְתִּים לָבֶטַח *Et cubare*, requiescere *eos faciam secure.* Cf. Mich. 4, 4.

18. וְאֵרַשְׂתִּיךְ לִי *Et desponsabo te mihi* (Deut. 20, 7. 2 Sam. 3, 14.), tecum, quae meretrix fuisti, denuo conjugium inibo, te iterum tanquam uxorem tractabo. לְעוֹלָם *In perpetuum*, non ultra dissolvendum, ut antea. בְּצֶדֶק וּבְמִשְׁפָּט quidam vertunt *per justitiam et judicium*, i. e. eo quod tu, uxor, gens Israelitica, in posterum praestabis quod jus et aequum est (coll. Jes. 1, 27.); quae vero adduntur, וּבְחֶסֶד וּבְרַחֲמִים *et per benignitatem et misericordiam*, ad Deum referunt, a cujus mera benignitate profecta haec nova desponsatio. Grotius: „בְּצֶדֶק *in justitia*, i. e. benefaciendo; ita enim hoc nomen saepissime usurpatur; מִשְׁפָּט dicitur *quod alicui ex lege debetur*, ut uxori cohabitatio, victus, vestitus; *et in misericordia et in miserationibus, condonando peccata.*" Melius Liveleus: „*Justitia* et *judicium* sinceritatem et integritatem animi notant, qua bona fide sine dolo agitur; *benignitas* vero et *misericordia*, amorem ac promptam benevolentiam, denique *fides* (אֱמוּנָה Vs. seq.) amoris constantiam et firmitatem. Quae omnia ad perpetuam inviolati foederis durationem necessaria Deus quidem pro parte sua in priore foedere praestitit, populus vero perfide defecit. Hic igitur in novo foedere deinceps fidem utrinque servandam fore ostendit, ne umquam violetur."

19. בֶּאֱמוּנָה *Fide*, intelligit fidem, quae inter conjuges, cf. not. ad Vs. 18. וְיָדַעַתְּ אֶת־יְהוָה *Et cognosces Jovam*, cf. supra Vs. 7. (al. 10.), et Jer. 31, 32—34.

20. וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא *Fiet illo die*, aevo illo felicissimo, de quo inde a Vs. 14. (al. 17.). אֶעֱנֶה *Respondebo* votis, iis annuam, cf. Jes. 58, 9., ubi de iisdem temporibus: אָז תִּקְרָא וַיהוָה יַעֲנֶה *Tunc clamabis, et Jova respondebit, vociferaberis, dicetque* Jova: *en adsum!* Chaldaeus: *suscipiam preces vestras.* Vides, illud אֶעֱנֶה sensum efficere perquam commodum, neque opus esse, id cum iis quae sequuntur hoc modo jungere: *exaudiam, inquit Dominus, exaudiam coelos.* Multo minus probandus Lilienthalius, qui, quod in codicum Regiomontanorum altero prius אֶעֱנֶה non punctatum apparet, visum forsan punctatori non genuinum, aut huic certe non obvium in eo exemplari, e quo puncta alteri adscriberet, neque ab Alexandrino et Syro expressum reperit, *non male illud omitti* existimavit. אֶעֱנֶה

אֶת־הַשָּׁמַיִם *Exaudiam coelos*, nubes, hoc quasi a Deo petentes, ut ipsas pluvia repleat, quam ad terram demittant. Kimchi: „Hoc oppositum illi, quod supra Vs. 8. (al. 11.) minatus fuerat, se frumentum ablaturum velle. Jam igitur promittit, beatissimo illo aevo se concessurum esse, ut coelum, quod antea, ut Achabi tempore, clausum erat, fundat, pro more, ac demittat in terram rorem suum, imbrem et pluviam; quasi petat coelum, ut sinatur id facere, quod ipsius mos et consuetudo ferret, et Deus petenti annuat.“ וְהֵם יַעֲנוּ אֶת־הָאָרֶץ *Et ii*, coeli, *exaudient terram*, pluviam effundendo super eam, quam terra sicca postulare dicitur, quo irrigetur et apta reddatur ad viam suam exserendam. Chaldaeus: *praecipiam coelis, et illi demittent pluviam super terram.* Cf. Deut. 38, 28. Jes. 30, 23. 55, 10. Tibullus L. I. Eleg. 7. Vs. 25. sic Nilum alloquitur: *Te propter nullos tellus tua postulat imbres, arida nec Pluvio supplicat herba Jovi.*

21. וְהָאָרֶץ תַּעֲנֶה אֶת־הַדָּגָן *Et terra exaudiet frumentum*, tanquam id postularet, ut terra produceret ipsum, i. e. proferet terra frumentum, וְאֶת־הַתִּירוֹשׁ *et mustum*, i. e. uvas, ex quibus mustum exprimitur. Simili figura Plautus, Drusio observante, *vinum pendulum* dixit, ut uvas denotaret. וְאֶת־הַיִּצְהָר *Et oleum*, olivas, e quibus oleum exprimitur. Cf. Ezech. 34, 27. וְהֵם יַעֲנוּ אֶת־יִזְרְעֶאל *Et ea exaudient Jisreelem*, respondebunt votis eorum, qui olim malo omine *disperget Deus* (supra 1, 4.) vocati, nunc eodem nomine, sed fausto sensu, *seminabit Deus* (cf. Vs. seq.), appellantur. Drusius: „יַעֲנוּ *Exaudient*, ad verbum: *respondebunt*, ut Columella 3, 3. *Queruntur non respondere sibi vineta, quae vel per avaritiam, vel inscitiam, vel per negligentiam perdiderunt. Jesraelem*, priorem filium prophetae, qui typus erat populi per gentes dispersi, cui nunc reverso in terram patriam omnia abunde suppetent.“

22. וּזְרַעְתִּיהָ לִּי בָּאָרֶץ *Et seminabo eam mihi in terra*, i. e. late spargam, ut quae jaciuntur semina, multiplices eos reddam; cf. Jerem. 31, 27. Alludit ad nomen יִזְרְעֶאל, in quo est *seminandi* notio, vid. not. ad 1, 4. Gens illa, cujus Deus videbatur abjecisse curam, et a patriis finibus in exilium mandasse, terrae suae, Israelitidi, restituetur, ut ibi, sicut olim, pacate et abundanter vivat, in eaque genus suum propaget et amplificet, sicut mandata terrae semina multiplici foetu cumulantur. Quod autem *terra* hic non universam significet terram, sed illam, quam suo olim populo Jova adscripsit, probat praepositus articulus; est enim בָּאָרֶץ pro בְּהָאָרֶץ, *in hac terra.* Hinc Chaldaeus: *et plantabo vos coram me in terra domus habitationis meae.* וְרֻחֲמָה אֶת־לֹא רֻחָמָה *Miserebor ejus*, quae nomen habuit ab eo, quod *non sit consequuta misericordiam*, 1, 6.; de qua deinde non audietur hoc nomen, quum ipsa mores et studium mutaverit, sed dicetur *Ruchama*, id est, misericor-

diam consequuta, quia illius tunc miserebitur Deus, cum ab amatorum consuetudine ad mariti thalamum redierit. וְאָמַרְתִּי לְלֹא־עַמִּי עַמִּי־אָתָּה *Et dicam* ei quae antea vocabatur *non populus meus* (1, 9.), *populus meus es tu*, quo nomine appellabitur, quia peregrinos deos non agnoscet, sed divinis legibus sese attemperabit. וְהוּא יֹאמַר אֱלֹהָי *Et ille* vicissim *dicet: tu*, Jova, *es Deus meus*, te solum Deum veneror.

CAP. III.

Argumentum.

Nova imagine sub persona *mulieris adulterae*, quam propheta jubetur amare, status populi ostenditur, qui licet falsos deos coleret, tamen a Deo diligeretur, nec prorsus repudiaretur, mariti instar, qui uxorem adulteram non defert ad judicem morti adjudicandam, sed fert patienter, a concubitu tamen ejus interim abstinens. Duae sunt hujus Capitis partes, quarum prior imaginem de ducenda adultera proponit (Vs. 1 — 3.), posterior eandem explicat (Vs. 4. 5.).

Vid. J. G. Lackemacheri *Commentat de Hosea uxorem certo pretio sibi comparante*, *Hos.* 3, 1 — 4. in *Observatt. philologg.* P. IV. Observ. 4. p. 74. sqq.

1. „Postquam absolvit verba consolatoria, redit ad increpatoria, ad suae aetatis homines sermonem convertens. Atque id moris est prophetis, increpationes permiscere consolationibus in suis concionibus. Dicit autem עוֹד, *adhuc*, denuo, quia jam jusserat ei, ut uxorem duceret meretricem.“ Kimchi. לֵךְ אֱהַב־אִשָּׁה *Age! dilige mulierem.* „Non dicit *accipe* (קַח, ut 1, 2.), sed *dilige;* antea enim *acceperat*, i. e. duxerat. Atque hinc perspicuum, uxorem illam fuisse scortatam etiam in matrimonio. Unde non est credibile, ductam fuisse a propheta extra visionem. Nimis crassa est aliter sentientium quorundam opinio.“ Drusius. אֲהֻבַת רֵעַ *Amatam socii*, s. *socio*, thori, marito, tibi, Jer. 3, 20. Alii: ab alio quodam amatore amatam, coll. Jer. 3, 1. *Scortata es cum amicis multis.* Sed malumus illud, quia mox dicitur *adultera*, מְנָאֶפֶת, Ezech. 16, 22. Augetur mulieris peccatum amore mariti, quo neglecto adultera sit. כְּאַהֲבַת יְהוָה אֶת־בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *Qualis dilectio Jovae erga filios Israel*, q. d. similis plane amor est Dei erga Israelem, ut eum maritus amat uxorem impudicam adulterantem. Cf. Deut. 7, 8. 10, 15. et infra 9, 15. Quemadmodum illa, non obstante amore mariti tenerrimo, parum fidam se ipsi praebet sociam, ita Israelitae quoque, evidentissima licet amoris sinceri Jovae signa experti, et beneficiis infinitis ei

obstricti, fidem ipsi datam violant, פֹּנִים אֶל־אֱלֹהִים אֲחֵרִים *convertentes sese ad Deos alios*, quos partim ab Aegyptiis, partim a gentibus vicinis aliis adsciverc. Cf. Deut. 31, 18. וְאֹהֲבֵי אֲשִׁישֵׁי עֲנָבִים *Et amantes placentarum uvarum.* Nomine אֲשִׁישִׁים (אֲשִׁישָׁן) utitur Chaldaeus interpres Jonathan Exod. 16, 31. pro hebraico צַפִּיחִית *placenta* (בִּדְבַשׁ *cum melle*, ut illic additur). Eodemque significatu nomen hebraeum ceperunt LXX tam hoc loco, quo *πέμματα μετὰ σταφίδος*, *placentas cum uvis passis*, quam 2 Sam. 6, 19., ubi *λάγανον ἀπὸ τηγάνου*, *placentam in sartagine coctam*, et 1 Chron. 16, 3., ubi *ἀμορίτην*, *placentam mellitam*, posuerunt. Hieronymus: „Pro *pemmatibus*, quae LXX transtulerunt, et comeduntur cum uvis passis, sive vinaceis, *placentas* latine possumus dicere, vel *crustulas*, quae idolis offeruntur, et graece appellantur *πόπανα*.“ Istiusmodi placentarum magnus usus erat in sacris, et diversa exstabant eorum genera, de quibus vid. Porphyrium *de Abstinentia* p. 114. edit. de Rhoer. In Phoenicum sacris, quae praesertim imitabantur Israelitae, id constat ex Jerem. 7, 18., ad quem loc vid. Interpp. Videntur igitur אֲשִׁישִׁים ab אֵשׁ proprie *tosta*, hinc *placentae frixae* esse, et, quum h. l. *uvarum*, עֲנָבִים, nomen additum sit, *placentae uvis passis*, s. *melle uvarum conditae*. Ejusmodi *τραγήματα* commemorat Martialis L. 7. Epigr. 19. *Dulci placenta sordidam linit mappam, illic et uvae collocantur ollares.* Michaelis in *Supplemm.* p. 142. cum Syro interprete, qui *mel uvarum passarum* vertit, nomine אֲשִׁישׁ significari existimat Sirup aliquod ex uvis passis paratum, quod in firmam substantiam redigi, atque sic vendi solet; cujus uvarum mellis alias דִּבַשׁ dicti, frequens hodienum in Oriente usus, vid. not. ad Gen. 43, 11.

2. Quod Versus superioris initio mandatum accepisse a Deo dixerat, id nunc narrat se exsequutum esse. וָאֶכְרֶהָ לִּי *Et emi*, sive, ut alii volunt, *conduxi eam mihi*. Verbum כָּרָה de *aquae emtione* ponitur Deut. 2, 6; cui notioni, quam verbum illud in nulla alia dialectorum cognatarum habet, vicinus est *conducendi* significatus, Arabico كَرَى frequens. *Conducendi* significatum expresserunt LXX: *καὶ ἐμισθωσάμην αὐτὴν ἐμαυτῷ*, unde cogitant interpretes Graeci de *mercede* promissa mulieri se continenti, et pactis cum ea initis. E quorum mente Hieronymus: „Sin autem legerimus *conduxi*, adulterae pretium est, non ut cum propheta dormiat, sed ut contenta mercede sua adulterare desistat, nec passim ceteris copuletur.“ Sed *emendi* notione verbum כָּרָה h. l. sumendum esse, non solum arguit additum pretium, verum etiam mos Hebraeorum, conjuges a parentibus emere. Sic Jacobus uxores, Rachel et Leam, utramque dura septem annorum servitute emit, Gen. 29, 18. 27. Sichem sibi emere vult Dinam, Jacobi filiam, cujus ambibat nuptias, Gen. 34, 12. Cf. Exod. 22, 16. 1 Sam. 18, 23. 25. 2 Sam. 3, 14. Eundem morem etiamnum inter

Arabes Scenitas vigere constat; vid. *die Sitten der Beduinen-Araber*, p. 219.). Cf. J. D. MICHAELIS *Mosaisches Recht*, P. II. §. 85. p. 104. edit. prim. Ceterum in אֶבְרָהָ Dagesch est *euphonicum*, Kimchio observante, quod imponi solet Consonanti syllabam terminanti post Vocalem brevem ad syllabam acuendam, ut in יִקָּרֶךָּ *obveniet tibi*, 1 Sam. 28, 10. Cf. GESENIUS *Lehrgeb.* p. 86., et *Grammat. min.* p 43. edit. undec. בַּחֲמִשָּׁה עָשָׂר כֶּסֶף *Quindecim argenti*, scil. numis, vel siclis, שֶׁקֶל, quod additur Num. 7, 13. Levit. 27, 3. 4. aut שְׁקָלִים, Exod. 21, 32. כֶּסֶף solum, ut h. l., ponitur Gen. 37, 28. et Deut. 22, 29. „*Argenteis numis*," inquit DRUSIUS, „nec est dubium, quin certum genus intelligat; qualc autem id fuerit, aliis divinandum relinquo. Doctores [Hebraei] dicunt, per argenteos numos in Lege *Siclos* denotari, in Prophetis vero לִטְרִין *libras.*" Vulgo tamen hic *siclos* intelligunt; sed de sicli pondere dissentiunt, duasne an quatuor drachmas, vel semunciam valuerit. וְחֹמֶר שְׂעֹרִים *Et* pro *Chomere hordei*, quod in plurali numero ponitur, ob granorum, uti videtur, multitudinem, quemadmodum in nonnullis Graecis codicibus est κριθῶν, in aliis κριθῆς. De חֹמֶר, qui *decem Ephas*, aut *centum Omeres* continebat, cf. not. ad Ezech. 45, 14. HIERONYMUS: „*Chomer* omnes interpretes, praeter LXX, *corum* interpretati sunt sermone Graeco, et maxime Palaestino [כֹּר, 1 Reg. 4, 21. 5, 11.], qui habet triginta modios." לֶתֶךְ, hoc solo loco obvium, omnes interpretes, eodem notante Hieronymo, praeter LXX, „ἡμίχοϱον *hordei* transtulerunt, id est, *mediam partem cori*, quae facit quindecim modios." Quod vates uxorem narrat sibi comparasse *hordeo*, factum existimant alii, quod nuptiae olim *confarreatione* contraherentur (apud Romanos, in V. T. vero ejus ritus nullum vestigium); alii, quod victus hic vilior (cf. Jud. 7, 13. Ezech. 4, 12. 13, 19.), et servilis, emtae uxori esset tribuendus, quemadmodum ad annuum victum Romani servis assignarunt modios octo et quadraginta, qui modios quadraginta et quinque Hebraeorum efficerent. Sed quod argento pro muliere soluto h. l. jungitur hordeum, nulla alia videtur ratio fuisse, quam quod illa aetate in commerciis aeque quam in tributis vel merces solae, vel cum argento dari solerent, vid. e. c. Nehem. 5, 15. Commemoratu haud indigna Mangeri observatio, pretium illud fuisse, quo servi et ancillae in republica Hebraea fere aestimarentur ex lege, quae exstat Exod. 21, 32. Id enim quum triginta siclorum esset, Hoscas, uxorem servilis conditionis emturus, quindecim siclos, sive numos argenteos persolvit, iisque totidem addidit Ephas, ut reliquam triginta numorum summam hac ratione perficeret.

3. Sequitur ipsum pactum, sive res pacti, de qua propheta cum muliere transegit; scilicet non matrimonium, ut quidam volunt, sub conditione vitandae scortationis, sed ut illa per plures dies solitaria maneret. יָמִים רַבִּים תֵּשְׁבִי לִי *Per dies multos*

sedebis mihi, quod Hieronymus *exspectabis me* interpretatur, et sane שֵׁבֶת לְפִלֹנִי, *sedere alicui*, est cum praestolari, vid. Exod. 24, 14. Jerem. 3, 2. Alii respici existimant legem de ducenda muliere captiva, quae, antequam ad thorum admitteretur, *sedere* domi, et mensem integrum parentes deflere debebat, Deut. 21, 13., ut *sessio* indicet luctuosam mansionem, coll. Jes. 47, 5. Jerem. 3, 28. Sed sensus verborum תֵּשְׁבִי לִי simplicissimus est: *sedebis mihi*, tanquam mea, exclusis aliis viris; statim enim additur: לֹא תִזְנִי וְלֹא תִהְיִי לְאִישׁ *non scortaberis*, *nec eris viro* alii, nec etiam nubes alii; matrimonium enim hac formula indicari, patet ex Levit. 21, 3. Ezech. 16, 8. Unde Paulo Rom. 7, 3. 4. uxor *γενομένη ἀνδρί*. Vates abstinendum mulieri illi esse dicit ab omni, tam legitima, quam illegitima virorum consuetudine. A mariti consuetudine abstinendum illi esse, dicunt verba, quae in fine versiculi adduntur: וְגַם־אֲנִי אֵלָיִךְ, quae, repetita *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* negandi particula, Aben-Esra et Kimchi sic interpretantur: וְגַם־אֲנִי לֹא אָבוֹא אֵלָיִךְ *nec etiam ego ad te veniam*, tecum rem habebo. Sensum totius versiculi HIERONYMUS recte hunc esse ait: „Nec aliis amatoribus turpiter te prostitues, nec mihi viro, a quo conducta es, legitime conjungeris. Ostendit, quod interim modo idolis non serviat, nec tamen habeat Deum, sed et amatoribus et viro spoliata sit.“ Alii verba nostri Versus postrema sensu capiunt plane contrario: *attamen ego iterum ad te* scil. *respiciam*, sive, *veniam*, q. d. etsi diuturnae solitudinis acerbitas meo jussu a te ferenda erit, vinculum tamen nostri amoris non penitus disrumpam, neque aliam mihi in uxorem adsumam, sed tuus manebo, in gratiam te tandem recepturus, et conjugis meae loco iterum habiturus. Eandem sententiam expressit Chaldaeus: *Propheta, dic ei: congregatio Israel, peccata vestra causa fuerunt vobis exsilii per multos dies; tradetis vos cultui meo, non errabitis, neque coletis idola, atque etiam ego miserebor vestri.* Qui hunc adsciscunt sensum, verba לֹא תִזְנִי וְלֹא תִהְיִי לְאִישׁ parenthetice posita volunt ad explicationem eorum, quae proxime praecedunt, תֵּשְׁבִי לִי, quae quum affirmativa sint, iis non oportere dicunt necti negativa, sed itidem affirmativa וְגַם־אֲנִי אֵלָיִךְ. Praeterea sensu bono haec verba capienda esse, patere ajunt e Versu quinto, qui illorum explicationem contineat. Verum enimvero solus Versus quartus nostri tertii versiculi imaginem explicat. Versus quintus tristibus, quae in eo, quod praecedit Capitis, allegorice repraesentantur, Versu quarto autem explicantur, promissionem addit, non imagine, sed verbis propriis expressam. Neque nostrorum verborum, וְגַם־אֲנִי אֵלָיִךְ, expositio commode haberi potest Versus quintus, quippe qui non quid Deus sit facturus, sed quomodo Israelitae erga Deum sese sint gesturi, praedicit.

4. Additur explicatio eorum, quae Versibus superioribus *ἀλληγορικῶς* erant proposita. כִּי *Nam*, q. d. ut causam exponam,

cur ista omnia a me fieri Deus jusserit, explicabo vobis, Israelitis, jam, quid eis significetur. Ratio rei typicae gerenda est ejus significatio. יָמִים רַבִּים יֵשְׁבוּ *Per multos dies sedebunt*, manebunt quasi in luctu, Vs. 3., ex quo eadem formula *sedendi longo tempore* data opera repetitur, ut comparatio, quae nunc ab adultera ad ipsum populum transfertur, eo evidentius observari possit. בְּנֵי יִשְׂרָאֵל Decem tribus, Vs. 1. אֵין מֶלֶךְ וְאֵין שָׂר *Sine rege et sine principe;* אֵין pro מֵאַיִן, *ita ut nullus sit, absque*, ut Exod. 21, 11. *Exibit gratis* אֵין כֶּסֶף *absque argento.* Vid. et Num. 20, 19. Deut. 32, 4. LXX: *οὐκ ὄντος βασιλέως, οὐδὲ ὄντος ἄρχοντος.* Significatur eversio reipublicae; neque enim nulli plane humanae potestati subjectum populum cogitare docet; sed hoc vult, nullum ex sua gente regem, aut alium quemcunque ducem iis fore. Talis enim cum *αὐτονομία* et reipublicae forma omni tollendus erat, quando in potestatem hostium erant tradendi. Similiter *rex* et *princeps*, s. proceres, qui ei proximi sunt et a consiliis, conjunguntur Amos. 1; 15. Jerem. 49, 38. Omnem porro cultum publicum vel Jovae vel simulacrorum abolendum inter Israelitas minatur. וְאֵין זֶבַח *Et absque sacrificio*, scil. Jovae rite offerendo. זֶבַח etsi et de sacrificio idolis oblato dicitur, veluti 1 Reg. 12, 32., hoc tamen loco, uti plerisque reliquis, de sacrificio legitimo usurpari, et addito מַצֵּבָה opponi, docet hemistichii posterioris parallelismus, quo אֵפוֹד τοῖς θεραφὶμ opponitur. Recte igitur Chaldaeus: *nec erit qui sacrificet in beneplacitum in Hierosolyma.* וְאֵין מַצֵּבָה *Et absque statua* falsi dei, ut מַצֵּבַת הַבַּעַל *statua Baalis* 2 Reg. 3, 2. 10, 27. cf. 10, 26. 17, 10. Chaldaeus: *nec erit statua in Samaria.* Quemadmodum זֶבַח ad Judam retulit, uti vidimus, ita מַצֵּבָה ad regnum decem tribuum. Etsi מַצֵּבָה, non minus ac זֶבַח, per se sit vocabulum medium; hoc tamen loco, ubi de cultu religioso publico est sermo, in malam partem, de statuis in honorem falsorum deorum, vel eorum simulaeris, super statuas collocatis, adhiberi patet. Nam in cultus Jovani ritibus, *statuarum*, מַצֵּבוֹת, usus vetitus erat, Deut. 16, 22. וְלֹא תָקִים לְךָ מַצֵּבָה אֲשֶׁר שָׂנֵא יְהוָה אֱלֹהֶיךָ *nec erigas tibi statuam, quae odio est Jovae, Deo tuo.* Et Lev. 26, 1. *Ne faciatis vobis idola et sculptilia*, וּמַצֵּבָה לֹא־תָקִימוּ לָכֶם *nec statuam vobis erigatis.* Recte igitur nostro loco ex Hebraeis interpretes quotquot nobis innotuerunt, מַצֵּבָה *statuam in usum superstitiosum*, seu *in honorem Baalis* erectam explicant. Addit vates, Israelitas per longum tempus fore וְאֵין אֵפוֹד *et sine Ephod.* Id erat vestimentum extimum breve, in lateribus scissum et sine manicis, duabus constans plagulis in humero fibulis nexis, et inde ad dimidias nates dependentibus, quarum altera, posterior, tergum, altera, anterior, pectus et ventrem tegebat. Vid. Exod. 28, 6 — 14. et Braun *de Vestitu Sacerdotum* L. II. C. 6. §. 16. Duplex autem Ephodis genus memoratur, *vulgare* unum, et *pontificium* alterum. *Vulgare* lineum

erat, quo, ut a reliquo populo discerni possent, in faciendis sacris non modo sacerdotes et Levitae, sed etiam qui ex aliis tribubus sacra facicbant, usi leguntur. David enim 2 Sam. 6, 14. ante arcam sacram praecessisse narratur non indutus regio ornatu, sed אֵפוֹד בַּד *Ephodo lineo*, tanquam aliquis e sacerdotibus arcae ministrantibus. Tali Ephod lineo induti quoque dicuntur Samuel, puer etiam tum Deo serviens, 1 Sam. 2, 18., et sacerdotes LXXXV a Saule occisi, 1 Sam. 22, 18. Ephod *pontificium* indumentum erat artis et pretii non vulgaris, utpote gemmis, auro, variis etiam coloribus distinctum et varicgatum, quod soli Pontifici gestare concedebatur. Huic Ephod per certos annulos et catenulas *pectorale* (חוֹשֶׁן), cui imposita erant אוּרִים וְתֻמִּים (Exod. 28, 30.), ita erat conjunctum, ut ab eo separari non facile potuerit. Eo amiculo cum indutus esset Pontifex divina responsa petens (Num. 27, 21.); hinc pro instrumento Deum consulendi haud raro metonymice ponitur Ephod, vid. 1 Sam. 2, 28. 14, 3. 21, 9. 23, 6. 9. 30, 7, Quando igitur vates Israelitas Ephodo privandos ait, non tantum sacerdotium omne inter eos tollendum significat (ita LXX: *οὐδὲ ἱερατείας*), verum et omnem Deum consulendi, et responsa coelestia consequendi rationem illis defuturam praenunciat. Quum Ephodi etiam abusus superstitiosus reperiatur Jud. 8, 27., ubi Gideon in victoriae a Moabitis partae monumentum ex monilibus aureis a populo sibi datis Ephod confecisse dicitur, quod deinceps idololatriae causam Israelitis praebuit, et Jud. 17, 5. Micha quidam e pecunia a matre sibi relicta Ephod in usus superstitiosos sibi fecisse narretur; sunt, qui et h. l. *Ephodo* superstitionis instrumentum indicari existiment, quo sint Israelitae futuro tempore privandi. Verum uti supra Vs. 3. mulier illa, quae populi Israelitici imaginem exhibebat, ab omni tam *legitima* quam *illegitima* virorum consuetudine abstinere debebat; ita nostro Versu, qui allegoriae illius expositionem sistit, Israelitis *legitimum* et *illegitimum* cultum (זֶבַח et מַצֵּבָה), *legitimam* et *illegitimam* Dei consulendi rationem ablatum iri vates praedicit. Recte Kimchi cum aliis suae gentis interpretibus *sacrificium* et *Ephod* ad veri Dei, *statuas* vero et *Theraphim* ad idolorum cultum refert, hac sententia, Israelitas neque Deos colere alienos, neque patrium et verum, q. d. quia utriusque religionis participes esse voluerunt, futuros utriusque expertes. Cf. 1 Reg 18, 21., quod objecit Elias quibusdam, qui ita idolis servicbant, ut tamen verae religionis asseclae videri studerent. Quod igitur et *illegitima* Deum consulendi ratione sint carituri, eo significat, quod dicit, eos *sine Theraphim* esse futuros. Quicquid enim statuatur de etymo *τῶν* תְּרָפִים, multum ac saepe quaesito, nec dum invento (conjecturas nonnullas vid. in not. ad Gen. 31, 19.); hoc satis certum videtur et exploratum, fatidicas fuisse imagines, quae de rebus dubiis responsa reddere credebantur. Id enim colligitur e pluribus locis, quibus

illorum fit mentio, ut 2 Reg. 23, 24., ubi pythonibus et divinis junguntur Theraphim; Ezech. 21, 26. (al. 21.), ubi extispicio jungitur consultatio per Theraphim; et Zach. 10, 2., ubi Theraphim loqui dicuntur vana, et divinantes videre mendacium. Quare Chaldaeus h. l. recte pro הַתְּרָפִים posuit מְהַנְּדִּי, *indicans*, s. *responsa dans*. Graecus Alexandrinus interpres vertit *δήλους*, sive, ut in aliis codicibus scribitur, *δηλώσιν*. Videtur per *Theraphim* intellexisse *Urim* et *Thummim*, quos exprimunt LXX nomine *δηλώσεως* Exod. 28, 30. Levit. 8, 8., et *τῶν δήλων* Num. 27, 21. 1 Sam. 28, 6. Nec alia videtur Aquilae fuisse sententia, qui *φωτισμούς* vertit. Id sequuntur Graeci interpretes, Cyrillus et Theodoretus, nec non Hieronymus, in Ephod et Theraphim *instrumenta sacerdotalis habitus* reperiens, *ipsa* quidem in his, *quae sunt ἐν λογείῳ*, *seu* in *rationali*. Eam sententiam magno eruditionis apparatu demonstrandam sibi sumsit SPENCERUS *de Legg. Hebrr. Rituall.* L. III. Dissert. VII. Sect. 2. p. 331. edit. Hagg., quam etsi non defuerunt qui refutarent (veluti Pfaffius in Dissertat., quae operi Spenceriano edito Tubing. 1732. praemisit), tamen argumenta ab eo allata apud alios tantum valebant, ut persuaderent sibi, oraculo isto *τῶν* Urim et Thummim *ἀνάλογον* quoddam fuisse Theraphim, quo Israelitae, a Judaeis disjuncti, responsa ex templi Hierosolymitani adyto reddita imitari voluerint; aut Jeroboamum, callidum illum simulatae religionis magistrum, loco veri oraculi, Urim et Thummim appellati, usum *τῶν* Theraphim, una cum suo Ephodo jam ante inter Israelitas receptum (Jud. 8, 27. 17, 5.), ad sacra a se introducta adjunxisse, ut hac etiam specie cives suos ab adeundo Pontifice Hierosolymitano averteret.

5. Comminationum acerbitatem temperat, pro more vatum, meliorum temporum promissione. אַחַר *Postea*, post multos illos dies, de quibus Vs. 4. יָשֻׁבוּ *Revertentur* ad Jovae cultum, desertis superstitiosis religionibus ritibusque. Cf. infra 6, 1. *Agite*, וְנָשׁוּבָה אֶל־יְהוָה *revertamur ad Jovam*. Eadem plenior formula exstat Thren. 3, 40. 5, 21. Jes. 10, 21. Alii יָשֻׁבוּ ei quod sequitur וּבִקְשׁוּ ita jungendum arbitrantur, ut illud adverbii *iterum* vicem gerat (vid. SCHROEDERI *Syntax.* §. 63.), ut *redibunt et quaerent*, sit pro *iterum quaerent*. Praeferenda tamen videtur h. l. prior ratio. וּבִקְשׁוּ אֶת־יְהוָה אֱלֹהֵיהֶם *Et quaerent Jovam, Deum suum*, submisso animo ejus gratiam petent, serioque ac sincero studio eum colent, cf. infra 5, 15. Jerem. 50, 4. Oppositum illi, quod 2, 4. dixerat. Quum autem defectio Israelitarum a cultu Jovano conjuncta olim fuisset cum defectione a Davide, rege divinitus constituto ejusque familia (vid. 1 Reg. 12, 6.); ad emendationem illam, quae h. l. describitur, omnino pertinebat, ut hac etiam ex parte ad officium redirent; quare additur: וְאֵת דָּוִיד מַלְכָּם *Et Davidem, regem suum*, quaerent, qua formula innuitur, Israelitas, s. decem tribus cum tribu Juda iterum coali-

turos uno sub rege Davidis prosapia oriundo, quo *Messiam* spectari nulla est dubitatio. Vid. not. ad locum huic plane genuinum Ezech. 34, 23., cf. ibid. 37, 24. Jerem. 30, 9. Ita Chaldaeus, qui haec verba cum iis, quae proxime praecedunt, ita reddidit: *quaerent cultum Jovae, Dei sui, atque obedient Messiae, filio Davidis, regi suo.* Idem sequuntur Hebraei omnes. וּפָחֲדוּ אֶל־יְהוָה *Et trepidabunt*, i. e. trepidi festinabunt *ad Jovam.* Verbis pluribus *pavendi, metuendi* significationem habentibus, *festinandi* notionem junctam esse (veluti חָפַז, בָּהַל), A. SCHULTENS ostendit in *Animadverss. philologg.* ad Jes. 19, 17. et in *Commentar. ad Job.* 4, 5. 20, 3. Apposite ad rem Pocockius in Commentar. cum nostro verbo comparat Arabum فَزِعَ, فَزِعَ, quod primum *terrorem concepit, metuit*, deinde cum إِلَى, إِلَى, *ad*, junctum, *auxilium imploravit, confugit prae timore* ad alium significat. Similiter VIRGILIUS *Aeneid.* 9, 114. *Ne trepidate meas, Teucri, defendere naves.* Ubi Servius *trepidate* interpretatur *festinate.* Atque ad illud HORATII *Od.* 3, 27, 17. *Sed vides quanto trepidet tumultu pronus Orion?* Scholiastes vetus: „*Trepidet*, properet, festinet in occasum.“ וְאֶל־טוּבוֹ *Et* ad *bonitatem ejus* festinabunt, Jovae, non alienorum deorum, gratiam atque favorem sincero et pio cultu consequi studebunt. Nonnulli ex Hebraeis interpretes טוּב יְיָ intelligunt *speciem* quandam, qua Jova gloriam et majestatem conspicuam praebeat, coll. Exod. 33, 19., ubi Deus Mosi petenti, ut sibi כְּבוֹדוֹ *gloriam suam* (Vs. 18.) ostendat, respondet: *transire faciam* כָּל־טוּבִי *omnem bonitatem meam coram facie tua.* Alii, itidem Hebraei, ut Jarchi, *bono Jovae* intelligunt *templum ei sacrum*, e loci Deut. 3, 25. allegorica quadam interpretandi ratione. בְּאַחֲרִית הַיָּמִים *In postremitate dierum*, in ultima mundi aetate, de qua VIRGILIUS *Ecl.* 4, 4. sqq. *Ultima Cumaei venit jam carminis aetas; magnus ab integro saeclorum nascitur ordo. Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna; jam nova progenies caelo demittitur alto.* Cf. not. ad Ezech. 16, 53. Vere observat Kimchi ad Jes. 2, 2., formulâ אַחֲרִית הַיָּמִים, ubicunque ea occurrerit, indicari *tempora Messiae.* Cf. Jer. 23, 20. Joel. 3, 1. seqq.

CAP. IV.

Argumentum.

Incipit ab hoc Capite alter ille sermonum Hoseae ordo, quo, sine imaginis involucro, nudis verbis, crimina decem tribuum graviter reprehendit, et poenas divinitus immittendas denuntiat.

Hoc enim generale est tam hujus Capitis, quam reliquorum, argumentum, in quo tractando vates plerumque ita versatur, ut sententias proponat breviores, concisas et abruptas, quarum una alteram confirmat, amplificat, et id, quod causae caput est, nova luce identidem perfundit; quare partes horum sermonum fere totidem possunt distingui, quot sententiis, sive versiculis, sunt compositi. HIERONYMUS: „A principio prophetae usque ad hunc locum sub meretricis descriptione et adulterae, quarum post gravissimas poenas et relictionem longissimam, postea fit in pristinum vel in meliorem statum restitutio, decem tribuum, vel duarum, et in commune omnium peccata numerantur. Nunc rursum ad Israel, id est, decem tribus, sermo convertitur, exponens non frustra iratum Deum tam gravia comminari et inferre supplicia, ne forsitan non ex judicii veritate, sed ex potentia Dei injuste videatur in eos, qui non peccaverunt, lata sententia prophetiae.“ In hac autem concione primo quidem (Vs. 1. 2. 3.) in genere varii generis flagitia, quibus Israelitae dediti essent, castigat, deinde (Vs. 4. seqq.) praesertim in sacerdotes invehitur, ut verae religionis eversores, omnisque impietatis eo tempore grassantis auctores et patronos populique seductores, quibus omnibus exitium minatur, Vs. 13. seqq.

Interregni tempore, quod inter Jeroboami II. mortem, et filii ejus, Zachariae, ad Sallumi regnum intercedebat (vid. *Prolegom.* p. 6.), hunc sermonem prolatum fuisse, interpretum est plerorumque sententia admodum verisimilis. Rege enim certo tunc caruisse rempublicam, inde colligitur, quod in accusandis civibus, et, quorum auctoritate hi se duci patiebantur, sacerdotibus falsisque prophetis vates subsistat, nulla facta regis, aut familiae regis mentione, quam, uti Capite proximo, omnium primam allocutum esse credibile est, si quidem sub regibus, eo tempore, fuissent decem tribus. Accedit, quod ea potissimum scelera hic notata deprehenduntur, quae talibus temporibus, quibus nulla legum esset et magistratuum auctoritas, maxime sunt propria, ut promiscuae caedes, latrocinia, occupata a sacerdotibus tyrannis, et id generis alia turbatae reipublicae documenta.

Caput hoc vernacule redditum, additis annotationibus, ab A. J. ARNOLDI, Theologo Marburgensi, legitur in Anthologia a C. GUIL. JUSTI collecta hac epigraphe: *Blumen althebräischer Dichtkunst* (Giess. 1809.) p. 555. seqq.

1. Universa decem tribuum civitas, diversique ejus ordines adesse jubentur et veluti citantur ad audiendam non tantum accusationem, sed et sententiam, quam evicta causa, Jovae nomine, vates coram concione populi sit prolaturus. שִׁמְעוּ דְבַר יְהוָה *Audite verbum Jovae*, quod ille per me loquitur, 2 Reg. 20, 16. Jes. 1, 10. 48, 1. בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *Filii Israel*, i. e. decem tribus, ut supra 1, 4. seqq. 5, 1.; et infra Vs. 15. *Israel* et *Juda* diserte

distinguuntur. Causam addit, cur attente illis sit auscultandum: כִּי רִיב לַיהוָה עִם־יוֹשְׁבֵי הָאָרֶץ *Nam lis est Jovae cum habitatoribus hujus terrae.* „*Litigare* Deus dicitur, quando per prophetas, veluti suos legatos, non modo scelera passim commissa palam arguit, tantamque esse eorum gravitatem demonstrat, ut excusari aut dissimulari amplius non possint; sed in eam quoque sententiam disputat, ut appareat, causam malorum non in Deo, sed in ipso populo esse quaerendam.“ Manger. Cf. infra 12, 3. Jerem. 2, 9. Kimchi: „*Lis* est *mihi cum incolis terrae* Israel, quia ea lege terram illis dedi, ut in ea exercerent justitiam et aequitatem, atque ita pactus sum illis, *futuros in ea oculos meos ab initio anni usque ad finem intentos* (Deut. 11, 12.). Sed quum ipsi contra faciant, pejerantes, latrocinati, moechantes, ego etiam illis faciam contra quam eis sum pollicitus, ac faciem meam ab illis abscondam, et lugebit terra, et infirmabitur quicunque in ea habitat (Vs. 3.).“ כִּי, quod sequitur, non est particula causalis, sed *quod* est vertendum, et indicio est, ut supra 2, 1. (al. 4.), ipsis nunc litis argumentum proponi, et verbis mox sequentibus contineri. אֵין־אֱמֶת *Nulla veritas* in dictis et factis, sed *perjurium* et *mendacium*, Vs. 2. Cf. Jes. 59, 14. 15. Jerem. 5, 1. 7, 28. 9, 3. 4. Ps. 12, 1. 2. 79, 12. וְאֵין־חֶסֶד *Nec est benignitas* erga alios, sed caedes, furta, adulteria, Vs. 2. Utrumque, אֱמֶת et חֶסֶד, omnia erga alios officia complectens, conjungitur et Prov. 3, 3. 20, 6. Qui non tenet fidem, nec juste agit, multo minus erga alios benigne aget. וְאֵין־דַּעַת אֱלֹהִים *Neque cognitio Dei*, ad exercendum jus et aequitatem, nec verbis nec factis ostendunt, se summum nomen revereri. Cf. Jer. 22, 15. 16.: *Quum jus et aequum faceret* (pater tuus), *ei bene erat; et inopum pauperumque causas agenti bene erat; hoc nimirum est, nosse me, inquit Jova.* בָּאָרֶץ *In terra ea*, quam Deus eis concesserat, ut illarum virtutum existeret sedes.

2. Quas inter Israelitas desiderabat virtutibus jam opponitur criminum late grassantium catalogus. אָלֹה *Jurare* se. לַשָּׁוְא (ut infra 10, 4. אָלוֹת שָׁוְא), *pejerare*. Vel jungi potest proximo וְכַחֵשׁ *et mentiri*, ut *jurare et mentiri* sit *pejerare*. Sed plerique interpretes diversa scelera duabus illis vocibus expressa arbitrantur. Ita LXX: ἀρὰ καὶ ψεῦδος. Nec aliter Chaldaeus: *jurant falso et mentiuntur*. *Perjurium* accusatur, quod inter Israelitas adeo frequens fuit, ut reges etiam in foederibus perjuri fuerint, vid. e. c. 2 Reg. 17, 4. כַּחֵשׁ *Mentiri*, omne fallendi studium, verbis factisve, indicat, quod diserte interdictum Levit. 5, 21. 22. 19, 11. Sed Kimchi: „Inficiantur Deum illum, quem colendum suscepérunt.“ Quae adduntur scelera, רָצֹחַ וְגָנֹב וְנָאֹף *occidere*, *furari*, *adulterari*, junguntur et Jerem. 7, 9. eadem formula. Infinitivi pro nominibus usurpati habitum et continuos actus indicant, cf. Jes. 59, 4. Alii vero illos considerant instar

Nominativorum regentium verbum *perrumpendi*, פָּרָצוּ, ut LXX et Hieronymus, ἀρὰ καὶ ψεῦδος κ. τ. λ. ἐκκέχυται, *maledictum et mendacium* cet. *inundaverunt;* alii Infinitivos illos in Gerundio vertunt: *pejerando*, *mentiendo* etc. *perrumpunt* omnes limites justitiae et humanitatis, nulla habita sancti et acqui ratione, metaphora ducta ab aquis pleno alveo ripas superantibus, et longe lateque se diffundentibus; id quod Hieronymus post LXX *inundandi* verbo expressit, et in Commentario addit: „non dixit *est*, sed ut delictorum abundantiam demonstraret, intulit *inundaverunt*.“ Kimchi: „*Perrumpunt* sepem et custodiam legis, et multiplicant transgressiones.“ Sane verbum illud notionem *multitudinis* et *publicae patrationis* videtur junctam habere, ut *perrumpunt* peccando sit tantundem, ac augent crimina, palam ea patrant, nullo jure coërceri possunt, suntque frustra, qui coërcere conentur. Ita Tanchum: *increverunt et aucta sunt*, *et diffuderunt se.* Alii: *erumpunt* irruuntque in alios, quo sensu verbum פָּרַץ Exod. 19, 22. 24. 1 Paral. 15, 13. dicitur. Aben-Esra de *latrociniis* cogitat, supra homicidia antea memorata, atrocibus, ut פָּרִיץ, proprie *perruptor*, Jerem. 7, 11. Ps. 17, 4. *latronem* indicat, qui vi irruit et irrumpit. וְדָמִים בְּדָמִים נָגָעוּ *Et sanguines*, caedes injustae (cf. Jes. 1, 15. Jerem. 2, 34.) *sanguines attingunt*, i. e. ut recte Jarchi, „multiplicant effusionem sanguinis, ut sanguis unius occisi alterius sanguinem contingat.“ Kimchi: „Sanguines occisorum contingunt se mutuo, tanta est eorum copia.“

3. Poenam denunciat illorum scelerum. עַל־כֵּן תֶּאֱבַל הָאָרֶץ *Propterea lugebit terra*, tristis erit facies terrae, i. e. desolata et vastata erit. Quemadmodum terra culta, virens et rebus omnibus abundans *ridere* dicitur Jes. 35, 1. 2., ita deserta et vastata *lugere* Jes. 24, 4. Jerem. 4, 28 12, 4. Amos. 1, 2. וְאֻמְלַל כָּל־יוֹשֵׁב בָּהּ *Et languebit omnis habitans in ea*, viribus exhaustis animantia omnia sensim tabescent et tandem misere peribunt De voce אֻמְלַל vid. not. ad Ps. 6, 2. Eandem imaginem vid. Jes. 16, 8. 19, 8. Joel. 1, 10. 12. Neque homines tantum, verum et bestias feras interuecione delendas denuntiat: בַּחַיַּת הַשָּׂדֶה וּבְעוֹף הַשָּׁמָיִם *una cum fera agri et cum volucri coelorum*, cf. Jer. 4, 25. Zeph. 1, 3. Joel. 1, 20. Abarbenel hoc dici putat, *per* feras et aves, quibus hostiles turmas intelligi vult, perdendos esse habitatores; parum quidem commode, nec congrue ei quod subjicitur, וְגַם־דְּגֵי הַיָּם יֵאָסֵפוּ *imo etiam pisces maris auferentur*, propr. *colligentur* in sua loca, ut amplius non appareant, ita verbum אָסַף Gen. 30, 23. Jes. 4, 1. Ezech. 34, 29. Zeph. 1, 1. Cf. Storrii *Observatt.* p. 35. Chaldaeus: *et etiam pisces maris minuentur propter peccata eorum* (incolarum terrae). Id itaque vult Deus, non terram solum ita fore vastandam, ut hominibus et aliis animantibus nutriendis non sit apta, verum ipsas quoque aquas vel aestu et siccitate consumendas, vel foetore

corrumpendas, solitum piscium victum non suppeditaturas. Nostrum vatem imitatus est Zephanias 1, 2. 3. HIERONYMUS: „Habitatore sublato bestiae quoque, et volucres coeli, et pisces maris deficient, iramque Domini etiam muta elementa sentient. Hoc qui non credit accidisse populo Israel, cernat Illyricum, cernat Thracias, Macedoniam atque Pannoniam, omnemque terram, quae a Propontide et Bosphoro usque ad Alpes Julias tenditur, et probabit, eum hominibus et animantia cuncta deficere, quae in usus hominum a creatore prius alebantur.

4. אַךְ *Veruntamen*, ut recte Hieronymus; vim enim habet oppositionis, ut Ps. 73, 1. 85, 10. Jes. 45, 24. Peccatores ita desperatos Israelitas esse ostendit Deus, ut operam ludat, qui eos moneat. אִישׁ אַל־יָרֵב *Quisque ne litem intendat* illis, de quibus Vs. 1. וְאַל־יוֹכַח אִישׁ *Neque redarguat* eos *quisquam*, frustra namque id erit apud homines tam pertinaeis nequitiae; cf. Amos. 5, 10. 13. Jes. 30, 9. sqq. וְעַמְּךָ כְּמְרִיבֵי כֹהֵן *Populus enim tuus*, Hosea, est *sicut contendentes cum sacerdote*, i. e., recte exponente Grotio, similes sunt his, qui publica [sacerdotum] decreta contumaciter oppugnant, cui crimini capitis poena constituta est Deut. 17, 9 — 12. Significatur pertinacia atque obstinatio, quae nullum plane admonitioni locum relinquit. כְּמְרִיבֵי כֹהֵן i. q. כְּמְרִיבֵי עִם כֹּהֵן, ut Ps. 35, 1. יְרִיבַי *contendentes mecum*, et Jes. 49, 25. יְרִיבֵךְ *contendentes tecum*. כֹּהֵן est collective de toto sacerdotum ordine capiendum. Eorum enim erat, docere populum (unde Chaldaeus: *et populus tuus rixantur cum doctoribus suis*), et jus dicere; si quis vero contumaciter iis sese opponeret, morte erat multandus, vid. commemorat. Deut. loc. Nihil est, quod huic interpretationi nonnulli obvertunt, minime propterea reprehendendum fuisse populum, quod sacerdotibus, quales illi tunc essent inter Israelitas, spuriis et perditis, et ipsis communi poena involvendis (Vs. 9.), restiterit. Quis enim non videt, gentis Israeliticae contumaciam comparari eorum protervitati, qui Jovae sacerdotes veros, dum castigant scelera, non modo non verentur, sed adversus eum expostulare, et in eos invehi audent, seposito omni numinis et hominum metu? Bene AURIVILLIUS *Dissertatt.* p. 606. „Praecesserat, *ne reprehendat alter alterum, neve coarguat*, quod dissuadentis non est, sed declarantis, frustra fore reprehensionem. In caussa erat illud, quod sequitur: *nam populus tuus reprehendit, detractat monitorem vel fidelissimum*, qualis esse sane debuerat sacerdotum quilibet, qualisque reapse erat prophetа." Totius versiculi sensum simulque nexum cum iis, quae praecessere, his verbis exponit HIERONYMUS: „Provocati ad judicium Dei filii Israel, qui habitabant in terra, ut causas dominicae indignationis audirent, et praeterita peccata cognoscerent, propter quae hostibus tradentur. Nunc quia in sceleribus perseverant, et impudenti Deum fronte

contemnunt, audiunt: non necesse est, ut veniatis ad judicium, ut in vestris flagitiis arguamini, quia tantae estis impudentiae, ut nec convicti quidem pudorem habeatis et verecundiam, sed contradicatis mihi, quasi si discipulus magistro, sacerdoti plebecula contradicat, quae non habet sacerdotii dignitatem."

5. וְכָשַׁלְתָּ *Itaque corrues*, peribis, tu, gens impia, ut infra 5, 5. 14, 2. הַיּוֹם *Interdiu*, ut Neh. 4, 16. HIERONYMUS: „Et quia tales estis, ideo *hodie corruetis*, id est, ducemini in captivitatem, et perdetis regnum Israel Quod autem dicit *hodie*, aut praesens tempus significat, aut, non fraude et insidiis, sed clara in captivitatem luce ducemini." Sed cf. quae mox ad לַיְלָה monenda erunt. וְנִכְשַׁל גַּם נָבִיא עִמָּךְ *Et cadet quoque tecum propheta* scil. falsus, *prophetae mendacii qui vobiscum*, uti recte Chaldaeus, quorum ferax erat haec aetas, vid. infra 9, 7. 8. Mich. 3, 11. Simili imagine Jes. 31, 3 וְכָשַׁל עוֹזֵר וְנֹפֵל עָזֻר *corruet adjutor, et cadet adjutus.* HIERONYMUS: „Tanta erit vestri infirmitas, ut etiam prophetae, qui vobis solebant prophetare mendacium, vobiscum corruant, et sentiant captivitatem. Hic *prophetas* aut pseudoprophetas debemus accipere, aut certe omnem gratiam prophetalem." לָיְלָה *Noctu*, ut Neh. 4, 16. 27, 20. Manifesta oppositio *diei* et *noctis;* in qua tamen unum alterum non excludit, sed magis explicat, et utrumque ad utrosque pertinere docet, ut significetur, nullum tempus a strage tam singulorum e populo, quam falsorum prophetarum vacuum fore. Cf. Deut. 28, 66. Mich. 3, 6. וְדָמִיתִי אִמֶּךָ *Et exscindam matrem tuam*, universam nationem ejusque metropolim, cf. 2, 4. (al. 7.), *coetum vestrum*, vertit Chaldaeus. Et Hieronymus, collato Christi ad Hierosolymam alloquio Matth. 23, 37.: „*Mater* vocatur populi frequentia, et omnis turba nationis Hebraeae, ad quam loquitur; filii autem vel singuli e populo, vel per oppida villasque dispersi." Verbum דָּמָה h. l. graviorem desolationem indicat, qua quid funditus excisum et solo aequatum deletur, qua significatione saepius in forma Niphal occurrit, uti mox Vs. 6. 10, 7. 15. Jes. 6, 5. Zephan. 1, 11. Jes. 15, 1. Convenit cum Arabum دَمَّمَ, دَمَّرَ, *contrivit, perdiditque alios.*

6. נִדְמוּ עַמִּי מִבְּלִי הָדַעַת *Exscindendus est populus meus* (nomini collectivo jungitur verbum plurale, sensus respectu habito), *ob defectum cognitionis*, sapientiae. Quum impietas tunc late regnans, fons omnium reipublicae imminentium malorum, sacerdotum culpa esset introducta, qui non modo negligebant, quod sui esset muneris, sed plane contrarium faciebant: in eos jam invehitur vatis oratio. *Sacerdotum* nomen etsi expressum demum est Vs. 9., eorum tamen descriptio clara exstat tum Vs. 8., tum hoc nostro hisce vocibus: כִּי־אַתָּה הָדַעַת מָאַסְתָּ וְאֶמְאָסְךָ מִכַּהֵן לִי *quia tu intelligentiam repudiasti, etiam repudiabo te*

ne sacerdotio fungaris mihi. Neque enim a sacerdotio repudiatur, qui eo non funetus est. Quod de populo integro id diei aliqui putant, quatenus sacerdotes ad eum pertinuerunt, et populum illi repraesentarunt, coactum est. Reete Kimchi: „Sacerdotum suae aetatis ordinem alloquitur: tu repudiasti scientiam et tibi ipsi, et ut eam doceres populum: quare ego te repudiabo, ne mihi sacerdotium obeas. Quum non faeias sacerdotis offieium, quod est legem docere, repudiabo te, ne domi meae sis saeerdos." Etsi vero saeerdotes, qui tunc in regno Israelis erant, veri minime essent, neque seeundum legem divinam eonstituti, sed a Jeroboamo de plebe faeti (vid. 1 Reg. 12, 31.), pulsis rite constitutis Jovae saeerdotibus et Levitis (2 Paral. 11, 14.), tamen videri tales volebant, et non in honorem solum alienorum Deorum, verum Jovae etiam, suo munere fungi. Nee omnes omnino Aaronicos et Leviticos sacerdotes a Jeroboamo munere remotos fuisse eredibile est; sed exulare tantum jussis dissentientibus, plures, qui eultui Jovano simulaerorum eultum jungere haud detreetarent, ab Israelitis libenter admissi, priseae religionis ritus quodammodo imitati esse videntur. Cf. infra 8, 13. Amos. 5, 21. 22. „In וְאֶמְאָסְאךָ ultimum א ante ך dudum notarunt Masorethae, quasi יתיר *superfluum*, nee illius se rationem seire fassus est Kimchi. Opportune igitur a Kennieotto [et De-Rossio] diseimus, non seriptum reperiri in eodieibus mss. quamplurimis, tum in nonnullis editionibus non exstare. Quumque 1 Sam. 15, 23. in simili forma וַיִּמְאָסֶךָ non sit positum, ubi tamen poni aeque debuisset, si praesenti loeo eensendum esset genuinum; irrepsisse, neseio quo easu, putetur in impressos libros tantum non omnes, nee ulla posse, quam voeant Grammatiei, sive paragoge, sive epenthesi, satis defendi." Aurivill. Sed retinendum est וְאֶמְאָסְאךָ eum interposito א otiante, eeu matre lectionis, indicioque vocalis *Kamez*, ex alia leetione loco praecedentis *Schva* eoncipiendae, efferendum וָאֶמְאָסֶךָ ex Syriasmo. Nam Syri non aliter quam ךָ istud Suffixum formant, ut יַדָּעֶךָ *novit te*, מֶקְטָלֶךָ *interficiens te*. Cf. עָנֶךָ *respondebit tibi* Jer. 23, 37. Addit vates: וְתִשְׁכַּח תּוֹרַת אֱלֹהֶיךָ אֶשְׁכַּח בָּנֶיךָ גַּם־אָנִי *et* quia (quod est repetendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ) *oblitus es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum etiam ego;* poenae severitatem auget, quod Deus non solum eorum, qui tunc viverent, saeerdotio privandos esse minatur, verum nec filiorum ullam rationem se habiturum denuntiat, ut igitur spem omnem adipiseendi aliquando iterum saeerdotii iis praecidat. Hieronymus, gentis respeetu habito, תִּשְׁכַּח vertit *oblita es*, atque in Commentario *reprobatione scientiae* (הַדַּעַת מְאַסְתָּ) indieari existimat eultum vitulorum aureorum in Dan et Bethel, *oblivione* vero *legis divinae* „Aegyptiis idolis se mancipare penitus." Sed de *sacerdotum* ordine, quorum erat custodire scientiam, ut lex ab eorum opere repeteretur (vid. Mal. 2, 7. Levit. 10, 11. Deut. 31, 10.), his agi, non est dubium. Quod

vates ait, illos oblitos esse legis *Dei sui* (אֱלֹהִים) peccati magnitudinem exaggerat: violatum enim innuit foedus, quo sacerdotes obstricti erant Deo ut Israelitae atque ut sacrorum ministri.

7. In ordinis sacerdotum impietate describenda pergit: כְּרָבָּם כֵּן חָטְאוּ־לִי *Secundum amplitudinem suam sic peccant mihi.* Ob numerum pluralem, mutatamque personam haec verba non de sacerdotibus, sed de universo populo quidam capienda existimant. Veluti HIERONYMUS, qui ita exponit: „Quot homines habuit Israel, tot aras exstruxit daemonibus, in quorum victimis peccavit mihi.“ Verum quam sit familiare vatibus hebraeis, ab una persona subito ad alteram transire, nemo ignorat. Neque quod de iis, quos Vs. 6. collective in singulari appellaverat, jam in plurali loquitur, mirum cui videri potest. Praeterea dictum erat in plurali de *filiis* et successoribus sacerdotum sub finem Versus praecedentis. Neque dubium est, quin in tertia plurali iniquitas sacerdotum mox Vs. 8. describatur. Generale jam adhibetur verbum חָטְאוּ, ἥμαρτον, *peccarunt*, ut in universum omnis generis peccata ab iis peracta esse indicetur. לִי *Mihi*, contra me, cf. 2 Reg. 17, 7. Jerem. 33, 8, sive, ut Chaldaeus, קֳדָמַי *coram me.* Id vero factum כְּרָבָּם כֵּן *secundum amplitudinem eorum, sic*, i. e. secundum modum amplitudinis eorum fuit peccati modus, quanto magis aucti sunt, tanto magis peccarunt; eandem loquendi formulam vid. infra 10, 1. 11, 2. Exod. 1, 12. Jos. 2, 21. כְּרָבָּם sive pro Infinitivo habueris, *secundum augescere eorum*, sive pro nomine, *secundum multitudinem*, s. *amplitudinem eorum*, perinde erit. De *numero* illorum aucto hoc intelligit Syrus: *sicut multitudo eorum, ita peccarunt.* Nec non KIMCHI „in ore,“ inquit, „Aaronis, sacerdotis, patris eorum, erat vera doctrina; nunc autem, cum multi sunt, multa peccata committunt.“ Ita cum numero civitatum comparatur deorum multitudo Jer. 2, 28. Verbis quae sequuntur, כְּבוֹדָם בְּקַלּוֹן אָמִיר, plures poenam insolentiae, qua sacerdotes abusi sunt opibus et potentia, denuntiari existimant, dum vertunt: *gloriam eorum cum ignominia mutabo*, i. e. ea, qua se nunc jactant, dignitate eos exuam reddamque contemtissimos. Ita LXX: *τὴν δόξαν αὐτῶν εἰς ἀτιμίαν θήσω.* Vulgatus: *gloriam eorum in ignominiam commutabo.* HIERONYMUS: „Propter ea gloriam eorum, in qua gloriabantur sibi, et Deo idola praeferebant, in ignominiam commutabo, ut et sacerdotes capiantur, et populi.“ Minime tamen repudiandus ille sensus, quem expresserunt Chaldaeus et Syrus: *et gloriam suam in dedecus mutarunt.* Ceperunt אָמִיר pro Infinitivo, pro הָמִיר, et Infinitivum pro Praeterito (cujus enallages exempla vide Ezech. 1, 14. Jer. 15, 5.), vel pro Gerundio, hoc modo: *gloriam suam in ignominiam mutando*, sua impietate et idololatria. Eadem sententia Jer. 2, 11. וְעַמִּי הֵמִיר כְּבוֹדוֹ בְּלֹא יוֹעִיל *et populus meus gloriam suam commutavit cum eo quod*

non prodest. Cf. Ps. 106, 20. Ceterum א loco ה in Infinitivo Hiphil positum in אַשְׁבִּים Jer. 25, 3. Et alias א positum legitur pro ה, ut Infinitivus Niphal הֵאָרוֹשׁ pro הֵהָרוֹשׁ, Ezech. 14, 3.; item אָגְאַלְתִּי pro הִגְאַלְתִּי, Jes. 63, 3.

8. חַטַּאת עַמִּי יֹאכֵלוּ *Peccatum*, i. e. victimas pro peccatis oblatas, ut Levit. 6, 18. 19. 23., *populi mei comedunt.* KIMCHI: „Non sunt sacerdotes nisi ad comedendas victimas pro peccatis a populo oblatas; non ad docendam legem et viam rectam.“ Alii ita intelligunt: *peccata populi mei devorant*, i. e. delectantur iis. Ita HIERONYMUS: „*Peccata populi mei devorant* consentientes sceleribus delinquentium, qui cum eos peccare perspexerint, non solum non arguunt, sed laudant atque sustollunt, atque beatos praedicant. De quibus et Esajas loquitur [3, 12.]: *Populus meus, qui beatos vos dicunt, seducunt vos.*“ Simplicior tamen et facilior interpretatio prior. Sunt etiam, qui epulas respici existiment conjunctas cum sacrificiis, quae idolis offerret populus (de quibus vid. Exod. 34, 15. 1 Reg. 15, 13. 2 Reg. 21, 7.), quibus et sacerdotes interessent. וְאֶל עֲוֹנָם יִשְׂאוּ נַפְשׁוֹ *Et ad iniquitatem eorum animam* quisque *attollit suam*, i. e. avide desiderant et expetunt, ut peccet populus, quo videlicet ex coculinae ipsorum melius sit. Bene KIMCHI: „Hoc cupiunt, ut populus saepe delinquat, et hac ratione plurimae illis victimae suppetant, unde vivant.“ *Attollere animam ad rem aliquam* idem quod: ei inhiare, vid. Deut. 24, 15. Jerem. 44, 14. Ps. 25, 1. Suffixum singulare in נַפְשׁוֹ distributive capiendum esse, vix monere opus; non igitur necesse, ut recipiatur נַפְשָׁם, quod in aliquot codicibus legitur. Sunt, qui vertant: *ad suam nequitiam excitant animum quisque suum;* contra usum formulae *attollere animam ad aliquid.*

9. וְהָיָה כָעָם כַּכֹּהֵן *Et factus est sicut populus ita sacerdos* (vid. *Caph* eodem modo repetitum 1 Reg. 22, 4.), quod plures ita intelligunt: par erit amborum supplicium. Ita HIERONYMUS: „Aequaliter populus et sacerdos indignantis Dei supplicium sustinebunt.“ Alii: si populus est improbus, sacerdotes non sunt meliores. Utrumque, et delictorum et supplicii aequalitas indicari videtur, quasi dicat: et paria crimina committunt, et parem poenam sustinebunt. Eadem sententia Jes. 24, 2., ubi de universae terrae Judaicae depopulatione loquens propheta dicit: וְהָיָה כָעָם כַּכֹּהֵן *eritque sicut sacerdos, ita populus, sicut servus, ita dominus, sicut ancilla, ita hera*, et quae ibi sequuntur. וּפָקַדְתִּי עָלָיו דְּרָכָיו *Et animadvertam* (vid. supra 1, 4.) *in eum*, sacerdotem unumquemque, secundum *vias suas*, uti instituta prava, quibus cum delectatione continuo incumbebant, merebantur. Ante דְּרָכָיו subaudiendum Caph, expressum infra 12, 3. לִפְקֹד עַל יַעֲקֹב כִּדְרָכָיו. Chaldaeus: *ut ultionem ab iis sumerem secundum vias eorum malas.* וּמַעֲלָלָיו אָשִׁיב לוֹ *Et* secundum *facinora sua*

reddam illis, facinorum suorum fructum promeritum; ut infra 12, 3. כְּמַעֲלָלָיו אָשִׁיב לוֹ. Eadem sententia aliis verbis enuntiata Jes. 3, 11. Ps. 62, 13.

10. וְאָכְלוּ וְלֹא יִשְׂבָּעוּ *Comedent nec tamen saturabuntur*, cibus non praestabit eum usum, quem deberet, quod a diris divinis. Eaedem minae Levit. 26, 26. Mich. 6, 14. Hagg. 1, 6, הִזְנוּ וְלֹא יִפְרֹצוּ *Scortari facient, non tamen erumpent* in copiosam sobolem; non multam prolem procreabunt, seu, non excrescent sobole. Metaphora ducta ab aquis, quae aggere perrupto omnia inundant (cf. supra ad Vs. 2.), et de sobolis multitudine usurpatur et Gen. 28, 14. Jes. 54, 3. 2 Paral. 11, 23. Job. 1, 10., ad quem loc. vid. not. Verbum הִזְנוּ in Hiphil non est simpliciter idem, quod Kal, *scortantur*, scd, *faciunt scortari, ad scortationem inducunt* aut *prostituunt*, vid. infra Vs. 18. 5, 3. Exod. 34, 16. Levit. 19, 29. 2 Paral. 21, 11. 13. Chaldacus: *sument uxores, nec generabunt filios.* כֵּי־אֶת־יְהוָה עָזְבוּ לְשָׁמֹר *Nam Jovam dereliquerunt observare*, colere, ut Zach. 11, 11. הַשֹּׁמְרִים אֹתִי *observantes*, colentes, *me. Qui observat, coluisse dicitur*, ait Festus Pompejus. Virgilius *Georg.* 4, 212. *Observant regem non sic Aegyptus, et ingens Lydia, nec populi Parthorum aut Medus Hydaspes.* Aben-Esra et Kimchi post לְשָׁמֹר subaudiunt דַּרְכּוֹ s. דְּרָכָיו, coll. Gen. 18, 19. Exod. 16, 28, quasi sit: *reliquerunt vias ejus observare.* Prius facilius. Quidam R. Saadias Kimchio commemoratus לְשָׁמֹר nominibus זְנוּת וְיַיִן, Versus proximi initio, jungit, hac sententia: *dereliquerunt Deum, observando scortationem, vinum et mustum*, quemadmodum verbum שָׁמַר de malarum rerum observatione et dicitur Ps. 31, 7. (שָׂנֵאתִי הַשֹּׁמְרִים הַבְלֵי־שָׁוְא). Eundem verba nectendi modum adoptavit Arnoldi (in *den Blumen althebräischer Dichtkunst*, p. 558.), זְנוּת de idolorum cultu intelligens, coll. Vs. 12. Sed vid. not. ad Vs. seq. sub finem.

11. Hactenus sacerdotum mores prophetica libertate insectatus est, eadem nunc auctoritate populi et multitudinis idolomaniam taxat, et quasi *ὑποτυπώσει* quadam repraesentat; ac primum eam describit ex adjunctis et effectis. זְנוּת וְיַיִן וְתִירוֹשׁ יִקַּח־לֵב *Scortatio, et vinum et mustum aufert cor eorum*, id est, ut recte Chaldaeus, *educit et seducit cor eorum.* יִקַּח־לֵב *Aufert cor*, facit homines desipere, reddit amentes. Nam *cor* Hebraeos ponere pro *sapientia* vel *mente*, notum. Vid. e. c. Deut. 29, 3. Sic *corde carere* dicitur qui desipit; vid. Jer. 5, 21. Prov. 7, 7. infra 7, 11. Sic apud Plautum *Pers.* 4, 4. 71. *Habet cor*, pro: sapit. Hieronymus: „Sicut vinum et ebrictas eum qui biberit mentis suae impotem facit, ita et fornicatio et voluptas pervertit sensum animumque debilitat, et de rationabili homine brutum efficit animal, ut ganeas, et lupanaria, et libidinum lustra sectetur.“ Nomen hujus Versus postremum, לֵב, Syrus

et Chaldaeus affixo plurali auxerunt, vertunt enim *cor eorum*. „Repugnante," ait AURIVILLIUS, „nube testium. Neque additamento illo sensui sive roboris quidquam, sive perspicuitatis accesserit. Quod autem in divisione breviorum, quae heic sunt, periodorum, tum Alexandrinus, qui לֵב junxit sequenti עַמִּי, vertendo *καρδία λαοῦ μου*, tum Arabs jungendo לָשֶׁמֶר in fine Vs. 10. cum זְנוּת Vs. 11. deprehenditur vacillare; inde haud dubie provenit, quod in veterum codicibus nullo interposito, satis quidem notabili, spatio, cohaerentes fere scriberentur voces, ita ut, in exemplari praesertim non punctato, facile labi possent in discernendo interpretes. Quocirca vulgata, sive lectio, sive distinctio vocum, quia commodum et planum sensum exhibent, minime deserenda, hanc licet descruerit Dathius, unius auctoritate ductus Graeci, ut לֵב cum עַמִּי construeret."

12. Insipientiae primum argumentum, consilium petunt a rebus vanissimis. עַמִּי *Populus meus*, „qui quondam meo vocabatur nomine," ut HIERONYMUS explicat, בְּעֵצוֹ יִשְׁאָל *lignum suum consulit*, tanquam divinum oraculum, id enim indicat verbum שָׁאַל constructum cum ב rei aut personae, quae rogatur, praeposito, vid. Num. 27, 2. Jud. 1, 1. 18, 5. 1 Sam. 22, 13. Cf. not. ad Ezech. 21, 26. *Lignum* hic per metonymiam dicitur צֶלֶם אֱשֶׁרְתּוֹ, ut Chaldaeus vertit, *lignea imago*, ut Jerem. 2, 27. Habac. 2, 19. Jes. 40, 20. Jes. 40, 20. 44, 13. *Teraphos*, quorum supra 3, 4. mentio facta, potissimum respici, haud improbabilis quorundam est conjectura. Nomen *ligni* autem potius, quam *imaginis*, adhibet vates, ut vilitatem ineptam rei, quam consulebant, exprimeret. Quod autem, addito pronomine, *lignum suum* dicit, fiduciam in ligneo illo, quod possidet, simulacro positam indicat. DRUSIUS: „Utuntur divinatione, quae a Graecis ξυλομαντεία dicitur. Ejus meminit auctor libri DCXIII Mandatorum, scribens *e fragmentis ligni fieri in Illyrico.*" וּמַקְלוֹ יַגִּיד לוֹ *Et baculus suus annunciat ei*, id est, ut recte Chaldaeus, *imaginatur sibi, virgam suam sibi indicare*, vel, res futuras, vel, quid agendum sit, quid omittendum. Indicari illud divinationis genus, quod Graeci vocant ῥαβδομαντείαν, de qua et Ezech. 21, 26. al. 21. (ad quem loc. vid. not.), jam observavit Hieronymus. Ita et CYRILLUS, qui eam hoc modo peractam esse narrat: *duas virgas statuentes, deinde arcanis quibusdam verbis incantantes, ut agente diabolo procederent, et cadentes rursum observabant, utrum prorsum ac retrorsum, in dextrum an in sinistrum ferrentur.* Alios par baculos divinandi modos ex Maimonide et Mose Mikkozi refert ABARBENEL, ut vel ictibus festinis terram percutiant, peregrinasque tum voces alte exclament, ve lignum adhibeant, quod ab uno latere cortice denudent, alterum latus cortice sinant vestitum manere, ut ambo pro sortibus sint. Sunt, quibus *baculus* h. l. est simulacrum a baculo seu stipite factum,

delubrum dictum priscis Latinis. Festus: *Delubrum dicebant fustem delibratum, id est, decorticatum, quem venerabantur pro deo.* כִּי רוּחַ זְנוּנִים *Nam spiritus scortationum*, i. e. vehemens libidinis fervor et affectus. Hebraei enim *spiritus* vocant animi concitati motus, quos Cicero *affectiones, affectus, impetus, commotiones animi* vocare solet. Hinc *spiritus zelotypiae* Num. 5, 14., *spiritus mendacii* 1 Reg. 22, 23., *perversitatis* Jes. 19, 14., *impuritatis* Zach. 13, 2. הִתְעָה *Seduxit* eos, ellipsis pronominis e contextu subaudiendi, qualis supra 2, 7. וְלֹא תִמְצָא *nec invenias* eos. Addunt Chaldaeus, Syrus et Hieronymus, quos propterea החעם nonnulli conjiciunt legisse. Et praeter codicem, in quo ה correctum in ם reperit Lilienthal, unum etiam alterumve notavit Kennicottus, qui ם loco τοῦ ה in fine vocis offert. וַיִּזְנוּ מִתַּחַת אֱלֹהֵיהֶם *Ita ut scortarentur a sub Deo suo* (idem est quod 1, 2. זָנֹה תִּזְנֶה הָאָרֶץ מֵאַחֲרֵי יְהוָה), i. e. excusso jugo Dei sui; nam particula תַּחַת subjectionem notat, quam excusserunt, cum ad alios deos deficerent. Jovae praecepto Exod. 20, 3. et obedientiae se subduxerunt, nec illum amplius pro solo et uno Deo agnoverunt. Phrasis desumta est, ut Kimchi monet, a re matrimoniali, in qua uxor est sub marito, ceu domino suo, qui in eam potestatem habet, et cui obedientiam illa debet. Cf. Exod. 34, 15. 16. Jud. 8, 33. Vim vocis מִתַּחַת accurate expressit Chaldaeus, qui vertit: *et scortati sunt a post*, i. e. ita ut recederent *a cultu Dei sui.* Etsi vero non dubium esse potest, scortationem hic accipiendam esse de superstitioso simulacrorum cultu, includi tamen sordes scortationis, quae proprie dicitur, profluentes ex impudicis ritibus cultus illius, suadet Versus proximus.

13. עַל־רָאשֵׁי הֶהָרִים יִזְבָּחוּ *Super capita*, cacumina, *montium sacrificant*, victimas mactant; quod ipsum et Judaeis exprobratur Jes. 30, 25. 57, 7. Jerem. 3, 6. cf. 1 Reg. 14, 23. וְעַל־הַגְּבָעוֹת יְקַטֵּרוּ *Et super colles adolent*, victimarum carnes, thymiamata in idolorum honorem accendunt, cf. supra 2, 12. al. 15. תַּחַת אַלּוֹן *Sub quercu*, sive alia quercui simili arbore itidem glandifera, Arabibus بَلُّوط dicta, uti auctor est Chaldaeus, qui בְּלוּט posuit. Memoratur et Gen. 35, 8. לִבְנָה, et Gen. 30, 57. obvium, aliis est *populus alba*, a colore subalbo, qui foliorum partem aversam occupat, q. d. *παράλευκος*, aliis *styrax*, Arabibus لُبْنَى vocata, a *lacte*, describunt enim ut *lac emittentem*, *mellis instar*, *quo et suffitus fiat.* Cf. libr. nostr. *Bibl. Naturgesch.* P. I. p. 261. De אֵלָה, *terebintho*, vid. libr. modo laud. p. 229. כִּי טוֹב צִלָּהּ *Nam bona est umbra ejus*, est enim arbor densa et proinde opaca et grata. Cf. Ezech. 6, 13. 20, 28. Pro צִלָּהּ legitur צִלָּם in uno codice Kennicottiano, et in alio De-Rossii, „relato," ait is Vir Doctissimus, in Scholiis Critt., „suffixo non

ad solam terebinthum, sed ad tres arbores, quae praecedunt. Sed distributive sumi potest suffixum singulare, ac sumunt varii interpretes." Verum צֵלָם manifestum est mendum; nam suffixum plurale ad arborum nomina feminei generis debuit צֵלָן esse. עַל־כֵּן תִּזְנֶינָה בְּנוֹתֵיכֶם וְכַלּוֹתֵיכֶם תְּנָאַפְנָה *Ideo scortantur filiae vestrae, et nurus vestrae moechantur.* Turpissima impietas late grassatur. Quod enim patres cum filiis idolorum cultui sese dedunt, inde fit, ut omnis pudor evanescat, atque filiae et nurus, quae domi castissime servari debent, in sacris istis montanis et silvestribus pudicitiam suam prostituant. כַּלּוֹת quidam, ut Hieronymus, *sponsas* interpretantur, quae sane eo nomine significantur Jes. 62, 3. Cant. IV, 9. Verum ut hoc loco filiae referuntur ad patres, sic et כַּלּוֹת ad soccros videntur referendae. *Nurum* significat כַּלָּה et Gen. 38, 24.

14. Verba לֹא אֶפְקֹד עַל־בְּנוֹתֵיכֶם כִּי תִזְנֶינָה וגו׳ nonnulli interrogative capiunt (לֹא pro הֲלֹא): *Annon animadverterem in filias vestras, quod scortentur? et in nurus vestras, quod adulterentur?* ut sit geminum illi Jerem. 5, 9. הַעַל־אֵלֶּה לֹא אֶפְקֹד *an propter ista non animadverterem?* Id vero non convenire satis cum scopo serieque contextus, adeoque cum veteribus omnibus *indicative* sive *indictive* haec verba capienda esse, *non animadvertam in filias vestras*, et quae sequuntur, monet Gataker *Adversarr. Miscellan. posth.* Cap. 18. p. 624. „Versu," inquit, „proxime antegresso, ubi suos Deus corripuerat, quod Deo vero, cui se prius in conjugium dederant, relicto, cum idolis foedissimis palam passimque rem jugiter haberent, minatur, hoc se flagitium huic gemino in ipsis ulturum, fore enim, ut filiae ipsorum scortarentur, et sponsae, vel nurus ipsorum moecharentur. Idem ergo prorsus istis Deus interminatur, familias se ipsorum dedecori et opprobrio expositurum, nec castigationibus aut correptionibus ullis suis, vel filias, vel nurus ipsorum flagitiosissime ac profligatissime se gerentes, coerciturum, quo a vitae turpitudine illa cessent aliquando; ut hoc pacto de ipsis ob idololatriam cum impuritate itidem pari junctam poenas meritas factisque suis dignas sustineant." Nec aliter nostrum locum exponit Hieronymus: „Absque ulla vindicta in scelere suo relinquuntur. In tantum iratus est Deus, ut nequaquam percutiat delinquentes. Qui amatur, corripitur; qui negligitur, suis peccatis dimittitur. Tantusque fuit numerus fornicationum Israel, ut cesset ultio desperans emendationem." Sunt, qui פָּקַד h. l. capiant sensu bono, *considerare aliquem benevolo animo, curam ejus gerere, ei prospicere.* Sed verbum פָּקַד ubi in bonam partem usurpatur, semper cum Accusativo construitur, vid. Gen. 21, 21. Exod. 4, 31. Ruth. 1, 6. al.; sed cum עַל junctum, ut h. l., constanter denotat *in, contra aliquem animadvertere, poenam sumere de aliquo*, vid. Exod. 20, 5. Jes. 24, 21. Jer. 9, 24.

29, 32. et saepius. Retinendus igitur sensus, quem supra indicavimus: non ulciscar scortationes et adulteria in familiis vestris: non corrigam haec flagitia. Volo enim vos esse probrosos et dedecori expositos, quia priores scortati estis. Sequitur ratio, quam reddit Deus, quare probro istiusmodi expositos illos velit: כִּי־הֵם עִם־הַזֹּנוֹת יִפָּרֵדוּ, ubi transitus habetur a secunda ad tertiam personam, qui, etiamsi ceteroquin frequens sit, hoc tamen loco emphasin habere videtur peculiarem, ut tanquam per indignationem et contemtum dicat: *isti scortati sunt*, ac si eos alloquio non dignetur. יִפָּרֵדוּ forma *Piel*, hoc solo loco obvia, varie exponitur. Chaldaeus מְסַתְּיְעָן, et Jarchi מתחברין *consociant se cum scortis.* LXX: *μετὰ πορνῶν συνεφύροντο.* Hieronymus: *cum meretricibus conversabantur.* Non quod verbo פָּרַד *conversandi, consociandive* notionem obtinere crederent, sed sensum expresserunt. Verbum פָּרַד *dividere, separare* usitatissime significat, unde verba nostra vertenda: *cum scortis separant se* (nam ellipsis accusativi reciproci frequens, ut in illo 2 Reg. 5, 10. רָחַצְתָּ *lava* scil. te *septies in Jordane*), quia qui talia patrant secessum quaerunt, et se separant a consortio hominum; item se separant ab uxoribus.“ Consonum Arabicum فَرَدَ in Conjug. II, quae Hebraeorum Piel respondet, significat: *secessit, segregavit se a ceteris*, peculiariter, *devotionis ergo.* Alii: *separant se a Deo*, sive, *a Deo dividuntur*, quemadmodum si mulier a marito suo desciscat, et se subjiciat adultero. Cui expositioni favere videtur, cum quod superius Vs. 12. dixerat: וַיִּזְנוּ מִתַּחַת אֱלֹהֵיהֶם *scortantur a Deo suo*, cui conjugio sunt conjuncti, se subducentes; tum quod sequitur, et tanquam ἐξηγητικῶς illi dictum urgent: *et cum scortis sacrificant.* Sed scortationem cum idolorum cultu conjunctam notari verisimile est, quod utrumque crimen vates Israelitis objecerat supra Vs. 2. 11. 12. וְעִם־הַקְּדֵשׁוֹת יְזַבֵּחוּ *Et cum sacerrimis istis* prostibulis *sacrificant*, cum feminis quae Veneri se consecrarunt, et corpus prostituunt (ut קְדֵשִׁים *scorta, mascula publica*, 1 Reg. 14, 24. 15, 12. 2 Reg. 23, 7.), ut earum impuris amplexibus illi se libidinem in honorem profani numinis exercere testatum darent. Chaldaeus: *et cum meretricibus comedunt et compotant* in epulis sacrificalibus. וְעָם לֹא־יָבִין יִכָּבֵט *Et populus* qui *non animadvertit*, intelligit, sapit, *corruet*, praeceps ruet, quae est Arabici كَبَطَ significatio, et duobus reliquis, quibus hoc verbum in codice Hebraeo exstat, locis, Prov. 10, 8. 10., idonea.

15. Populum ruiturum in exemplum alteri propositurus vates crimen ejus hoc alloquio repetit: אִם־זֹנָה אַתָּה יִשְׂרָאֵל *Si scortaris tu, Israel*, post idola; sive, *quodsi utique tu vis scortari*, Vs. 11. seqq. Oratio *concessiva* potius est, quam conditionalis, et exaggerat criminis gravitatem. אַל יְאַשֵּׁם יְהוּדָה Saltim

ne reus fiat per te etiam *Juda*, ne in communionem veniat reatus gravissimi, quem gravissima poena sequetur. Hoc vult: saltem Juda, penes quem est adhuc templum, a falso cultu abstineat. *Juda*, duae tribus, Juda et Benjamin. Quibus nonnulli addunt tribum Levi. Sed ea reliquis annumerabatur; alioquin tribus erant numero tredecim. Reliqua Versus parte, וְאַל־תָּבֹאוּ הַגִּלְגָּל וגו׳ *neque eatis in Gilgal*, et quae sequuntur, dissentiunt, Judaeosne an vero Israelitas alloquatur vates. Ad Israelitas sermonem conversi nonnulli existimant, ideo potissimum, quod idolorum cultus in Gilgale et Bethele exercitus iisdem exprobratur tam a Nostro, infra 9, 15. 12, 12., quam ab Amoso, 4, 4. 5, 5. Ex Abarbenelis quoque sententia compellantur nostro loco Israelitae, qui itando creberrime Bethelem ac Gilgalem, dum per terras Judaeae tribus perficerent iter, et pravo exemplo, et illecebris voluptatum quam plurimos de Judaeis ad idololatriae spurcitiem abstrahebant. Mens sic fuerit prophetae, in animum Israeli revocare, quanto detrimento non sibi tantum, sed et Juda tribui peccarent, tam pernicioso exemplo multos trahendo in ruinam. Ideo arbitratur Abarbenel, *Danis* nullam mentionem injici, ubi alterum Jeroboamus vitulum erigi curaverat, quod quum Danem proficiscerentur Israelitae, non transirent limites Judae et Benjaminis, quod necesse quidem erat Gilgalem et Bethelem proficiscentibus. Verum Israelitae suos vatem non tam leniter, sed severius acriusque dehortaturum fuisse credibile est. Quare nos hunc Versum ad Judaeos referre non dubitamus. Jarchi: „*Ne veniatis*, o viri Judae, *Gilgalem*, id est, dummodo Judaei non Gilgalem veniant, ubi decem tribus deos alienos colunt.“ Etiamsi autem expressis verbis scriptum non exstat in V. T. libris historicis, Judaeos ad colendos vitulos iter Gilgalem instituisse, concludere tamen licet, quum reges quidam impii (quales coram Josaphati, 2 Reg. 8, 18., et Ahasus 2 Reg. 16, 3.) composuerint se ad exemplum idololatrarum in Israele, et utrique sorori, Israeli ac Judae, *eadem via* fuisse dicatur Ezech. 23, 13., ad vitulos colendos se avertisse Judaeos; ut minime frustranea fuerit reprehensoria admonitio ad Judaeos de cavendo vitulorum cultu, omnique, cui se Israel dederat, idololatria. וְאַל־תָּבֹאוּ *Nec veniatis*, i. e. ne abeatis, ut Ruth. 3, 7. Jon. 1, 3. *Gilgal*, uti auctor est Eusebius in libro de *locis Hebraicis* ab Hieronymo translato, „locus erat ad orientalem plagam antiquae Hierichus cis Jordanem, ubi Jesus secundo populum circumcidit, et pascha celebravit, et deficiente Manna triticeis panibus usus est Israel,“ vid. Jos. 4, 19. 20. 5, 9. 10. 9, 6. 10, 6. 7. 14, 6. A priscis inde temporibus superstitiosum cultum Gilgalis viguisse, patet ex Jud. 3, 19., ubi prope eum locum idola sculpta (הַפְּסִילִים) reperta fuisse legitur. Intra limites vero regni Israelitici, non, ut vult Hieronymus infra ad 12, 12., Judaici, sitam esse Gilgalem, vel inde apparet, quod ejus loci semper in reprehensione Israelitarum fit mentio. Addit

vates: וְאַל־תַּעֲלוּ בֵּית אָוֶן *nec ascendatis in Beth-Aven*, quo non est intelligendus locus ita appellatus, cujus Jos. 7, 2. 18, 12. 1 Sam. 13, 5. 14, 25. mentio fit, sed ille locus, qui alias *Bethel* dicitur, quemadmodum vertit Chaldaeus: *nec ascendite in Bethelem.* Erat is locus a Jacobo, quod numen ipsi eo apparuisset בֵּית אֵל, *domus Dei*, appellatus, coll. 1 Sam. 10, 3. Sed quum a Jeroboamo electus esset in sedem praecipuam cultus superstitiosi, erecta ibi vituli statua, 1 Reg. 12, 28., Noster eum locum vocat per contemtum בֵּית אָוֶן *domum*, sedem, *vanitatis.* Ita et Amos. 5, 5. וּבֵית אֵל יִהְיֶה לָאָוֶן *et Bethel erit in vanitatem.* HIERONYMUS: „Quae prius vocabatur *domus Dei*, postquam vituli in ea positi sunt, appellata est Bethaven, id est, *domus inutilis*, et *domus idoli*, quod nos, ut in Hebraeo legitur, expressimus.“ Limes borealis tribus Benjamin tendebat a Jordane versus solitudinem Bethaven, et inde praeteribat Bethel ab austro, Jos. 18, 13. Fuit itaque Bethel in Ephraim, adeoque in decem tribuum regno, sed in confiniis Benjaminis sive regni Judaici; nam limes australis tribus Ephraim juxta illam tendebat, Jos. 16, 2. Abia, rex Judae, Bethelem eripuit Jeroboamo, regi Israelis, 2 Chron. 13, 19. Sed rediisse illam deinceps sub regum Israelitarum ditionem, e vate Nostro colligere licet. Ceterum *Bethel* in loco editiore sitam fuisse, patet e verbo עָלָה, quod non solum hoc loco, verum et Jud. 1, 22. et 1 Sam. 10, 3., ubi de illa urbe est sermo, usurpatur. וְאַל־תִּשָּׁבְעוּ חַי־יְהוָה *Neque juretis: vivit Jova;* „quibus verbis,“ inquit ABARBENEL, „alia continetur reprehensio, qua itidem castigat domum Israelis, quasi dicere intendisset: postquam idolorum vos cultus a Deo vero avertit, ac negligitis prorsus visitare domum Domini ejusque Sanctuarium, tantummodo solliciti, ut proficiscamini ad cultum vitulis exhibendum, qui nunc juratis vos per nomen Domini, dicentes: *ut vivit Jova!* Certum utique, et quod Lex praecepit (Deut. 6, 13) *et per nomen ejus jurabit*, et quod ait propheta (Jeremias 4, 2.), *et juretis: vidit Dominus*, in nemine valere, nisi in iis, qui ejus instituta sequuntur: quare illi praecepto praemittitur: *servies ei ac ei adhaerebis*, tum subjungitur: *et per nomen ejus jurabis.* In impiis autem, et osoribus nominis divini non alio inservit ejusmodi jusjurandum, nisi ut signum prodatur, Deum contemtui esse.“ Non reprehenditur simpliciter et in se formula jurisjurandi, a Deo ipso mandata, Deut. 6, 13. 10, 20., sed ejus abusus, cum cultu superstitioso conjunctus, de quo et alii vates queruntur, vid. Jes. 48, 1. Ezech. 20, 39. Amos. 8, 14. Zephan. 1, 5., et Jeremiae loca, ab Abarbenele allata. Bene HIERONYMUS sensum expressit his verbis: „Nolo per os vestrum nominis mei fieri memoriam, quod idolorum recordatione pollutum est.“

16. כִּי כְפָרָה סֹרֵרָה סָרַר יִשְׂרָאֵל *Quoniam sicut juvenca refractaria refractarius est Israel.* סֹרֵר rebellem, contumacem,

refractarium notare constat, qualis est ille, qui se liberum putat, et a suis cervicibus jugum excutit. Deut. 21, 18. legitur de filio rebelli, junctum τῷ מֹרֶה, redditurque illic graece ἀπειθῆς. *Rebellis* vero est *juvenca*, quae nullo modo adigi se patitur, ut aratrum trahat, quae contra ipsos etiam stimulos recalcitrat, quae obluctatur rumpitque lora, si quando vinculis alligari contigerit. Quod ex eo provenit, quia pabulis saginata est pinguibus, et sua potius libidine, quam aliorum regitur imperio. A quali jumento similitudinem duxit Moses, Deut. 32, 15. *Incrassatus est Jeschurun, et recalcitravit, incrassatus, impinguatur, dereliquit Deum, factorem suum.* Ad quem locum accommodate nostrum hoc modo transtulit Chaldaeus: *quoniam sicut bos saginatus et recalcitrans, sic rebellat ob multitudinem bonorum Israel.* עַתָּה יִרְעֵם יְהוָה כְּכֶבֶשׂ בַּמֶּרְחָב *Nunc pascet eos Jova quasi agnum in lato spatio.* Quibus verbis primo intuitu beneficium indicari putes. Nam *pascere* suos Deus dicitur, cum eorum curam et tutelam suscipit, vid. e. c. Ps. 23, 1. 2.; et *latitudo*, מֶרְחָב, claustris et angusto terrae tractui opposita, grata et commodissima est gregibus; et ipsa *ovis* et *agni* appellatio teneritudinem innuere videtur affectus. Hinc est, quod haec verba nonnulli ita capiant: *nunc eos pasceret*, q. d. nisi refractarius fuisset Israel, jam se pastorem illi praeberet Deus, veluti cum in loco spatioso ovis pascitur pro lubitu. Quae interpretationes tamen sensum efficiunt parum concinnum, neque totius orationis seriei satis accommodatum. Ea docet, hoc hemistichio minam contineri, *locumque spatiosum*, quo pascendus Israel, opponi pascuo probe obsepto, quo agnus imbecillis a feris sit tutus. Minatur igitur, deportaturum esse Deum Israelitas in remotissimas vastissimasque regiones, in quibus oberrent, ut agnus, qui a rege divulsus, et a matre destitutus, inani balatu omnia complet, tandemque praeda fit lupis.

17. חֲבוּר עֲצַבִּים אֶפְרָיִם *Associatus idolis est Ephraim*, quae verba Chaldaeus recte sic vertit: *associarunt se idolorum cultui domus Israel*, quod recte pro אֶפְרָיִם posuit, neque enim una illa tribus notatur illo nomine, sed omnes decem, quae Judae opponuntur, ut infra 5, 3. Jes. 7, 5. Ratio autem adhibiti hujus nominis est, tam insigne tribus illius prae aliis robur, tum Jeroboami, primi regis, ex illa ortus, tum constituta in hac tribu regni sedes praecipua. Nomine עֲצַבִּים *idola* significari, non dubium, vid. 2 Sam. 5, 21. Jer. 44, 19. Mich. 1, 7. infra 8, 4. 13, 2. Nacta sunt illud nomen a *formandi* significatione verbi עָצַב, Chaldaeis servata, ut proprie notet *formas*, *imagines* deorum. Pro חֲבוּר LXX et Hieronymus posuerunt μέτοχος, *particeps*. Undecunque similitudo sit petita, sive a foedere arcto, quod homines solent inter se inire, de quo verbum חָבַר dicitur Gen. 14, 3. 2 Paral. 20, 35. 37., sive a conjugii vinculo, de quo

חָבֵר Malach. 2, 14., quod hoc loco ob repetitam scortationis mentionem maxime commodum, notatur utique intensum cultus superstitiosi studium. הַנַּח־לוֹ *Mitte eum*, quod HIERONYMUS sic explicat: „O igitur Juda, cui supra dixi, *si fornicatur Israel, non delinquat saltem Juda*, audi consilium meum, prophetae verba non spernas; quia Ephraim semel idolorum amicus et particeps est, dimitte eum, ne sequaris impietatem ejus, cujus cultus et religio a tuo separatus est.“ Alii: ne arguito eum quispiam; quin agat, quod libeat; ut more patris loquatur, qui filium nequam, quem corrigere non potest, in sua nequitia progredi jubet, animoque suo obsequi, quasi curam illius omnem ex illo tempore abjecturus sit. Hujusmodi est illud Ezech. 20, 39. *Ite, colite stercoreos deos vestros.*“ Sic Chaldaeus: *permittite eis cultum* eum, quem adoptarunt, simulacrorum.

18. סָר סִבְאָם *Recessit vinum eorum*, i. e. vappidum est factum. *Recedere* enim *vinum* dicitur, cum in vappam resolvitur et acescit; ut apud Ciceronem vinum ejusmodi *fugiens* appellatur, et Graece ἐξεστηκώς. Arguit depravatos Israelitarum mores, sumta metaphora a vino corrupto, ut Jes. 1, 22. *Argentum tuum abiit in scorias, merum tuum aqua mistum est.* Et Ps. 14, 3. Drusius existimat probabiliter eodem tropo dici: *Unusquisque eorum recessit, una rancuerunt.* Latini etiam *vappam* hominem nequam et nullius pretii dicunt. Hieronymus hebraea sic interpretatur: *separatum est convivium eorum*, quae cum fine Versus praecedentis sic conjungit, ut ad illum vidimus, admoneri Judam, ut ab Ephraimi se consuetudine separet, quum gentiliciis se moribus et institutis imbucrit, neque salva religione possit cum illo simul mensam inire, quam cibis, qui idolis sunt consecrati, instruxit. Quod tamen tenori hujus sermonis minus convenit. הַזֹּנֹה הָזְנוּ *Scortari faciendo scortari faciunt* alios, i. e. non solum ipsi se idolorum superstitioni impotenter tradunt, verum et alios ad idem crimen trahunt. Eodem sensu verbum זָנָה transitive usurpatum aderat supra Vs. 10., legiturque infra 5, 3. Cf. 2 Paral. 21, 13., ubi Elias vates Joramo regi exprobrat: *Incessisti in viis regum Israelis*, וַתַּזְנֶה אֶת־יְהוּדָה *et scortari fecisti Judam et habitatores Hierosolymae*, i. e. ad idolorum cultum non exemplo solum, verum tyrannicis etiam mandatis eos impulisti, כְּהַזְנוֹת בֵּית אַחְאָב *sicut familia Achabi ad scortandum*, ad idolorum cultum, *impulit* Israelitas. In verbis quae sequuntur, אָהֲבוּ הָבוּ קָלוֹן מָגִנֶּיהָ, interpretandis molestiam creat vox הָבוּ, hoc solo loco obvia, dissentientibus interpretibus, num pro Nomine, an pro Verbo sit habenda. R. Tanchum הָבוּ Nomen esse conjicit, *vanitatem* denotans, quasi esset transpositis literis יְהוּ dictum. Magis forsan arriserit Ed. Pocockii conjectura, הֲבוּ, si pro Nomine habendum sit [formae שְׁכוּ 1 Sam. 19, 22.], conferri posse cum Arabico هَبَا *dispersus per aërem fumi instar*

subtilior pulvis, quo ipso nomine Saadias Deut. 32, 21. usus est ad exprimendum hebraeum הֲבָלִים *vanitates*. Tum esset asyndeton: *diligunt vanitatem, ignominiam proceres ejus*. Sed plerisque interpretibus הֵבוּ est Verbum. Nec hi tamen consentiunt. Quidam enim per aphaeresin dictum putant pro אֲהֵבוּ *amant*, ut per reduplicationem ejusdem vocis intentissimus amor, et maximum desiderium innuatur. Aliis cum Kimchio est Imperativus verbi יָהַב *dedit*, a quo Prov. 30, 15. הַב הַב *da! da!* et הָבוּ *date!* Deut. 1, 13. 32, 3., quod ipsum in uno eorum, quos De-Rossi inspexit, codice legitur. Hinc sensum statuit hunc: *principes eorum amant*, gaudent continuo clamare: *date!* afferte munera, et justas pronuntiabimus et res vestras iniquas, id quod est illis *ignominia* (קָלוֹן), perquam ignominiosum. Sed vix dubium, esse הֵבוּ Praeteritum verbi יָהַב, per aphaeresin primae radicalis (ut רַד pro יָרַד, תַּתָּ pro נָתַתָּ), ut verba ita sint explicanda: *amant dare*, praebere, *ignominiam clypei ejus*, Ephraimiticae gentis, i. e. sacerdotes et principes, quibus salus publica credita est, qui a ceteris omnem injuriam et ignominiam depellere debuerunt, eos in ignominiam conjecerunt, superstitionem videlicet longe turpissimam, vel poenas, quae huic decretae sunt. Eundem sensum expressit Chaldaeus: *expetivere ut illis ignominia contingat magnates eorum*. Nec non HIERONYMUS: *dilexerunt afferre ignominiam protectores ejus*, et in Commentario: „Principes eorum infelicem populum deceperunt, et pro Dei cultu imbuerunt eos ignominia idolorum.“ Quod vero nos אָהֲבוּ הֵבוּ vertimus *amant dare*, in eo nihil est a loquendi usu Hebraeorum alienum, qui duo verba finita solent ita conjungere, ut alterum positum sit pro Infinitivo: ut in illo 1 Sam. 2, 3. אַל־תַּרְבּוּ תְדַבְּרוּ *ne multiplicate loquamini!* i. e. ne multiplicate loqui. GESENIUS in Indice analytico Lexico manuali subjecto s. v. הֵבוּ suspicatur, Hoseam scripsisse אַהֲבְהֵבוּ (Conjug. *Ketaltal*) *amant* (dedecus principes ejus.), quod deinde separatum scriptum sit, ut חֲפֹר־פֵּרוֹת Jes. 2, 20., פְּקַח־קוֹחַ Jes. 61, 1. מָגִנֵּי־אֶרֶץ *Clypei terrae* vocantur *principes* et Ps. 47, 10., quia defensores ac protectores publicae salutis si non sunt, at esse debent.

19. צָרַר רוּחַ אוֹתָהּ בִּכְנָפֶיהָ *Ventus ligavit* s. *ligabit eam*, פָּרָה סֹרֵרָה *bovem* s. *vappam refractariam* puta (Vs. 16.), ad quam modo in fine Vs. 18. suffixum femininum in מָגִנֶּיהָ pertinebat, *in alis suis*, etiam feminine, quod רוּחַ hebraice generis communis est. Significat, Israelem rapida calamitatum vi abactum iri in peregrinas terras, quasi ventus eum suis alis involvisset. His simile exstat Jes. 57, 13. אֶת־כֻּלָּם יִשָּׂא־רוּחַ *omnes istos tollet ventus*. Vento ob celerrimum progressum et vim abripientem tribuuntur *alae* Ps. 18, 11. 104, 3. Ut OVIDIUS *Metamorphos.* 1, 264. *Emittitque Notum; madidis Notus evolat alis*. Nec obstat huic interpretationi, quod ex ea suffixum femi-

ninum ad nomen רוּחַ refertur, quod simul cum verbo masculino צָרַר jungitur. Solent enim eo modo generis communis nomina utriusque generis verbis et adjectivis jungi. Sic ipsum nostrum רוּחַ 1 Reg. 19, 11.: וְרוּחַ גְּדוֹלָה וְחָזָק מְפָרֵק הָרִים *ventusque magnus et fortis, montes perrumpens.* Et Jes. 14, 9. שְׁאוֹל jungitur verbo feminino רָגְזָה, simulque masculino עוֹרֵר. Cf. Jes. 35, 8. Job. 20, 26. et ibi not. וְיֵבֹשׁוּ מִזִּבְחוֹתָם *Tunc pudefient a sacrificiis suis*, de quibus supra Vs. 13. 14. Sperabant stulti illi adoratores, fore, ut ab idolis, quorum gratiam sibi ipsis sacrificiis promeruisse videbantur, securam agerent vitam in patriis finibus, et bonis affluentem; cum vero abripi se videant ab hostibus, erubescent, quod a ligno et lapide salutem sperarint. Chaldaeus: *adducam contra eos inimicum, et pudebunt ob aras idolorum suorum.* Observanda est in quatuor hisce Versibus Generis Numerique de eadem persona permutatio. Versu 16. comparavit vates Ephraimum *vaccae refractariae;* mox tamen in eam haec intonat: עַתָּה יִרְעֵם *nunc pascet eos*, loquens pluraliter ac masculine. Isti loquutionis varietati applicari poterit hic Versus: *ventus ligabit eam*, vaccam; *pudefient ob sacrificia sua*, quasi de masculis pluribus ei sermo esset. Id igitur ad populum referri oportere, et contextus docet, et alii V. T. loci. Similiter Jeremias 48, 13. בּוֹשׁוּ בֵית יִשְׂרָאֵל מִבֵּית אֵל מִבְטַחָם *pudorem conceperunt domus Israelis ex Bethele, cui fidebant.*

CAP. V.

Argumentum.

Hoc Caput ita in decem tribus tonat ac fulminat, ut tamen interdum duas, Judam et Benjaminem, respiciat, admoneatque, ne, si idem infortunium declinare velint, illarum mores aut studia sequantur (Vs. 5. 10. 12. 13.). Reprehendit primum sacerdotes et principes, qui sua abusi dignitate atque auctoritate, rudiorem et imperitam plebem a verae religionis cultu abducebant, atque pessimo suo exemplo sceleribus irretiebant (Vs. 1—14.). Ob tantam omnium ordinum corruptelam vates utrique regno poenas gravissimas, imo certissimum denuntiat interitum (Vs. 5. sqq.). Edita videtur haec prophetia, uti e Versu 13. colligi potest, Ahasi, regis Judae, temporibus, postquam non solum Menahem, tyrannus Israelis, Assyrio regi in clientelam sese dedisset (2 Reg. 15, 19.), sed etiam Ahasus ab Assyrio auxilium quaesivisset, 2 Reg. 16, 7. 8. Jes. 7, 17. 2 Paral. 28, 16.

1. Concionatur vates et hic adversus totum populum, sed praecipue sermonem suum ad sacerdotes et proceres dirigit, quia

hinc prima erat malorum omnium origo, quod sacerdotes, lucro intenti, Jovae cultum negligebant, procercs autem modis omnibus erant corrupti. שִׁמְעוּ זֹאת *Audite hoc*, quod dicturus sum, ut Mich. 3, 1. 9. הַכֹּהֲנִים Vos, *sacerdotes*, 4, 6. 8. 6, 9. וְהַקְשִׁיבוּ *Et attendite*, 1 Sam. 15, 22. Jes. 48, 18. בֵּית יִשְׂרָאֵל *Domus Israel*, populc decem tribuum, 1, 6. 4, 1. 12, 1. וּבֵית הַמֶּלֶךְ *Et* tu inprimis etiam, *domus regia*, s. aula, rex et principes et ministri regii, cf. Jes. 7, 2. הַאֲזִינוּ *Auscultate*, Jes. 1, 10. כִּי *Nam*, rationem reddit compellationis et requisitae attentionis. לָכֶם הַמִּשְׁפָּט *Vobis judicium*, quod aliqui ad regem proceresque referunt, atque ita exponunt: vestrum erat, facere judicium, hoc est, tenere gubernacula, ut quisque officium suum praestaret. Ita Chaldaeus: *nonne vobis* incumbit *scire justitiam?* Sed vix dubium est, quin vates his verbis citet sacerdotes et proceres ad Dei tribunal, ut illic respondeant, et sensus sit hic: ad vos pertinet judicium, vestra causa agitur. LXX: *πρὸς ὑμᾶς ἐστι τὸ κρίμα*, quod Theodoretus recte exponit: *πάντας ὑμᾶς ἐπὶ τὴν ἐμὴν ὄξω κρίσιν.* כִּי־פַח הֱיִיתֶם *Nam laqueus fuistis*, tralatio ab avibus, quae laqueis capiuntur. Hoc vult: quos in officio continere debuistis, eos in fraudem illectos a vera pietate abduxistis et ad peccandum incitastis. לַמִּצְפָּה pro nomine appellativo habuerunt LXX, qui *τῇ σκοπιᾷ* verterunt, quod sequutus Hieronymus *speculationi* transtulit, et in Commentario sic explicat: „Speculatores vos posui in populo, et in excelso dignitatis culmine constitui, ut populum regeretis errantem; vos autem facti estis laqueus, et non tam speculatores et principes, quam venatores appellandi.“ Certe *speculatoribus* comparantur prophetae et Jes. 52, 8. 62, 6. Jerem. 6, 17. Ezech. 3, 17. Sed quum mox in altero orationis membro cognato et connexo habeatur nomen proprium montis Thabor, rectius plurimi Judaeorum recentiores interpretes et Christianorum etiam nostrum מִצְפָּה proprium esse volunt, non tamen urbis de qua legimus alias saepissime, et quidem non unius, vid. Jud. 11, 11. 34. 20, 1. 3. 20, 1. 1 Sam. 7, 5. 6. 10, 17., sed tractus montani et nemorosi, coll. Jos. 11, 3. Jud. 10, 17., ubicunque is tandem situs fuerit, qui nomen מִצְפָּה, *speculae*, ferre posset, quod speculationi sive hostium, sive ferarum aptus esset. וְרֶשֶׁת פְּרוּשָׂה *Et* sicut *rete expansum*, quo aves et ferae capiuntur, 7, 12., cf. Prov. 29, 5. עַל־תָּבוֹר *Super Thabor* monte, in occidentali Galilaeae parte, vid. Jos. 19, 12. Hieronymus: „Est autem Thabor mons in Galilaea, situs in campestribus, rotundus atque sublimis, et ex omni parte finitur aequaliter, in quo aves laqueis capi solent.“ Cf. libr. nostr. *Handbuch der bibl Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 105. 108. Montes saltuosi venantibus sunt apti. Sensus est: quemadmodum solent aucupes et venatores super montes Mizpah et Thabor tendere retia sua et laqueos, ita a vobis irretitus est populus. Quia contagio totius populi provenerat a sacerdotibus

et proceribus, et rege etiam ipso, ideo propheta non abs re comparat eos laqueis, non tantum quia superstitionum erant auctores, verum etiam quia judicia perverterant et omnem aequitatem.

2. וְשַׁחֲטָה שָׂטִים הֶעְמִיקוּ *Et caedem* s. *caedes* atque *declinationes* a rectitudinis tramite, vel veri Dei cultu, *profundarunt*, i. e. maxime cumularunt, totos se istis immerserunt. Eo sensu verbum הֶעְמִיק et infra 9, 9. et Jes. 31, 6. (הֶעְמִיקוּ סָרָה *profundarunt defectionem*, i. e. magnopere desciverunt) adhibetur. Vel, si שַׁחֲטָה de *victimarum mactatione* accipiamus, *mactationes* et *declinationes* per *ἐν διὰ δυοῖν* erunt *victimae superstitiosae*, contra institutionem divinam pugnantes, et ad idololatriam declinantes, ut hoc dicat vates, illos ita addictos esse superstitionibus, ut non potuerint ad sanam mentem reduci, et praefracte contemnerent omnia consilia, omnes admonitiones. Eum sensum expressit Chaldaeus: *et victimas idolis mactant plurimas.* שָׁחֲטָה, *mactare*, Infinitivus Cal cum ה paragogico, ut אַהֲבָה *amare*, Deut. 19, 9., נַאֲבָה *lugere*, Jerem. 31, 12. Verbum frequentius quidem in V. T. de *sacrificiorum mactatione* dicitur, nec desunt tamen loca, quibus de *hominum caede* usurpatur, e. c. Jud. 12, 6. 2 Reg. 10, 7. Jer. 39, 6. 41, 7. 52, 10. שַׁחֲטָה שָׂטִים ut asyndeton capio (saepe enim duo nomina ejusdem speciei cumulative juncta, eosdem qui hic exstant accentus, Merca, Tiphcha, et Athnach, habent, sive intercedat conjunctio, ut Gen. 5, 2. Jerem. 23, 11., sive non, Jes. 14, 7.). שָׂטִים praeter hunc locum semel tantum, Ps. 101, 3., legitur, sed cum Samech scriptum, סָטִים, quomodo et nostro loco partem librorum olim habuisse, testis est Drusius. Illo vero Psalmorum loco non dubium, quin סָטִים sit substantive capiendum, denotetque *declinationes*, i. e. peccata, crimina. וַאֲנִי מוּסָר לְכֻלָּם *Et ego*, Jova, *castigatio* ero *illis omnibus*, id est, ut Chaldaeus recte: *sed ego adducam castigationes eis omnibus.* Ultorem se fore Israelitis Jova minatur, quod adeo pervicaciter sequantur pravas superstitiones. Sunt, qui verba hebraea ita accipiant: *quamvis ego fui eis omnibus correctio*, ut crimen Israelitarum augeatur, quos Deus per suos prophetas non destiterit ad sanam mentem revocare, q. d. non est quod excusent se lapsos errore et ignorantia, sed fuit pervicax obstinatio in illis, quia non cessavi rectam viam eis monstrare per prophetas. Nos in simpliciori Chaldaei interpretatione acquiescimus.

3. אֲנִי יָדַעְתִּי אֶפְרַיִם *Ego novi Ephraimum*, i. e., explicante Chaldaeo, *coram me revelata sunt facta domus Ephraim.* וְיִשְׂרָאֵל לֹא־נִכְחַד מִמֶּנִּי *Et Israel*, i. e. crimina Israelitarum, *non est absconditum a me* (Ps. 69, 6.), cf. infra 8, 13. כִּי עַתָּה הָזְנִיתָ אֶפְרַיִם *Nunc enim scortari* ceteros *fecisti* (cf. ad 4, 10. 18.), *o Ephraim*, auctor fuisti aliis deficiendi a cultu Jovae;

e tribu Ephraim enim ortus erat Jeroboam, primus Israelitarum rex, qui superstitiosum cultum introduxit. נִטְמָא יִשְׂרָאֵל *Pollutus est Israel*, cf. infra 6, 10. HIERONYMUS: „*Ego*, inquit, *scio Ephraim*, id est, Jeroboam, a quo seductus est populus, et omnes reges, qui eum dignitate et scelere sunt sequuti, *et Israel non est absconditus a me*, id est, decem tribus, quia fornicante rege contaminatus est Israel. Rex primo coepit a Dei cultu fornicari, vitulos aureos cupiens adorare, et volens sequutus est populus, paremque impietatem pari studio compleverunt."

4. לֹא יִתְּנוּ מַעַלְלֵיהֶם לָשׁוּב אֶל־אֱלֹהֵיהֶם *Non dant opera sua*, non in hoc ponunt studia sua, *ut revertantur ad Deum suum.* Simili modo verbum נָתַן usurpatur Coh. 1, 13. וְנָתַתִּי אֶת־לִבִּי לִדְרוֹשׁ *dedi*, adhibui, *animum meum ad quaerendum* sapientiam. Et 1 Paral. 22, 19. עַתָּה תְּנוּ לְבַבְכֶם וְנַפְשְׁכֶם לִדְרוֹשׁ לַיהוָה *nunc date*, adhibete, *cor vestrum atque animum vestrum ad quaerendum Jovam, Deum vestrum.* Cf. locum parallelum infra 7, 10. LXX: *οὐκ ἔδωκαν τὰ διαβούλια αὐτῶν τοῦ ἐπιστρέψαι πρὸς τὸν Θεὸν αὐτῶν.* Vulgatus: *non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum.* כִּי רוּחַ זְנוּנִים בְּקִרְבָּם *Nam spiritus scortationis in medio eorum*, i. e. interprete Chaldaeo, *nam spiritus erroris*, s. *ididolatriae intra eos.* Idem interpres hujus Versus verba postrema, וְאֶת־יְהוָה לֹא יָדָעוּ *et Jovam non cognoscunt*, recte sic explicat: *et institutionem a Domino non quaerunt.*

5. Prius hemistichium, וְעָנָה גְאוֹן־יִשְׂרָאֵל בְּפָנָיו recentiores interpretes fere reddunt: *respondet*, i. e. testatur, sive, ut alii, de poena, in futuro: *testabitur elatio*, fastus, *Israelis in faciem ejus*, collata simili sententia Jes. 3, 9. הַכָּרַת פְּנֵיהֶם עָנְתָה בָּם *nota vultus eorum testatur contra eos.* Jerem. 14, 7. אִם־עֲוֹנֵינוּ עָנוּ בָנוּ *si peccata nostra contra nos testantur.* Ita nostrum locum interpretatus HIERONYMUS: *et respondebit arrogantia Israel in facie ejus.* „Verbum *Gaon* [גָּאוֹן]," addit in Commentario, „Septuaginta et Symmachus interpretantur *injuriam*, Aquila et Theodotion *superbiam.* Quicquid igitur fecit Israel, vel superbe agens contra Dominum, vel in injuriam creatoris idola venerans, respondebit in facie ejus, ut non abeat impunitus." Sed reliqui veteres consentiunt in eo, quod verbum עָנָה *humilis, depressus fuit* interpretantur, quem significatum sane haud raro obtinet, veluti Ps. 116, 10. עָנִיתִי מְאֹד *depressus sum*, affligor, *vehementer;* cf. ibid. Vs. 67. Jes. 31, 4. Zach. 10, 2. 4. Coh 1, 13. 3, 10. Hinc LXX h. l.: *καὶ ταπεινωθήσεται ἡ ὕβρις τοῦ Ἰσραὴλ εἰς πρόσωπον αὐτοῦ.* Syrus: *et humiliabitur fastus Israelis coram ipso.* Chaldaeus: *deprimetur gloria Israelis ipsis spectantibus*, i. e. adhuc in patria terra exsistentibus. Quem sensum non dubito alteri praeferendum esse. גָּאוֹן h. l. *fastum* notat, ut Jes. 16, 6. Prov. 16, 18. וְיִשְׂרָאֵל וְאֶפְרַיִם יִכָּשְׁלוּ בַּעֲוֹנָם *Ideo Israel*

et inprimis *Ephraim* (Vs. 3. 9.) *corruent*, in calamitates incident (ut Jerem. 6, 15. 8, 12.), *per* s. *ob impietatem suam.* HIERONYMUS: „Populus [יִשְׂרָאֵל] et reges [אֶפְרַיִם] in iniquitate sua pariter corruent, sive infirmabuntur, ut qui sortes erant in scelere infirmi ad Dominum redire cogantur.“ כָּשַׁל גַּם־יְהוּדָה עִמָּם *Corruet etiam Juda cum illis*, Israele et Ephraimo, quia cum illis peccavit, 4, 15. 2 Reg. 16, 3 2 Paral. 28, 2. HIERONYMUS: „Et hoc non solum eveniet Israeli et Ephraim, id est, decem tribubus et regibus earum, ut ducantur in captivitatem; sed etiam Judas, id est, duae tribus, quae regnabant in Jerusalem, sequentur vestigia captivorum, ut quorum imitantur scelera, imitentur et poenam.“

6. בְּצֹאנָם וּבְבְקָרָם יֵלְכוּ לְבַקֵּשׁ אֶת־יְהוָה Etiamsi *cum ovibus suis, et cum bovibus suis*, i. e. cum oblationibus suis, ut recte Jarchi, *eant ad quaerendum Jovam* Verba לְבַקֵּשׁ אֶת־יְהוָה Chaldaeus reddit: *ad quaerendum institutionem a Domino*, quomodo idem interpres eandem phrasin expressit Zach. 8, 21. et Onkelos Exod. 33, 7. Cf. 2 Paral. 11, 16. 20, 4. וְלֹא יִמְצָאוּ *Non* tamen *invenient* eum, i. e. non impetrabunt poenae remissionem, non gratiam et auxilium Jovae, sed punire eos perget usque ad ruinam eorum. חָלַץ מֵהֶם *Subtraxit se ab iis*, collato Arabico خَلَصَ *salvus evasit, progressus est.* A. Schultens ad *Haririi Consess.* I. p. 34. et in *Clavi Dialector.* p. 290. confert Arabicum خلع *exuit, extraxit*, atque formulam in Achmedis Arabschah Historia Timuri obviam, خَلَعَ مِنَ ٱلْمُلْكِ يَدَهُ *exuit ex imperio manum suam*, i. e. imperium renunciavit. Ita et nostra hebraea formula indicari observat repudiationem feminae, qua penitus exuatur omnis ejus cura. LXX: *ὅτι ἐξέκλινεν ἀπ' αὐτῶν.* Syrus: *quoniam separavit se ab eis.* Eadem sententia Mich. 3, 4. Prov. 1, 28. Chaldaeus: *subduxit se praesentiae meae symbolum ab iis.* HIERONYMUS: „Non solum Israel et Ephraim ibunt cum gregibus et armentis ad Dominum requirendum, sed etiam Judas, de quo supra scriptum est: *ruet etiam Judas cum eis*, hoc habentes omnes certamen, ut quem praevaricationibus offenderant, hostiis placare nitantur; et non invenient quem requirunt, quia a recedentibus et ipse discessit.“

7. בַּיהוָה בָּגָדוּ *In Jova perfide egerunt*, violata fide conjugii allegorici, quod cum eo contraxerant (cf. 1, 2. 2, 4. 7. 21.), de cujus violatione verbum בָּגַד et usurpatur Jerem. 3, 20.: אָכֵן בָּגְדָה אִשָּׁה מֵרֵעָהּ כֵּן בְּגַדְתֶּם בִּי *profecto sicut perfide agit uxor ab amico suo* desciscens, *ita perfide agitis in me*, vos, *domus Israelis*, *ait Jova.* Quo pertinet, quod nostro loco additur: כִּי־בָנִים זָרִים יָלָדוּ *nam filios alienos pepererunt*, i. e. spurios, בְּנֵי זְנוּנִים, uti supra 2, 6. vocantur, degeneres, alienos a fide

et moribus Israelis. Cf. Jes. 57, 3. Non tantum patres pessimi idololatrae sunt, sed filios etiam suos ita corruperunt, ut meliora de iis sperari non potuerint. עַתָּה יֹאכְלֵם חֹדֶשׁ אֶת־חֶלְקֵיהֶם *Nunc igitur comedet*, consumet *eos novilunium*, s. *mensis*, videlicet *sortes*, possessiones *eorum* (ita חֵלֶק Jer. 10, 16. Ps. 50, 18. Thren. 3, 24.), i. e. vel, post menstruum tempus, i. e. brevissimum, perituri sunt cum suis facultatibus, vel, per singulos menses devorabit eos hostis agrosque eorum. Ita Chaldaeus: *nunc adducam contra eos populos per singulos menses, et diripient fructus terrae eorum.* Hieronymus: „Quia igitur hoc fecerunt, non multo post tempore, non annorum spatiis infinitis, et ut solitus eram prius longe post futura praedicere; sed nunc et inpraesentiarum adveniet Assyrius atque Chaldaeus, et devorabunt eos cum partibus, sive cleris suis, id est, cum possessionibus, quas in divisione terrae ad mensuram funiculi susceperunt. — Legamus Regum et Paralipomenon libros: et inveniemus sub rege Phacee, qui regnabat decem tribubus, venisse Tiglathphalasar, regem Assyriorum, et magnam partem populi Samariae in Assyrios transtulisse, quo tempore apud Graecos secundus annus primae Olympiadis fuit, et apud Latinos, nec dum Roma condita, Albae vicesimo anno Amulius imperabat, quem postea Romulus regno pepulit" Inter recentiores interpretes sunt, qui חֹדֶשׁ h. l. pro *novilunio* capiant (cf. Num. 28, 11. 14.) et id pro omnibus omnino festis, ut Jes. 1, 13. 14. Jer. 2, 24. supra 2, 13. Amos. 5, 21. dictum velint, ut sensus sit: tantum abest, ut festa eorum, in quibus sacrificabant, Jovam ipsis propitium reddant, ut potius ipsos cum suis possessionibus consumtura sint.

8. Interpretum haud pauci, ut Abarbenel, Michaelis, Dathe, Manger, hoc Versu novum sermonem inchoandum existimant. Verum ut in iis qui praecesserunt Versibus, ita et in his qui sequuntur, vates pergit utramque, Israeliticam et Judaicam, rempublicam castigare et poenas denunciare. Hieronymus etsi hic secundum Commentariorum in nostrum prophetam librum incipiat, in ipsa interpretatione tamen quae sequuntur cum superioribus conjungit. Hypotyposi eleganti hostis jam imminens sistitur, cujus adventus buccinarum et tubarum sonitu Ephraimitis et Benjaminitis denunciatur. תִּקְעוּ שׁוֹפָר *Clangite buccina*, cf. Jerem. 4, 5. 6, 1. Joel 2, 1. בַּגִּבְעָה *In Gibea* urbe, vid. not. ad Jud. 19, 12. חֲצֹצְרָה בָּרָמָה *Tubâ* sc. clangite *in Rama* urbe, Jud. 19, 13. Hieronymus: „*Clangite buccina in Gabaa*, cujus etymologiam in *colles* Septuaginta transtulerunt, *et tuba in Rama*, quae interpretatur *excelsa;* istae autem duae sunt in tribu Benjamin vicinae sibi mutuo civitates, id est, Gabaa, in qua natus est Saul, et Rama, quae est juxta Gabaa, in septimo lapide a Jerosolymis sita, et quam rex Israel occupare conatus est, ut exitum et introitum clauderet tribui Judae. In Gabaa itaque et in Rama

clara buccina et tuba personate, quorum *buccina* pastoralis est, et cornu recurvo efficitur, unde et proprie Hebraice *Sophar*, Graece κρατίνη appellatur. *Tuba* autem (חֲצֹצְרָה) de aere efficitur, vel argento, qua in bellis et solennitatibus concrepabant." הָרִיעוּ בֵּית אָוֶן *Vociferamini Bethavene*, vid. supra 4, 15. אַחֲרֶיךָ בִּנְיָמִין *Post te, o Benjamin*, scil. imminet hostis; jam enim subegit sibi terram Ephraim. HIERONYMUS: „Pulchre dixit, quod Bethaven post tergum sit Benjamin; ubi enim tribus sinitur Benjamin, haud procul in tribu Ephraim haec urbs condita est."

9. אֶפְרַיִם לְשַׁמָּה תִּהְיֶה בְּיוֹם תּוֹכָחָה *Ephraim in desolationem erit die correptionis*, vastatio ei obtinget, quando Jova suam in Ephraimum castigationem exsequetur. Verbum femininum תִּהְיֶה jungitur nomini אֶפְרַיִם, nomina enim populorum *feminina* esse solent, quando ut mulieres introducuntur; cf. supra 2, 21. Alii תִּהְיֶה pro secunda persona habent: *Nam tu*, o Ephraim, in desolationem *eris*. בְּשִׁבְטֵי יִשְׂרָאֵל הוֹדַעְתִּי נֶאֱמָנָה *In tribubus Israelis indicavi firmam, certam* futuram correptionem s. poenam, certo super illos, Judaeos (Vs. 5. 8.) et Israelitas venturam; cf. Deut. 28, 59.

10. הָיוּ שָׂרֵי יְהוּדָה כַּמַּסִּיגֵי גְּבוּל *Fuerunt* enim et adhuc sunt (ita Praeteritum et supra 2, 7. 4, 18.) *principes Judae*, qui malitiam populi coercere debebant, profusi in omnia scelera atque peccata, *sicut illi, qui terminos movent*, Deut. 19, 14. 27, 27. Prov. 22, 28., dum et leges divinas impudentissime violant (cf. Ps. 11, 3. כִּי הַשָּׁתוֹת יֶהֱרָסוּן *nam fundamenta destruuntur, quid faciet pius?*), et bona civium vi ac fraudibus ad se rapiunt. *Transferre terminum* proverbiali sermone dictum videtur de illis, qui leges majorum, quibus homines in officio continentur, temere immutant. GROTIUS: „Transit saepe ab hoc regno in illud, ut utriusque peccata ostendat, et poenas praenuntiet. Terminos ab hominibus constitutos movere crimen grave (Deut. 19, 14.), quantum ergo constitutos a Deo terminos, id est, legem? quod fecere principes Judae, ut Abasus, 2 Reg. 16, 10. seqq." Vix dubium, exprimi isto simili effrenem peccandi libidinem, nullum amplius modum, nullam verecundiam observantem. עֲלֵיהֶם אֶשְׁפּוֹךְ Ideo *super eos*, principes, *effundam*, Ps. 69, 25. Thren. 4, 11. כַּמַּיִם *Sicut aquas*, quae ultra ripas aut littora effusae nullis terminis se contineri patiuntur, Jes. 8, 7. Jer. 14, 16. עֶבְרָתִי *Furorem meum*, supplicia, Jes. 9, 18. 10, 6.

11. עָשׁוּק אֶפְרַיִם *Oppressus est Ephraim* ab hostibus, gentibus barbaris. רְצוּץ מִשְׁפָּט *Contritus*, fractus (Jes. 58, 6., velut arundo, Jes. 42, 3.) *judicii*, i. e. justo meo judicio, cf. Ezech. 22, 29. Genitivus est efficientis, ut מֻכֵּה אֱלֹהִים *a Deo percussus*, Jes. 53, 4. Verba עָשַׁק et רָצַץ ad oppressionem significandam junguntur quoque Deut. 28, 33. 1 Sam. 12, 3. 4. Jerem.

22, 17. Amos. 4, 1. כִּי הוֹאִיל *Nam voluit*, s. *proposuit sibi*, Gen. 18, 27. 1 Sam. 12, 22. הָלַךְ Et *ivit*, i. e. ire voluit, sectari ci placuit, asyndeton emphaticum, ut 1, 2. 3, 1. אַחֲרֵי־צָו *Post praeceptum* (ita nomen צַו et Jes. 28, 10. 13.) subaudiunt plures: non *meum*, sed *suum*, quodcunque scilicet reges cum comitiis populi, vel populo consentiente fecerunt, quo pertinet mandatum Jeroboami de vitulis (1 Reg. 12, 18.), et Achabi de Baal colendis, 1 Reg. 16, 32. Mallem cum R. Tanchum verba ita capere: *propterea quod consulto pergit in via mala procedere post mandatum Dei ei* injunctum de via mala, idolorum cultu, non persequenda. הוֹאִיל et Abu-Walid ait denotare *procedere in re aliqua et in ea persistere.* Sunt, qui צָו pro שָׁוְא *vanitas* (quod Job. 15, 31. שָׁו scribitur), positum capiant, ut Livelejus, qui plura commutationis literarum dentalium זסצש exempla attulit, v. c. צָחַק et שָׂחַק *risit*, עָלַץ et עָלַס *exultavit*, ejusdem sunt significationis.

12. וַאֲנִי כָעָשׁ לְאֶפְרַיִם *Et ego sicut tinea Ephraimo* ero, Ps. 39, 12. Job. 4, 19., cf. Bochartı *Hieroz.* P. II. L. IV. C. 25. T. III. p. 513. sqq. edit. Lips., qui lenta Dei judicia comparari ait cum vitio, quod a tinea vesti accidit, sensim enim id inolescit, ita ut, quod prius solidum atque integrum videbatur, tandem tacito morsu conficiatur atque exedatur. וְכָרָקָב לְבֵית יְהוּדָה *Et sicut putredo*, s. caries (Prov. 12, 4. Job. 13, 28.), quae lignum morsu tacito ac lento corrodit et perdit, *domui Judae.*

13. וַיַּרְא אֶפְרַיִם אֶת־חָלְיוֹ *Quumque animadverteret Ephraim morbum suum*, i. e. suae reipublicae statum corruptum, atque ad exitium praecipitem, qui et Jes. 1, 5. cum morbo comparatur. וִיהוּדָה אֶת־מְזֹרוֹ *Et Juda purulentum suum vulnus*, tale enim purulentum ulcus, cujus saniem exprimunt (יָזוּרוּ) medici, et hoc modo curare solent (cf. Jes. 1, 6.), nomine מָזוֹר indicari, suadet nexus cum nomine חָלְיוֹ, comparationis ratio, et veterum interpretum auctoritas. Nam LXX verterunt *τὴν ὀδύνην αὐτοῦ.* Chaldaeus *dolorem suum*, cum quo consonat Syrus. וַיֵּלֶךְ אֶפְרַיִם אֶל־אַשּׁוּר *Ivit Ephraim* ad auxilium quaerendum non ad Jovam, *percussorem suum* (Jes. 9, 13.), cujus opem quaerere debuerant, sed *ad Assyriam*, quod ipsum vates eis iterum iterumque exprobrat, vid. 7, 11. 8, 9. 12, 2., et ob eam caussam minatur, Assyrium fore regem illorum, 11, 5., ipsosque comesuros res immundas in terra Assyriae, 9, 3. Assyrii regis auxilium primus petiit Menahemus, qui, ut in regno confirmaretur, Phuli mille talenta argenti dedit, 2 Reg. 15, 19., tum Hoseas, Elae filius, qui ut cliens fiduciarius se Assyrio subjecit, deinde vero in eum rebellavit, 2 Reg. 17, 3. 4. וַיִּשְׁלַח *Misitque* etiam Juda *πρέσβεις, legatos*, uti additum a LXX, אֶל־מֶלֶךְ יָרֵב *ad regem Jareb*, quod nomen et infra 10, 6. obvium: alii, ut Aben-Esra, ut

nomen proprium urbis Assyriacae, nusquam alias tamen commemoratae, alii regis alicujus existimant. Sed tum requireretur הַמֶּלֶךְ יָרֵב, quemadmodum dicitur הַמֶּלֶךְ דָּוִד 2 Sam 6, 16. 7, 18, הַמֶּלֶךְ שְׁלֹמֹה 1 Reg. 1. et 2. et 4, 1. dicitur, הַמֶּלֶךְ אָחָז 2 Reg. 16, 1., item הַמֶּלֶךְ חִזְקִיָּהוּ 2 Reg. 18, 17. Sumimus eum pluribus melioris notae interpretibus pro futuro verbi רוּב *litigare, adversari*, ante quod subaudiendum אֲשֶׁר (ut mox Vs. 14.), ut sit: *ad regem* qui *litem intendet*, sive *maligne adversabitur*. Vel potest desumi a verbo illo ut nomen derivatum יָרֵב, *adversa pars in lite, adversarius*, prout et nomen est יָרִיב, cujus pluralis, יְרִיבַי *adversarii mei*, exstat Ps. 35, 1. Hinc Chaldaeus: *et miserunt ad regem, qui veniet, ut animadvertat in eos.* Confer, quae mox ex Hieronymo adferemus. Eo nomine vix dubium significari regem Assyrium, cujus auxilium Ahasus adversus Israelitas implorabat, 2 Reg. 16, 7. 8. Jes. 7, 17. Neque enim ad Israelem sive Ephraimum referenda sunt verba וַיִּשְׁלַח וַיֵּלֶךְ יָרֵב אֶל־מֶלֶךְ, sed ad Judam; nam quemadmodum verba וַיַּרְא אֶפְרַיִם אֶל־אַשּׁוּר respondent illis, nostri Versus initio, וְיהוּדָה אֶת־מְזוּרוֹ אֶפְרַיִם אֶת־חֳלְיוֹ respondent haec: וַיִּשְׁלַח אֶל־מֶלֶךְ יָרֵב. Hieronymus: „Ubi Septuaginta posuerunt *Jarib*, nos juxta Symmachum *ultorem* (ἔκδικον, vel ἐκδικητὴν) vertimus; nam Aquila et Theodotion *judicem* interpretati sunt. Quod autem *Jarib ultorem* significet et *judicem*, nomen Gedeonis ostendit, quem quum cultores Baal expeterent ad supplicium, eo quod lucum Baal arasque evertisset, respondit pater, *ulciscatur se Baal*, aut *judicet eum Baal*, et appellatus est, inquit, *Jerobbaal* (יְרֻבַּעַל, Jud. 6, 32.), id est, *ulciscatur se Baal.* Intelligens itaque Ephraim infirmitatem suam, et Judas vinculum suum, quo cum decem tribubus peccato fuerat colligatus; non a Deo, qui solvere poterat, sed a rege Assyriorum quaesivit auxilium. Legimus (2 Reg. 15.), quod sub rege Menahem, qui decem tribubus praefuit, Israel Assyriis dona transmiserit; et Judas sub rege Achaz praesidium flagitarit Teglathphalasar regis Assyriorum, qui eos adversante Deo liberare non potuerunt, nec captivitatis vinculum solvere.“ וְהוּא *At ille*, rex Assyriae, quem non diversum esse a מֶלֶךְ יָרֵב tam ex hoc ipso, quod de utroque pronomen singularis numeri hic usurpatur, quam e loco infra 10, 6. apparet. לֹא יוּכַל לִרְפֹּא לָכֶם *Non poterit sanare vos*, reipublicae vestrae opitulari. Cf. 6, 11. 7, 1. Jes. 6, 10. Eadem imagine usus Cicero *Epist. ad Attic.* 2, 1. *Si omnes, ut aequum erat, faverent, tamen non minus esset probanda medicina, quae sanaret vitiosas partes reipublicae, quam quae exsecaret.* וְלֹא־יִגְהֶה מִכֶּם מָזוֹר *Nec recedet* per illum *a vobis*, Judaeis, *foedum vulnus*, non medebitur vobis. Verbum גָּהָה ἅπαξ λεγόμενον convenit cum Aramaico גְּהָא. Cf. גֵּהָה *remotio* scil. ligaturae, sanatio, Prov. 17, 22. Recte LXX: οὐ μὴ διαπαύσῃ (intransitive *recedit*) ἐξ ὑμῶν ὀδύνη.

14. Cur Assyrius atque aliquis alius auxiliator vulneri salutarem adhibere medicinam non possit, ea ratio est, quia plaga illa non tam est inflicta ab humana, quam a divina manu, atque ideo ab uno tantum Deo obligari atque sanari potest. כִּי אָנֹכִי כַּשַּׁחַל לְאֶפְרַיִם *Nam ego instar leonis* ero *Ephraimo.* De nomine שַׁחַל, quod et infra 13, 7. Ps. 91, 13. et locis quatuor aliis indubie est leonis nomen, pluribus egit Bochartus *Hieroz.* P. I. L. III. C. 1. T. II. p. 8. edit. Lips., *nigrumque* illo leonem proprie designari evincere studuit. Alii *rugientem* notari putant, coll. Job. 4, 10. כְּפִיר *Leunculus*, λεόντισκος, uti patet ex Ezech. 19, 2. 3. Cf. Bochartum l. c. p. 4. Haud infrequens Hebraeis, Deum severius castigantem, et in impios atrocius animadvertentem, proponere ut leonem, qui e lustro suo prodiens obvios discerpit et dilacerat, nemine obsistente. Vid. Jes. 31, 4. 38, 13. Jerem. 25, 37. 38. Thren. 3, 20. Job. 10, 16., infra 13, 7. 8. אֲנִי אֲנִי *Ego, ego*, inquam, omnipotens Deus; eadem ejusdem pronominis emphatica repetitio Jes. 43, 25. אֶטְרֹף וְאֵלֵךְ *Rapiam*, s. *lacerabo* (6, 1.), Chaldaeus: אֶקְטוֹל *occidam, et abibo.* אֶשָּׂא *Tollam*, auferam, scil. praedam, ut 1 Sam. 17, 34. *Venit leo cum urso* וְנָשָׂה שֶׂה *sustulitque ovem de grege.* וְאֵין מַצִּיל *Et nemo erit, qui eripiat*, Deut. 32, 37. Mich. 5, 7. Ps. 7, 3. 50, 22. supra 2, 12.

15. אֵלֵךְ אָשׁוּבָה אֶל־מְקוֹמִי *Abibo redibo ad locum meum*, quod Chaldaeus sic exponit: *auferam praesentiae meae symbolum, revertar in habitaculum sanctitatis meae, quod est in coelis*, cf. supra Vs. 6. Ezech. 11, 23. *Locus* Deo hic tribuitur tropo a leone sumto, quasi dicat: sicut leo revertitur post rapinam in locum, s. lustrum suum, nec relictum amplius curat, sic ego quoque revertar in locum meum, i. e. non amplius curabo, Judam et Ephraimum. עַד אֲשֶׁר־יֶאְשְׁמוּ *Donec reos se agnoscant.* Chaldaeus: *donec agnoscant se peccasse.* אָשַׁם *Reum se declaravit*, agnovit, Levit. 4, 13. 5, 5. Verba, quae fieri, esse, vel agere significant, interdum pro rei cognitione dicuntur. Vid. Glassii *Philolog. S.* p. 225. edit. Dath. וּבְקַשׁוּ פָנַי *Et quaerant faciem meam*, i. e. auxilium a me implorent, non ab exteris regibus. *Quaerere faciem alicujus* est aliquem deprecari, ut propitio vultu respiciat, cf. Ps. 27, 8. בַּצַּר לָהֶם *In angustia* quae *eis* est, cf. Deut. 4, 30. יְשַׁחֲרֻנְנִי *Mane*, i. e. sedulo et anxie *me requirent*, prout solent qui diligenter negotium expedituri sub ipso aurorae crepusculo ad opus se accingunt. Cf. Ps. 63, 2. Jes. 26, 9. Job. 8, 5. יְשַׁחֲרֻנְנִי poetice positum est cum Nun paragogico pro יְשַׁחֲרוּ אֵלַי, ita ut suffixum, omissa particula, immediate verbo sit junctum, ut Ps. 5, 5. יָגוּר עִמְּךָ pro יָגוּר *tecum commorabitur.* Sequuntur Versu primo proximi Capitis verba mutuo sese cohortantium Israelitarum, ut Jovae auxilium implorent.

CAP. VI.

Argumentum.

Docet primum, quodnam consilium capturi sint Israelitae, tribulationum stimulis compuncti, et quomodo ad bene sperandum excitent mocrentem animum (Vs. 1 — 3.). Carpit deinde graviter illorum inconstantiam ac levitatem animi, quum ipsis tam sit misericordia momentanea, et sibi in externa atque fucata sanctitate magnopere placeant, quum tamen procul absint a legis observantia et misericordia, qua nullum est magis acceptum holocaustum (Vs. 4 — 7.). Reprehendit deinde Gileadem, quia consilio plane scelerato, ut alios a templo veraeque religionis cultu prohiberet, cum sacerdotibus conspiravit (Vs. 8 — 10.). Ad extremum duabus tribubus eorundem criminum contagionem objectat (Vs. 11.).

1. Arctissime hic Versus cum superioris Capitis Versu postremo cohaeret. Loquentes inducuntur Israelitae, ut ad meliorem frugem revertantur sese invicem cohortantes. Subaudiendum igitur לֵאמֹר, quod veteres omnes expresserunt. לְכוּ וְנָשׁוּבָה אֶל־יְהוָה *Ite*, agite, *revertamur ad Jovam*, poenitentes, cf. supra 3, 5. Thren. 3, 40. 5, 21. et similem Imperativi verbi הָלַךְ constructionem Gen. 37, 20. 27. Jes. 2, 3. Ps. 95, 1. כִּי הוּא טָרָף *Nam ille rapuit*, s. *discerpsit*, laniavit, sauciavit, ut leo unguibus, cf. 5, 14. וְיִרְפָּאֵנוּ Idemque, non Assyrius, aut alius quisquam (5, 13.) *sanabit nos*, ut medicus noster, Exod. 15, 26. Locus plane similis Deut. 32, 39. Cf. et infra 7, 1. 14, 5. נָךְ *Percussit* nos, subaudiendum Vau conversivum, ut infra 8, 12. וְיַחְבְּשֵׁנוּ Ipseque, instar chirurgi, *obligabit nos*, vulnera nostra, Jes. 1, 6. Job. 5, 18. HIERONYMUS: *curabit nos*, et in Commentario: „Pro eo quod diximus *curabit*, omnes similiter transtulerunt *μοτώσει*: proprie autem *μότα* appellantur *linteola*, quae inseruntur vulneribus, ut putridas carnes comedant, et extrahant purulentias; artisque medicorum est grandia vulnera longo sanare tempore, et per dolorem reddere sanitatem.“ Chaldaeus: *et qui cladem nobis induxit, refocillabit nos.* Sensus: qui calamitate nos affecit, Jova, idem ille et restaurabit nostram felicitatem.

2. יְחַיֵּינוּ *Vivificabit nos*, valetudinem, novam quasi vitam nobis reddet, i. e. a miseriis nos liberabit, felices nos reddet, cf. Ps. 41, 3. מִיָּמִים *Post dies* LXX recte verterunt *μετὰ δύο ἡμέρας*, *post biduum*, sequitur enim בַּיּוֹם הַשְּׁלִישִׁי *die tertio*, i. e. post paucos dies, s. intra breve tempus; binarius numerus in V. T. passim *paucitatem* indicat, vid. 1 Reg. 17, 12. Jes. 7, 21. 17, 6. Jer. 3, 14. NOLDIUS Not. 1555. ad *Concordant. Particular.* ad nostrum locum vere haec observat: „*Post biduum* et *die tertio* Ebraismus est pro *deinceps*, vel *posthac*. Nam solatur se po-

pulus, qui hic exsul introducitur, quod *brevi* evasurus sit ex suis miseriis. Ita *σήμερον καὶ αὔριον καὶ τῇ τρίτῃ*, seu *τῇ ἐχομένῃ*, *hodie*, *cras* et *perendie*, pro *posthac*, seu *aliquamdiu*, Luc. 13, 32. 33. וְיָקִימֵנוּ *Eriget*, suscitabit *nos*, qui quasi mortui jam sumus. Felicitatis restitutio imagine resurrectionis proponitur, ut Jes. 26, 19. Ezech. 37, 1—10., ad quem loc. vid. not. וְנִחְיֶה לְפָנָיו *Ut vivamus*, felices simus *coram ipso*, sub praesidio et tutela Jovae, ad nos redituri, qui antea a nobis recesserat, 5, 15. Cf. Gen. 17, 18. Chaldaeus hunc Versum ita exponit: *Vita donabit nos in diebus consolationis, qui venturi sunt; in die resurrectionis mortuorum suscitabit nos, ut coram eo vivamus.*

3. וְנֵדְעָה *Agnoscamus* igitur hoc; connectendus hic Versus cum antecedentibus, ut in eo sit cohortatio poenitentium ad se invicem, sicut Vs. 1. נִרְדְּפָה לָדַעַת אֶת־יְהוָה *Persequamur cognoscere Deum*, praeceptis ejus cognoscendis sedulo operam dabimus; ita רָדַף usurpatur et Deut. 16, 20. Jes. 51, 1. Ps. 34, 15. Prov. 21, 21., et *διώκειν* 1 Thess. 5, 15. כְּשַׁחַר נָכוֹן מוֹצָאוֹ Tunc *sicut aurora firma*, i. e. clarissima, lucidissima in *exitu*, ortu *suo*, i. e. quemadmodum post noctem tenebricosam aurorae lux omnia collustrat, ita post calamitatum tempestates procedet, apparebit Jova, nosque oppressos laetitia afficiet. נָכוֹן de aurorae jam maturae clara luce dicitur, ut Prov. 4, 18 de luce meridiana: *Piorum via* est sicut *lux splendoris* matutini, *pergens ac lucens* עַד־נָכוֹן הַיּוֹם *usque ad firmum*, s. firmitudinem *diei*, usque ad perfectam diem. Ante מוֹצָאוֹ subaudiendum praefixum בְּ. Ita Chaldaeus: *instar lucis aurorae quae ornat in exitu suo.* Alii, non subaudito בְּ, sic reddunt: *aurorae instar firmus*, clarus erit *exitus ejus.* וַיָּבֹא כַגֶּשֶׁם לָנוּ *Venietque nobis ut pluvia* valida et larga, qualis post jactam sementem autumno et hibernis mensibus cadere solet, nam hyemi tribuitur Cantic. 2, 11. LXX: *ὑετὸς πρώϊμος.* Hebraeorum enim annus septimo mense, nostro circiter Octobri, incipit, atque hinc illa pluvia in anno prima est. Chaldaeus: *advenient nobis beneficia sicut pluvia invalescens.* Huic opponitur מַלְקוֹשׁ, *pluvia serotina*, verna, quae messem proxime anteccdebat, eamque promovebat. LXX: *ὄψιμος.* Cf. not. ad Deut. 11, 14. יוֹרֶה אָרֶץ Quae *jaculatur* versus *terram*, eamque foecundam reddit. Futurum Hiphil, ut 10, 12.

4. Postquam denunciasset vates Israelitis et Judaeis, recessurum Deum Hierosolymis, et eos sibi ipsis relicturum, usque dum confiterentur se reos, ejusque praeceptis studerent (5, 15.), mutuoque sese cohortarentur ad resipiscentiam ejusmodi verbis, qualia Vss. 1 – 3. leguntur; nunc redit ad abruptam redargutionem. Loquens introducitur Deus, qui Israelitis aeque atque Judaeis, quum nullis admonitionibus se commoveri patiantur ut in rectam viam redeant, et sincerae pietatis studiosi sint, gravissi-

mam certissimamque poenam minatur. מָה אֶעֱשֶׂה־לְּךָ אֶפְרַיִם וגו׳ *Quid faciam tibi, Ephraim? quid faciam tibi, Juda?* quae mihi jam ingredienda est via, qua vos in rectam tramitem reducere possim? omnis labor in vobis emendandis adhuc irritus fuit. וַחַסְדְּכֶם כַּעֲנַן־בֹּקֶר *Nam pietas vestra* tam fluxa et evanida erat *sicut nubes diluculi*, quae vix nata a sole dispergitur; eadem similitudine res cito transiens sistitur Jes. 44, 22. Job. 7, 9. Judae Vs. 12. וְכַטַּל מַשְׁכִּים *Aut sicut ros matutinus*, ut infra 13, 3. Alius enim mane pluit, alius ipsa nocte, quem *guttas noctis* vocat pocta Cant. 5, 2. Quoniam vero *neque in nube neque in flatu cadunt rores*, ut PLINIUS scribit *Hist. Nat.* 18, 29., ideo qui mane demum cadit, tenuior esse solet, et minus consistens. הֹלֵךְ Cito *abiens*, evanescens, qui orto sole mox siccatur. Chaldaeus: *et sicut ros, qui cito deficit.*

5. עַל־כֵּן חָצַבְתִּי בַּנְּבִיאִים *Propterea quod dolavi* eos (Pronomen subaudiendum e proximo הָרַגְתִּים) *per prophetas*, i. e, Chaldaeo recte interpretante, *propterea quod serio eos commonefeci per ministerium prophetarum meorum, ipsi tamen sese non converterunt*, הָרַגְתִּים בְּאִמְרֵי־פִי *occidi eos verbis oris mei*, i. e. exitium et adversa omnia eis minatus sum, nisi mentem mutarent. Haud infrequens Hebraeis scriptoribus, ut illa fieri dicantur, quae facienda praedicuntur, vid. Jes. 6, 10. et ad eum loc. not., Jerem. 1, 10. Mich. 2, 12. Sic ergo nunc occidisse se dicit Deus illos, quos infidelitatis coarguit, quia illis subeundam esse mortem, id quod instar obtinet mortis, per prophetas denunciat. Oracula divina, אִמְרֵי־פִי יְהוָה, ob suam virtutem et efficaciam et alias comparantur modo cum *telis*, ut Ps. 45, 6., modo cum *gladio* ancipiti et acuto, ut Jes. 49, 2. Ps. 45, 4. Hebr. 4, 12. Apocal. 1, 16. Locus nostro similis Jes. 11, 4., quo effata divina convincendo homines impiae vitae eos necare dicuntur. Verbum חָצַבְתִּי, quod de caedendis lapidibus et lignis dici constat, sunt qui h. l. *ἰσοδύναμον* cum הָרַגְתִּים existiment. Non tamen *dolandi* significatum, ab Hieronymo quoque adscitum, retinendum arbitramur, ut indicentur eo verbo mitiores adhortationes, quas minae acriores (הָרַגְתִּים) sequebantur. Tentavi, inquit Deus, omnia, quo vos ad officium reducerem; et quemadmodum qui rude lignum aut saxum in pulchram aliquam aut honestam speciem informare vult, omnem adhibet artis solertiam, omne ferramentum, sic ego vos, ut aliquam exprimerem pietatis formam, dolavi saepe, per prophetas, atque cohortatus sum, modo blandioribus mulcendo promissis, modo tundendo minacibus verbis. וּמִשְׁפָּטֶיךָ אוֹר יֵצֵא *Et judiciorum tuorum* unumquodque sicut *lux prodibit*, sive, *in lucem* (לְאוֹר) *prodibit*, i. e. supplicia, quae tibi irroganda per meos prophetas comminatus sum, usque adeo erunt aperta, ut instar lucis aut solis, omnium occursent oculis et his notata signis, ut nemo dubitet, illa a Deo,

sceleruin vindicc, fuisse profecta. Quasi dixisse vellet: non solum jus meum sic fert: illi ob peccata concidantur, quin et tradantur morti; verum et ipsa poenarum irrogatione lucidum conspicietur. Ita de poenarum immissionibus dicitur: *judicia produci in lucem*, et Zeph. 3, 5. בַּבֹּקֶר בַּבֹּקֶר מִשְׁפָּטוֹ יִתֵּן לָאוֹר *singulis matutinis judicium suum edit in lucem.* Sed nostro loco minime praetermittendum est, pro מִשְׁפָּטֶיךָ Graecum Alexandrinum, Syrum, ac ipsum Chaldaeum, qui raro ab hodierno textu recedit, ita vertisse, ac si legissent וּמִשְׁפָּטַי כְּאוֹר יֵצֵא, vel וּמִשְׁפָּטַי, eum suffixo primae personae, translato ad nomen אוֹר vocis וּמִשְׁפָּטֶיךָ. Qua adscita scriptura sententia prodibit haec: ita serio et graviter vos per prophetas sum cohortatus, ut *judicia*, i. e. statuta mea *sicut lux prodirent*, ut luce clarius quid meae postulent leges, quid vobis faciendum fugiendumve sit, appareret. מִשְׁפְּטֵי יְהוָה dici *statuta Jovae*, tralaticium. Sic Ezech. 20, 11. *Dedi eis* וְאֶת־מִשְׁפָּטַי הוֹדַעְתִּי אוֹתָם *leges meas*, וְאֶת־חֻקֹּתַי *et statuta mea nosse eos feci, secundum quae si facit homo, vivet per ea.*

6. כִּי חֶסֶד חָפַצְתִּי וְלֹא־זָבַח *Nam pietatem volo, nec sacrificium*, non tam sacrificia, externum cultum, quam potius pietatem flagito. Comparative enim haec accipienda sunt, uti et Chaldaeus expressit: *nam iis, qui pietatem exercent, magis delector quam sacrificiis.* Cf. locos plane similes Jes. 1, 11. Ps. 40, 7. 51, 18. וְדַעַת אֱלֹהִים מֵעֹלוֹת *Et cognitionem Dei*, talem intellige, quae vita factisque exprimitur (cf. supra 4, 1.), *volo prae holocaustis*, magis eupio quam sacrificia et maxime sumtuosa.

7. Occurrit jam vanae illorum persuasioni, terrae ipsis a Jova concessae tantam esse dignitatem, ut qui eam incolerent hoc ipso poenis sint immunes. וְהֵמָּה כְּאָדָם עָבְרוּ בְרִית *Nam ipsi sicut Adamus transgressi sunt foedus*, i. e. similes se illi egere Adamo, seu homini primo, quem ut misi in hortum Eden, mandatum meum transgressus est: quale tum debitum ei judicium fuit? utique ut inde exigeretur. Tales se habent posteri Judae, terram quidem Sanctam habitant, שָׁם בָּגְדוּ בִּי sed *ibi praevaricati sunt in me*, ac suis probrosis factis eam polluerunt, quare aequum postulat eos avelli ex ista, Prov. 2, 22. Ita et Chaldaeus: *at isti sicut primi orbis habitatores transgressi sunt foedus meum, et ut praestans fuit terra quam ipsis dedi, quo morigeri meae voluntati justa peragerent* (nimirum sicut Adamo prius in horto Eden habitaculum Deus constituerat, Gen. 2, 15.), *ibi praevaricati in verbum meum fuere.* Hieronymus: „Ipse autem imitati sunt Adam, ut quod ille in Paradiso fecerat, pactum meum legemque praeteriens, isti in terra facerent.“ בְּרִית, proprie *foedus, pactum;* quum vero id constet conditionibus legibusque utrique parti sancte servandis, hinc in universum pro praeceptis, legibus usurpatur, ut Exod. 19, 5. Sic in illo Virgilii *Aeneid.* 1, 62. *legemque dedit, qui foedere certo, et*

premere, et laxas sciret dare jussus habenas. Ad בְּרִית subaudiendum primae personae suffixum, quod expressum infra 8, 1., ubi תּוֹרָתִי בְּרִיתִי respondet. Vocem כְּאָדָם ut nomen proprium primi hominis (unde ei articulus ה non praefixus) et Job. 31, 33. offendimus, vid. not. ad eum loc. Alii ellipsin h. l. statuunt, qualis in comparationibus saepe observatur, ubi nomen, quod repetendum erat, altero loco reticetur, ut vertendum sit: *transgressi sunt foedus meum, tanquam hominis* scil. foedus, i. e. non pluris faciunt pactum, quod pepigi cum eis, quam pactum cum quovis homine initum. Ita SCHNURRERUS in *Thesib. philolog. critt.* a. 1787. propositis, qui hoc ipso Hoseae Capite eandem ellipsin bis exstare docet, scil. Vs. 3., ubi כְּשַׁחַר dictum sit pro כְּמֹצָא הַשַּׁחַר, et Vs. 9. חֶבֶר כֹּהֲנִים pro כְּחַכֵּי חֶבֶר כֹּהֲנִים. In qua tamen explicatione negligitur שָׁם, quod certe non otiose a vate positum existimandum est, cujus vera ratio idonea constat ex interpretatione supra allata.

8. גִּלְעָד קִרְיַת פֹּעֲלֵי אָוֶן *Gilead est urbs operantium iniquitatem*, urbs, cujus incolae pessimi atque nequissimi homines, qui eadem phrasi Jes. 31, 2. Ps. 5, 6. designantur. *Gilead* h. l. nomen est urbis primariae Gileaditidis, uti et apud Arabes metropolis nomen regionis sibi adsciscere solet, unde *Cahira* vocatur *Misr* (Aegyptus), *Damascus* nuncupatur *Scham* (Syria). Duas urbes ruinosas, *Dschelaad*, i. e. Gilead, et *Dschelaud*, in duobus montibus veteris Gileaditidis sitas, vidit BURCKHARDT in *Itiner. Syr.* p. 600. vers. germ. Illas urbes Gesenius in Lexico s. v. גִּלְעָד probabiliter easdem esse conjicit, quae Jos. 31, 38. רָמוֹת בַּגִּלְעָד appellantur. Nomine אָוֶן interpretum plures superstitiosum *simulacrorum cultum* indicari h. l. existimant, ut Jes. 66, 3. Amos 5, 5. Habac. 3, 7. Hinc Vulgatus: *Galaad civitas operantium idolum.* Quod HIERONYMUS ita illustrat: „Legimus (2 Reg. 9, 1. sqq.) in Ramoth Galaad unctum esse in regem Jehu, qui sanguinem sanguini miscuit, et Achab subvertit domum, et ante solis ortum acervos capitum filiorum ejus jussit statui: in hac urbe trans Jordanem in possessione tribus Gad idolum consecratum est, quae habitabatur a sacerdotibus, nam et ipsa fugitivorum civitas fuit. Quanto igitur celebrior et majoris auctoritatis, quia in partem sacerdotum fuerat delegata, tanto trans Jordanem habitanti Israel principium idololatriae et malorum omnium fuit, ut, qui primi peccaverant, primi ab Assyriis caperentur.“ Cf. 2 Reg. 15, 25. 29. Sensus profecto est perquam idoneus: Gilead, quae mearum legum observantissima esse debuerat, utpote sacerdotalis civitas, ipsa idola fingit et adorat. Eadem illa urbs hic porro vocatur עֲקֻבָּה מִדָּם *conspurcata sanguine*, ut recte Syrus vertit. Nam עָקֵב *calx* hominis, unde עִקְבוֹת *vestigia* (Ps. 77, 20. 89, 52.). עֲקֻבָּה proprie est *vestigiata*, i. e. vestigiis (sanguinis vinive) notata, calcata, maculata.

Plures interpretes hoc Versu vatem respicere putant caedem Pecajae, quem Pecachus, filius Remaljae, Gileaditis adjutus, Samariae in palatio regis interfecit, 2 Reg. 15, 25. Quae caedes, Gileaditarum ope a Pecacho peracta, rationem involvat, cur Gileaditarum prima et expressa mentio fiat.

9. וּכְחַכֵּי אִישׁ גְּדוּדִים חֶבֶר כֹּהֲנִים *Et sicut praestolantes aliquem turmae*, ita *sodalitium* est *sacerdotum*, i. e. sodalitium sacerdotum simile est turmae latronum, qui speculatim sedent, et vident, unde aliquis veniat, quem spoliare operae pretium sit. Verba priora וּכְחַכֵּי אִישׁ גְּדוּדִים ad verbum sonant: *et secundum exspectare*, i. e. sicut exspectant *virum turmae*, scil. latronum, praedonum. Alii: *sicut exspectat vir*, aliquis, *turmas* latronum, i. e. si quis auxilii quidquam exspectat speratque a sodalitio sacerdotum, et in eo fiduciam ponit, idem est, ac si confidat turmis praedonum; decipitur turpissime. Quam expositionem commendat Chaldaei auctoritas: *quemadmodum exspectat quis turmas* (latronum), ita *consociati* sunt *illi et sacerdotes.* Prior interpretatio tamen videtur praeferenda. חַכֵּי Infinitivus Pihel chaldaizans (formae קַוֵּה *exspectare* Jer. 8, 15., עַנֵּה *affligere* Exod. 22, 22.), pro חַכֵּה mutato *He* in *Jod*, ut רְעִי Jes. 38, 12. pro רְעֵה *pastoris*, וַתִּזְנִי *et scortata est*, Jerem. 3, 6., pro וַתִּזְנֵה. Sunt etiam codices, etsi pauci, in quibus forma regularis וכחכה reperitur. Alii חַכֵּי positum putant pro מְחַכֵּי (Participium Piel, in quo nota מ aliquando deficit, ut שַׁבֵּחַ אֲנִי *laudans ego*, Eccl. 4, 2. מָאֵן אַתָּה *renuens es*, Exod. 7, 27. 9, 2. 10, 4. al.), ut vertendum sit: *et sicut exspectantes virum turmae*, i. e. sicut turmae latronum indicantur viatori, ita est societas sacerdotum; quod sensu convenit cum ea interpretatione, quam supra initio attulimus. דֶּרֶךְ In *via*, ut Chaldaeus recte, subaudienda praepositio ב, ut Jos. 10, 10. Jud. 8, 11. יִרְצְחוּ *Occidunt*, caedes committunt, 4, 2. Ps. 94, 6. Jes. 1, 21. שְׁכֶמָה num sit sumendum pro appellativo, vel pro nomine proprio urbis Sichem cum He locali, interpretes dissentiunt. Qui appellativum existimant, Chaldaeo praeeunte, positum censent pro שְׁכֶם אֶחָד *humero uno*, Zeph. 3, 9., metaphorâ a bajulis desumtâ, commune onus humeris suis portantibus, i. e. invicem sibi succurrentes, hoc sensu; sociatis in malum consiliis caedes committunt. Nusquam alias tamen שְׁכֶם absolute positum concordantiam et mutuum auxilium designat; ut minus dici illud queat de שְׁכֶמָה, ubi ה signo est, de loco vocem capiendam esse. Nec poterit Zephaniae phrasis, de ferendo onere cultus divini usurpata, commode huic loco aptari. Praestat igitur, urbem Sichem (שְׁכֶם, Gen. 12, 6. Jos. 20, 7. Ps. 60, 8.) intelligere, ut vertendum sit: *occidunt* in via quae est *Sichemum versus.* Videtur jus asyli hic spectari, quo ex constitutione Dei Num. 35, 9. Sichemum refugio erat committenti homicidium fortuito casu, sicut et ipsa haec civitas in portionem

sacerdotibus fuit assignata, Jos. 21, 21. Quare emicat clarius Israelitarum, sacerdotum maxime, in latrociniis scelus, quod et refugium homicidis datum, et sacrum quodammodo sacerdotum habitationi, caedibus insontium perfunderent. Dathius: „Videntur sacerdotes illo tempore abusi esse suis privilegiis et jure asyli, ut vel ipsi caedes patrarent, vel ab aliis commissas occultarent.“ Hieronymus: „Horum quum intelligentiam juxta historiam quaereremus ab Hebraeo, ita nobis expositum est: sacerdotes Bethel, imo fanatici Bethaven, temporibus Paschae, et Pentecostes, et Scenopegiae, quando per Sichem, quae hodie Neapolis appellatur, eundum erat Jerosolymam, ubi solum licebat victimas immolare, ponebant in itinere latrones, qui insidiarentur pergentibus, ut magis vitulos aureos in Dan et Bethaven, quam in Jerosolymis et in templo adorarent Deum (cf. supra ad 5, 1.).“ כִּי זִמָּה עָשׂוּ *Nam scelus perpetrant*, sceleratissimi sunt. זִמָּה *scelus*, quod quis data opera et deliberata voluntate perpetrat, notare constat, unde Chaldaeus h. l. (ut Onkelos Levit. 18, 17.) vertit: *nam consilium peccatorum faciunt.*

10. בְּבֵית יִשְׂרָאֵל רָאִיתִי שַׁעֲרוּרִיָּה *In domo Israelis*, s regno decem tribuum (1, 6. 5, 1.) *video horrendum.* שַׁעֲרוּרִיָּה, sive, ut in textu exstat, שַׁעֲרִירִיָּה a שַׁעַר i. q. שָׁעַר *horruit*, est quicquid videnti vel audienti ingentem horrorem incutit (vim auctam significationis prodit ultima radicalis geminata; idem est שַׁעֲרוּרָה Jerem. 5, 30. 18, 13.). שָׁם זְנוּת לְאֶפְרַיִם *Ibi*, in domo Israelis, *scortatio* est *Ephraimo*, intelligitur idololatria, quam Ephraimi dicit, quia Jeroboam, qui eam instituit, de tribu Ephraim fuit. Eadem leguntur supra 5, 3. נִטְמָא יִשְׂרָאֵל Et scortatione ista *pollutus* est s. *polluitur* totus *Israel.*

11. גַּם־יְהוּדָה שָׁת קָצִיר לָךְ *Etiam*, *o Juda*, *posita*, parata est *messis tibi.* Quod Chaldaeus sic exposuit: *etiam qui de domo Juda sunt*, *coeperunt multiplicare peccata sua*, *etiam ad eos pertinget reatus.* Videtur קָצִיר intellexisse de messe malorum, quae Juda sibi conflavit peccatis suis. Id sequuntur plerique recentiorum interpretum, qui per messem intelligunt sementem idololatriae ab Israelitis traductam in tribum Judae, cujus poenas Judaei postea messuerint. Respici existimant cladem Judaeis ab Israelitis illatam, cujus fit mentio 2 Chron. 28, 8., cum mera verbi sui virtute abductos jam captivos Judaeos per Odedum Israelitarum crudelitati et servituti Deus subtraheret. Comparent laudato Chronicorum loco Vs. 10. verba, iis quae nostro loco leguntur, בְּשׁוּבִי שְׁבוּת עַמִּי *cum verterem captivitatem populi mei*, quam simillima. Sic enim ait Odedus, vates, persuasurus Israelitis, ut captivos Judaeos dimitterent, Vs. 11.: הֲשִׁיבוּ הַשִּׁבְיָה, *faciatis reverti captivam turbam*, *quam e fratribus vestris abduxistis.* Malumus cum Dathio totum Versum sic reddere: *Tibi quoque*, *o Juda*, *messis malorum parata est*, *eo ipso tem-*

pore, quo bene tibi facere cogitabam. Tertia persona שָׁת impersonaliter posita est (ut Ps. 49, 15. שַׁתּוּ), *ponit* scil. ponens, i. e. ponitur. *Messis* h. l. sensu deteriori usurpatur de poenis divinis, quibus mali demetuntur, ut Joel 4, 13. Jerem. 51, 33. Phrasis שׁוּב שְׁבוּת *reducere captivitatem* tropice dicitur de omni mutatione in melius, ut Job. 42, 10. בְּשׁוּבִי vero valet *dum in eo fuerim ut converterem*, dum convertere cogitavi. Sensus hic est: quo tempore tuam conditionem in melius mutare cogitabam, illa tua cum Israelitis pessimis superstitionibus deditis societas hoc impedivit, novamque malorum segetem tibi paravit. Sunt, qui posterius Versus hemistichium a priori separandum, et ad Capitis proximi initium trahendum existiment. Ita praeter alios J. D. Michaelis, nescius, uti videtur, in eandem cogitationem jam R. Tanchum incidisse, qui prius hemistichium sic interpretatur: *Juda quoque messem posuit tibi*, o Deus! messem tibi paravit a te resecandam, i. e. maturuit ad supplicia ab ipsis sumenda; cf. Joel 4, 13. (al. 3, 13.). Sed postrema hujus Versus verba quam parum apte trahantur ad Capitis proximi initium, non est quod moneamus, quum cuique legenti sponte pateat.

CAP. VII.

Argumentum.

Conqueritur de extrema populi Israelitici pravitate, qua omnes ordines sint infecti. Et primo quidem acriter regis procerumque corruptissimos mores perstringit (Vs. 1 — 8.). Deinde reliquum populum stuporis atque insipientiae damnat, qui neque post canos et rugas miserum suum statum agnoscat, et in eo non minus insipienter quam obstinato perseveret (9 — 11.). Quare graves proponit minas, et eorum peccata magis exaggerat, quod quae a Deo recepissent beneficia, illa in auctoris ignominiam perfidiose converterint (12 — 16.).

Quae hoc Capite leguntur et iis, quae proxime sequuntur, usque ad finem libri, edita esse sub ultima Hoseae, regis Israelitarum, tempora, et sub initiis regni Hiskiae, colligit Lightfoot in *Chronolog. V. T.* p. 105. (*Opp.* T. I.) ex hisce observationibus: „Primo," inquit, „communis et perpetuus sermo, quem in illis habet propheta ad *Ephraimum*, ostendit, haec adnunciata fuisse decem tribubus, antequam abductae fuerunt in captivitatem, quae jam futura erat intra quadriennium. Deinde, dicta haec fuisse, postquam Hoseas rex ab Assyrio defecisset, et foedus cum Aegypto junxisset, cujus mentio fit 2 Reg. 17, 4. Observa enim, quomodo 7, 11. et 12, 2. tale quid innuatur. Denique prolata haec esse, post expeditionem Salmanasaris primam (2 Reg. 17, 3.),

qua defluxit Arbelitida (Hos. 10, 14.), et ante expeditionem ejus secundam, quando Bethelem erat destructurus."

1. Loquens inducitur Deus, qui et suam in monendo populo benignitatem, et populi invictam pertinaciam testatur. בְּרָפְאִי לְיִשְׂרָאֵל *Dum sanarem Israel*, dum in eo essem, ut admonitionibus ad frugem revocarem Israelem, et sic pristinae restituerem felicitati. Cf. 5, 13. infra 11, 3. Jerem. 17, 14. De *admonitionibus* verbum רָפָא et Jerem. 51, 9. dicitur. Alii: quoties sanare institui Israelem. וְנִגְלָה עֲוֹן אֶפְרַיִם *Tum* magis etiam *prodidit se impietas Ephraimi*, praecipuae tribus, 5, 13. וְרָעוֹת שֹׁמְרוֹן *Et malitia Samariae*, ubi aula regis; 14, 1. Aben-Esra: quoniam dixerant (6, 1.): *qui nos discerpsit, idem et nos sanabit*, ait jam: quando mihi lubet ut eos curem, prostat coram me eorum impietas, quam cordibus reconditam tenent, ac manifesta produnt indicia, necdum eos suae nequitiae valedixisse." Quod probat scelerum gravissimorum, quae hunc populum infecerant, enumeratione: omnia plena sunt fraudibus et rapinis. כִּי פָעֲלוּ שָׁקֶר *Nam faciunt mendacium*, fraudem; nihil est in illis sinceri; fraudibus nectendis intenti sunt. Cf. Jerem. 6, 13. 8, 10. וְגַנָּב יָבוֹא *Et fur* clanculum *venit*, ingreditur domos, Joel 2, 9. Chaldaeus: *ac de nocte in domibus furta committunt.* פָּשַׁט גְּדוּד בַּחוּץ *Effundit se*, irruit (ut Jud. 9, 33. 1 Sam. 27, 8. 30, 14. 1 Chron. 14, 13.) *turma* praedonum (6, 9.) *foris*, in agris, Ezech. 7, 15. Chaldaeus: *et in deserto interdiu latrocinantur.* „Verbis גַּנָּב יָבוֹא apertissimum est reprehendi furta, quae privatim committerentur in aedibus: בּוֹא enim saepe significat *intrare*, *introire*, ut apud Graecos *εἰσέρχεσθαι*, ita ut loci vocabulum reperiri aliunde debeat, veluti hic בַּבָּתִּים e nomine בַּחוּץ: sed verba פָּשַׁט גְּדוּד בַּחוּץ referri ad grassationes debere, quae in vicis fierent et platcis urbium, ita ut גְּדוּד sint ipsi *grassatores*, בַּחוּץ *in publico*, et פָּשַׁט *diripere vestes*, *spoliare vestibus*, quippe quod a grassatoribus fieri constat. Nemo autem melius vidit haec omnia, nemo hunc locum elegantius interpretatus est, quam Versionis quintae auctor, qui eum sic vertit: *κλέπτης μὲν ἔνδον, λωποδύτης δὲ ληστεύει τὰ ἔξω. Λωποδύτης* enim est *grassator*, et grassatores furibus parietumque perfossoribus socii dantur a Xenophonte (v. c. *Memorab.* 1, 2. 62.) aliisque scriptoribus Atticis saepe (ut Aristoph. Plut. 165.)." Haec J. F. Fischer in *Proluss. de Versionibus Graecis Libror. V. T. Litterarum Hebraicar. magistris*, p. 133.

2. וּבַל־יֹאמְרוּ לִלְבָבָם כָּל־רָעָתָם זָכַרְתִּי *Nec dicunt cordi suo, quod omnis malitiae eorum memor sim*, non cogitant suis animis, me omnia sua scelera meminisse. Recte Chaldaeus: *nec cogitant in animis suis, quod omnia malefacta eorum coram me patefacta sunt.* Ad זָכַרְתִּי apposite Drusius: „Si *recordatur*, ergo punit suo tempore. Nam quae impune abeunt, eorum *non*

recordari, h. e. oblivisci dicitur. Qui hanc opinionem de Deo habent, eos non pudet quaelibet flagitia committere. Nam poena homines a peccando deterret, contra impunitas eis calcar addit ad quodlibet audendum." Pro לְלִבָּם in pluribus codicibus a Kennicotto et De-Rossio enumeratis legitur בְּלִבָּם. „Nec est," inquit AURIVILLIUS *Dissertatt.* p. 615., „sive Hebraeis infrequens locutio אמר בלבו, sive Arabibus قَالَ فِي نَفْسِهِ et قَالَ فِي قَلْبِهِ *dicere in corde suo, cogitare apud animum.* Quin imo, לְבָב aut לֵב junctum verbo אָמַר intercedente ל alibi in Hebraeo textu Biblico non occurrit. Veruntamen quia minutula utramque inter lectionem dissimilitudo sensum haud valde tangit, et Hebraeae linguae aretior hodie cognitio non permittit, ut soloecum illico pronuncietur τὸ לְלִבָּם, quod Alexandrinus et Aquila in dativo casu verterunt *τῇ καρδίᾳ*, *ταῖς καρδίαις αὐτῶν*, mihi quidem vulgaris lectio nondum videatur rejicienda." Verba quae sequuntur, עַתָּה סְבָבוּם מַעַלְלֵיהֶם *nunc cingunt eos opera sua*, nonnulli interpretantur de criminum in Israele evidentia; prout evidens manifestumque circa hominem est, quo quis ceu stola et indumento exteriore fuerit cinctus, vel etiam ceu satellitum caterva. Nec diffitendum, ex ultimis Versus hujus dictionibus, נֶגֶד פָּנַי הָיוּ *coram vultu meo posita sunt*, sumi posse, quod huic interpretationi sit patrocinium. Cf. Ps. 90, 8. שַׁתָּ עֲוֹנֹתֵינוּ לְנֶגְדֶּךָ *posuisti peccata nostra coram te*, cf. not. ad eum loc. Attamen quum *cingendi* verbum alias saepissime de angoribus usurpetur, qui constrictos undique miseros homines tenent (e. c. Ps. 17, 11. 18, 6. 22, 17.), ego cum aliis interpretum censeo, esse hic *Praeteritum gerens vicem Futuri* (ut est in Commentario qui inscribitur *Michlal Jophi*), quo denunciatur, fore tandem, imo brevi, ob impudentissimam populi in malis actionibus pervicaciam, ut undique eingant eum sua tam probrosa facta, seu potius immittendi ob ea angores et supplicia, quasi totidem lictores. Similiter Jeremias Thren. 2, 22. Deum dicit advocare מְגוּרַי הָעָם *angustias hujus populi undique.* Haec vero quam certo, quam cito eos pressura essent mala ostendit, dum dicit: *coram facie mea sunt.* Quasi jam mandatum dedisset ministris suis, et vocasset ad iram suam heroes suos, Jes. 13, 3. Sicut paratissimi in obsequium ministri, venti irae divinae dicuntur sistere se domino universae terrae Zach. 6, 3., cf. Apoc. 9, 15. Sin vero quis a *cinctura vestium* praeoptaverit illud *circumdandi* verbum exponi, idem quoque sensus, de ingruentibus in populi oppressionem malis, poterit retineri. Ita Ps. 109, 18. 19. impius dicitur *induere maledictionem veluti tunicam suam* (וַיִּלְבַּשׁ קְלָלָה כְּמַדּוֹ), *ut sit ipsi instar vestis, qua circumtegatur* (תְּהִי־לוֹ כְּבֶגֶד יַעְטֶה). Cf. Jes. 50, 11.

3. בְּרָעָתָם יְשַׂמְּחוּ מֶלֶךְ *Per malitiam suam exhilarant regem,* וּבְכַחֲשֵׁיהֶם שָׂרִים *et per mendacia sua* exhilarant *principes,*

„vult dicere," inquit ABARBENEL, „violentos istius aevi homines regibus suis narrare solitos facinora sua, ut hilaritatem inde conciperent illi." Nec improbanda videtur haec expositio, diei haec in populi prostitutam impietatem *peccata sua praedicantis ut Sodoma*, Jes. 3, 9., ad gloriam inde gratiamque ex magnatibus consequendam; id tamen simul, imo maxime ipsos reges principesque spectare, qui, quum rex sapiens dissipet impios, et dispellat omne malum, Prov. 20, 8. 26.; sic erant improbitati et nequitiae dediti, ut vel gaudio afficerentur, si quem probris viderent strenue navare operam.

4. כֻּלָּם מְנָאֲפִים *Omnes illi*, Ephraimitae et Samariae incolae (Vs. 1), vel, rex, populus et principes, sunt *adulterantes*, ut Jer. 9, 1. 23, 10., quod Chaldaeus sic explicat: *omnes illi cupiunt comprimere uxores proximorum suorum.* Sed videntur potius *adulteris* sensu allegorico idolorum cultores intelligendi, qui violant foedus, quod cum populo suo Jova iniit. כְּמוֹ תַנּוּר בְּעֵרָה מֵאֹפֶת *Sicut clibanus ardens a pistore* succensus; vehementissimum idololatriae studium comparat cum furni accensi ardore, quo significaret eum valde intensum esse. Recte notat Abarbenel, in voce בְּעֵרָה literam ה, alias feminei sexus signum, esse paragogicum, quum תַּנּוּר sit masculinum, hinc illam et penacutam esse, accentumque Tarcha s. Tiphcha sub ע positum, ut idem sit quod בְּעֵר; cf. Mal. 3, 19. בְּעֵר כַּתַּנּוּר *ardens sicut furnus.* GESENIUS tamen *Lehrgeb.* p. 546. conjicit, תַּנּוּר generis communis esse, et ה vocis בְּעֵרָה esse terminationem femininam, quam Critici Hebraei, quod eam anomalam haberent, ita tollerent, ut vocem *Milel* facerent; id quod et in aliis, quas affert, ab illis factum existimat. יִשְׁבּוֹת מֵעִיר מִלּוֹשׁ בָּצֵק עַד־חֻמְצָתוֹ *Cessat excitans a depsendo pastam usque ad fermentationem ejus*, quod quidam ita exponunt; quando fornax satis est succensa et post subactam pastam, quieseit pistor, nec excitat suos, quorum operâ non eget; itaque dormire eos sinit, usque dum pasta fermentata fuerit; tum rursum eos excitat ad panem furno immittendum. Sic illi ardebant concupiscentiis pessimis, et numquam ab illis quiescebant, nisi forsan per exiguum tempus, aliis distenti occupationibus. Alii: *cessat excitans*, i. e. pistor flammam excitare cessat, quando fornix satis est succensa, *postquam depsuit massam*, *donec ea fermentescat*, et per בָּצֵק indicari existimant machinationes malorum, massam probrosam quasi, sic infectam fermento malitiae et pravitatis, ut extumescat tandem in panem impietatis, quo impii, quasi alimento, et saturantur, et sese oblectant; pistor vero sic ipsum hominem artificem suae malitiae designabit. Nobis quidem haec addita videntur ad describendum tempus, quo summe ardet furnus, ex quo scilicet excitare primum pistor desiit ad massam subigendam, ex quo, inquam, subigi coepit, donec fermentetur. Tum enim paulatim vehementius in-

cenditur, donec summe caleat, quo tempore inserendi sunt panes qui coquantur. Vehementius igitur idololatriae studium pingit. Gesenius in *Lex. hebr. lat.* p. 758. locum sic reddit: *cessat a calefaciendo* (fornacem), *inde a depsendo usque ad fermentationem.* מְעִיר non habet pro Participio Hiphil verbi עוּר *vigilare*, sed pro Infinitivo עִיר *fervere*, quod vero h. l. transitivum, sive causalem significatum obtinet, *fervere fecit*, *calefecit*, praemisso Praepositione מִן *ab*, ut in proximo מִלּוּשׁ. Dubito tamen de Infinitivi Kal transitiva significatione.

5. יוֹם מַלְכֵּנוּ *Dies* est *regis nostri*, vel natalis, vel inaugurationis (ut Chaldaeus: *die quo constituerunt super se regem suum*), vel quacunque de causa solennis, scil. dicunt proceres, subaudito initio hujus Versus לֵאמֹר, ut 5, 15. Ps. 2, 3. Jes. 14, 8. הֵחֱלוּ שָׂרִים חֲמַת מָיִן *Aegrotant principes aestu a vino*, crapula nimia, calidisque vaporibus, e vino manantibus, qui caput petunt, aegrotant. Inter vitia, quae in Ephraimitis Noster carpit, praeter turpes libidines et ebrietatem taxat supra 4, 11. הֵחֵלּוּ veteres omnes *inceperunt* vertunt, a חָלַל, sed hoc esset הֵהֵלּוּ, vel forte ejecto Dagesch (ut infra 8, 10.), הֵחֵלּוּ. Recte vero monent Jarchi et Kimchi, esse ad חָלָה *aegrotavit* referendum, re ipsa poscente, quia foeditatem crapulae non tam voce *incipiendi* in helluationibus, quam *aegrotandi* ex immodico potu exprimit redargutio. חֲמַת מָיִן nonnulli vertunt *utre vini* epotato scil. aegrotant. Sed *uter* est חֲמַת vel חֲמַת, vid. Gen. 21, 14. 15. 19. חֲמַת formam status regiminis nominis חֲמָה *calor*, *aestus*, esse constat, quae forma haud raro ponitur ante nomen sequens quod Praepositionem praemissam habet, ut Jer. 23, 23. אֱלֹהֵי מִקָּרֹב *Deus e propinquo.* De nominibus in statu constructo ante Praepositiones positis vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 679. חֲמַת est Accusativus, modum statumve, quo quis versatur, declarans, cf. 2 Reg. 13, 14. חָלָה אֶת־חֳלָיוֹ *aegrotavit aegritudine sua.* Recte Jarchi nostram dictionem exponit: *a calore vini*, *in illis ardentis*, proceres nostri aegroti sunt facti. מָשַׁךְ יָדוֹ אֶת־לְצִצִים *Extendit* rex *manum suam cum derisoribus*, compotor est irrisorum et scurrarum, unaque cum illis familiariter versatur. Dictio *manum extendit* gestum propinantium describit; nam in compotationibus manus poscendo, accipiendo, porrigendo pocula extendi solet. Horatius *Epist.* L. I. 18. 91. seq. eum morem ostendit: *Potores bibuli* (al. *liquidi*) *de nocte Falerni oderunt porrecta negantem pocula.* Et Athenaeus L. I. Deipnosophistarum, ex Homero, a quo alicubi dici affirmat, δείδεκται ἀντὶ τοῦ, ἐδέξιοῦτο, ὅ ἐστι προέπιεν, αὐτῷ τῇ δεξιᾷ διδοὺς τὸ ποτήριον.

6. Verba כִּי־קָרְבוּ כַתַּנּוּר לִבָּם בְּאָרְבָּם fere sic interpretantur: *nam applicant ut furnum cor suum dum insidiantur*, et sensum hunc esse volunt: animo suo intentos illos fuisse clam machinando, ut cor suum furno simile redderent. Sed *adducendi*,

applicandi significatus, quo verbum קָרַב aliis locis legitur, hic minus est idoneus, sive sensum spectes nimis quaesitum, sive construendi rationem, quae pro ב tunc postulasset Praepositionem *motum* significantem, ל vel אֶל. Quare verbum illud h. l. *replendi* significatu capiendum erit, ex usu illo, quo Arabes in 3. et 4. Conjugat. suum قَرَبَ de *vase* frequentant, in quo liquor infusus *ad extremos margines sensim appropinquat*, idque adeo *replet*, unde قَرِبٌ *cum quid fere plenum est*, et قَرْبَانٌ *prope plenum vas* denotat. כִּי vero de *tempore* hic sumimus, unde haec sententia prodibit: *quando repleverunt sicut furnum cor suum insidiis*, כָּל־הַלַּיְלָה יָשֵׁן אֶפְיָם בֹּקֶר הוּא בָּעֵר כְּאֵשׁ לֶהָבָה *per totam noctem dormit pistor*, calefactor, *eorum*, *mane* autem *ille* furnus *ardet sicut ignis flammae*. Quae AURIVILLIUS l. c. p. 618. recte hoc modo explicat: „Inhaeret propheta similitudini *ardentis furni*, quam induxerat Vs. 4. Corda, animos hominum, qui heic accusantur, comparat cum *furno ardente*, ipsos illos cum *pistore*, qui furnum igne accendit. Insidiosas machinationes, harum veluti *pistores*, clam habebant initio, laetis indulgentes compotationibus, quales Vs. 5. memorantur, mox, data occasione, plenam in flammam educebant, haud aliter ac dormiens per noctem, latens ac quiescens pistor primo dein mane, in furnum immisso igne, patulum suscitat incendium. In his aeque ac Vs. 7. seditiones continuas, et caesum per insidias unum post alterum regem spectat propheta, id est, intestinas turbas, quibus post Jeroboamum II. laceratum fuisse Israeliticum regnum Historia testatur.“ Alia hunc locum explicandi tentamina, minus probabilia, attulimus in Scholiis uberioribus. Pro אֶפְיָם Hubigantius et Dathius opinati sunt legendum esse אַפֵּיהֶם *furor eorum*, hac una ratione moti, quod רוּגְזָהוֹן sit in Chaldaeo et Syro. Illos vero non esse audiendos, recte monet AURIVILLIUS. „Nam contra,“ inquit, „Aquila *πέσσων* et Hieronymi *coquens* vulgarem lectionem asserunt, tum Alexandrinus, ubi manifesto licet errore, posuit *Ἐφραὶμ*, hoc saltem indicat, *iram*, *furorem* se non cogitasse. Codices quamplurimi etiam apud Kennicottum et De-Rossium אפיהם exhibent, quod Dualis videri posset forma *τοῦ* אַף. At verissime statuente J. D. Michaele *Biblioth. Orient.* P. P. p. 153., litera י ista in scriptione erit tertia radicalis verbi אָפָה *coxit*, neque adeo prohibebit, quin vox ipsa explicetur participiali forma, uti postulant nostris in libris puncta.“

7. כֻּלָּם יֵחַמּוּ כַּתַּנּוּר *Omnes*, tam principes, quam ipse populus, *incalescunt* ardent libidine male faciendi, *ut furnus*; repetitum ex Vs. 4. 6. ad ardorem intendendum. וְאָכְלוּ אֶת־שֹׁפְטֵיהֶם *Et* sic *consumunt*, instar ignis omnia consumentis, *judices*, magistratus, *suos*, per quos Jarchi indicari ait bonos viros,

qui malos reprimere conabantur. Chaldaeus: *et lingua mendaciorum suorum condemnant judices suos.* Sed possunt in genere *principes* (de quibus Vs. 5.) intelligi, qui conjurationibus et intestinis discordiis absumebantur. Cui apprime convenit quod additur: *omnes reges eorum ceciderunt* seditiosorum gladio. Ita נָפַל usurpatur et 2 Sam. 1, 12. 21, 22. Chaldaeus: *omnes reges eorum occisi sunt.* Nam continuae fuerunt seditiones, et fere qui imperabat, occisus fuit a suo successore, veluti Zacharias, 2 Reg. 15, 10., Sallum ibid. Vs. 14., Pecachia Vs. 25., Pekah Vs. 30. Cf. etiam 1 Reg. 15, 27. 16, 9. 18. 22. אֵין־קֹרֵא בָהֶם אֵלַי *Nec* tamen, pro summa obstinatione et insania eorum, *inter illos*, reges et principes, quisquam est, qui sub tantis malis et concussionibus reipublicae, *clamet ad me*, ad me sese convertat, et tanquam a Deo suo auxilium petat.

8. אֶפְרַיִם בָּעַמִּים הוּא יִתְבּוֹלָל *Ephraimum* quod attinet, non apud Jovam auxilium quaerit (Vs. 7.), et ad ejus cultum revertitur, sed *cum populis* aliis, a quibus eum Deus habitatione separaverat (Exod. 19, 5. Levit. 20, 24. 26. Num. 22, 9. Deut. 4, 34.), *sese permiscet*, perniciosis foederibus aut conjugiis, vel potius veram religionem, quam in speciem profitebantur, profanis aliarum gentium superstitionibus polluerunt, ut Ps. 106, 35. queritur, וַיִּתְעָרְבוּ בַּגּוֹיִם וַיִּלְמְדוּ מַעֲשֵׂיהֶם *cum gentibus sese commiscuerunt, earumque facta didicerunt.* אֶפְרַיִם הָיְתָה עֻגָה בְּלִי הֲפוּכָה *Ephraim est panis subcinericius*, placenta inter coquendum *non versa*, Jud. 7, 3. עֻגָה *placentae* sive *panis* genus, quod super prunis coquitur, cf. 1 Reg. 19, 6., et not. ad Gen. 18, 6. Ejusmodi panis si non versus fuerit, ab inferiore parte aduritur, antequam a superiore coquatur. Quod igitur Ephraim cum ejusmodi pane h. l. comparatur, nonnulli significari volunt, mutasse illum immaturo et non cocto satis consilio cultum patrium in cultum externum; sensu non diverso ab eo, quem plerique in priore hemistichio agnoscunt. Vel, uti Drusius: „qui (panis) nec plane crudus, nec plane coctus est. Sic Ephraimitae nec Deum pure colebant, nec idola vere, sed utramque religionem commiscebant, et vitulos adorantes, et per Deum aeternum jurantes.“ Verisimilius alii placentae ab altera parte adustae Ephraimum ideo comparari dicunt, quod regnum ejus adflictissimum, et magna ex parte jam eversum, ex reliqua vero parte valde infirmatum esset, unde supra 5, 11. Ephraim vocatur *oppressus et contusus;* ut celeritas istius exitii significetur, quod hostes avidi, moraeque impatientes eidem inferrent. Eo sensu videtur Chaldaeus verba nostra accepisse, dum vertit: *domus Ephraim similis est pani subcinericio, qui, antequam vertatur, comeditur.* Ita et Syrus.

9. אָכְלוּ *Consumserunt* enim, cf. Jerem. 10, 25. Occasio tropo data est per similitudinem placentae, Vs. 8., quae etiam

ab igne *comeditur*, quando aduritur. זָרִים *Peregrini*, barbari hostes, 8, 7, cf. Jes. 1, 7.; veluti Syri, 2 Reg. 13, 7., Philisthaei, Jes. 9, 11, et Assyrii, 2 Reg. 15, 19. כֹּחוֹ *Robur ipsius*, magna parte regni avulsa, vid. inprimis 2 Reg. 15, 29. Chaldaeus: *diripuerunt gentes facultates eorum.* וְהוּא לֹא יָדָע *Et ipse* tamen id *non agnoscit*, in summa securitate et stupiditate, nec ad Deum se convertit, vid. Vs. 7. 10. Eadem queritur Jeremias 42, 25. גַּם־שֵׂיבָה *Etiam canities*, Gen. 44, 29. 31., tropus ab homine senescente. זָרְקָה בּוֹ *Spargitur in eo*, vel, *spargit* canos *in eo*, Israele. *Spargendi* verbum hac in re etiam Romanis usitatum. Propertius 3, 4. *Sparserit et nigras alba senecta comas.* LXX: *καὶ πολιαὶ ἐξήνθησαν αὐτῷ.* Regnum Israeliticum malorum asperitate afflictum, senium quasi quoddam contraxit, exhausto omni robore morti est vicinus. Eadem imagine, sed pluribus exornata, de regno Romano utitur CLAUDIANUS *de bello Gildonico* Vs. 17. seqq. — — — *humeris vix sustinet aegris squalentem clypeum; laxata casside prodit canitiem.* Recte Chaldaeus nostra verba exponit: *etiam infirmitas assequuta est eos.*

10. וְעָנְתָה גְאוֹן־יִשְׂרָאֵל בְּפָנָיו Vid. not. ad 5, 5. וְלֹא־שָׁבוּ 5, 4. Amos 4, 6. 11. וְלֹא בִקְּשֻׁהוּ בְּכָל־זֹאת אֶל־יְהוָה אֱלֹהֵיהֶם *Nec* tamen *quaerunt eum in omni hoc*, tot tantaque mala non potuerunt ad frugem reducere. Cf. Jes. 9, 12. 16. 20. Est homo desperatus, quem nulla poena emendare potest.

11. וַיְהִי אֶפְרַיִם כְּיוֹנָה פוֹתָה *Factus est Ephraim sicut columba simplex*, stolida, Deut. 11, 16. Prov. 20, 19. Columbae simplicitas in eo patet, quod retia non evitat, neque laqueos sibi paratos, cum se demittit ad cibum. Et huic columbae stupori vates Israelitarum vecordiam confert, qui pericula non praecavebant, et se ipsos in hostium potestatem conjiciebant. Plura de columbae simplicitate facilique captura, quae et Graecis Romanisque in proverbio est, vid. in Bocharti *Hieroz.* P. II. Lib. II. Cap. 4. T. II. p. 552. sqq. ed. Lips. אֵין לֵב *Demens*, Jer. 5, 21. Syrus et Arabs: *cui non est cor*, imprudens; nam in corde sedem sapientiae ponunt Hebraei. Ceterum non ad Ephraimum, sed ad *columbam* referendum esse, docent Accentus. מִצְרַיִם קָרָאוּ Modo *Aegyptios* in auxilium *vocant*, non me, Deum et Dominum suum, Vs. 7. Respicit ad solennem illam legationem, quam Hoseas rex ad implorandum Sethonis, Aegyptiorum tunc regis, auxilium, quo se adversus Salmanassarem defenderet, misisse legitur 2 Reg. 17, 3. Cf. infra 8, 13. 12, 2. אַשּׁוּר הָלָכוּ Modo *ad Assyrios abeunt*, a quibus jam a Menahemi temporibus Israelitas opem petiisse vidimus ad 5, 13. Cf. 8, 9. 12, 2. 2 Reg. 15, 19.

12. בַּאֲשֶׁר יֵלֵכוּ „*Quum profecti fuerint* ad Assyrios," ita recte Hieronymus. Sed Chaldaeus et Syrus: בַּאֲתַר דְּיֵהָכוּן *quocunque abierint*, quasi בַּאֲשֶׁר legissent, quod ipsum repertum in

uno Kennicottiano codice, et alio De-Rossii, a prima manu. אֶפְרוֹשׂ עֲלֵיהֶם רִשְׁתִּי *Extendam super eos rete meum*, ut irretiantur, omniaque ipsis in malum cedant, nec poenam meam effugere possint. Ea similitudo Ezechieli adamata, vid. 12, 13. 17, 20. 19, 8. 32, 3. Cf. et supra 5, 1. כְּעוֹף הַשָּׁמַיִם אוֹרִידֵם *Sicut aves coeli dejiciam* tamen *eos* in terram, ut pereant. Cf. Amos 9, 2. Obad. Vs. 4. Factum enim aliquando est, ut Israelitae visi sibi sint omne malum evasisse, jugumque hostium excussisse; sed subito mutatus est rerum status, et misere perierunt, ut Hoseae regi contigit. HIERONYMUS: „Et si exaltati fuerint ut volucres, inde detraham illos." אִיסְרֵם recte Chaldaeus vertit: *castigationes adducam super eos*. Cf. 5, 2. Est Futurum Hiphil verbi יָסַר, retenta prima radicali י, pro אוֹסִירֵם. In nonnullis exemplaribus posterius י non legitur, ac tum אֲיַסְּרֵם, Piel, proferri possit. כְּשֵׁמַע לַעֲדָתָם *Secundum auditionem*, i. e. verbum *auditum* et annunciatum (Hab. 3, 1. Jes. 53, 1.) *coetui ipsorum*, i. e. corripiam eos, prout auditum est a coetu eorum tam olim in deserto, juxta admonitiones factas eis in lege (Levit. 26, 14. seqq. Deut. 27, 15. seqq. 28, 15. seqq.), si a me deficerent, quam postea, praedicantibus et contestantibus prophetis. Cf. Jer. 6, 18. Ita GROTIUS: „Prout saepe eos contestatus sum per prophetas, 2 Reg. 17, 13 — 23." Sunt qui vertant: *castigabo eos juxta famam* et rumorem *de coetus ipsorum* clade perlatam, quasi aliquam cladem Israelitis inflictam denotet, de quo eo tempore fama spargebatur. שֵׁמַע enim, quod proprie *auditionem* notat, aliquando *rumorem* et *famam* indicat, ut Latinis simili ratione *auditio* interdum *rumor* dicitur. Similis loquutio Jes. 23, 5. כַּאֲשֶׁר שֵׁמַע לְמִצְרַיִם יָחִילוּ כְּשֵׁמַע צֹר *quemadmodum auditione Aegypti intremuerunt aeque auditione Tyri*, rumore calamitatis ipsius audito. Non tamen deerant illo tempore recentiorum calamitatum exempla ad comparationem. Graviter enim afflicti fuerant ab Assyriis non semel. Magis tamen arridet sententia primo loco enarrata.

13. אוֹי לָהֶם *Vae* itaque *illis!* propter ea quae dixi eis obventura. כִּי־נָדְדוּ מִמֶּנִּי *Nam divagati sunt a me*, a cultu meo, vel ab obedientia mea. Cf. not. ad Ps. 31, 12., ubi eadem loquendi formula. שֹׁד לָהֶם *Vastatio* certo determinata est et veniet *illis*. כִּי־פָשְׁעוּ בִי *Quia a me defecerunt*, vid. not. ad Jes. 1, 2. Chaldaeus eodem, quo illic, et hic, modo vertit: *quod rebelles sunt in verbum meum*. וְאָנֹכִי אֶפְדֵּם *Et ego redemi eos*, id est, ut recte Chaldaeus, *et ego liberator eis exstiti*, non tantum olim e servitute Aegyptiaca (de qua liberatione verbum פָּדָה usurpatur Deut. 7, 8. 13, 6. 21, 8. Mich. 6, 4.), verum et nuper a Syris, Jeroboamo II., vid. 2 Reg. 14, 25. seqq. Pro iis tamen beneficiis pessimam mihi gratiam referunt, וְהֵמָּה דִּבְּרוּ עָלַי כְּזָבִים *at ipsi adversus me loquuntur mendacia*, dum meliora polliciti in priora vel deteriora etiam peccata relapsi sunt, et

dum se pios mei cultores simularent, idola adorabant, quod Israelitis objicitur 2 Reg. 17, 9. Cf. infra 12, 1. 2. Ps. 78, 36. Amos 2, 4.

14. וְלֹא־זָעֲקוּ אֵלַי בִּלְבָּם *Neque clamant ad me ex animo suo*; malis pressi ad me vociferantur, sed sine pietate in me, non uti sinceri mei cultores. Cf. Jes. 29, 13. Usurpatur phrasis illa inprimis frequenter in libro Judicum de Israelitis oppressis, et liberationem quaerentibus, vid. Jud. 3, 9. 15. 6, 6. 7. 10, 10. 1 Sam. 12, 8. 10. Clamant, inquit vates, ad me, sed non בִּלְבָּם *in corde suo*, i. e. non cum vitae melioris proposito, sed tantum ex impatientia malorum suorum, solo metu et sensu periculi ad id adducti. כִּי יְיֵלִילוּ עַל־מִשְׁכְּבוֹתָם *Quando ejulant super cubilibus suis*, angore et moerore confecti in lectis insomnes per totas noctes ejulant. יְיֵלִילוּ Futurum Hiphil verbi יָלַל in Kal non usitati, pro יְהֵילִילוּ (Jes. 52, 5.), ה in י emollita. Vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 389. seq. et *Grammat. min.* §. 69. p. 128. ed. undec. Cf. Roorda *Grammat.* P. I. p. 165. עַל־דָּגָן וְתִירוֹשׁ יִתְגּוֹרָרוּ *Propter frumentum et mustum congregant se*, quando messis et vindemia minime respondet votis agricolarum, congregant se idolorum cultores in fanis suis petituri ab idolis triticum et vinum, vel solennes pompas ducunt, placandi Numinis causa. יָסוּרוּ בִּי *Recedunt contra me*, i. e. non tantum recedunt a cultu meo, verum etiam contra nituntur eos revocanti et contumaciter omnia agunt.

15. וַאֲנִי יִסַּרְתִּי חִזַּקְתִּי זְרֹעֹתָם. Hunc Versum cum proximo nonnulli ita conjungunt: *quia igitur ego castigavi eos*, *et* mox *confirmavi brachia eorum*; וְאֵלַי יְחַשְּׁבוּ־רָע illi *vero* nihilominus *contra me cogitant malum*, ideo cadent gladio principes eorum (Vs. 16.). Alii putant hic in specie redargui ingratae mentis vitium. Chaldaeus: *quantum vero adduco super eos castigationes*, *et robur addo brachiis eorum*, *tantum etiam illi cogitant addere coram me mala.* Grotius: „Sive eos punirem, sive vires ipsis adderem, semper me dehonestarunt per imagines. Sed יִסַּר non tantum *castigare*, verum et *erudire*, *instituere* (quod fit castigando et serius monendo) denotat. Vertendum igitur: *ego erudivi et roboravi brachia eorum*, i. e. docui eos brachiis recte in dimicando uti, erudivi ea ad bellum, ut Ps. 18, 35. מְלַמֵּד יָדַי לַמִּלְחָמָה *qui docet manus meas ad bellum*, et Ps. 144, 1. הַמְלַמֵּד יָדַי לַקְרָב אֶצְבְּעוֹתַי לַמִּלְחָמָה *qui docet manus meas dimicare*, *digitos meos ad bellum* gerendum *instruit*. חִזַּקְתִּי זְרֹעֹתָם *Confirmavi brachia eorum*, vires eis auxi, Ezech. 30, 24. 25., ut hostes repellerent, et terminos regni reducerent, quod suh Joaso, 2 Reg 13, 15—25., et inprimis Jeroboamo, 2 Reg. 14, 25. 26. est factum. וְאֵלַי יְחַשְּׁבוּ־רָע *Sed* illi *adversus me* (pro עָלַי) *cogitarunt malum*, dum meum cultum vel deseruerunt prorsus, vel idolorum cultui junxerunt. Reges Israelis omnes ac singuli

(etiam illi, qui cetera laudabiles fuerunt, ut Jehu, 2 Reg. 10, 31. Joas, 13, 2., Jeroboamus II., 2 Reg. 14, 24., et ultimus, Hoseas, ibid. 17, 2.) superstitiosum vitulorum cultum, contra tot monita et severissimas prophetarum correptiones (cf. infra 8, 5.), nihilominus retinuerunt, iisdem rationibus politicis permoti, quibus illum introduxerat Jeroboamus I., vid. 1 Reg. 12, 26. seqq.

16. Verba יָשׁוּבוּ לֹא עָל plures reddunt: *convertunt se*, sed *non* ad *Altissimum*, coll. supra Vs. 10. Jerem. 4, 1. quasi עָל idem sit quod עֶלְיוֹן. Ita KIMCHI: „Cum eis calamitas ingruit, ad idola sua sese vertunt, et ad ea clamant, non ad me, Dominum totius orbis terrarum.“ GESENIUS quoque in Lexico עָל hic capit pro nomine *summitatem* denotante, et hic pro concreto posito, ut לֹא עָל *non summus*, i. e. *non-deus* sit, aut collective *non-dii*, idola. Vel לֹא עָל idem quod בְּלִיַּעַל *ignobile*, nequitiam esse. Sed malumus עַל hic, ut 2 Sam. 23, 1., adverbialiter capere, hoc modo: *convertuntur*, sed *non sursum*, πρὸς τὰ ἄνω, ut infra 11, 7., ad coelestia et divina, sed, ut supra Vs. 14. dictum, τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες, ὧν ὁ θεὸς ἡ κοιλία, Phil. 3, 19. Scribitur vero עַל h. l. per Camez, ob accentum Zakeph, quemadmodum id ipsum adverbium 2 Sam. 23, 1. scribitur ob accentum Rebiah; legitur enim ibi: נְאֻם הַגֶּבֶר הֻקַם עָל *dicit vir*, qui *constitutus est supra*, vel *sursum*. הָיוּ כְּקֶשֶׁת רְמִיָּה *Facti sunt sicut arcus dolosus*, „qui percutit dirigentem, et vulnerat Dominum suum,“ inquit Hieronymus. Ita et Hebraei ferc. Rectius tamen alii *arcum remissum* intelligunt, i. e. qui, nervo rumpente, fatiscit, nec ferit jaculando; cf. not. ad Ps. 78, 57. Quae comparatio optime quadrat. Israelitae enim, si aliquando ad meliorem frugem redire coeperunt, mox remiserunt, et in priorem relapsi sunt impietatem. יִפְּלוּ בַחֶרֶב שָׂרֵיהֶם Ideo *gladio cadent* impii *principes eorum*, de quibus Vs. 4. 5. 9, 15. מִזַּעַם לְשׁוֹנָם *Ob furorem*, protervium, *linguae eorum*, ob maledicta quibus me lacessunt, Vs. 14. KIMCHI; „Propter verba, quibus Deum ad iram provocarunt. Ea erant, cum dicerent, se, si hostis ingrueret Assyrius, in Aegyptum petendi auxilii causa profecturos.“ זוֹ *Haec*, pro זֹאת, ut Ps. 132, 12. לַעֲגָם בְּאֶרֶץ מִצְרָיִם Erit *subsannatio eorum in terra*, vel, *ob terram Aegypti*, i. e. in extrema sua necessitate non tantum vana spe se delusos sentient ab Aegyptiis, in quibus fiduciam suam collocabant (Vs. 11.), sed quo nihil gravius miseris accidere potest, illa ipsa clades his, quos sibi putabant amicos foederatosque, ludibrio erit atque irrisioni. Genuinum est Jesajae oraculum 30, 3., ubi legationem ad Aegyptios hoc tempore missam ignominiam ejus auctoribus futuram praedicit. Minus commode alii *derisionem* capiunt active, de eo quo Ephraimitae Deum deriserunt quasi et ludibrio habuerunt in Aegypto. Ita Chaldaeus, quocum consentit Hieronymus: *ita erant opera eorum, dum essent in terra Aegypti.*

CAP. VIII.

Argumentum.

Comminatur hostem invecturum in Israelem ac destructurum, quod Jova despecto et inconsulto et regnum sibi et rempublicam instituerint, atque idolorum gentiumque opem amicitiamque ambierint, et urbes arcesque aedificaverint, quae eos juvare nihil poterunt, quin pereant. De tempore editi hujus vaticinii vid. Argument. Cap. 7.

1. אֶל־חִכְּךָ שֹׁפָר *Ad palatum*, guttur, i. e. per synecdochen, os *tuum tubam*, s. buccinam scil. *pone*, *adhibe*. Chaldaeus: *propheta*, *clama gutture tuo*, *quasi sit tuba*. Quod paucissimis verbis dicit Hoseas, idem pluribus exprimit Jesajas 58, 1. *Clama gutture effuso*, *attolle quasi tubae tuam vocem*. Sequuntur jam verba, quae proclamare vates jubetur, quare recte illis Chaldaeus praemisit: *dic:* כְּנֶשֶׁר עַל־בֵּית יְהוָה *sicut aquila* velociter adveniet hostis *contra domum Jovae*. Chaldaeus: *ecce*, *sicut aquila*, *quae effundit se* (דְּמִשְׁתְּרֵי), i. e. volat, *sic ascendet rex* hostilis *cum copiis suis*, *et castra metabitur contra domum Domini*. Aquilae, qui alis suis rapidissime fertur, et summo cum impetu, maxime eum in praedam ruit (vid. Bocharti *Hieroz.* P. II. L. II. Cap. 2. T. II. p. 570. edit. Lips.), saepius comparatur hostium inopinato involantium velocitas et impetus, vid. Deut. 28, 49. Jerem. 48, 40. Habac. 1, 8. Matth. 24, 28. et not. ad Ezech. 17, 3. *Domo Jovae*, בֵּית יְהוָה, h. l. non templum Hierosolymitanum indicari videtur, sed *terra Israelitica*, Jovae peculiari quodam modo propria, ut infra 9, 8. 15. Jerem. 12, 8., vel *populus Israeliticus*, qui et Num. 12, 7. *familia Dei*, *οἶκος Θεοῦ* (1 Tim. 3, 15. Hebr. 3, 6.) dicitur. Causam, cur hostis impetum suis annunciare vates jubetur, subditur: יַעַן עָבְרוּ בְרִיתִי *quia transgressi sunt*, violarunt, *foedus meum*, 6, 7. Jes. 24, 5. וְעַל־תּוֹרָתִי פָּשְׁעוּ *Et contra* universam *legem meam*, per Mosen eis promulgatam (Vs. 12.) *contumaces fuerunt*, ab ea defecerunt, eamque neglexerunt; cf. Jerem. 6, 19. 9, 12. 16, 11. Ezech. 22, 26. Hieronymus: „meas ceremonias reliquerunt.“

2. לִי יִזְעָקוּ Et *ad me* tamen *clamant*, audacter me compellant impudentissimi hypocritae, 7, 14. אֱלֹהַי Distributive intelligendum: *Deus mi!* unusquisque eorum clamat. יְדַעֲנוּךָ *Novimus te*, agnovimus te numen nostrum venerandum, 1 Sam. 2, 12. יִשְׂרָאֵל *Israel*, populus tuus, quem tibi elegisti. Chaldaeus: *quoties supervenit eis calamitas*, *coram me orant et dicunt: nunc agnoscimus nullum nobis Deum esse praeter te; libera nos*, *quia nos sumus populus tuus Israel.*

3. זָנַח יִשְׂרָאֵל טוֹב *Rejecit Israel bonum*, i. e. Chaldaeo explicante, *errarunt Israelitae a post cultum meum*, i. e. per

errorem Israelitae cultum meum deseruerunt, ob quem iis conferre bonum soleo. זָנַח propr. *rancidus fuit*, ut Arabicum زَنِخَ, hinc *abominabilis fuit*, et transitive valet *rejicere* quid, ut foetidum veluti Ps. 43, 2. 44, 10. 24. 74, 1. Zach. 10, 6. al., hebraico זָנַח immerito abjudicatur a Schroedero. Est autem ista *repudiandi* notio cognata *irae*, *odii* significationi, quae arabico زَنَخَ, ut verbis aliis similis significationis, inest. Vid. not. ad Ps. 60, 3. אוֹיֵב יִרְדְּפוֹ Ideo *hostis*, quem Vs. 1. advocaverat, ut velocissima aquila praedam, *persequetur eum*, ita ut effugere nequeat.

4. הֵם הִמְלִיכוּ וְלֹא מִמֶּנִּי *Ipsi reges constituerunt, sed non ex me, non ex meo jussu*, ut Chaldaeus explicat. Sunt, qui de regibus per seditionem constitutis, quales Simri, 1 Reg. 16, 9., Omri, Vs. 16., et Sallum, 2 Reg. 15, 10., hunc locum capiant. Plerique tamen Jeroboamum I., non exclusis illegitimis successoribus. Seditiose quippe Jeroboamum fuisse a populo electum, ipsumque regnum arripuisse, patet ex 1 Reg. 11, 26. seqq. et 12. הֵשִׂירוּ Jarchi exponit *removerunt* scil. eos, reges, a se constitutos, וְלֹא יְדַעְתִּי *me inscio*, non consultus ab illis, quasi השירו esset pro הֵסִירוּ (Dan. 11, 31.), coll. infra 9, 12., notatque Masora parva, verbum illud *removendi* significatu usurpatum nusquam alias comparere cum Sin scriptum. Sensus hic minime incommodus; diceretur enim, non ad Dei nutum, sed ex suo placito fixisse Israelitas atque refixisse imperii leges et reipublicae formam. Chaldaeus autem habet: *ad dignitatem evexerunt, sed non ex voluntate mea;* vocem igitur הֵשִׂירוּ a שׂוּר deductam voluit, quod est *principatum gerere*, cf. 12, 5. Nec aliter reliqui veteres, atque interpretum recentiorum plerique, et recte quidem; ita enim ostendit vates, unde perveniret regum principumve notata ante 7, 3. 5. 7. corruptio, nimirum, quia in regum, sic in principum quoque delectu nulla habebatur divinae voluntatis ratio, ut mirum non esset, quum profana esset eorum in munus immissio, profanum quoque esse eorum regimen, et ad exemplum eorum se componentem universum populum; sed et ostendit sic, cum in summae, tum in inferioris potestatis constitutione procul habitas divinae voluntatis leges, ut ubique probaretur populus Deum suum deseruisse. כַּסְפָּם וּזְהָבָם עָשׂוּ לָהֶם עֲצַבִּים *Argentum suum et aurum suum fecerunt*, conflarunt *sibi* in *idola*, cf. 2, 10. 13, 2. Indicantur procul dubio vituli Jeroboami, quorum erectio hic cum regni constitutione conjungitur; vid. 1 Reg. 12, 26. seqq. לְמַעַן יִכָּרֵת *Ut exscindatur* respublica, sive, quisque eorum. Alii: *argentum*, ut sit comminatio de perdendis, ob istud abusum, divitiis. Sed praestat, cum veteribus omnibus, de exscindendis et exstirpandis ipsis idololatris haec verba accipere. Denotatur particula לְמַעַן non quidem finis ab

idololatris intentus, nec simplex eventus, sed reatus et eventus necessarii causa, ut Mich. 6, 16. docetur, improba opera ipsis cedere improbis in perniciem; quod ibi simili nostrae loquutioni exprimitur, dum Deus ait: *statuta Omri servantur*, לְמַעַן תְּהִי אוֹתָךְ לְשַׁמָּה *ut dem te in desolationem.* Nec obstat, quod hic non est לְמַעַן הַכָּרֵת *in excisionem*, ut in Michae loco לְמַעַן תְּהִי, nil enim hujusmodi enallage frequentius, ad quam tamen necessarium non est confugere, si cum Kimchio subaudiamus שֵׁמָם *nomen eorum.* Cf. Jerem. 44, 8. *Me vestris factis irritatis, alienis adolendo diis*, לְמַעַן הַכְרִית לָכֶם *ut exscindamini*, וּלְמַעַן הֱיוֹתְכֶם לִקְלָלָה *et detestabiles sitis ac infames omnibus terrarum gentibus.*

5. Verba זָנַח עֶגְלֵךְ שֹׁמְרוֹן plures sic interpretantur: *rejecit vitulum tuum* scil. Deus. Sed Deus in prima persona hic loquitur, uti docent verba proxima: *exarsit ira mea in eos.* Alii, *hostis* nomen supplentes reddunt: *removit vitulum tuum* hostis, aureum nempe idolum tanquam praedam auferens. Verum non tam poenam idololatriae denuntiari, quam crimen exprobrari hoc Versu apparet. Nobis aptissimum simul et simplicissimum videtur, ita vertere: *rejecit vitulus tuus, o Samaria!* eos scil. Israelitas; *rejecit vitulus* perinde est, ac vitulus, in cultum receptus, in causa est, cur rejiciantur. Cf. infra 10, 15. *Sic fecit vobis Bethel.* Accusativus *eos* facile subauditur tam ex iis quae praecesserunt, in quibus de Israelitis sermo erat, quam e proximo בָּם. Hujus Accusativi ellipsis est qualis 4, 12. in הִתְעָה, aliisque in locis haud paucis. Est vero post hoc ipsum verbum זָנַח Accusativi e contextu subaudiendi ellipsis usitata, vid. Ps. 44, 10. 24. 74, 1. 89, 39. Opponuntur haec ei, quod supra Vs. 3. dictum: *rejecit Israel bonum.* De verbo זָנַח vid. ibid. Bethelis et Danis vituli (1 Reg. 12, 28. 29.) a prophetis quandoque Samariae tribuuntur, quia haec regni caput erat; cf. 10, 5. Amos 8, 14. חָרָה אַפִּי בָּם *Exarsit ira mea in eos*, Num. 11, 33. 2 Reg. 23, 26. Jes. 5, 25. עַד מָתַי לֹא יוּכְלוּ נִקָּיוֹן *Quousque non poterunt* ferre, sive admittere *munditiem?* Post יוּכְלוּ subaudiendum aliud verbum, ut et aliis in locis ad odium ac detestationem designandam adhiberi solet, ut Ps. 101, 5.: *Superbum* לֹא יוּכַל *non possum* scil. ferre, vid. not. ad eum loc., et Jes. 1, 13.: *Iniquitatem non possum* scil. ferre. Est vero hoc ad Israelitarum improbitatem aggravandam significantissimum, quod *innocentiam ne ferre quidem potuisse* dicuntur. Similiter Jeremias 13, 27.: לֹא תִטְהָרִי אַחֲרֵי מָתַי עֹד *post quantum tempus adhuc non mundaberis?*

6. כִּי מִיִּשְׂרָאֵל וְהוּא *Nam*, ut demonstrem justitiam querelae meae, et illorum dementiam, *ab Israele et ipse* vitulus ille *est*, ortum suum habet, prodiit ex eorum officina, ab ipsorum regibus excogitatus et adinventus. Hieronymus: „Non ab aliis, ait, vitulum gentibus accepistis, ut Baal et Astaroth a Sidoniis,

ut Chamos a Moabitis, ut Moloch ab Ammonitis; sed vos ipsi, et rex vester Jeroboam, quod in Aegypto didiceratis, fecistis in Israel." חָרַשׁ עָשָׂהוּ *Faber*, artifex, *fecit eum*, cf. 13, 2. Jes. 40, 19. 20. 41, 7. 44, 9—12. וְלֹא אֱלֹהִים הוּא *Adeoque Deus non est*, cf. Jes. 37, 19. Chaldaeus: *idolum, cui utilitas non inest.* כִּי־שְׁבָבִים יִהְיֶה עֵגֶל שֹׁמְרוֹן *Nam fragmenta fiet vitulus Samariae*, i. e. in frusta comminuetur, quomodo Aaronis vitulus, qui in pulverem comminutus est, Exod. 22, 20. Deut. 9, 21. שְׁבָב Talmudicis est *frangere*, et מַכְשׁוּרָא *fragmentum de trabe.* Inde igitur שְׁבָבִים a propheta pro *fragmentis* usurpatur. Quare Chaldaeus habet: *in fragmenta tabularum erit.*

7. כִּי רוּחַ יִזְרָעוּ וְסוּפָתָה יִקְצֹרוּ *Quia ventum seminant* vanissimo cultu suo (cf. 12, 2.), ideo *turbinem* s. *procellam maximam* (nam ה paragogicum intendit significationem, ut in אֵימָתָה Exod. 15, 16., עֻזָּרָתָה Ps. 63, 8.) *metent* tanquam fructum, seu poenam suae impietatis. Verbis *ventum seminare* non tam laboris studiique inanitas indicatur, quemadmodum Graecis proverbium huic non dissimile est de vano labore, *ἀνέμους γεωργεῖν*, *ventos colere*, quam potius, uti ex addito *turbinem metent* patet, irritum illum laborem damnosum finem allaturum. Hoc igitur vult propheta, amplissimos Israelem, labori tamen convenientes, fructus relaturum. Magno conatu magnas nugas egerat Israel, dum assiduum se sisteret in idolorum cultu; erat hoc quasi ventum seminare, ventum erat messurus. An ventum? imo procellam ac discutientem omnia turbinem. Similiter Proverb. 22, 8.: *Qui serit iniquitatem, metet vanum*, infortunium. Contrarium commendatur infra 10, 12. Alii ad damna, quae Ephraimitae per foedera, nunc cum Assyriis, nunc cum Aegyptiis inita, sibi conciliaverant, respici putant, tam ob locum geminum infra 12, 2., quam ob pericopam proximam, Vs. 8. 9. 10., qua summa Israelitarum calamitas et exilium ex eorum commercio cum exteris gentibus expresse derivatur. Cf. Gal. 6, 7. 8. קָמָה אֵין־לוֹ *Stans seges non* erit, s. relinquetur *ei*, Israeli, sed omnia prosternentur. קָמָה, inquit DRUSIUS, „proprie *fruges Cereales nondum demessae.* Appellatio a *stando*, nam quia in agro adhuc stant, inde nomen habent. *Segetem* vocant; ea cumulum cum spica comprehendit." צֶמַח *Germenque*, herba segetis, Gen. 19, 25. Ezech. 16, 7. Ps. 65, 11. בְּלִי יַעֲשֶׂה־קֶמַח *Non proferet farinam*, s. grana, unde farina fiat. Id propric quidam accipiunt de frumenti penuria, coll. 9, 2. Amos 4, 6. Alii vero, ut prius hemistichium, rectius figurate, ut indicetur, omnia, quae Israelitis adhuc supererant, aut sperari poterant bona, praesidia, consilia, irrita prorsus ipsis fore. Ceterum observa paronomasiam in צֶמַח et קֶמַח. אוּלַי יַעֲשֶׂה Et *si forte* (ut Genes. 18, 24. 28.) quid *fecerit* aut protulerit, זָרִים יִבְלָעֻהוּ *barbari* tamen, *peregrini* milites, s. hostes *illud deglutient*, absument, cf. Jes. 1, 7. 28, 4.

Si qua inani vel speeie vel spe pascent sese, הַשְּׂמֵחִים לְלֹא דָבָר, *gaudio exsultantes ob rem nihili*, uti est Amos 6, 13., videbunt tamen, suae procellae semente eam dispelli, transferente ad hostes quicquid bonorum ipsis reliquum videbatur.

8. נִבְלַע יִשְׂרָאֵל Totus fere *devoratus* aut *absorptus est* ab hostibus suis *Israel*, vid. supra 7, 8. 9., et cf. Jes. 9, 15., ubi verbum eodem sensu usurpatum. Aliis נִבְלַע est Praeteritum propheticum pro Futuro, quasi dicat vates: ut rem breviter dicam, et ultimum ejus eventum indicem, velut ab avida et crudeli bestia tandem absorbebitur Israel, cf. 13, 8. עַתָּה הָיוּ בַגּוֹיִם *Nunc facti sunt*, s. fient *inter gentes* dispersi, quod quidam subaudiunt, sine necessitate. Praestat, הָיוּ, *erunt*, capere pro *aestimabuntur*, inter gentes non in honore aut pretio, sed כִּכְלִי אֵין־חֵפֶץ בּוֹ *sicut vas* aliquod inutile aut nullius pretii, *in quo nullum est desiderium*, quod nemo curat et diligit, cf. Jer. 22, 28. 48, 38. Ps. 31, 13.

9. Verba כִּי הֵמָּה עָלוּ אַשּׁוּר *nam ipsi ascenderunt Assyriam* Chaldaeus reddidit *nam ipsi exules migrarunt in Assyriam*. Male; indicatur causa, cur devorati aut devorandi sint, *quia in* Assyriam sint profecti, opis petendae causa, uti dixit supra 5, 13. 7, 11.; cf. 2 Reg. 15, 19. Negotium interpretibus facessit, quod Israelitae Assyriam petentes, hic ad eam *adscendere* dicuntur, quum 2 Reg. 17, 3. rex Assyriae Hoseam, regem Israelitarum, aggrediens, adversus eum *adscendere* dicitur. Kimchi in declaranda hujus loquutionis ratione dubius est, num עָלָה h. l. simpliciter valeat *abire*, ut Exod. 1, 10. Jerem. 37, 5, an vero vates *adscendendi* verbo hic ideo sit usus, quod quum Phul, Assyriae rex, venisset in terram Israel tempore Menachemi, regis, illum adeuntes Israelitae etiam editiora loca suae regionis adscendisset, ubi rex castra haberet, prae studio ineundi cum eo foederis. Quod quam sit longe petitum, non est quod moneamus. Sed quod hic Israelitae ad Assyriam *ascendisse* dicuntur, respicit situm regni illius Israelitis borealem (vid. C. B. Michaelis Dissertat. *de notionibus Superi et Inferi* rel. §. 10. 13., in *Commentatt. theologg.* P. V. p. 411. 417.); cum vero 2 Reg. 17, 3. rex Assyrius *ad terram Israeliticam ascendisse* dicitur, est respectus militaris, vid. laudat. Dissertat. §. 30. p. 442. Quae sequitur comparatio, פֶּרֶא בּוֹדֵד לוֹ *onager solitarius sibi*, dissentiunt, pertineatne ad Assyrium regem, an vero ad Israelem. Qui ad Assyrium referunt, spectari existimant indomitam onagri indolem, cui Assyrius comparetur suis viribus glorians et sua tantum commoda spectans. Sed recte Chaldaeus interpres vidit, illam comparationem spectare Israelitas: *propterea quod iverunt in voluntate animi sui, sicut onager refractarius.* Cum eo libertatis amantissimo animali, ut nullo modo cicurari possit (vid. Bochartı *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. 16. T. II. p. 219. edit. Lips.

et Job. 39, 8. seqq.) comparantur Israelitae ob eorum indomitam in rejiciendis monitis frugi pervicaciam. Similiter Arabes *lalisionem solitarium*, et *asinum solitarium* dicunt de contumaci, obstinato, suique cerebri homine. אֶפְרַיִם הִתְנוּ אֲהָבִים *Ephraimitae data mercede conduxerunt amores*, cf. 2, 11 (al. 14.), sive uti Hieronymus vertit: *munera dederunt amatoribus.* Cf. Ezech. 16, 33. Donis ambierunt amicitiam et societatem cum Assyriis et Aegyptiis, Jova neglecto, a quo solo auxilium eis exspectandum erat. תָּנָה in Kal et Hiphil significat *mercedem*, *donum dare*, *porrigere*, *tradere*, cf. Vs. 10.

10. גַּם כִּי *Etiamsi*, *vero*, 9, 16. Jes. 1, 15. Vulgatus: *Sed et quum.* יִתְּנוּ בַּגּוֹיִם *Pacti fuerint* amores et auxilia (Vs. 9.) *inter gentes*, i. e. utut sub certis conditionibus paciscantur cum aliarum gentium regibus, in contractuum firmitatem sua iis dona dependentes. Videntur inprimis indicari gentes Aegypti, ad quas miserunt contra Assyrios excitandas, Vs. 13. „Verbum יִתְּנוּ, vel, ut in aliis libris legitur, יִתְנוּ, dupliciter sumitur et intelligitur ab interpretibus. Quidam deducunt a נָתַן, ex significatione *dandi.* Sic sumptum exponunt: *etiam*, *quia dederunt* (dona, qualia amatores solent dare meretricibus) *gentibus;* vel, *postea quam dederunt dona gentibus*, ad quas se contulerunt auxilii petendi causa, *mox congregaturus sum eos*, i. e. acervatim perditurus. — Alii deducunt a תָּנָה, quod *mercede conducere*, et *pacisci* significat; legentes יִתְנוּ, sine Dagesch in Thau, hoc sensu: *quin et quum mercede conduxerint* scil. amatores, *colligam eos*, eo animo, ut huc illuc eos dispergam. Vel: *etiam quum pacti fuerint certis conditionibus cum regibus gentium*, *eisque dona dederint*, *congregabo eas* gentes in terram ipsorum, contra ipsos, ut deportent eos.“ Buxtorf. in *Anti-Crit.* p. 558. seq. עַתָּה אֲקַבְּצֵם *Nunc* tamen brevi (Vs. 13. 5, 7. 7, 2.) *colligam illas* ipsas gentes, ad quas Israelitae confugiunt, non ad salutem, sed interitum eorum. Ita Kimchi, Abarbenel, aliique, collato Ezech. 16, 37., ubi Deus minatur se omnes Judaicae gentis amatores contra eam congregaturum. Sed simplicius alii ad Israelitas Suffixum referunt, diverso tamen modo ac sensu. Aben-Esra ita: *colligam eos* in Aegypto; forsan ex collatione Versus 13. et 9, 6., minus tamen concinne. Rectius alii hoc modo: *colligam eos*, ut vinctos abducendos et inter gentes dispergendos. Alii: *congregabo eos* ad mortem et fame atque gladio perire faciam; cf. 3, 3. 9, 6. Nec minor interpretum dissensus in exponendo altero hemistichio, וַיָּחֵלּוּ מְעָט מִמַּשָּׂא מֶלֶךְ שָׂרִים, maxime ob primum illius verbum, quod haud pauci pro Futuro Piel verbi חָלָה, *doluit*, habent vertuntque hoc modo: *et dolebunt parum ob onus regis principumque*, quod Abarbenel sic exponit: „eveniet, ut quum graviter se angi jam querantur ex onere a rege suo principibusque imposito, quod nunc gerunt, tunc

tamen levi se dolore affectos ex hoc onere agnoscant, utpote quos adeo premet captivitatis miseria, ut pro re levi et exigua sint habituri onus, quod terrae suae possessione adhuc fruentes quondam tulere. Alii verbum וַיָּחֵלּוּ referunt ad radicem חוּל, quae, ut יָחֵל, et cognata Arabica حَلَّ (ex quo Dagesch h. l. derivari poterit) inter alia etiam significat *exspectavit*, *permansit*, *substitit*, vid. Gen. 8, 10. Jud. 3, 25. Hinc quidam cum Hieronymo vertunt: *requiescent paulisper ab onere*, vel, *propter onera*, quae *reges* Israelis eorumque *praefecti* illis imponunt, ut pecuniam regi Assyriorum adpendant, coll. 2 Reg. 15, 20. 17, 3. Grotius: „Est *χλευασμός*. Conquesti vehementer sunt de iis oneribus, quae reges ipsis imponebant, ideoque reges et praefectos occiderunt, 7, 7. 16. Efficiam ego, ne quidquam pendant regibus illis et praefectis, nimirum cum servili conditione in Assyriorum terris vivent. Est autem et illud *paulisper* dictum per irrisum; diu enim duratura erat quae hic praedicitur conditio. Sed וַיָּחֵלּוּ a radice חָלַל potius significat *inceperunt*, ut tribus reliquis, quibus eadem forma occurrit, locis, Jud. 20, 31. Ezech. 9, 6. 2 Paral. 29, 17., in quibus *incipiendi* notio extra omnem controversiam posita est, rectius alii nostrum locum ita reddunt: *coeperunt* jam *paullulum* scil. levari *ab onere regis* et *principum*, suorum puta, eo sensu, quem Grotius indicavit. Duo postrema nomina sunt per asyndeton pro מֶלֶךְ וְשָׂרִים posita, ut infra 13, 10. habetur; cf. Jerem. 17, 25. Verbum *levari* ante מִמַּשָּׂא ex re ipsa et constructione facile intelligi, ellipsi minus dura. Sunt quidem, qui sine ellipsi verba ita reddant: *coeperunt* jam *diminui ab oneribus regis et principum*, ut מְעַט non sit particula, sed Infinitivus (formae שְׁכַב 2 Reg. 14, 21.) verbi מָעַט, *minui*, Jes. 21, 17. Ps. 107, 39. Prov. 13, 11. Sed vere monet Maurer in *Commentatt. theologg.* T. II. P. I. p 332. not., verba mediae gutturalis in utroque Infinitivo constanter servare Cholem, et ipsum מְעַט haberi Levit. 25, 16. Ipse vero V. D. locum nostrum illic sic convertit: jamjam *coepti sunt* Israelitae *paululum* (per *χλευασμὸν*) premi *oneribus regis principum*, i. e. regis magni, Assyrii, coll. Jes. 10, 8. 36, 4. Sed postea mutavit sententiam (*Neues krit. Journal der theolog. Literatur*, P. IX. p. 517.), et ellipsin Verbi *premi* duriorem esse agnovit. Jam igitur חָחַל *solvendi* (Num. 30, 3.), hinc *liberandi* significatu capit, et locum sic interpretatur: *tunc* populi hostiles *liberabunt* eos *mox ab onere*, imperio molesto, *regis* et *principum*. Quam interpretationem et Gesenius adscivit in *Lex. Hebr. Lat.* Nobis tamen minus verisimile est, וַיָּחֵלּוּ referri ad populos hostiles, quum Pluralia quae praecedunt de Israelitis intelligenda sint.

11. כִּי *Nam*, ut causas illius poenae porro exponam, earum prima est multiplicatio altarium, altera contemtus legis divinae (Vs. 12.), quae istam multiplicationem severe prohibuit. הִרְבָּה

אֶפְרַיִם מִזְבְּחוֹת *Multiplicavit Ephraim*, et Juda quoque ab eo corruptus (Vs. 14.) *altaria*, 4, 15. Jerem. 11, 13. לַחֲטֹא *Peccando*, s. *ut ipse peccaret*, ut 1 Reg. 12, 30. 13, 34. Amos 4, 4. Unum namque locum Deus praescripserat, in quo ei sacrificia offerrentur, vid. Deut. 12, 5. sqq. הָיוּ־לוֹ מִזְבְּחוֹת לַחֲטֹא *Factae sunt ei arae in delictum*, uti HIERONYMUS vertit, qui in Commentario haec habet: „Ducti, ait, in captivitatem cessabunt paulisper ab onere regis et principis (Vs. 10.). Et hoc patientur, quia Ephraim, princeps eorum, multiplicavit altaria, non in quibus immolaret Domino, sed in quibus peccatis peccata jungeret, quae altaria, id est, arae vertentur ei in delictum, ut quanto plura fuerint, tanto illius scelera multiplicentur.“ Sensus simpliciter est hic: in majorem condemnationem ei cedent, ut 1 Reg 12, 30. *Fecit vitulos aureos*, וַיְהִי הַדָּבָר הַזֶּה לְחַטָּאת *quod ei in peccatum erat.* Ita et 1 Reg. 13, 33. 34.

12. אֶכְתָּב־לוֹ רֻבֵּי תוֹרָתִי *Praescripsi ei*, Ephraimo, *magnitudines legum mearum*, i. e. dedi eis magnificentissimam, pretiosissimam legem meam, quam Moses Deut. 4, 8. omnibus aliis reliquarum gentium legibus antecedere dicit, et Salomon Prov. 3, 15. *pretiosissimis unionibus omnibusque hominum desideriis* praefert. Pro רֻבֵּי, quod ad marginem legi praecipitur, in textu est רבו, quod רִבּוֹ, quod in libris scrioribus de *myriade* usurpatur, ut Esra 2, 64. Nehem. 7, 66., sed proprie significatione a רִב non videtur diversum fuisse. HILLERUS *de Arcano Kethibh et Keri*, p. 121. et 286. רבו signum judicat, quo indicetur, in aliis codicibus exstitisse singulare רוֹב vel רִב, cum Vav defectivo, in statu constructo positum, ut Job. 32, 7. רֹב יָמִים. כְּמוֹ־זָר נֶחְשָׁבוּ Sed *tanquam alienum* quid *reputantur*, quibus verbis arguit pretiosissimarum illarum legum contemtum et neglectum, quae non pluris ab iis aestimantur, quam si res extranea aliqua esset, quae ad eos minime pertineret. Nam res alienae negliguntur, multoque a nobis minoris, quam nostrae, fiunt. Verbum אֶכְתָּב Syrus recte in Praeterito vertit, vertuntque recentiorum haud pauci, subaudito Vau conversivo, ut in וָאֶתֵּן supra 6, 1., et אֶתֵּן infra 13, 11.

13. זִבְחֵי הַבְהָבַי. Quod attinet *ad sacrificia donorum meorum*, i. e. sacrificia, quae illi offerunt mihi, et quasi porrigunt super altari meo. הַבְהָבִים. KIMCHI recte ait esse nomen a verbo וָהַב *dedit* deductum, duplicatis duabus postremis literis radicalibus, abjecta vero prima radicali, exponitque per מַתְּנוֹתַי *dona mea*. יִזְבְּחוּ בָשָׂר *Mactant* quidem pro sacrificio *carnem*, cf. 4, 13. 14. 19. Ps. 50, 13. וַיֹּאכֵלוּ Eamque *vorant*, 4, 8., cf. not. ad 5, 7. 6, 6. יְהוָה לֹא רָצָם *Jova* vero *minime grata*, et accepta habet *ea*, talia sacrificia. JARCHI: „Dixerat in praecedentibus, quod multis illi altaribus in idololatriam construendi prodigi fuissent; nunc vero minime sibi grata esse ait, quae-

eunque sacrificia in aede sacra offerrent, tales quippe, qui desistere criminibus necdum voluissent; ut non alio eorum spectarent sacrificia, quam ut gulae suae inservirent, oblectarentque se comessationibus; prout comedendi occasionem Eucharistica ministrabant, quae in escam sacrificium offerentibus cedebant." עַתָּה יִזְכֹּר עֲוֹנָם Quin potius *nunc recordabitur iniquitatis eorum*, eam animadvertet, וְיִפְקֹד חַטֹּאתָם *et visitabit peccata eorum*; eadem verba infra 9, 9. repetuntur, atque una cum iis, quae hic praecedunt, יְהוָה לֹא רָצָם, leguntur quoque Jerem. 14, 10. Verba postrema, הֵמָּה מִצְרַיִם יָשׁוּבוּ, nonnulli cum superioribus conjungunt hoc sensu: puniet Jova eorum peccata, quod non ad ipsum, verum ad *Aegyptios convertuntur*, ut auxilia inde petant; cf. 7, 11. 9, 3. 11, 5. Alii accipiunt haec metaphorice, transferendo huc verba Jesajae 10, 26. בְּדֶרֶךְ מִצְרַיִם *juxta modum Aegypti*, ut ejusmodi illis terra praedicatur exilii locus, ubi procul negotiis divinis, sicut in Aegypto olim prisca gens Israelis, duraque pressus servitute aerumnosam esset Ephraim tracturus vitam. Quod quaesitum. Non dubium est, esse comminationem, qualis infra 9, 3. 6., ubi itidem Ephraimitae Aegyptum deportandi dicuntur. Etiam Moses Deut. 28, 68. Hebraeis divinas leges transgressuris minatus est, fore, ut in navibus Aegyptum reducantur. Hinc cum prophetae futuram suorum liberationem pollicentur, eos non solum ex Assyria, verum et ex Aegypto reductum iri dicunt, vid. infra 11, 11. Jes. 11, 11.

14. וַיִּשְׁכַּח יִשְׂרָאֵל *Atque* ita *obliviscitur Israel*, 2, 15. 13, 6. Jes. 51, 13. אֶת־עֹשֵׂהוּ *Factorem suum*, Jes 17, 7. 22, 11., ad quem se convertere, cui confidere debebat. Chaldaeus: *reliquit Israel cultum factoris sui*, i. e. Dei, qui ipsum non modo creavit, sed etiam auxit, ornavit, amplificavitque. Ita verbum *facio* sumitur Deut. 32, 6. 1 Sam. 12, 6. *Qui fecit Mosen et Aaronem*, i. e. ad dignitatem promovit. וַיִּבֶן הֵיכָלוֹת *Et* contra *aedificat palatia*, in quibus gloriatur et confidit. Alii: *templa*, s. ut Vulgatus habet, *delubra*, idolis, ut Chaldaeus addit. וִיהוּדָה *Et Juda*, qui, ut in peccatorum, ita eandem etiam in poenae communionem venit, cf. 4, 15. 5, 5. 13. 14. הִרְבָּה עָרִים בְּצֻרוֹת *Multiplicavit urbes munitas*, ut sibi tutum in iis refugium haberet, abjecta in Deum suum fiducia. Vid. Jes. 22, 8. 9. 10. Zephan. 1, 16. Cf. de temporibus Usiae 2 Paral 26, 15. 16., et Hiskiae 32, 5. וְשִׁלַּחְתִּי אֵשׁ *Ideo* per hostes *immittam ignem*, ut Amos 1, 4. 7. 10. 2, 2. 5. בְּעָרָיו *In urbes ejus*, Judae. וְאָכְלָה אַרְמְנוֹתֶיהָ *Et consumat palatia ejus*, scil. Samariae, s. in regno Ephraim constructa, ad quod plures interpretes suffixum femininum trahunt. Veluti ABARBENEL, qui, „constat," inquit, „prophetam quandoque Ephraimi regnum in Masculino exprimere, ipsum Ephraimum spectando, aliquando et in Femineo, ut insinuetur imperii dignitas (cf. not. ad 5, 9.). Aben-Esra vero

verba וְאָכְלָה אַרְמְנוֹתֶיהָ sic explicat: *et consumet* ignis *palatia ejus*, i. e. cuncta singularum civitatum palatia.“ Cf. Amos 1, 7. 2, 2. 5. Aben-Esrae explicatio mihi potior videtur. Nihil enim rationis se offert, cur verba haec postrema ad Ephraimum speciatim dirigamus. Quodsi Ephraimo soli haec dicerentur, credibile est, vatem הֵיכְלוֹתֶיהָ, *templa ejus*, dixisse, quandoquidem modo incusaverat Ephraimum, quod templa construxisset. Liveleus: „Quominus ad Judam utrumque affixum referatur, nihil impedit, ne generis quidem varietas, quam Tremellius hoc evincere dicit, ut alterum relativum ad Israelem referatur. Similis enim relativorum varietas est Thren 2, 5., quae tamen ad idem antecedens referuntur: *Absorpsit* אַרְמְנוֹתֶיהָ *palatia ejus*, *perdidit* מִבְצָרָיו *munitiones ejus*. Nomina propria populorum indifferenter cum masculino vel feminino genere consentiunt: masculino *populi* respectu; feminino *terrae* vel *congregationis* ratione, ut supra 5, 9.“

CAP. IX.

Argumentum.

Israelitas monet, ne aliis populis similes ludis ac festis dent hilares operam, quasi qui Deum non deseruissent (Vs. 1. 2.), quum e sua in alienam terram sint projiciendi, ubi cibis vetitis immundisque vescentur, et sacra Deo grata minime celebrabunt, atque id quidem apud eos, a quibus in rebus angustis omne sibi subsidium prominebant (Vs. 3 — 6.). Causam vero illius vexationis eam esse dicit, quod adeo se in omnem intemperantiam et peccandi licentiam projecere, ut multiplici scelerum profunditate cum Gabaitis Sodomaeisque comparari possent (Vs. 7 — 9.), et quod quum Deus tam fuerit in ipsos eorumque parentes animo liberali atque amanti, ipsi relicta patria religione ad inania foedaque simulacra deflexerint (Vs. 10. 11.). Tandem sterilitatem et orbitatem a liberis minatur, exilium longum, et nullum in nationibus domicilium stabile (Vs. 12 — 17.).

1. אַל־תִּשְׂמַח יִשְׂרָאֵל אֶל־גִּיל *Ne laeteris, Israel, ad exultationem* usque, ut Job. 3, 22. אַל־גִּיל *Ne exulta*, quod veteres omnes expresserunt, De-Rossi vero in nullo codicum a se inspectorum reperit, praeferendum ei quod in codicibus hebraeis est, אֶל־גִּיל, judicavit Cappellus. Sed vere monet Buxtorfius *Anti-Crit.* p. 560., phrasin *laetari ad exultationem* exstare et Job. 3, 23.; contra אַל־גִּיל esse insolitum et incommode dici, quia Adverbium prohibendi אַל Futuro tantum jungitur, nunquam Imperativo; is enim גִּיל h. l. ex sensu illo esse deberet. Pro בָּעַמִּים, quod in libris quamplurimis exstat, et a veteribus quoque

exprimitur, in nonnullis codicibus legitur בָּעַמִּים, cum Beth. Idem sequutus Abarbenel haec verba ad populum in exilio versantem dirigi arbitratur, discedens sic non modo a suo Chaldaeo, qui לָא תְּבוּעוּן כְּנִימוּסֵי עַמְמַיָּא, *ne exultetis juxta mores populorum*, vertit, verum etiam a Masora tam typis exscripta, quam codicis Erfurtensis, quae notat, בַּעַמִּים semel duntaxat occurrere, quum בָּעַמִּים, *in populis*, scriptum et alias reperiatur, ut supra 7, 8. Ps. 108, 4. Nec dubium, textus id seriei magis convenire. Quum notasset propheta 8, 13. 14. Ephraimi in suis sacrificiis voluptates, ac quod intentus modo exstruendis in idololatriam templis securus ageret veri Numinis, in Juda deinde, quod validis fretus munitionibus tutum se haberet adversus hostium vim; pergit nunc ostendere, vanam ex his et decem tribuum et Judae laetitiam, ac frustra esse cum populis eos aliis, quorum commerciis fuerant contaminati (7, 8.), sese componere in festivitatum aliisque solennibus gaudiis. Id comprobat ex idololatriae primum, cujus maculam sibi tam avide contrahebant, foeditate, tum ex tristissimis poenis ideo perferendis. Proinde certum arbitramur, quum minae hae sint, alloquium fieri ad universum Israelem, ut habitantem adhuc in sua terra Quin si legendum בָּעַמִּים, *in populis*, haud putemus id urgere nos, quod ecu ad exulantem Israelem dici accipiamus. Etenim absonum non erat, Israelem, qui miscuerat se gentibus, moneri, ne *in* iis, sive, quae et significatio τοῦ ב, *cum* iis, pergeret oblectamentum capere ex rebus nihili. כִּי־זָנִיתָ מֵעַל אֱלֹהָיִךְ *Nam tu scortaris a Deo tuo*, desciscendo, omisso Deo tuo, foeda in ista idololatria, quam exerces. Cf. eandem phrasin 1, 2, et quoad rem 2, 7. 10. Ezech. 16, 15. seqq. 23, 5. seqq. Hemistichium posterius, אָהַבְתְּ אֶתְנָן עַל כָּל־גָּרְנוֹת דָּגָן, plures sic interpretantur: *amasti mercedem meretriciam* dare *in omnibus areis frumenti*, i. e. simulacris obtulisti in altaribus juxta areas erectis dona, insumens huc decimas, quas ex Lege Deo tuo offerre fuisti obstrictus. Ita Chaldaeus: *amastis cultum idolis offerre super omnibus areis proventus.* Aliter Jarchi: „quod esses similis meretrici ad *accipiendam* meretricis mercedem, super s. in omnibus areis frumenti.“ Hoc convenit cum eo, quod supra 2, 11. legitur, ubi rerum affluentiam accusatur populus accepisse ut *mercedem meretriciam*, qua nimirum obstrictum quasi profitebatur se ad mutuum erga Deos fictos amorem, ut peravide eam desideraverit accipere.

2. גֹּרֶן וְיֶקֶב לֹא יִרְעֵם Sed *area et torcular non pascet eos* frugibus et oleo, ut ipsi sperant, sed e contrario fiet, ut omnis spes et gaudium eorum evanescat; cf. 8, 7. וְתִירוֹשׁ יְכַחֲשׁ בָּהּ *Et mustum mentietur ei*, genti Israeliticae, fallet exspectationem ejus, ut 10, 13. *fructus mendacii* dicitur qui hominum exspectationi non respondet. Sic Habac. 3, 17. *Opus olivae non mentietur.* Simili ratione Horatio *Odar.* 3, 1. *fundus mendax*

dicitur qui domini spem frustratur. Chaldaeus: *non sufficiet eis*, cum per alias calamitates, tum quod hostes omnia absument et diripient. Pro בָּהּ nonnulli codices habent in margine בָּם, alii in textu, contra Masoram impressam et codicis Erfurtensis ad h. l., itemque impressam 2 Reg. 3, 24. LIVELEUS: „Duplex hic lectio fuisse videtur. Graeci, Chaldaeus et Hieronymus legerunt בָּם, *illis*. Masoritae hic annotarunt, a quibusdam eam lectionem fuisse probatam, ut 2 Reg. 3, 24. Vulgaria nunc exemplaria habent בָּהּ. Quod ad sensum attinet, ne pluma quidem interest, utramvis sequamur. Singularis enim numeri vox *illi* Israelitarum congregationem notaverit; ita sensus idem fuerit. Graecis vero et numeri enallage hic est, *pascet eos*, *mentietur illi*, qualis 4, 19. *Ligabit eam*, et *pudefient*."

3. לֹא יֵשְׁבוּ *Non habitabunt*, manebunt, ut sibi imaginantur, cf. Amos 5, 11. Zeph. 1, 13. בְּאֶרֶץ יְהוָה *In terra Jovae*, i. e. Canaane, quam Jova sibi elegit, ut ipse in ea habitaret, et Israelitis, ut populo suo, dedit; cf. Deut. 11, 12. Jerem. 2, 7. 16, 18. Ezech. 36, 20. Verba וְשָׁב אֶפְרַיִם מִצְרַיִם quidam sic capiunt: *et revertitur* quidem *Ephraim* auxilia quaesitum *in Aegyptum;* sed frustra; nam ab hostibus captivi erepti בְּאַשּׁוּר טָמֵא יֹאכֵלוּ *in Assyria res immundas comedere cogentur.* Rectius alii: *Sed revertetur Ephraim in Aegyptum*, contra ac promissum a Mose Exod. 14, 13. *Quos hodie videtis Aegyptios*, *eos numquam posthac visuri estis.* Sed inter minas intentas eis, qui leges divinas sint transgressuri Deut. 28, 68. *Reducet eos Dominus in Aegyptum.* Partem igitur in Aegyptum exules discessuros minatur vates, partem in Assyriam, ibique cibos immundos comesturos, quia eis non licebit illic secundum praescriptum legis divinae vivere, in qua certorum animalium esus vetitus, sed more gentium, quibus servient, vivere cogentur. Quod ipsum minatur Ezechiel 4, 13. *Comedent Israelitae panem suum pollutum inter gentes.* טָמֵא *Pollutum*, i. e. cibos immundos, et ideo prohibitos.

4. לֹא־יִסְכוּ לַיהוָה יַיִן *Non libabunt*, in peregrinis terris *Jovae vinum*, libamina vini, uti recte Chaldaeus. Cf. Exod. 30, 6. Levit. 23, 13. Sunt, qui Futura Versu hoc et proximis usurpata pro Praesentibus capienda existiment, ut notetur id, quod vatis tempore in cultu vitulorum sit factum. Sed contextus seriei magis convenit, cum Hebraeis et Hieronymo haec de futuro exilio intelligere. Quum igitur Versu superiore exilium vates impurarum rerum esu arguisset; alius jam illius effectum describit, sacrificiorum cessationem et abolitionem, de qua supra 3, 4. *Diu manebunt sine rege*, *sine sacrificio*, et quae ibi sequuntur. Sensus est, eos deinceps cum deportati fuerint, non esse sacrificaturos in terra, ubi nec legitimum altare, nec sanctuarium esset. „Omiserunt libare Domino, cum possent; tempus veniet, ut libare Deo velint, et non possint." GROTIUS. Verba וְלֹא עָרְבוּ־לוֹ

non esse jungenda proximo זִבְחֵיהֶם, cum Coccejo, qui vertit: *et non grata erunt ipsi sacrificia eorum*, sed distingui sermonem post לוֹ, apposito huic voci accentu distinctivo Segolta indicatur. Vertendum igitur: *nec*, si vel maxime libarent, *grata erunt ei* libamina. Ludov. de Dieu quidem reddendum censet: *et non miscebunt illi* scil. vinum, ut exprimatur prima verbi עָרַב significatio, qua idem sit quod מָסַךְ, unde et libamen מֶמְסָךְ, *mixtum*, dicitur Jes. 65, 11. Sed *miscendi* significatum עָרַב in Hithpael tantummodo obtinet, vid. Prov. 14, 10. 20, 19. 24, 21. Ps. 106, 35. Esr. 9, 2. Retinenda igitur vulgo recepta interpretatio, cui favet locus Mal. 3, 4., ubi opposita sententia, וְעָרְבָה לַיהוָה מִנְחַת יְהוּדָה *grata Jovae oblatio Judae.* Jam quod de libaminibus dixit, idem de sacrificiis pergit dicere, fore ut ab iis abstineant: זִבְחֵיהֶם כְּלֶחֶם אוֹנִים לָהֶם *Sacrificia eorum quasi panis*, cibus, *luctuum*, s. *lugentium* (nam utrovis modo potest אוֹנִים capi) erunt *eis*, a quo Deus abhorrebat, ut finis hujus Versus ostendit, quo negat *hujusmodi cibos in domum Jovae venire*, i. e. ei gratos et acceptos esse. Si victimas offerre velint, non erunt Deo gratae, quia contra Legem in solo profano offerendae essent. *Lugentium cibus* est is, quo lugentes in coenis funebribus vescebantur. Quo de ritu videre licet Jerem. 16, 7. 8. *Nec impartientur cibum illis in luctu, nec in domum convivii venies.* Item Ezech. 24, 17. *Mortuorum luctum ne facito, neque cibum lugentium comedito.* Ad quem locum cf. not. Erat autem cibus iste impurus, quia a lugentibus, qui polluti habebantur, edebatur, Levit. 21, 1. 3 *Quicquid* enim *pollutus tetigerat, immundum erat*, Num. 19, 22. Hinc Haggai 2, 13. affirmat, *quemvis cibum ab eo, qui immundus esset a mortuo, pollutum esse.* Sed praeter immunditiem alia adhuc causa erat, quare sacrificia Jovae ingrata cibo lugentium comparantur, nimirum quia sacrificia offerentes laetari et cum gaudio id munus obire tenebantur, Deut. 12, 7. Hinc illa Israelitarum professio ibid. 26, 14. *Non comedi ex eo in luctu meo, nec in mortuum ex eo dedi.* כָּל־אֹכְלָיו יִטַּמְּאוּ *Omnes comedentes illum* cibum *polluentur*; cf. Lev. 11, 7. 8. Ezech 44, 25. Tantum abest, ut suis sacrificiis expientur, ut potius omnia ipsis pro peccatis a Deo reputentur. Verba כִּי־לַחְמָם לְנַפְשָׁם quidam vertunt: *nam panis eorum ipsis erit*, i. e. ipsorum tantum usibus, vitae suae sustentandae solummodo inserviet; Deo nihil offerre poterunt. Alii: *cupiditati ipsorum* exsatiandae inserviet; quo sensu נֶפֶשׁ Deut. 12, 15. 20. 14, 26. Ps. 78, 18. usurpatur. Ita Hieronymus: „*Sed erit animae eorum*, est sensus, suae gulae, et suae provident voluptati.“ Sunt etiam qui reddant: *pro mortuo ipsorum*, nam pro *mortuo* נֶפֶשׁ dictum reperitur Levit. 22, 4. Num. 5, 2. 9, 6. 7. 10. Hagg. 2, 13. Nos mallemus verba כִּי־לַחְמָם לְנַפְשָׁם cum proximis, לֹא יָבוֹא בֵּית יְהוָה, jungere hoc sensu: *nam panis ipsorum*, oblatio quam *pro se* offerunt, *non veniet*, non deferetur, *in domum Jovae*

(cf. Jos. 6, 19.), quia *non manebunt in terra Jovae* (Vs. 3.), ubi templum erat, in quo solo sacrificia rite peragi poterant (Levit. 17, 3.), et oblata Deo grata erant.

5. Tertium calamitosae eorum captivitatis argumentum, quod ne festa quidem solennia celebraturi sint. Quod ante 2, 10. (al. 13.) minabatur: *abolebo gaudia*, *festa*, *novilunia*, *sabbata*, *solennitates*. מַה־תַּעֲשׂוּ לְיוֹם מוֹעֵד וּלְיוֹם חַג־יְהוָה *Quod facietis in die solenni, in die festivitatis Domini?* vertit HIERONYMUS, et in Commentario: „Quum venerit, inquit, dies captivitatis, et saevissimus hostis ingruerit, quae mea solennitas est? quam ego placabilem habeo hostiam?“ GROTIUS: „מוֹעֵד, quod hic vertitur *dies solennis*, eximie dicitur de Paschate et illis diebus, quibus ex omni terra in templum conveniri lex praeceperat Exod. 13, 10. 23, 15. 34, 18. Levit. 23, 4. חַג vero, quod hic transtulit *diem festivitatis*, latius patet, ut apparet Jud. 21, 19. Ezech. 46, 11, ubi *interlunia* intellexit Latinus interpres, quas *nundinas* appellat. Quid facietis tunc, ait propheta, cum venient tres illi dies solennes, aut alii dies festi? voletis otiari, sed domini vobis id non permittent; urgebunt vos operibus.“

6. כִּי־הִנֵּה הָלְכוּ מִשֹּׁד *Nam ecce abierunt*, abibunt (Praeteritum propheticum) in exilium *a vastatione*, ob devastationem terrae ab hostibus illatam, cf. 7, 13. מִצְרַיִם תְּקַבְּצֵם *Aegyptus*, in qua auxilium et refugium quaerunt (Vs. 3.) mortuos *colliget*; verba *colligendi* ad sepulturam significandam adhibentur, vid. Jerem. 8, 2. Ezech 29, 5., quemadmodum Arabibus قَبَضَ *comprehensus fuit* i. q. mortuus est. Quare statim subjicitur: מֹף תְּקַבְּרֵם *Sepeliet eos Moph*, Memphis, regum Aegypti quondam sedes. Nomen מֹף, sive, ut in nonnullis codicibus plene legitur, מֹנֹף, contractum ex Aegyptiaco *Menuphi*, quod Graeci *Μέμφις*, et Arabes منف, *Menf*, efferunt, Copti hodienum eam urbis Cahirae partem, quae ab altera parte Nili superest, Arabibusque مصر, *Mesr*, dicitur, appellant *Menf*. HIERONYMUS: „Quid igitur facietis in die festivitatis Domini? (Vs. 5.) Respondete. Illis tacentibus, sibi ipse respondet, imo quae facturi sint, divinis oculis intuetur: Ecce, inquit, miseria et vastitate prementibus, et Assyrio atque Chaldaeo captos ligare cupientibus, ad Aegyptum confugerunt. Ibi Memphis sepeliet eos, quae eo tempore erat metropolis Aegypti, antequam Alexandria, quae prius appellabatur *No*, ab Alexandro Macedone et magnitudinem urbis et nomen acciperet.“ מַחְמַד לְכַסְפָּם *Desiderium* hostium tendet *ad argentum eorum*, ut de Edomo Obad. Vs. 6. נִבְעוּ מַצְפֻּנָיו *expetiti sunt thesauri ejus*. Alii haec verba cum proximis conjungunt hoc

modo: quod ad *desiderabilia* s. *pretiosa* (ut Vs. 16. 1 Reg. 20, 6. Jes. 64, 10.) *argenti eorum* attinet (ut ל sit Genitivi nota, ut 1 Paral. 23, 28. טָהֳרַת לְכָל־קֹדֶשׁ *mundities omnis rei sanctae;* cf. STORRII *Observatt.* p. 291. b.), קוֹמוֹשׁ יִירָשֵׁם *carduus*, s. *urtica ea possidebit.* Sed interpretationem antea priore loco positam videtur accentus Rebia distinguens, voci לַכַּסְפָּם appositus, commendare; tum et numeri mutatio in יִירָשֵׁם *possidebit eos*, i. e. loca ab iis habitata; quod suffixum plurale non satis commode ad singulare מַחְמַד refertur, nisi id collective, et suffixum distributive accipias *(unumquodque eorum)*, cui rationi nec ego admodum refragabor, ut sit: *loca desiderabilia argento eorum* asservando destinata quod attinet, *urtica ea hereditabit*, s. *jure* quasi *hereditario accipiet.* Hieronymus *urticam* reddidit, duobus reliquis, quibus haec vox legitur, locis, Jes. 34, 17. et Proverb. 24, 31. (ubi tamen קִמְשׁוֹן exstat), satis apte, probante quoque CELSIO *Hierobot.* P. II. p. 206. Et R. Tanchum *speciem spinae* notare ait. חוֹחַ בְּאָהֳלֵיהֶם *Spinae* succrescent *in habitaculis eorum*, בְּבַרְנְיוֹתֵיהֶן *in palatiis eorum*, ut Chaldaeus vertit. Eadem sententia Jes. 32, 13. 34, 13., et in Virgiliano illo *Eclog.* 5, 39. *Carduus et spinis surget paliurus acutis.*

7. בָּאוּ *Venerunt*, jam ante fores sunt, cf. Ezech. 9, 1. Mich. 7, 4. Thren. 4, 18. *Venit summa dies, et ineluctabile tempus.* יְמֵי הַפְּקֻדָּה *Dies animadversionis*, cf. 1, 5. 5, 9. 8, 13. LXX: *αἱ ἡμέραι τῆς ἐκδικήσεως*, ut Luc. 21, 22. בָּאוּ יְמֵי הַשִּׁלֻּם *Venerunt dies retributionis*, cf. Jes. 34, 8. יֵדְעוּ יִשְׂרָאֵל idque *cognoscent* et fatcri cogentur *Israelitae*, cf. Ezech. 5, 13. 12, 25. אֱוִיל הַנָּבִיא *Stultus* enim et temerarius est *propheta*, contrarium jam docens, inanibus promissionibus populum lactans, et in malo confirmans, cf. Mich. 3, 11. Thren. 2, 14. הַנָּבִיא interpres Arabicus nondum editus Pocockio laudatus recte vertit: *qui praetendit prophetiam*, s. *se prophetam esse.* מְשֻׁגָּע *Insanus* (1 Sam. 21, 16. Jerem. 29, 26.) אִישׁ הָרוּחַ judicandus est *vir spiritus* vel *venti*, qui temere afflatum se divinitus jactitat, qualis describitur Ezech. 13, 3. Mich. 2, 11. Possunt haec cum hemistichio priore cum Kimchio et sic jungi: tum scient Israelitae et confitebuntur de falsis prophetis, quibus seducti fuerant faustis promissionibus, prophetam esse stultum, et virum spiritus esse insanum. Alii de veris prophetis male contemtis haec accipienda existimant, coll. Jerem. 5, 13. Ita ABEN-ESRA: „Veniunt dies, quibus rependet vobis Deus, quod dicebatis de propheta Domini eum esse stultum, et virum, in quo erat spiritus Domini, eum esse furiosum.“ Verum de mendacibus et fallacibus prophetis agi, omnis orationis series arguit. Mens prophetae in hoc Versu est, certitudinem denuntiari poenarum, sic ut earum securi hactenus Israelitae hujus certitudinis ipso forent eventu convincendi. Id porro adstruit *ὀνασκευαστικῶς*, destruendo spem habitam laetis

pseudoprophetarum vaticiniis, qui, veritatem docente eventu, pro stolidis et amentibus erant agnoscendi. Deinde et κατασκευαστικῶς probat, prope esse istam retributionem debere, quum eam iniquitatum multitudo et odium Dei provocaret. Quod hacc verba volunt: עַל רֹב עֲוֹנֵךְ *propter multitudinem impietatis tuae*, Jerem. 30, 14. 15. וְרַבָּה *Et* propterea quod *multa* s. *magna est*, Coh. 6, 1. subaudita particula causali, ut Jud. 17, 2. מַשְׂטֵמָה *Odium* (cf. verbum Gen. 27, 41. 49, 23.) intelligunt quidam Dei in peccatores quo provocato poenis illos adfligit. Alii intestina et crudelissima odia, quibus fraterna pectora accensa erant. Contextui tamen magis congruit, מַשְׂטֵמָה de infesto Israelitarum in Deum ejusque prophetas animo intelligere, quomodo idem nomen Versu proximo sumendum esse, vix potest dubitari. Chaldaeus haec ad falsos prophetas referens sic vertit: *propterea quod multiplicarunt culpam tuam et confirmarunt peccata tua.*

8. צוֹפֶה אֶפְרַיִם cave vertas *speculator Ephraimi;* nam צוֹפֶה non est in casu regiminis positum, in quo si esset, צוֹפֵה cum *Zere* scriptum esse deberet. Sed quum sit Participium in statu absoluto, patet vertendum esse: *speculator* est *Ephraim*, s. *speculatur Ephraim* scil. alia oracula et auxilia, modo Assyriorum, modo Aegyptiorum. Cf. Thren. 4, 17. אִם־אֱלֹהָי *Cum Deo meo*, s. *juxta Deum meum*, a quo solo auxilium implorandum et exspectandum est. Pro אֱלֹהָי in codicibus nonnullis legitur אֱלֹהֶיהָ, Arabico consentiente interprete, nec non, uti videtur, Chaldaico; is enim prius hoc hemistichium sic vertit: *prospicit domus Israel, quo permaneat eis cultus idolorum suorum.* Alexandrinus suffixum nullum exprimit. Sed recte observat Aurivillius, fortiorem exsistere sensum retenta vulgo recepta scriptura, quam et Syrus atque Hieronymus confirmant. „Capiamus," inquit, „τὸ צוֹפֶה sensu eo, quem habet Thren. 4, 17., *circumspiciendo aliorum auxilia anquirendi*, et erit: *anquirit Ephraim aliorum auxilia cum Deo meo*, i. e. simulat se colere meum Deum, verum illum et aeternum, attamen simul etiam alia oracula, alios deos speculatur; etiam aliunde, quam a Deo vero auxilia circumspiciens anquirit. Produnt haec verba, hypocriseos et idololatriae criminum simul reos fuisse Israelitas." נָבִיא *Propheta* falsus, Vs. 7. 4, 5, quem Israelitae amant, et veris Jovae prophetis praeferunt. פַּח Est sicut *laqueus*, Vs. 1. יָקוּשׁ *Aucupis*, alii: *tendiculae*, cf. Ps. 91, 3. מַשְׂטֵמָה Vid. Vs. 7. בְּבֵית אֱלֹהָיו *In aedem Dei* ipsius, facit hoc odio Dei sui, quem venerari et amare Ephraim debet. Alii *odium* pro *exoso* sumendum censent, ut sit sensus, talem prophetam exosum esse in domo Dei sui. Aben-Esra sensum hunc esse ait: Ephraim ipse facit speculatorem apud Deum meum, i. e. tanquam prophetam, qui speculatur quid futurum sit; sed hic falsus propheta est aliis laqueus aucupis. Nonnulli antithesin propositam volunt hoc Versu inter constitutos

a vero Deo speculatores, et seducentes ad idololatriam ac proinde mancipantes populum irae divinae prophetas. Illos vocare Nostrum צוֹפִים *speculatores*, qui מֻתְיַצְּבִים עַל־מִצּוֹר *constituti in munimento*, uti est Habac. 2, 1. speculari debebant, ut viderent, quid loquuturus ipsis Deus esset. His opponere נָבִיא, *prophetas*, non omnes, non veros, sed qui laquei instar improvidam multitudinem rapiebant in lapsum. De veris prophetis dicere: sunt *cum Deo meo*, ejus solum intenti ministerio, de seductoribus vero, quod vel in domo Dei sui, id est, idololatriae graviter satagendo, *odium* essent, sive causa, cur *odium* suum (de quo et Versu praeced.) Deus et iram in ipsos seductumque populum effunderet. Sed per צוֹפֶה אֶפְרַיִם indicari *prophetam Ephraimitam*, parum verisimile. Neque reliqua hujus explicationis ita sunt comparata, ut sua se facilitate commendent.

9. הֶעְמִיקוּ *Profundarunt*, cf. supra 5, 2. שִׁחֲתוּ *Perdiderunt* scil. vias suas, perdite omnia fecerunt, Exod. 32, 7. Jes. 1, 4. Ps. 14, 1. Recte Hieronymus: *profunde peccaverunt.* Chaldaeus: *multiplicarunt perdere.* Drusius: „*Profunde* posuit pro *valde* sive *multum.* Sic dicimus *profunda nequitia.* Sic *profunda avaritia*, i. e. immensa aut magna. Sic *profunda libido*, et apud Apulejum *profunda aerumna cupidinis.* Tralatio a foveis, quae quo profundiores eo majores sunt.“ Liveleus: „*Profundarunt corruperunt*, i. e. profunde corrupti sunt. In tali enim verborum conjunctione saepe prius adverbii loco ponitur, ut 5, 11. *Voluit ivit*, i. e. voluntarie ivit. Quid autem sit *profunde corrumpi*, disces ex 5, 2. et Jes. 31, 6., atque haud dissimili locutione Sallustii ad Caesarem de republica ordinanda: *Ut ex alienis malis deterrimi mortales ventri atque profundae libidini sumptus quaererent, atque essent opprobria victoriae, quorum flagitiis commacularetur bonorum laus.*“ כִּימֵי הַגִּבְעָה *Sicut in diebus Gibeae*, respicitur ad historiam Levitae et pellicis ejus, quae Jud. 19, 25. 20, 13. seqq. narratur. Tertium, ut ajunt, comparationis alii in nefaria libidine et immisericordia, coll Ezech. 16, 46. 49., alii rectius in pertinacia adversationis ponunt, quod, sicut Gibeonitae et Benjaminitae pertinaciter adversati sunt reliquis tribubus ad meliorem mentem eos revocantibus, sic Israelitae vatis nostri tempore in suis peccatis adeo obdurati fuerunt, ut nullis prophetarum monitis revocari potuerint. יִזְכֹּר עֲוֹנָם Ideo (quod recte praemisit Syrus) *recordabitur culpae eorum*, animadvertet in eam, 7, 2. 8, 13., quod ipsum exprimitur postremis verbis יִפְקֹד חַטֹּאתָם *visitabit peccata eorum*, Vs. 7. Exod. 20, 5., ad quae hucusque connivere visus est.

10. כַּעֲנָבִים בַּמִּדְבָּר *Velut uvas in deserto* siticuloso ac sterili, ubi rarissimae sunt. Respicitur ad desertum, per quod ductus est populus Hebraeus, Deut. 8, 2. seqq. Cf. Jes. 5, 2. Ps. 80, 9. seqq. מָצָאתִי יִשְׂרָאֵל Ego Jova *inveni Israelem*, re-

spicit ad Deut. 32, 10. Cf. infra 13, 5. כַּבִּכּוּרָה *Sicut primitivum* s. *praecocem fructum*, Jes. 28, 4. Mich. 7, 1. בְּתְאֵנָה *In ficu* arbore, Jerem. 8, 13. בְּרֵאשִׁיתָהּ *In primitiis ejus*, quando primi fructus ejus maturi fiunt. Cf. Exod. 23, 19. Num. 18, 12. Deut. 26, 2. 10. רָאִיתִי אֲבוֹתֵיכֶם *Vidi*, et summo amore complexus sum non solum Abrahamum, Isaacum et Jacobum (de quibus id nonnulli accipiunt), sed etiam *majores vestros* in Aegyptiaca servitute. Vid. Exod. 2, 25. 4, 22. Deut. 4, 37., et cf. Ezech. 16, 6. seqq. Amos 3, 2. הֵמָּה בָּאוּ Sed simul ac *illi venerunt* in itinere suo in campos Moabitarum, Num. 22, 1. 33, 48. 49. בַּעַל־פְּעוֹר Ad *Baal-Peor*, ad locum ab idolo sic dictum; vid. Num. 33, 28. 25, 3. 5. Deut. 4, 3. Jos. 22, 17. וַיִּנָּזְרוּ Statim *separarunt se*, alienarunt se a Jova, Ezech. 14, 7. לַבֹּשֶׁת *Ad pudorem*, i. e. pudendam idololatriam; sic idolum saepius *pudor* et *confusio* appellatur, vid. Jerem. 3, 24. 11, 13. Hinc quia Baal erat infame idolum, ideo plura nomina promiscue vel in בַּעַל vel in בֹּשֶׁת sive בֶּשֶׁת desinunt; v. c. יְרֻבַּעַל Jud. 6, 32. i. q. יְרֻבֹּשֶׁת 2 Sam. 11, 21.; et qui 1 Paral. 8, 33. 9, 39. אֶשְׁבַּעַל, idem 2 Sam. 2, 8. 10. vocatur אִישׁ־בֹּשֶׁת; atque מְרִיב בַּעַל 1 Paral. 8, 24. idem qui 2 Sam. 4, 4. מְפִיבֹשֶׁת, Jonathanis filius. וַיִּהְיוּ שִׁקּוּצִים Et sic eis *erant abominanda* idola, eodem nomine et 2 Reg. 23, 13. 24. nuncupata. כְּאָהֲבָם *Secundum amare eorum*, i. e. prout illi varios deos perdite amarunt; Infinitivus cum suffixo. Cum dicit *abominationes fuisse prout amaverunt*, sententia est, iis multa alia abominanda idola fuisse, quae pro arbitrio suo coluerunt, prout amore et quodam libidinis fervore, erga ea abducti fuerunt.

11. אֶפְרַיִם Ideo ad *Ephraimum* s. Israelitas *quod attinet*, Nominativus absolutus qualis 2 Sam. 4, 10. 2 Reg. 25, 22. כָּעוֹף יִתְעוֹפֵף *Sicut avis avolabit*, cito evanescet, eadem imago Jes. 16, 2. Prov. 23, 5. כְּבוֹדָם *Gloria eorum*, florens gentis et reipublicae status (cf. 10, 5.), qui per liberos propagandus atque conservandus erat; addit enim: מִלֵּדָה *a partu*, 2 Reg. 19, 3. Jes. 37, 3. Jerem. 13, 21. וּמִבֶּטֶן *Et ab utero*, ut ne lucem quidem adspiciant, Job. 3, 11. וּמֵהֲרִיוֹן immo statim *post* ipsam *conceptionem*, Ruth. 4, 13. Liveleus: „*Gloria eorum*, i. e. filii, in quibus parentes gloriari solent, maximamque ex iis voluptatem capere. Lea in filiis suis gloriatur, Gen. 29, 32. et Rachel ibid. 30, 23., et nato Isaaco Sara. Anna etiam in Samuele, ut cantieum ejus arguit. Prov. 17, 6. *Corona senum sunt filiorum filii, et decus parentum suorum liberi.* Recte igitur *parentum gloria* dicuntur per metonymiam. Quomodo Livia Augusti apud Poetam in Epicedio Drusii filium suum appellat: *Gloria confectae nate parentis, ubi es?* Sic Claudianus Proserpinam *Cereris gloriam* et *superbiam* vocat. Apud Persas, secundum bellicam fortitudinem, maximo in pretio fuisse numerosam prolem, et multorum liberorum patri regem munera mittere solitum esse,

tanquam strenuum quippiam praestiterit, Herodotus testis est. Quatuor autem gradibus filiorum interitus hic explicatur: *a conceptione*, ne in utero gravidato vivificentur; *ab utero*, antequam in utero gestati justum tempus ad partum compleverint; *a partu*, cum recens in lucem editi fuerint; *ab educatione* (Vs. 12.), cum scilicet in pueritia ad aliquod tempus enutriti fuerint. Haec omnia feminae saepe experiuntur." Chaldaeus: *Dominus Israel est instar avis, quam e nido abegerunt, quaeque vagatur; ita migravit gloria eorum; liberi non augentur, neque gaudebunt fructu ventris sui, propterea quod cohibuerunt pedes suos, ne in domo sanctuarii mei comparerent.* Hieronymus: „*Ephraim*, id est, decem tribus, *quasi avis avolavit* in captivitatem, et de suo recessit loco. Avem autem appellavit, ut velocem in Babylonem transitum demonstraret. Sin autem legerimus: *quasi avis avolavit gloria eorum*, hoc dicimus, quod Dei ab eis recesserit et volaverit auxilium. Quodque sequitur: *a partu et ab utero, et a conceptu eorum*, dupliciter intelligi potest, ut gloria, quae avolavit ab Ephraim, etiam a partu, et ab utero, et a conceptu eorum recedat, hoc est, deserat filios eorum, et posteros derelinquat. Aut certe dicimus, omnem gloriam Israel habuit in multitudine, et in eo se majorem arbitratus est Juda fratre suo, quia ipse decem tribubus, ille duabus praefuit. Unde Dominus loquitur (Vs. 12.), quod etiamsi enutriverint filios, et liberorum multitudinem congregaverint; tradentur neci, et tunc eis verum incumbat Vae, cum ab eis recesserit Deus."

12. כִּי אִם־וְגִדְּלוּ אֶת־בְּנֵיהֶם *Quin si* etiam *educaverint filios suos*, si quibus contingat liberos ad aliquam aetatem educere; ita גִּדֵּל 2 Reg. 10, 6. Jes. 1, 2. 23, 4. וְשַׁכֵּלְתִּים *Orbos tamen faciam eos*, Gen. 27, 45. 42, 36. Deut. 32, 25. Syrus: *extinguam eos.* מֵאָדָם *Ex hominibus*, ut nullam ipsis prolem superstitem relinquam. Drusius: „Quidam exponunt: *ne perveniant eo, ut dicantur homines.* (Ita Chaldaeus: *ne evadant viri.*) Putant nomen אָדָם duntaxat usurpari de provecta aetate. Falluntur; nam etiam de infantibus dicitur Jon. 4, 11. Malim ergo: *ne deinceps inter homines supersint et vivant*, ut Prov. 30, 14.: *Ad consumendos pauperes e terra, et egenos ab hominibus.* Quod vetus interpres expressit, referens: *absque liberis faciam eos in hominibus.*" Eaedem minae Levit. 26, 23 — 38. Deut. 28, 62. 63. כִּי־גַם־אוֹי לָהֶם *Nam etiam vae illis*, qui supererunt, cf. 7, 13. בְּשׁוּרִי מֵהֶם *Quum recessero ab iis*, uti recte Hieronymus vertit; est enim בְּשׁוּרִי pro בְּסוּרִי scriptum, Infinitivus verbi סוּר, *recessit*, cum praefixo atque pronomine suffixo, permutato ס cum שׁ, quemadmodum promiscue שׁוּבָךְ et סוֹבָךְ *perplexitas*, 2 Sam. 18, 9. Jerem. 4, 7., aut שְׁדֵרִים et סְדֵרִים *ordines*, 2 Reg. 11, 8. scribitur. *Recedere* autem ab hominibus Deus dicitur, quando eos destituit praesidio malis oppressos.

Eadem quae hic sententia Deut. 31, 17. *Tunc ira mea in eum*, populum Israeliticum, *exardescet*, וְעָזַבְתִּים וְהִסְתַּרְתִּי פָנַי מֵהֶם *et deseram eos*, *vultumque meum ab eis abdam*, *quo fiet ut consumantur*, *et in multa mala et angustias incurrant.* Chaldaeus nostrum locum sic expressit: בְּסַלָּקוּתִי שְׁכִנְתִּי מִנֵּהוֹן *quod sustulerim majestatem meam ab eis.*

13. אֶפְרַיִם כַּאֲשֶׁר־רָאִיתִי לְצוֹר *Ephraimum*, i. e. regionem et regnum Israelis (Vs. 8. 11. 16.) *quando* (ut 7, 12.) *video ad Tyrum usque*, ei conterminam, Jes. 19, 29. Alii לְצוֹר vertunt *Tyro* scil. parem sive similem, vel ut ל sit qualitatis index, ut 2 Sam. 5, 3 *Unxerunt Davidem* לְמֶלֶךְ *regem*, s. tanquam regem. Job. 39, 16. *Duriter tractat pullos suos* לְלֹא־לָהּ *tanquam non suos.* Cf. Storrii *Observatt.* p. 287. Gesenii *Lehrgeb.* p. 681. Ita Chaldaeus: *coetus Israelis dum legem faceret*, i. e. secundum legis praecepta ageret, *similis* erat *Tyro.* N. G. Schroeder, Mangero referente in Commentar. ad h. loc, nomine צוֹר hic pro appellativo sumto, *petram* denotante, Aquila et Symmacho praeeuntibus, qui ἀκρότομον reddiderunt, et Theodotione, qui πέτραν vertit, vatem minari judicat, fore, ut Ephraimitica regio, in tractu laeto et pulchre exculto sita, sed mox desolanda, civibusque suis exhaurienda, similis fiat petrae incultae, sterili, horridae. שְׁתוּלָה *Plantata*, sita fuit; cf. Ezech. 17, 8. 22. 23. בְּנָוֶה *In mansione*, pulchra et amoena, s. pascuo optimo, cf. Ezech. 34, 14. 33, 20., ita ut filiis et opibus esset florentissima. Chaldaeus: *in prosperitate et abundantia sua.* Hieronymus: „Et consequenter exponit, qualis quondam fuerit Ephraim, qui nunc desertus est. Tam pulcher, inquit, erat, et sic Dei vallabatur auxilio, ut Tyrus mari cingitur; vel certe ut scopulus durissimus, qui fixus in terra omnes contemnit procellas, et de turbinibus ventisque non curat.“ וְאֶפְרַיִם לְהוֹצִיא At nunc quoad *Ephraimum*, futurum est, ut *educantur*; ita Infinitivus praemisso ל vertendum et Deut. 31, 17. לֶאֱכוֹל futurum est *ut devoretur*; 2 Sam. 14, 25. לְחַבֵּל ita ut *laudaret*; cf. Mich. 5, 1. Recte Hieronymus: *et Ephraim educet ad interfectorem filios suos.* אֶל־הוֹרֵג *Ad* hostem *occisorem*, cf. infra 14, 1. Ezech. 21, 16. בָּנָיו *Filios suos*, quos Vs. 11. כְּבוֹדָם *gloriam suam* vocarat. Quum igitur multum sibi Ephraimitae praesidii adesse gloriarentur, quod juvenilis fortitudinis ac bellantium robore pollerent, eam nunc tam vanam fiduciam Noster destruit, dicens, plurimas quidem vires fuisse Ephraimo collatas, ac summopere eum divinitus ornatum; non tamen hoc obstaculo fore, quo minus pessum iret rebellis in Deum populus, utpote qui destitutus provido consilio et ope divina, ipse esset ruiturus in exitium, ipse suos filios, tam laudatum robur, expositurus hostibus, educturus ad interfectorem.

14. תֵּן־לָהֶם יְהוָה Chaldaeus sic vertit: הַב לְהוֹן יְיָ יְת תּוּשְׁלֻמַת עוֹבָדֵיהוֹן *da eis*, *Domine*, *retributionem operum suorum*,

forsan e Ps. 28, 4. Verba sunt pathetica prophetae, qui redit ad id, quod Vs. 12. dixerat Deus de orbatione liberorum, ut novam causam subjiciat, et deinde in annunciatione poenarum pergat Vs. 15. מַה־תִּתֵּן nonnulli reddunt: *id quod habes iis dare*, sive, ut Syrus, *id quod daturus eras*, ut מַה h. l non sit interrogative sumendum, *quid?* sed pure relative, *quod*, ut Jud. 9, 48. Coh 1, 9. 3, 15 Et certe leviter distinguens accentus Tipheha voci יְהוָה appositus huic interpretationi favet. At vero quum voculae מַה sit magis trita significatio *quid?* interrogative, tum quod de maturo infantium interitu Vs. 11. 12. fuerat ante loquutus, hic solum repetit, ut, quasi optionem duorum malorum instituens, videatur prius elegisse; hinc praeferendam statuo expositionem, quae interrogative haec sumit, hoc sensu: *Dato iis, Domine — et quid* horum *dabis?* ne des, precor, si qua pote, ut educant filios ad interfectorem, תֵּן־לָהֶם רֶחֶם מַשְׁכִּיל *da eis uterum abortientem*, qui concipit quidem et gerit aliquando foetum, sed ad maturitatem non alit, nec in vitam edit. Graecus Alexandrinus: *μήτραν ἀτεκνοῦσαν.* Syrus: *uterum sterilem.* וְשָׁדַיִם צֹמְקִים *Et ubera arida*, quae partum alere nequeunt. Propheta cum audivit futurum, ut parentes hostibus filios suos proderent, orat Deum, ut minore poena contentus sit; ut vel moriantur nondum nati, vel nati moriantur laetis inopia parvuli.

15. כָּל־רָעָתָם *Omnis* namque *malitia eorum*, 7, 2. בַּגִּלְגָּל *In Gilgal* exercetur, et ad summum pervenit 4, 15. 12, 12. R. Tanchum ad Versus initium subaudit: זָכַרְתִּי *recordatus sum* omnis eorum malitiae in Gilgal. כִּי explanativum est: *nam* ita ibi peccarunt, ut Deos eos odisse coeperit. שָׁם שְׂנֵאתִים *Illic odi eos*, odium meum sibi conciliant cultu idolorum. Dei verba haec esse, docet res ipsa. עַל רֹעַ מַעַלְלֵיהֶם Imo *propter* summam *malitiam operum eorum*, Deut. 28, 20 Jer. 4, 4. מִבֵּיתִי אֲגָרְשֵׁם *E domo* s. familia et cura *mea ejiciam* s. *expellam eos.* Nam *domo Dei* hic non est, ut plures volunt, templum Hierosolymitanum intelligendum. Tunc enim, cum haec scriberet Hoseas, templo illi pridem valedixerant Israelitae, ac fana frequentare coeperant peculiaria. Qui potuisset igitur poenae loco expulsio esse illis, qui neque ingrediebantur templum, neque ingredi cupiebant, imo adversabantur? Quare phrasis *ex aedibus ejicere* ad illum referenda est veterum morem, quo, matrimonium dissoluturi, feminam domo extrudebant. Docet hoc illa prophetis, Hoseae praesertim, usitatissima imago, qua Deus ut maritus, gens vero Israelitica ut uxor ejus repraesentatur, propterea quod istam Deus gentem eadem cura ac benignitate foveret, aleret, atque tueretur, qua maritus solet conjugem dilectam, ideoque non minore jure cultum, reverentiam et obsequium ab illa postularet, quam maritus singula haec a sua postulet conjuge. Quandoquidem vero Israelitae adeo parum memores vivebant sui officii,

ut ea idolis potius suis, quam vero numini praestare consuescerent, hinc passim repudium illis, Dei nomine, minantur prophetae. Insignis in Nostro locus est 2, 4. Jam tulit ita Hebraeorum consuetudo, ut semina, quam uxorem amplius nollent agnoscere, e domo mariti abigeretur. Ex quo factum, ut *domo expellere* idem significare coeperit, ac *dimittere*, *repudiare* uxorem. Datum hinc etiam repudiatae nomen fuit גְּרוּשָׁה, *expulsae*, ipsique divortio גֵּרוּשִׁין, id quod LACKEMACHER pluribus comprobat locis e Maimonide et Talmude depromptis in *Observatt. philologg.* P. V. p. 235. seqq. Ritu divortii eodem Graecis quoque et Romanis uti placuit. Quam ob causam vir uxorem abdicans dicebatur illam ἀποπέμπειν scil. ἐκ τῆς οἰκίας, *dimittere* seu *ejicere* ex domo sua, in quam conjugium initurus duxerat. Quando igitur Deus Israeli *expulsionem* minatur *e domo sua*, sane divortium minitatur, per metonymiam quandam; indicans scilicet, et alimenta et tutelam, et omnem gratiam eidem se subtracturum, *nec esse amplius*, quod addit, *amore suo eam prosequuturum* (לֹא אוֹסֵף אַהֲבָתָם), sed hostium injuriis expositurum. כָּל־שָׂרֵיהֶם *Omnes namque principes eorum*, qui malitiam populi coercere debebant, סוֹרְרִים, *refractarii* et legum divinarum impatientes sunt, cf. 4, 16. ABARBENEL hoc in reges dictum existimat, functos in Israele regni muniibus, ex quo in duo divisum regnum fuit; omnes enim illi pessimi nequam fuerunt, ac gravissimis peccatis in Deum sese opposuere. Nos Chaldaeo adstipulamur, *omnes proceres eorum* vertenti. Cf. Jes. 1, 23. Quare autem *principum* in his mentio existat, docet KIMCHI: „*Principes eorum* praefectura ad hoc donati, ut eos corriperent ac ad frugi retraherent vitam, ipsimet *rebelles* sunt, qui ergo spem unquam eos sincera ad me poenitentia reversuros? Eapropter non pergam eos diligere.“ Observa paronomasiam שָׂרֵיהֶם inter et סוֹרְרִים.

16. הֻכָּה אֶפְרַיִם *Percussus est Ephraim*, metaphora e stirpibus sumta, quae vermibus, vento, aut vi coeli asperioris tactae et percussae exarescunt, ut Jon. 4, 7. וַתַּךְ אֶת־הַקִּיקָיוֹן *percussit ricinum et exaruit*; et Ps. 102, 5. הוּכָּה *percussum cor meum quasi herba exaruit*. Chaldaeus: *domus Israel similes sunt arbori*. שָׁרְשָׁם יָבֵשׁ *Radix eorum exaruit*, q. d. non rami modo, sed ipsa radix. (cf. eandem imaginem Jes. 5, 24. 14, 30. Amos 2, 9.). Chaldaeus: *cujus radices exaruerunt deorsum, et cujus rami exarescunt sursum*. Tunc vero spes omnis fructus consequendi adempta; ideo sequitur: פְּרִי בַל־יַעֲשׂוּן *fructum non edent*, i. e. sobolem nullam procreabunt. In coepta ab arboribus metaphora persistit, qua liberi etiam *fructus uteri* saepe dicuntur, vid. Thren. 2, 20. Deut. 28, 11. 18. Luc. 1, 42. Sensus: regnum eorum funditus evertetur, ut reflorescere nequeat. Contrariam imaginem ad statum reipublicae indies magis efflorescentem designandum, cf. Jes. 37, 31. Pro בַּל, quod in margine exstat,

in textu legendum בְּלִי; vid. HILLER *de Arcano Kethib et Keri* p. 279. גַּם כִּי *Etiamsi vero*, ut supra 8, 10. Jes. 1, 15. יַלֵּדוּן *Genuerint* mares et feminae, de utroque enim sexu hoc verbum usurpari, patet ex Gen. 20, 17. וְהֲמַתִּי *Tamen mori faciam*, ut 2, 5. Jes. 14, 30. מַחֲמַדֵּי בִטְנָם *Desideria*, desideratissimos fructus *ventris eorum*, ut vel in utero, vel in partu moriantur. Cf. Vs. 6. Ezech. 24, 16. 25. Thren. 2, 4. LIVELEUS: „*Desideria*, i. e. desideratissimos eorum liberos; metonymia adjuncti, qualis apud Ciceronem in Epistolis uxorem et liberos *desideria sua* appellantem: *Valete*, inquit, *mea desideria*, *valete*.“ ABARBENEL: „Quasi conclusionem ex praecedentibus propheta formare voluisset, sic ait: postquam percussus est Ephraim per hostium suorum manus, ac ipsa ejus *radix* (illustriores populi heroes designat) *exaruit*, consequitur nec fructum ex eo sperandum esse.“

17. יִמְאָסֵם אֱלֹהַי *Aversatur illos* impios homines *Deus meus*, „propheta loquitur,“ inquit DRUSIUS, „et non obscure innuit, appellando *Deum suum*, non esse amplius Deum ipsorum.“ Alii: *rejiciet eos Deus meus* (ut supra 4, 6.), scilicet ita, ut non sint amplius populus Dei (1, 9.), i. e. respublica, in qua Deus suum habeat domicilium. כִּי לֹא שָׁמְעוּ לוֹ *Nam non auscultarunt ei*, non praestiterunt ei obedientiam, 2 Reg. 17, 14. 18, 12. וְיִהְיוּ נֹדְדִים *Ideo erunt vagi* et exules, 7, 13., sine rege et principe, 3, 4. בַּגּוֹיִם *Inter populos* dispersi, uti denunciatum jam Deut. 28, 64. seqq.

CAP. X.

Argumentum.

Totum hoc Caput in enumerandis peccatis Ephraimitarum, illorumque propterea supplicio amplificando versatur. Primum queritur Deus, quod quicquid facultatis et virium in idolorum cultum et honorem effuse contulerunt, quum tamen ab illis nihil praeter stragem et ignominiam consequuti sint (1 — 4.). Quae adeo aliis non poterunt esse praesidio, ut ipsa non evitarint, quominus inter alia spolia praedae quoque fuerint hosti victori (5 — 7.). Propterea eo desperationis dicuntur esse venturi, ut opprimi optent a ruentibus saxorum molibus, dummodo aerumnosam vitae conditionem effugiant (8.). Quum vero illorum stultum et inutilem laborem exprobrasset, ex quo fructus sperari posset nullus, hortatur ut melius ponant atque prudentius quod reliquum est temporis, ne dirum Arbelae fatum experiantur (9 — 15.).

1. גֶּפֶן בּוֹקֵק plures interpretantur *vitis evacuans* scil. fructum, dum hic maturescere incipit, ut pereat, nec cultori prosit. Chaldaeus בּוֹקֵק vertit בְּזִיזָא *vastata*, et sane verbum בָּקַק de vastatione terrae dicitur Jes. 24, l. 3. Sed hoc loco est Participium activum. Alii tamen intransitive capiunt. Ita Aben-Esra, qui sic exponit: *vacua, in qua non est virtus ad fructum proferendum, nec fructus.* Sed quae proxime sequuntur significationem plane contrariam poscunt, quam et LXX exprimunt suo εὐκληματοῦσα, Vulgatus quoque *frondosa*, et Syrus *vitis palmitum* vertit, ex significatione, ut nonnulli existimant, Arabici بَقَّ *multam effudit pluviam coelum*, ac figurate, *multam prolem peperit* femina. Hinc et Michaelis in *Supplemm.* p. 212. nostram dictionem exponit: *vitis effundens*, id est, palmitibus foliisque luxurians, nimis frondosa; quod statim, addit, „ad Israelitas ita transfertur: quo ditiores sint, quo foecundiores agros arent, eo plures aras struere, et pulcriores statuere deorum imagines.“ Hieronymus: „Pro *vite frondosa* Aquila interpretatus est ἔνυδρον, quam nos *aquosam*, vel ἔξοινον possumus dicere, eo quod vini perdat saporem. Symmachus ὑλομανοῦσαν, quae tota in frondibus erroverit. Vites quae putatae a vinitore non fuerint, in flagella frondesque luxuriant, et humorem, quem debuerint in vina mutare, vana frondium et foliorum ambitione disperdunt, istiusmodi vitis damnosa est agricolis. Talis fuit Israel, crescens in multitudine populorum, et non reddens fructus agricolae Deo. Dicamus et aliter: *vitis frondosa*, sive juxta LXX εὐκληματοῦσα, id est, *bonas habens propagines*, et flagella fructifera, multos botros attulit, et uvarum foecunditas ramorum foecunditatem coaequavit; sed haec, quae prius talis erat, antequam offenderet Deum, postea abundantiam fructuum vertit in offensae multitudinem, ut quanto plures haberet populos, tanto plura aedificaret altaria, et abundantiam terrae numero vinceret idolorum.“ Ceterum nomen גֶּפֶן, quod plerumque femininum est, h. l. ut masculinum tractatur, ut 2 Reg. 4, 39. Respicitur in primo hujus Versus hemistichio ad statum florentissimum regni Israelitici, quo olim, et proxime adhuc sub Jeroboamo II. gavisum fuerat. יִשְׂרָאֵל Est *Israel*, qui cum prava vite et Jes. 5, 4. comparatur. Verba פְּרִי יְשִׁיתֶה־לּוֹ plures interpretantur *fructum similem fert* s. *facit sibi*, sic verbum hoc accipitur in Piel 2 Sam. 22, 34. (Ps. 18, 34.), et in Hiphil Jes. 46, 5. Thren. 2, 13. Vulgatus: *fructus adaequatus est ei.* Qui sensus tamen minus est concinnus. Est שִׁוָּה hic simplici *ponendi* significatu capiendum, quem et apud Chaldaeos obtinet, et sic transferendum: *fructus ponit*, facit, protrudit *sibi*, quod nonnulli sic intelligunt: in suam utilitatem; si quid profert, eo toto in libidinem suam abutitur. כִּרְב לְפִרְיוֹ *Secundum multiplicari*, s. *quum multiplicatio*, abundantia, accidit *fructui ejus.* Chaldaeus: *quando multiplicavi eis proventum.*

Cf. 4, 7. הִרְבָּה לַמִּזְבְּחוֹת *Multiplicat* Israel istum fructum *aris* idolorum. Quo ampliorem eis annonam concessi, eo plures excitarunt aras, dum omnia bona, quae eis obtigerunt, non Jovae, Deo suo, sed idolis adscripserunt; cf. 2, 7. 10. 8, 11. כְּטוּב לְאַרְצוֹ *Secundum bonitatem terrae suae* concessam. הֵטִיבוּ מַצֵּבוֹתָם *Bene fecerunt statuas suas*, quo meliorem terram eorum reddidit, eo meliores, i. e. elegantiores ac majori studio compararunt statuas deastrorum, 2 Reg. 23, 14. Cf. supra 8, 4. Hieronymus: „Pro *simulacris* LXX verterunt στήλας, quas nos *statuae* vel *titulos* appellamus, qui proprie daemonum sunt, aut hominum mortuorum.“

2. In dictione חָלַק לִבָּם explicanda dissident inter se interpretes. Hebraei fere: *cor eorum divisit se*, scil. a Jova, sive, *a lege ejus*, ut Chaldaeus habet. Malim cum R. Tanchum sic capere: *cor, et mens et opinio eorum sunt divisa, quia Deo alios* deos *associant*, non Jovam solum colunt, verum et alios deos. Sed quum verbum illud sensu hoc neutrali alias non legatur, sunt qui reddant active: *divisit cor eorum* scil. Deus, quod referunt ad interna dissidia, quibus respublica tandem dissolvi oportebat. Alii: *dividit*, i. e. distribuit, impertitur *cor*, animus *eorum*, scil. sacrificia idolis, i. e. impertiuntur idolis quicquid habent. Sed nimium alieni hac interpretatione textui infertur. Quidam, adscita significatione *laevem, lubricum esse*, quam חָלַק obtinet Ps. 55, 22., et Hiphil Ps. 5, 10. 36, 3., unde חֶלֶק de *blanditiis* usurpatur Prov. 7, 21., verba nostra interpretantur: *adblanditur* ipsis *cor eorum*, dum idola colunt. Duriuscule. Nos quidem vulgo receptam Hebraeis explicationem, primo loco allatam, retinendam judicamus, quam adoptavit quoque Hieronymus, dum vertit: *divisum est cor eorum.* עַתָּה יֶאְשְׁמוּ *Jam rei sunt*, culpae obnoxii facti sunt, peccati convincentur, 13, 1. Levit. 5, 5. Ita Syrus: *exinde rei peragentur*, Alii: *ob reatum luent*, ut Ps. 34, 22. Jes. 24, 6. הוּא *Ipse, Deus meus*, אֱלֹהַי, 9, 17. יַעֲרֹף *Resecabit*, destruet, ut quum bestia decollatur, qua de re hoc verbum Exod. 13, 13. Deut. 21, 4. et alias dicitur. R. Tanchum: *diruet et vastabit, comparatione desumta a percutienda postica colli parte, quo corpus diruitur.* מִזְבְּחוֹתָם *Altaria eorum*, in quibus deastris sacra faciunt. יְשֹׁדֵד *Vastabit*, Futurum Piel, ut Jerem. 5, 6. מַצֵּבוֹת *Statuas* deastrorum, Vs. 1. Hieronymus: „Quodque sequitur, *ipse confringet simulacra eorum*, de Deo dicit, *arasque depopulabitur*, non quod Deus ipse propria hoc fecerit manu, sed quod per hostes voluntas ejus expleta sit.“

3. כִּי עַתָּה יֹאמְרוּ *Nam nunc*, cum illud eis continget, agnoscent suam stoliditatem, et *dicent:* אֵין מֶלֶךְ לָנוּ, quae verba nonnulli interrogative accipiunt: *nonne regem habemus?* quasi comminationi superiori de aris destruendis et simulacris, oppo-

nant Israelitae: haec, quae tu minaris, ne contingant nobis, rex noster videbit. Vel, ut alii volunt: *Nunc*, dum jugum Assyriacum, Hosea regnante, excusserunt, et Aegyptiis foedere juncti sunt (7, 11. 8, 13. 2 Reg. 17, 3. 4.), *dicunt* quasi gloriabundi: *nonne est rex nobis?* scil. potens nunc et sui juris factus, sub cujus praesidio in posterum tuti ab hostibus erimus. Nihil tamen necesse, ut אֵין pro הֲאֵין vel הֲלֹא positum arbitremur, quod nec veterum interpretum ulli in mentem venit. Bene JARCHI: „Cum istud in eos irruerit malum (de quo Vs. 2.), dicturi sunt: *non est nobis rex*, id est, rex noster, cujus protectione nos tutos fore gloriabamur, quod ipse nobis in principiis procedens bella nostra sit confecturus, nullo nobis auxilio prodest.“ Nec aliter KIMCHI: „Nunc, cum migrabunt e terra sua, agnoscent et dicent: *non est nobis rex.* Sensus est; perinde est ac si nullus nobis esset rex; neque enim, quem talem vocamus, hostibus nos eripere valet, ut opinati sumus, quum regem postularemus, *qui nos procederet, et bella nostra gereret* (1 Sam. 8, 20.). Deus ipse noster fuit rex, qui hostium manibus nos eripuit, si secundum voluntatem suam ageremus, neque alio rege opus habueramus.“ כִּי לֹא יָרֵאנוּ אֶת־יְהוָה *Quia non timemus Jovam*, a quo solo salus nobis exspectanda, Deut. 6, 2. 13. 2 Reg. 17, 36. 39. וְהַמֶּלֶךְ מַה־יַּעֲשֶׂה־לָּנוּ *Et regem quod attinet, quidnam efficiet*, s. praestabit *nobis?* Cf. 13, 10. Jes. 31, 1. 2.

4. Quod antea (Vs. 3.) Israelitis exprobrarat, *eos Jovam non revereri*, nunc magis exaggerat, fraudes potissimum et perfidiam, in ipsis etiam foederibus solemnissime sancitis, redarguens. דִּבְּרוּ דְבָרִים *Loquuntur verba* tantum, i. e. verba vana et mendacia, merae fraudis et deceptionis, ut Latini etiam dicunt: *verba alicui dare.* Cf. Jes. 58, 13. אָלוֹת שָׁוְא *Pejerando falso*, Infinitivus constructus (absolutus supra 4, 2.), ut in proximo כָּרֹת בְּרִית *pangendo*, dum pangunt *foedus.* Alii אָלוֹת habent pro nomine plurali, ut Deut. 29, 20., ut GUSSETIUS, cui in *Commentar. Ling. Hebr.* sub rad. כזב lit. 10, 2., אָלוֹת שָׁוְא *juramenta vanitatis* in foedere pangendo, quae h. l. memorantur, sunt *juramenta per vanitatem*, i. e. per idolum, quemadmodum שְׁבֻעַת יְהוָה est *juramentum per Jovam*, Exod. 22, 10. SEBAST. SCHMIDIUS dictionem אָלוֹת שָׁוְא cum proxima, כָּרוֹת בְּרִית, ceu subjecto propositionis conjungit hoc modo: *pangere foedus* est *exsecrationes vanitatis*, i. e. inanes, fraudulentae ac mendaces; cf. Jon. 2, 9. Ps. 31, 7., ut sensus sit: non tantum verba vana ac mendacia quocunque modo loquuntur, ut defraudent alios, verum etiam quando foedus aliquod magnis interpositis exsecrationibus pangunt, exsecrationes istae nihil aliud sunt, quam exsecrationes mendaces, quas non curant, sed temere, et sine pudore transgrediuntur. Non semel enim reges ipsi Israelitarum foedera violarunt. וּפָרַח *Et efflоruit*, cf. 14, 6. 8. Ps. 92, 8.

רֹאשׁ *Sicut planta venenata*, talem enim nomine hebraeo significari, patet tam ex hoc loco, quam ex Deut. 29, 17. 18. Amos 6, 12. locisque pluribus aliis, neque *fel*, aut *amaritudinem*, ut Hieronymus vertit. Qualis vero plantae species nomine רֹאשׁ sive רוֹשׁ, uti alias scribitur, designetur, incertum. *Cicutam* intelligit Celsius *Hierobot.* 2, 46. sqq., *lolium temulentum*, *solanum* J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 2220. seqq., *papaver* Gesenius in *Lex. hebr. lat.* (a *capitibus* dictum, coll. *papaverum capita* apud Livium 1, 54.). Nobis nomen רֹאשׁ plures plantas e genere *solanearum* complecti videtur, quarum multae sunt venenatae. Huic Hoseae loco optime convenire videtur *lolium temulentum*, quod inter secale crescit. Cf. libr. nostr. *Bibl. Naturgeschichte* P. I. p. 117. seqq. מִשְׁפָּט *Jus* et judicium in summam injustitiam a vobis conversum; eadem sententia Amos 5, 7. 15. 6, 12. Habac. 1, 4. Alii *judicio* intelligunt decretum regum Israelitarum de colendis idolis, quod noxiae instar herbae producturum sit populi exitium, coll. Ezech. 7, 1., ubi violentia germini comparatur, unde tamen virga et poena excrescat. Chaldaeus מִשְׁפָּט h. l. accepit de *judicio* debito *eorum perfidiae*, quod exsequuturum se in eos Deus decrevisset. עַל חֲלְמֵי שָׂדַי *Super sulcis agrorum meorum*, in quibus triticum, non lolium, aut aliae venenatae plantae, nasci debebat. Haec, inquit vates, florentis vestrae reipublicae facies est, ut quemadmodum fraudes ac perjuria, etiam in foederibus, ita injustitia et judicia perversa, quibus bona causa in malam vertitur, per totam terram invaluerint. Eadem queritur Jesajas 59, 8. 9. 14. 15. Jerem. 5, 1.

5. לְאֶגְלוֹת *Vitulis*, femininum, hoc solo loco obvium. „Quod a sequiore sexu *vitulae* vocantur Jeroboami vituli (1 Reg. 12, 28. 2 Reg. 10, 29. 2 Paral. 13, 8.), putant ad contemptum pertinuisse, ut illud Graeci vatis (*Iliad.* 2, 235.): Ἀχαΐδες οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί. Et Romani (*Aeneid.* 9, 617.): *O vere Phrygiae, nec enim Phryges!* Neque dubium, quin illud ἐξουθενισμοῦ genus multum valuerit apud Hebraeos, qui Deorum sexus nesciunt. Proinde in Diis censentur *Berith* Jud. 8, 33. et Astarte 1 Reg. 11, 5. 33., quamvis re vera apud cultores suos pro Deabus habitae fuerint. Foeminino igitur genere *vitulae* vocantur idola Jeroboami, ut eo magis constet, illa non posse haberi pro vero Deo, cujus decem nomina omnia masculina sunt.“ Bochartus *Hieroz.* T. I. p. 369. ed. Lips. בֵּית אָוֶן i. e. *Bethelis*, cf. 8. 15. 4, 15. Amos 1, 5. Alii et vitulum *Danis* (cf. 1 Reg. 12, 29.) h. l. comprehendi existimant, ob pluralem numerum לְעֶגְלוֹת. Alterum tamen vitulum in Dane hoc tempore superfuisse negant alii, et in nomine illo *enallagen*, non modo generis, sed etiam *numeri*, pluralis pro singulari esse volunt. Dathius in singulari לְעֶגְלַת legendum censet, nixus auctoritate Alexandrini alinsque Graeci interpretis, a Montefalconio citati, qui ambo singulare

μόσχος exhibent. Consentit Syrus. Adstipulatur Dathio Bahrdtius, genuinam esse scripturam לעגלת demonstrare existimans suffixa, quae sequuntur singularia. Accedit, quod Versu 6. tantum de uno vitulo vates loquatur. Sed recte AURIVILLIUS *Dissertatt.* p. 639. observat, neque opus esse vulgarem lectionem, quam omnes Hebraei codices, tum manuscripti tum impressi, exhibent, permutare, nec in τῷ לָעֶגְלוֹת vel enallagen fingere, vel aliud quicquam suspicari minus regulare. Etenim si referamus suffixa, quae heic exstant, singularis numeri, non ad לָעֶגְלוֹת, sed ad בֵּית אָוֶן, uti dudum fecit Hubigantius, ea utique lectioni receptae minime obstarent. Neque illam historicae veritati contrariam dixerit, qui observet, pluralem numerum ab Hebraeis usurpari, ubi aliquid designare volunt, quod majorem in modum vel sui amorem vel odium excitat [v. c. חָכְמוֹת *sapientia* Prov. 9, 7., et cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 665.]. Eo igitur uti heic propheta potest, ad indicandum, summo se gradu idolum istud, vituli fortassis forma gaudens, aversari, horrere, et contemnere. Praeterea pro recepto לָעֶגְלוֹת non modo stat Chaldaeus, qui vertit: *propterea quod servierunt vitulis in Bethel;* verum et Hieronymus, qui prius Versus hemistichium sic reddidit: *vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariae*, et in Commentario ita enarrat: „In Bethaven, id est, Bethel, vaccas aureas coluerunt habitatores Samariae, quae eum irrisione non *vitulos* sexus masculini, sed *vaccas*, id est, feminas, appellavit, ut videlicet Israel non solum deos vitulos, sed deas vaccas coleret. Et ut ostenderet, vaccas Bethaven unum in Bethel vitulum sentiendum, non intulit: *luxit super eis populus*, sed, *super eo*, id est, vitulo aureo.“ יָגוּרוּ *Timebunt* brevi, Deut. 1, 17., constructum cum ל ejus, *cui timetur*, ut Job. 19, 29. Alii גור h. l. de *timore religioso*, sive cultu vitulo Bethelico exhibito intelligunt, ut Chaldaeus et Hieronymus, quorum interpretationes attulimus. Sed isto sensu si גור usurpatur, semper eum מ seu מִפְּנֵי פְּלֹנִי construitur; cf. not. ad Ps. 22, 24. שְׁכֵן שִׁמְרוֹן שֶׁ quisque *vicinus* (Exod. 12, 4. Prov. 27, 10.), i. e. habitator (est enim τῷ יוֹשֵׁב parallelum Jes. 33, 24.) *Samariae;* cf. 8, 5. Poena hic denunciatur Israelitis, eversio totius cultus idololatrici, de qua distinctius Vs. 8. loquitur. כִּי־אָבַל *Nam* mox *lugebit*, Amos 8, 8. Praeteritum propheticum, quo futura tanquam res gestae sistuntur, ad certitudinem indicandam, ut Jes. 5, 13. 9, 2., et saepius. עָלָיו *Super eo*, vitulo suo. Qua in constructione ad rem respicitur praecedentem, non ad nominis formam, ut Gen. 49, 6. בְּכוֹרִי junctum verbo femineo הֻחַד, quoniam illud pro נַפְשִׁי, nomine feminino, ponitur. עַמּוֹ *Populus ejus*, vituli cultores. Vel: populus Bethelis. וְכֹמְרָיו *Et sacrificuli ejus*. Nomen praeter hunc locum bis tantum, 2 Reg. 23, 5. et Zeph. 1, 4. obvium, atque ubique in deteriorem partem positum, de sacerdotibus idolorum, plane ut Syriacum ܟܘܡܪܐ.

Vid. J. D. Michaelis ad Castelli *Lexic. Syriac.* p. 419. et *Supplemm.* p. 1197. Illos nomen adeptos esse ab *atris vestibus*, quum Hebraeorum *albis* uterentur, conjectura est parum probabilis. Gesenio *nigredine*, *tristitia*, כְּמָרִים *atra veste induti*, hinc *lugentes*, *ascetae*, *sacerdotes* esse videntur. Verisimilior Dav. Millii (*Dissertatt. selectt.* p. 422. edit. sec. 1743. 4.) sententia, illud nomen derivari a rad. כָּמַר *incendit*, *flagravit*, *ussit* (Gen. 43, 30. Thren. 5, 10.). Ab *incendio* autem sacrificulos istos כְּמָרִים appellatos existimat, quia idolis continuo thus et suffitum incendebant. עָלָיו יָגִילוּ Qui adhuc *super illo* exsultant, ellipsis relativi, ut Vs. 1., Jes. 28, 16. atque saepe alias. עַל־כְּבוֹדוֹ lugebunt *super gloria ejus.* Suffixum quidam referunt ad *vitulum*, alii ad *Bethaven*, alii, et id quidem rectius, ad *populum*, ut 4, 7. 9, 11. Jes. 17, 3., sed ita, ut vitulus intelligatur, quemadmodum Jova *gloria Israelis* alibi dicitur, ut Jerem. 2, 11. כִּי־גָלָה מִמֶּנּוּ *Quia migrabit a nobis*, ab hostibus asportatus. Cf. 1 Sam. 4, 21. 22. Jes. 24, 11. Jerem. 48, 7.

6. גַּם Nam *etiam* cum hominibus et ceteris spoliis; vid. 2 Reg. 18, 9. sqq. אוֹתוֹ *ille ipse* vitulus; אֶת h. l. non est nota Accusativi, sed ut Nominativus verbo passivo jungitur, ut Num. 26, 55. 32, 5. Deut. 20, 8. Cujus dicendi formulae rationem exposuerunt Storr *Observatt.* p. 263. seqq. not. et Gesenius *Lehrgeb.* p. 684. Alii Passivum Activi impersonalis instar cum Accusativo construi putant, ut sit: *etiam illum vitulum deportabunt.* Cf. not. ad Jos. 7, 15. לְאַשּׁוּר *in Assyriam*, vel *Assyrio*, i. e. ad regem Assyrium, 5, 13. cf. Jes. 8, 4. יוּבַל *Deportabitur*, 12, 2. Jes. 18, 7. Ps. 76, 12. מִנְחָה Ut *munus*, 1 Sam. 10, 27. לְמֶלֶךְ יָרֵב *Regi ultori*, ut Vulgatus vertit. Chaldaeus: *qui venit punitum eos;* vid. not. ad 5, 13. בֹּשְׁנָה אֶפְרַיִם יִקָּח Tunc *pudorem Ephraimus capiet*, consequetur; pudebit eos deastri, qui auxiliari eos non potuit, et ipse in triumpho ductus est. Cf. Jer. 48, 13. Sunt qui vertant: *pudor Ephraimum capiet.* Sed verbum masculinum יִקָּח cum ejusdem generis nomine אֶפְרַיִם et Nominativo jungendum est. בֹּשְׁנָה nomen verbale a rad. בּוֹשׁ, cum adjecta syllaba נָה, Chaldaeis quoque et Aethiopibus usitata. וְיֵבוֹשׁ יִשְׂרָאֵל *Et erubescet Israel*, 4, 19, Jes. 1, 29. מֵעֲצָתוֹ *A consilio suo*, s. *propter consilium suum*, quod non tantum de vitulorum erectione (1 Reg. 13, 28.), sed continuo cultu, contra consilium divinum, toties illis per prophetas inculcatum, intelligendum. Cf. Deut. 32, 28. Jes. 29, 15. 30, 1. Jerem. 7, 24. Mich. 6, 16.

7. נִדְמָה *Excisa* erit, vel *exscindenda est*, Vs. 15. Jes. 6, 5. שֹׁמְרוֹן *Samaria*, nomen urbis cum terminatione masculina, ut תִּפְסַח, צֹר, דַּמֶּשֶׂק et alia, unde Verbum masculinum est junctum, quod simul pertinet ad מַלְכָּהּ et *rex ejus*, in quo spem et fiduciam suam ponebant. Asyndeton, quale Habac. 3, 11.: שֶׁמֶשׁ יָרֵחַ

sol et *luna*. Alii: *excisus* erit *Samariam* quod attinet *rex ejus*, i. e. Samariae rex exscindetur; ut שֹׁמְרוֹן sit Nominativus absolutus, qualis Cohel. 2, 14.: הֶחָכָם עֵינָיו *sapiens oculi ejus*, sapientis oculi. Jon. 2, 7.: הָאָרֶץ בְּרִיחֶיהָ *terra vectes ejus*, i. e. terrae vectes. כְּקֶצֶף עַל־פְּנֵי־מָיִם *Sicut spuma*, vel *bulla* aut *ebullitio* (alias enim de *irae fervore* usurpatur, ut Jes. 54, 8.) *in superficie aquae*. קֶצֶף Chaldaeus רוּתָחָא *spumam*, *ebullitionem* reddidit. R. Tanchum quoque per *spumam et bullas quae in aquae superficie ascendunt* exponit, et Abul-Walid per *exaestuationem et ebullitionem ejus*. HIERONYMUS: „*Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super facie aquae.* Pro *spuma*, quam LXX et Theodotion *φρύγανον*, id est, *cremium* [cf. Arabicum قصيف *fractus arboris ramus*, i. q. هشيم *fractus*, *arida ac fragilis res*, *festucae*, *stipulae*] transtulerunt, aridas herbas, siccaque virgulta, quae camino et incendio praeparantur, Symmachus posuit *ἐπίζεμα*, volens ostendere ferventis ollae superiores aquas, quas Graeci *πομφόλυγας* vocant. Sicut igitur spuma, quae super aqua est, cito dissolvitur (cf. Hieronymum infra ad Vs. 15.), sic regnum decem tribuum velociter finietur.“ Ad verbum נִדְמָה notat ABARBENEL, postquam observasset, interpretum plurimos illud h. l. sumere *exscindendi*, perdendi significatu, Jarchium illud interpretari *silentium imponetur*, hoc sensu: silentium imponetur Samariae, silentium quoque imponetur regi ejus. „Commodius vero,“ pergit Abarbenel, „accipi existimo hoc verbum significatione *similitudinis* et *comparationis*, ut vertendum sit: *similis factus est* in urbe *Samariae* (subaudiendo ב, ut Exod. 20, 11. et alias) *rex ejus spumae in superficie aquarum*, quod supernatat quidem spuma eminetque, ac superior aliquando permanet, exiguo tamen tempore evanescit, insigni sic comparatione fluxam ejus gloriam depingens.“ Nos tamen non solum ob constructionem sententiae, verum et ob anaphoram Versus sequentis (in quo non quidem hoc ipsum verbum, sed ejusdem significationis, etiam in principio scriptum) arbitramur *exscindendi* significationem retinendam. Sensus ceteroquin, quem Abarbenel indicat, probus est, esse nimirum propositum vati, subitum regis Israelitici exponere exitium.

8. וְנִשְׁמְדוּ *Et* sic *delebuntur*, destruentur, Gen. 34, 30. 1 Reg. 15, 27. בָּמוֹת *Excelsa*, seu potius *arae*, in sublime exstructae, vid. not. ad Jes. 16, 12. אָוֶן *Inanitatis*, cultus superstitiosi, vid. Vs. 5. 12, 12. HIERONYMUS: „Ipsa autem excelsa sunt *On*, id est, idoli, quod interpretatur *inutile*, quod idolum et inutile peccatum est Israel.“ חַטַּאת יִשְׂרָאֵל Appositio: *ceu peccatum Israelis*, i. e. in quibus exstruendis et frequentandis praecipue peccarunt. קוֹץ וְדַרְדַּר *Tribulus et spina*, Gen. 3, 18. Vid. CELSII *Hierobot.* T. II. p. 128. et 223. Cf. supra 9, 6. יַעֲלֶה *Ascendet*, succrescet, ut Jes. 32, 13. עַל־מִזְבְּחוֹתָם *Super aris*

eorum, quas vel vitulis, vel Baali, aliisve idolis erexerunt. Cf. Vs. 1. 2. 8, 11. Amos 3, 14. HIERONYMUS: „Dissipato idolo et excelsis ejus *lappa et tribulus ascendet super aras eorum;* signum ultimae solitudinis, ut ne parietes quidem et extrema aedificiorum vestigia relinquantur.“ וְאָמְרוּ לָהָרִים Tantaque eos opprimet miseria, *ut* desperabundi *dicant* etiam *montibus:* כַּסּוּנוּ *operite nos.* Mortem, etiam miserrimam, sibi praeoptabunt prae vita, ut obruti montibus et collibus, misereque contusi, mala futura videre non cogantur, vel praesentia non videant amplius. Similia vid. Jes. 2, 19. Jerem. 8, 3. Apoc. 6, 15. Alii horrorem conscientiae describi existimant excruciantem impios, ut absconditi esse exoptent a facie irati Dei. וְלַגְּבָעוֹת נִפְלוּ עָלֵינוּ *Et collibus* dicent: *cadite super nos*, „mori magis optantes, quam cernere quae afferunt mortem,“ ut ait Hieronymus.

9. Verba מִימֵי גִּבְעָה vulgo vertunt *inde a diebus Gibeae* peccasti tu, o Israel. Sed Gibeae non totus Israeliticus populus peccavit, sed soli Benjaminitae, qui Levitae cujusdam concubinam stuprarunt; atque ipsa quidem ex stupro mortua est; Levita autem in partes eam discidit, quas misit ad reliquas tribus. Unde dirum bellum ortum, in quo aliquoties victae tribus a Benjaminitis, qui tamen postea magnam acceperunt cladem; vid. Jud. 19. 20. Sed laudem potius merebant Israelitae, quippe qui commissum a Benjaminitis scelus ulciscerentur. Quare alii haec eo referunt, quod circa illud tempus Israelitae adinventam a Michea Teraphorum superstitionem (Jud. 17, 5. seqq.), et a Danitis in urbe sua constitutam, publice et impune permiserint, Jud. 18, 30. 31. Sed vatem de cultu superstitioso a Micha instituto cogitasse, in verbis ejus ne vestigium quidem apparet. Nos quidem haud dubitamus particulam מִ in מִימֵי capiendam esse pro *magis* ac, ut saepe, veluti Ps. 119, 98. Coh. 7, 1., unde hunc Versum sic interpretamur: *magis quam diebus Gibeae peccasti, o Israel*, i. e. majora a vobis scelera sunt commissa quam olim Gibeae a Benjaminitis; שָׁם עָמְדוּ *ibi steterunt*, i. e. manserunt superstites (quomodo verbum עָמַד שֵׁז אָבַד oppositum usurpatur Ps. 102, 27.); nam Benjaminitae, ut constat ex Jud. 20., gravissima quidem clade ob facinus Gibeae perpetratum fuerunt adfecti, non tamen penitus deleti, sed poena sic fuit temperata, ut per sexcentos illos, qui evaserant, haec tribus in integrum restitueretur. Graviorem vero vindictam incubituram Israelitis, nec sic eos abituros, docent reliqua hujus commatis verba, quibus cladis illius exemplum ad hos transfertur, mutata persona a secunda ad tertiam, ut Judic. 20, 38., et propheta ad auditorem vel lectorem converso: לֹא־תַשִּׂיגֵם בַּגִּבְעָה מִלְחָמָה עַל־בְּנֵי עַוְלָה *non assequetur eos in Gibea bellum* olim gestum, vel, *ob Gibeam*, ob scelera ibi patrata, *contra filios insolentiae*, sed bellum longe gravius et perniciosius, bellum longe deterius experientur. Quum

enim illud ad Gibeam gestum, quamvis atrox et funestum, non diu post tamen cessavit, et victi a fratribus mox in gratiam fuerint recepti; Noster significat, bellum, quod hostes barbari Israelitis sint illaturi, non finiendum esse, nisi tota republica eversa deletaque. Ultimam hujus Versus vocem, עַלְוָה, plerique, quibus et nos adstipulamur, haud diversam existimant ab עַוְלָה *iniquitas* (ל et ו transpositis, ut זַוָּעָה et זְוָעָה *commotio*, כֶּשֶׂב et כֶּבֶשׂ *ovis*, שַׂלְמָה et שִׂמְלָה *vestimentum*, et Aethiopibus עַלַוَ est *fidem fefellit, descivit*), quod ipsum et quamplurimi sistunt codices, et LXX, Hieronymus et Syrus exprimunt. Dictio בְּנֵי עַוְלָה legitur et 2 Sam. 3, 34. Solus Chaldaeus vulgare עַלְוָה procul dubio habuit; traduxit vero ultimam literam ה ad sequentis Versus primam vocem באותו, ita ut עלו הבאותי legeret. Vertit enim: *ascenderunt. Per verbum meum adduxi.* A. Schultens ad *Haririi Consess.* I. p. 15. nostrum עַלְוָה ex Arabico عَلَا *modum excessit, extulit se*, illustrandum arbitratus phrasin בְּנֵי עַלְוָה *filios insolentiae, ferocis indomitaeque erga Deum proterviae* interpretatur; sensui illi, quem dant בְּנֵי עַלְוָה *filii iniquitatis*, haud dissimili. Illud vero haud dubium, *filiis iniquitatis*, sive *proterviae*, significari nefarios illos stupratores, Gibeae cives, Benjaminitas, contra quos reliquae Israeliticae tribus bellum susceperunt, Jud. 19, 22. 20, 13.

10. בְּאַוָּתִי Est itaque *in desiderio meo* וְאֶסָּרֵם *ut castigem eos.* Bene Hieronymus: *juxta desiderium meum corripiam eos.* Vocem illam, alias non obviam, notante Masora, quidam ad אָסַר, *vinxit*, referunt, dicuntque esse formae וַיֵּאָנֹק *ejulabit*, Jerem. 51, 52., atque וַיֶּאְכֹּד *et accinxit*, Levit. 8, 7., in quibus non servatur forma quiescentium prima Aleph, sed flexio sit juxta normam Perfectorum. Ita verbo nostro et hoc loco Perfectorum formam adaptari, ita tamen, ut ob crasin duorum Aleph literae Samech Dagesch euphonicum inseratur, et Cholem mutetur in Camez-Chatuph, sive vocalem brevem, ob pronomen suffixum. Verum sensus prodibit magis idoneus, si וְאֶסָּרֵם ad verbum יָסַר referamus, cujus sit Futurum Cal. Ita Kimchi, qui Dagesch דָּגֵשׁ inditum observat euphonicum esse, positumque pro deficiente prima radicali Jod, ut אֶצֹק *effundam*, Jes. 44, 3., a יָצַק, et יְצָרֵהוּ *formet illud*, ibid. Vs. 12., a יָצַר. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 390. Qualis futura sit poena, qua eos sit afflicturus, declarat, dum subjicit: וְאֻסְּפוּ עֲלֵיהֶם עַמִּים *congregabuntur contra eos populi* barbari et hostiles, quod ipsum minatur Micha 4, 11. Zach. 12, 3. בֶּאֱסָרָם *Alligando, s. dum alligabo eos*, veluti boves aratores, de quibus verbum אָסַר dicitur 1 Sam. 6, 7. 10. Jerem. 46, 4., et sequente ל Gen. 49, 11. In explicanda postrema nostri Versus dictione, לִשְׁתֵּי עֵינֹתָם, vox posterior, cum ob varietatem Keri et Chethib, tum ob originis maximc varietatem, scrupulos injecit interpretibus. In margine legi jubetur עוֹנֹתָם (Vav post

Ain), quod plures עֲוֹנָתָם efferunt, id est, *iniquitates eorum*, Levit. 16, 21. Ps. 38, 5. Prov. 5, 22. Ita LXX: Ἐν τῷ παιδεύεσθαι αὐτοὺς ἐν ταῖς δυσὶν ἀδικίαις αὐτῶν. Nec aliter HIERONYMUS: *Quum corripientur super duas iniquitates suas.* In Commentario totum Versum ita enarrat: „Sed *corripiam*, inquit, *eos*, *atque erudiam tota animi mei voluntate*, *et congregabo adversus illos populorum multitudinem*, *quia duas fecerunt iniquitates*, vindicando hominem, et Dei sui injuriam negligendo (vid. not. Hieronymi ad Vs. 9.). Sive *duas iniquitates*, quia primum peccaverunt in idolis Michae (Jud. 17, 3.), secundo in vitulis Jeroboam. Vel certe duos vitulos Samariae in Dan et Bethel possumus duas iniquitates appellare, de quibus et Jeremias loquitur (2, 13.): *Duo pessima fecit populus meus: dereliquerunt fontem aquae vivae*, *et foderunt sibi lacus contritos*, *qui non possunt aquam continere.*“ Verum enimvero obstant puncta vocalia in textu posita, quibus vox in margine scripta est pronuncianda, quo minus hanc expositionem recipiamus. *Peccata* enim sonant עֲוֹנֹת, sed nostra vox efferenda עוֹנֹת, quod nos cum Chaldaeo, Aben-Ezra et Kimchio *sulcos* interpretamur, ut igitur ejusdem sit significationis cum מַעֲנוֹת Ps. 129, 3., referendumque ad עָנָה *subegit*, ut *sulci* illud nominis sint adepti a subigenda terra, quae fit aratione, vel a *respondendi* notione, quia παραλλήλοι sibi respondent. Formatur ergo עוֹנָה ab עָנָה, ut a גָּלָה fit גּוֹלָה *captivitas*, ab עָלָה dicitur עוֹלָה *ascensus*, a יָנָה est יוֹנָה *oppressio*, Jerem. 25, 38., a שָׁאָה sit שׁוֹאָה *vastatio.* Quod in textu scribitur עינתם, innuit, fuisse codices, in quibus defective עֹנָתָם exstaret, id quod pluribus exemplis ejusdem inter scripturam textus et marginis diversitatis ostendit HILLERUS *de Arcano Chethib et Keri* p. 253., cui tamen in eo non adstipulamur, quod nostram vocem *habitationes* interpretatur, collato haud dubie Exod. 21, 10., quo loco עֹנָתָהּ nonnulli de *habitatione*, quam uxori maritus praestare debet, intelligunt. Sed ejus loci alia plane est ratio. Nos, uti diximus, sequimur Chaldaeum, qui posterius Versus hujus hemistichium sic vertit: colligam contra eos dominos, qui dominentur eos, *sicut ligatur par boum ad duos sulcos suos.* *Ligari* autem *duobus sulcis* de bobus arantibus dicitur, quando communi jugo ita colligantur, ut in duobus sulcis contiguis una et pari passu incedant. Sic qui decreti sui propositum indicaverat Deus, quod esset Israelem castigaturus (hemistichio priori), ulterius jam declarat, quod ita illigaturus sit suis poenis refractarium Israelem (quem Versu proximo aperte vitulo comparat), ut anxie laborando versare quasi supplicia sua adigeretur, neque excedere sulcis miseriarum usquam posset, priusquam laborum foret absoluta meta. Ita de poenarum certa mensura intellexit nostrum locum SALOMON BEN MELECH, qui in suo Commentario, nomine *Michlal Jophi* noto, עוֹנֹת pluralem esse docet nominis עוֹנָה, formae שׁוֹאָה, idemque quod מַעֲנוֹת

Ps. 129, 3. significare; tum sic pergit: „Est haec ipsa meta, quam qui bobus aratrum promovet, arando describit juxta mensuram sibi in animo designatam; eam ut absolvit, vertit se, postmodum alteram faciens similem priori. Meat sic remeatque, usquedum integer ager fuerit aratus.“ Alias hujus loci interpretationes vid. in Scholiis uberioribus.

11. וְאֶפְרַיִם *Sed* Israel, aut decem tribus (4, 17. Jes. 7, 5.), inprimis *Ephraim*, arrogans semper et contentiosus ac pervicax populus; cf. Jud. 8, 1. 12, 1. Ps. 78, 9. עֶגְלָה מְלֻמָּדָה Veluti *vitula* est *edocta*, adsueta (Jes. 29, 13. Jerem. 31, 18.), non ad arandum, sed לָדוּשׁ *ad triturandum*, ut sequitur. „Quod opus, inquit Bochartus (*Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 41. T. I. p. 447. edit. Lips.), „aratione longe facilius erat, atque etiam fructuosius, quia in trituratione boves non ligabantur sub jugo, sed vel singuli pedibus triturabant, vel trahas aut plostella rotis ferreis agebant, quibus grana e siliquis elicerent (cf. not. ad Jes. 28, 27.); et liberum illis erat de frugibus subinde aliquid arripere, quia lege cautum erat, ne os eis obligaretur (Deut. 25, 4.). Huic igitur operi incumbentes mirum in modum pinguescebant, ut suo loco (Cap. 31. p. 306. l. c.) pluribus docuimus.“ Vates noster igitur, ut Israelitas laborem detrectasse et genio indulsisse doceat, eos confert vitulae, quae soli triturae adsuevit. Similis comparatio Amos 4, 1. אֹהֲבוֹתֵי, *amans*, Participium cum Jod paragogico, ut שֹׁכְנוֹתֵי *habitans*, Jerem. 51, 13. וַאֲנִי עָבַרְתִּי עַל־ טוּב צַוָּארָהּ *Ego vero transibo super bonum colli ejus*, i. e. pulchrum et pingue ejus collum subigam, et affligam. Verbum עָבַר sequente עַל malo sensu usurpatur, de malo aut hostili impetu alicui superveniente, vid. Deut. 24, 5. Job. 13, 13. 9, 11. אַרְכִּיב אֶפְרַיִם *Inequitare faciam Ephraimo*, sessorem et rectorem ei imponam, i. e. subjiciam eum hostium potestati, ceu equum ab equite subactum domitumque. Ante אֶפְרַיִם subaudiendum לְ, ut locis innumeris aliis, coll. Ps. 66, 12., ubi eadem imago: הִרְכַּבְתָּ אֱנוֹשׁ לְרֹאשֵׁנוּ *fecisti inequitare capiti nostro homines*, a quibus domiti et libertate privati sumus. Non sufficit autem ad severitatis molestiam significandam hostium gravis insessio, sed sequitur simul a tergo durus labor *arandi* et *occandi*, inter *Judam* et *Jacobum*, i. e. decem tribus, quasi distributus: יַחֲרוֹשׁ יְהוּדָה יְשַׁדֵּד־לוֹ יַעֲקֹב *arabit Juda, occabit ei Jacobus.* Is nempe est gravis boum ligatorum in sulcis labor, terram scindere et glebas conterere ante et post scissionem, ubi pabula non objiciuntur ori pro lubitu sumenda, uti fit in triturando. Pronomen לוֹ, quod plures cum Hieronymo *sibi* reddunt, malim ad hostem insidentem et impellentem, cui serviret, referre.

12. זִרְעוּ *Seminate* potius, vos Ephraimitae. Perstat in coepta similitudine ex re agraria desumta, pergitque in adhortatione ad poenitentiam, et recte faciendum. Chaldaeus: *Domus*

Israel, facite vobis opera bona, ambulate in via veritatis, stabilite vobis doctrinam legis. לָכֶם *Vobis*, i. e. ut vos decet, et utile etiam vobis ipsis erit, ὃ γὰρ ἐὰν σπείρῃ ἄνθρωπος, τοῦτο καὶ θερίσει, Gal. 6, 7. לִצְדָקָה *Secundum justitiam*, s. *rectitudinem*, Jes. 32, 1. Joel 2, 23. *Lamed* hic est *normae*, seu regulae, ut *seminare secundum justitiam* sit: ita agere prout aequitas postulaverit et jus legis. קִצְרוּ לְפִי־חֶסֶד *Metite*, *metetis secundum* (cf. Exod. 16, 21. Num. 6, 21.) *pietatem*, percipietis recte factorum fructus. Cum duo Imperativi conjunguntur, posterior saepe promissionem indicat, et Futuro exprimi potest, ut Gen. 42, 18. זֹאת עֲשׂוּ וִחְיוּ *Hoc facite et salvi estote*, i. e. hoc facite, tum salvi eritis. Cf. Amos 5, 4. Prov. 4, 4. et STORRII *Observatt.* p. 169. seq. PLAUTUS *Mercat.* Prol. Vs. 71.: *Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis, tibi denique iste pariet laetitiam labos.* נִירוּ לָכֶם נִיר *Innavate vobis novale*, remotis superstitionibus et vitiis novatam atque in melius mutatam rempublicam restituite, ut fiat instar novi agri, nunc primum ex inculto praeparati et inculti, exstirpatis sentibus aliisque fruticibus, et expurgatis lapidibus. Eandem similitudinem usurpat Jeremias 4, 3. וְעֵת לִדְרוֹשׁ אֶת־יְהוָה *Nam tempus* est *quaerendi Jovam*, pietate erga eum, quo ille recte colatur studio, benevolentiam ejus conciliandi; hunc sensum enim habet phrasis *Jovam requirere*, vid. 2 Chron. 22, 9. Amos 5, 6. Ps. 14, 2., et AURIVILLII *Dissertatt.* p. 434. seq. עַד־יָבוֹא idque *donec* ipse (cf. not. ad Jes. 9, 5. p. 337. seq. edit. sec.) *veniat*, וְיוֹרֶה *et doceat*, alii, *instillet*, aut *depluat*, cf. Jes. 28, 9. Joel 2, 23., צֶדֶק לָכֶם *justitiam* (*suam*, addit Syrus) *vobis*; cf. Jes. 45, 8. Ps. 85, 12.

13. חֲרַשְׁתֶּם *Arastis* enim hucusque; vel, ut alii nectunt (veluti Hieronymus, cujus verba mox adducemus): vos vero, quoties ad poenitentiam et pietatem vos hortatus sum, *arastis impietatem*, et toties quasi de novo incepistis impii et pejores esse, quam prius. Pergit in tropo sumto ab agricultura. Cf. Job. 4, 8. רֶשַׁע Idololatriam, rapacitatem, interna dissidia, de quibus maxime Noster queritur. עַוְלָתָה *Iniquitatem maximam* (He paragogicum intendit significatum, ut סוּפָתָה 8, 7.), i. e. matura quasi peccata et scelera, eorumque poenas, quas id nomen simul comprehendere videtur, ut Ezech. 28, 15., ubi not. vid. קְצַרְתֶּם *Metetis*, Vs. 12. Job. 4, 8. Prov. 22, 8. אֲכַלְתֶּם פְּרִי־כָחַשׁ *Comedetis fructum mendacii*, i. e. dignum mendacio, vel fallacem, et longe alium, quam speraveratis. Cf. 9, 2. Ps. 7, 15. Prov. 1, 31. Alii hoc intelligunt non de poena, verum de *culpa*, ut continuetur narratio peccatorum: ita *fructus mendacii* erit non qui hominibus, sed qui *Deo mentiatur*, scil. non veritatis et sincerae probitatis, sed fictae atque fucatae pietatis, dum malitiam et impietatem non solum seminarunt ac messuerunt, sed etiam fructum mendacii comederunt. כִּי־בָטַחְתָּ בְּדַרְכֶּךָ *Quia confidis*

viae tuae, i. e. superstitioso vitulorum cultui inter vos instituto. Quemadmodum enim verba proxima ad *rempublicam*, ita haec ad *religionem* referenda sunt, de qua דֶּרֶךְ et Jerem. 2, 23. 33. 1 Reg. 15, 34. 2 Reg. 16, 3. בְּרֹב גְּבוּרֶיךָ *Multitudini fortium tuorum*, cf. 1, 5. 7.

14. וְקָאם *Ideoque exsurgst*, Jes. 31, 2., sive *stabit*, exsistet, perdurabit, ut Num. 30, 5. 8. 1 Sam. 24, 21. Jer. 51, 29. Pro usitato קָם hic cum epenthesi literae א scribitur קָאַם, uti et Arabibus قَوْمٌ pro قَمٌ. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 401. שָׁאוֹן *Tumultus* bellicus Jerem. 25, 31. Amos 2, 2. בְּעַמֶּיךָ *In populis*, s. inter tribus tuas, inter populares tuos, ut Levit. 21, 1. 4. 14. In codicibus haud paucis exstat בעמך, in singulari, qui et ab antiquis omnibus exprimitur. „Est vero," recte monente Auri-villio *Dissertatt.* p. 648., „עַם collectivum, adeoque, utra assumatur lectio, sensus eodem recidit. Praetulerim tamen, quae vulgatissima est בעמך, quippe ex qua fortiorem crediderim enasci sensum, horrendum scilicet bellum ad totum populum Israeliticum, *per omnes tribus*, sese extensurum." וְכָל־מִבְצָרֶיךָ יוּשַׁד *Et universitas* (Jes. 9, 16.) *munitionum tuarum* (Amos 5, 9. Mich. 5, 10.) *vastabitur*. יוּשַׁד Futurum Hophal verbi שָׁדַד, more Chaldaico expressum; nam Chaldaei in Conjugationibus non dageschatis Verborum secundam radicalem geminantium ejectam mediam compensant per Dagesch forte in prima radicali, quoties praeformans accedit; sic Jes. 24, 12. יֻכַּת *conteretur*, a כָּתַת, vid. et Job. 4, 20. בְּשֹׁד *Secundum vastare*, sicut vastavit, 7, 13. Jes. 22, 4. In verbis שַׁלְמַן בֵּית אַרְבֵאל exponendis in duas potissimum partes discedunt interpretes, aliis pro nominibus appellativis, aliis vero pro nominibus propriis illa habentibus. Priori modo Chaldaeus: *et omnes munitiones tuae depraedabuntur depraedatione pacis*, i. e. populi sedentis tranquille, nec quicquam metuentis, atque sic inexspectato *per insidias tempore belli*. Nomini שַׁלְמַן tribuit significationem τοῦ שָׁלוֹם, et אַרְבֵאל retulit ad אָרַב *insidiatus est*. Sed quam infirmo, aut potius nullo, fundamento nitatur haec explicatio, quisque intelliget ipse. Accedendum illis interpretibus, qui שַׁלְמַן et אַרְבֵאל pro nominibus propriis habent, qui tamen rursus in duas scinduntur partes, quarum una has duas voces nomina virorum fuisse arbitratur, altera priorem pro nomine viri, posteriorem pro nomine urbis habet. Et quod ad priorem, ejus patroni iterum in duplici sunt differentia; vel enim indigitata volunt nomina virorum tum temporis in celebritate quadam nominis ac famae constitutorum, non determinantes, qui illi sint (ita Kimchi et Salomon Ben Melech in Michlal Jophi); vel intelligendum statuunt per שַׁלְמַן Zalmuna (צַלְמֻנָּע), Midianitarum ducem, de quo Jud. 8, 5. sqq., per אַרְבֵאל vero, cum quadam literarum metamorphosi, Jerubbaal, seu Gideonem, Jud. 7, 1. sqq. Ita Hieronymus, qui verba hebraea sic

vertit: *sicut vastatus est Salmana a domo ejus, qui vindicavit Baal.* Sed nomina Salman et Zalmuna, atque Arbel et Jerobaal, etsi Latinis auribus non adeo dissimilia sonent, revera tamen prorsus sunt diversa. Sed plerique, quibus et nos adstipulamur, שַׁלְמַן per apocopen pro שַׁלְמַנאֶסֶר (2 Reg. 17, 3.), regis Assyrii nomine, scriptum, בֵּית אַרְבֵאל vero haud diversum arbitrantur ab Arbela, urbe Galilaeae superioris in sorte tribus Naphthali sita, cujus mentio facta 1 Mace. 9, 2. In eam igitur urbem, finibus Assyriae proximam, Salmanassarem in prima illa in regnum Israeliticum irruptione facta, de qua 2 Reg. 17, 3., immaniter saeviisse, quamquam non diserte in V. T. libris traditur, tamen magna veri specie ex nostro loco colligi potest; id quod pluribus argumentis confirmavit ABRAH. CALOVIUS, Fil., in *Dissertatt. tribus de crudelissima Arbelae destructione*, Viteberg. 1682. 4. (repetitae leguntur in *Thesauro Philolog. Theolog. sive Sylloge Dissertatt. elegantior. ad selecta V. et N. Testamenti loca*, Amstelod. 1701. fol. Vol. I. p. 947. sqq.). Minatur ergo locis munitis terrae Israeliticae eadem, quae prius ab hostibus passa fuerat Arbela, בְּיוֹם מִלְחָמָה *in die*, tempore, *belli* (ut Amos 1, 14.), notissimi tunc, quo hostis Assyrius in regnum Israeliticum irrupit, regemque sibi tributarium fecit. אֵם עַל־בָּנִים Ubi *mater super*, i. e. una cum *filiis*, ut Gen. 32, 12. רֻטָּשָׁה *Prostrata*, s. *allisa* humi fuit, 14, 1. Jes. 13, 16. Nah. 3, 10. Ps. 137, 9.

15. כָּכָה *Ita*, Num. 8, 28. Nehem. 5, 13. Applicatio praecedentis exempli. עָשָׂה לָכֶם בֵּית־אֵל quidam vertunt: *sic faciet vobis, o Bethelitae!* scil. Salman, sive Salmanassar, Vs. 14. Sed prodibit sensus haud minus, vel magis etiam commodus, si cum Hieronymo verba simpliciter reddimus: *sic fecit* s. *faciet vobis Beth-El*, ut causa tantorum malorum indicetur, videlicet Bethel, seu idolorum superstitiosus et impius cultus, cujus Bethel sedes erat. Ita Chaldaeus: *sic vobis in causa sunt peccata, quae commisistis in Bethel.* Cf. not. ad 4, 15. מִפְּנֵי רָעַת רָעַתְכֶם *Propter pravitatem pravitatis vestrae*, i. e. propter extremam malitiam vestram. Nominis ejusdem repetitio intendit significationem, ut Gen. 9, 25.: עֶבֶד עֲבָדִים *servus servorum* est servus vilissimus, Ezech. 16, 7.: עֲדִי עֲדָיִים *ornamentum ornamentorum* ornatus summus, Cant. 1, 1. שִׁיר הַשִּׁירִים *canticum canticorum* canticum praestantissimum. בַּשַּׁחַר *In aurora*, i. e. sicut nubes matutina aurorae evanescit, ut ejus nihil quidquam amplius appareat. Eadem imago supra 6, 4. נִדְמָה נִדְמָה *Exscindendo exscindetur*, Vs. 7. 4, 5. 6. מֶלֶךְ יִשְׂרָאֵל *Rex Israelis*, Hoseas Ela filius, 2 Reg. 17. HIERONYMUS: „Diversis figuris eundem explicat sensum. Qui supra [Vs. 7.] dixerat: *Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquae*, eo quod spuma et bullae in aquarum summitatibus natantes celeriter dissolvantur; nunc eandem rem sub alia ponit similitudine. Sicut

enim ortus aurorae, et diluculum, et principium diei, quod appellatur mane, inter noctis solisque viciniam transit celeriter, ita ut finiatur nox, et clarescat dies, sic rex Israel, id est, decem tribuum, velociter transibit.“ Quia Hieronymus ante בַּשַּׁחַר similitudinis particulam subaudiendam in sua versione expressit, Cappellus illum כַּשַּׁחַר legisse arbitratus est. „Vel deceptus,“ inquit Buxtorfius *Anticrit.* p. 781., „hic iterum est similitudine literarum ב et כ, vel exemplar habuit, in quo sic legit. In primis editionibus Venetis notatur tanquam varia lectio ad marginem כשחר, per Caph [Idem reperitur etiamnum in pluribus codicibus]. Masora autem notat, בַּשַּׁחַר, quod hic legitur, *non amplius reperiri.* Quod si vero legendum esset כַּשַּׁחַר, per Caph, dicendum fuisset, *bis reperiri*, hic scilicet, et Jes. 58, 8. Itaque juxta Masoram recta est lectio per ב.“

CAP. XI.

Argumentum.

Exaggerat Deus populi Israelitici ingratitudinem, enumeratis beneficiis ei praestitis inde ab exitu de Aegypto (Vs. 1 — 4.). Quibus quum minime effecerit, ut fidi et sinceri ejus cultores manerent, dura illos passuros esse ab hostibus minatur, a quibus terra vastanda sit (Vs. 5 — 7.). Dolet deinde, quod populum graviter punire compelletur, sed animus ad misericordiam proclivis, aliquid tandem de supplicii severitate remittit, consolaturque populum spe remigrationis proposita (Vs. 8 — 11.). De tempore quo hoc editum est vaticinium vid. Argumentum Cap. 7.

1. כִּי *Quum*, ut Jes. 43, 2. נַעַר יִשְׂרָאֵל *Puer* et in prima quasi ac tenera aetate adhuc esset *Israel.* Siquidem ut homines, ita etiam reipublicae suas aetates habent, inquit Drusius. Cf. 2, 5. 17. et not. ad Jerem. 2, 2. Ezech. 16, 4., et supra 7, 9. Populus Israeliticus ratione ortus, progressus et durationis cum homine comparatus, in prima quasi aetate sua in Aegypto ex paucis patribus in populum excrevit, donec in terram Canaan perductus rempublicam ibi constitueret. וָאֹהֲבֵהוּ *Dilexi eum* (ו designans ἀπόδοσιν in versione non exprimitur), ita ut omnibus populis eum praeferrem, atque e servitute educerem, ut statim sequitur, וּמִמִּצְרַיִם קָרָאתִי לִבְנִי *et ex Aegypto vocavi filium meum*, puerum Israelem, quem filium adoptavi, Exod. 4, 22. 23. Cf. Deut. 4, 37. 7, 13. Jes. 43, 4. לְ ante בְּנִי hic Accusativi nota est, ut ~~Jerem.~~ 40, 2. Job. 5, 2., et apud Aramaeos. Ad Messiam hunc locum retulit Matthaeus 2, 15.

2. קָרְאוּ לָהֶם *Vocarunt*, vel (ob sequentem particulam כֵּן): *prout revocarunt eos*, ad cultum et obsequium meum, scilicet Moses et prophetae, nullo non tempore a me missi. Cf. Jes. 30, 21. 2 Reg. 17, 13. Jer. 25, 4. Zach. 1, 4. כֵּן הָלְכוּ מִפְּנֵיהֶם *Sic*, vel *tanto magis* (4, 7.) *abierunt ab eis*, a me et monitoribus suis; tantum abest, ut dictis obedientes fuerint. Eadem Judaeis exprobrat Jeremias 2, 5. 7, 24. 11, 8. et Ezechiel 5, 7. 20, 13. Chaldaeus: *misi prophetas meos, ut docerent eos, sed illi erraverunt ab iis*, s. refugerunt eos. לַבְּעָלִים Idolis *Baal* dictis, 2, 10. 15. Jerem. 2, 25. Tempore *Mosis*, Num. 25, 3. 5. supra 9, 10. Deut. 4, 3. Jos. 22, 17. Ps. 106, 28., *Judicum*, Jud. 2, 11. 13. 3, 7. 6, 25. sqq. 8, 33., *Samuelis*, 1 Sam. 7, 4., et *Regum*, praesertim Ahabi, 1 Reg. 16, 31. 32. cf. 2 Reg. 17, 7—17. וְלַפְּסִלִים *Et sculptilibus*, vid. Jud. 17, 3. 4. 18, 14. 30. Jerem. 8, 19. יְקַטֵּרוּן *Adoleverunt* thura, 4, 13.

3. וְאָנֹכִי *Ego tamen* nihilominus pro clementia et misericordia mea eos non abjeci, sed adhuc paterno amore (Vs. 1.) eos prosequutus sum. תִּרְגַּלְתִּי לְאֶפְרַיִם *Ad eundum assuefeci Ephraimum.* Kimchi: „Quia comparaverat Israeliticum populum puero, usus est hoc verbo, ac si dicat: prout qui puerulos assuefaciendo paulatim ad incedendum instruunt, non solent molesto eos labore onerare, ita ex Aegypto illos educens variis continuo itineribus feci, ut expeditionem absolverent, pedetentim eos nec molesta festinatione deduxi.“ תִּרְגַּלְתִּי Verbum denominativum a רֶגֶל *pes* formae *Tiphel*, significationis Hiphilicae; vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 254. no. 4. et *Grammat. minor.* §. 54. no. 5. p. 109. edit. undec. In *Lexic. man. lat.* Vir Doctissimus תִּרְגֵּל idem esse dicit quod Syriacum ܦܪܓܠ *ire docuit.* Sed id verbum *labi fecit, deturbavit* denotat. Vid. Agrell *Otiola Syriaca* p. 34. not. i. Neque tamen ad sola tempora exitus ex Aegypto, verum ad sequentia quoque tempora arbitramur hunc Versum referendum, et ita quidem, ut sermo vel maxime habeatur hic de ductu per divinam legem; sic enim ratio connexionis constat: Versu praecedenti populi incusaverat aversionem respuentis ductorum suorum sedulas invitationes, ac Baalum idolorumque stolide praeferentis cultum; id quod jam hoc Versu pergit ostendere quam turpiter factum. קָחָם *Accipiens eos*, Participium formae כָּתָב abjecto לָ, ut Ps. 18, 41. תַּתָּה per aphaeresin pro נָתַתָּה dicitur. Storrius *Observatt.* p. 307. habet pro Infinitivo per Gerundium in *do* exprimendo: *prehendendo eos*, quomodo Infinitivi et Jer. 7, 13. 22, 19. usurpantur. Aliis est Praeteritum, ut Ezech. 17, 5. Transit enim oratio a persona prima ad tertiam, uti patet e suffixo ad עַל־זְרוֹעֹתָיו *supra brachia sua.* Comparat se Deus cum viro, qui paterne ducat puerum, adeo aegre incedentem, ut etiam super brachia eum suscipiat. Desumta imago ex Deut. 1, 31. 32, 12. Cf. Jes. 63, 8. 9. וְלֹא יָדְעוּ *Sed* illi *noluerunt agnoscere*,

2, 10. Jes. 1, 3. Jer. 4, 22. כִּי רְפָאתִים *Quod eos sanaverim*, in integrum eos restituerim; cf. 6, 1. 7, 1. Jes. 6, 10. Chaldaeus: *sed non agnoscunt, meam misericordiam exstare super eos.* Verba קָחָם עַל־זְרוֹעֹתָיו quidam, ut Abarbenel, ad Ephraimum referunt (quod, si de Deo accipiuntur, transitus a persona prima ad tertiam, et tunc rursus ad primam, incommodus illis videtur), hoc sensu: *suscepit* Ephraim *illa*, idola, Vs. 2., summo illa amore amplexus est. Sed quem supra indicavimus sensus reliquis hujus Versus magis est accommodatus.

4. בְּחַבְלֵי אָדָם *Funibus hominis*, i. e. humanis, quibus ingenui homines, non bruta aut bestiae, trahuntur; cf. 2 Sam. 7, 14. Humaniter eos tractavi. Chaldaeus: *tractu filiorum dilectorum traxi eos.* Jarchi: „Attrahere eos consuevi funibus lenissimis, qualibus in attrahendo suo filio homo utitur; omnino ac si dixisset: tractione benevolentiae.“ Kimchi: „Quoniam vitulae Israelem comparaverat [10, 11.], vitulam autem funibus trahi fert consuetudo, ait: ego funibus hominis traxi Israelem, et non funibus vitulae. Quippe quum vitulam funibus invitam trahant retrahantque, ego sic Israelem traxi, sicut socium homo solet, quem utique molli flexu ducit, neque invitum ire adigit: sic eos traxi ad proprium lubitum eos molliter ducendo.“ אֲמָשְׁכֵם *Trahebam eos*, Jer. 31, 3. בַּעֲבוֹתוֹת אַהֲבָה Nempe *funibus amoris*, i. e. בְּתִקְוֹת רַחֲמָא *fortitudine amoris*, uti vertit Chaldaeus, summa caritate. Cf. Jes. 63, 9. וָאֶהְיֶה לָהֶם כְּמְרִימֵי עֹל עַל לְחֵיהֶם *Fuique eis tanquam tollentes*, levantes, *jugum*, quod erat *super maxillis eorum*, id est, recte exponente Chaldaeo, *eram eis sicut bonus agricola, qui allevat humerum boum, et producit*, relaxat frenum *in maxillis eorum.* Bene Grotius: „רוּם [in Hiphil] non raro vertitur per αἴρειν, ἐξαιρεῖν, ἀφαιρεῖν [ut Ezech. 21, 26. al. 31. et Syris ܢܣܒ]. Haec nova comparatio ab agricola sumta, qua liberationem ab Aegypto designat.“ Per עֹל non solum designari *jugum* ipsum, quod cervici imponitur, verum et *subjugia lora* (Catoni dicta c. 63.), quibus jugum collis boum ita aptabatur, ut ora simul seu maxillae capistrarentur, docet additum עַל לְחֵיהֶם *super maxillas eorum.* לְחֵי status constructus pro לֶחְיִי, et hoc pro לְחָיַי Jes. 30, 28. וָאַט אֲלָיו *Et leniter* (1 Reg. 21, 27. Gen. 33, 14. 2 Sam. 18, 5. Jes. 8, 6.) *erga eum*, me gerens, אוֹכִיל *cibum porrexi*, alui, est enim Hiphil verbi אָכַל pro אַאֲכִיל et hoc pro אַאֲכִיל, ut אֹבִיד pro אַאֲבִיד ex אַאֲבִיד, observante Schroedero *Institt. Ling. Hebr.* Reg. 76. d. Suffixum repetendum est ex אֲלֵיהֶם, quod proxime praecessit. Chaldaeus: *cum essent in deserto, multiplicavi eis comedendum bonum.* Comminationem hisce verbis contineri, opinatus est et Ludovicus de Dieu, cui אוֹכִיל est Participium Cal, formae יוֹסֵף, Jes. 29, 14., et תּוֹמִיךְ Ps. 16, 5., unde vertit: *ideo ad eos inclinabo comestorem*, i. e. hostem Assyrium (qui Versu proximo diserte me-

moratur). Ita conferri potest Jerem. 50. 17. הָרִאשׁוֹן אֲכָלוֹ מֶלֶךְ אַשּׁוּר *primus comedit eum rex Assyriae.* Sed quum totus reliquus Versus aperte in beneficiorum divinorum commemoratione versetur, minus commode postremis ejus verbis comminatio addatur, quae proximo demum Versu incipit.

5. לֹא יָשׁוּב אֶל־אֶרֶץ מִצְרַיִם *Non revertetur* ultra, ut nuper fecit, *Ephraim*, s. populus Israel (Vs. 3.) *in terram Aegypti* ad auxilia petenda, 7, 11. 9, 6. 12, 2. Lackemacher in *Observatt. Philologg.* P. VI. Observ. 3. *de Israelitis in Aegyptum revertentibus* etc. verba nostra interrogative vertenda existimat: *nonne in Aegyptum revertitur?* quod idem sit, ac si dixisset: *utique revertitur*, scilicet ne locus noster pugnet eum 9, 3., ubi Israelitae in Aegyptum reverti dicuntur. Firmare potuisset Lackemacher suam interpretationem Graeci Alexandrini interpretis auctoritate, qui et ipse לֹא pro הֲלֹא accepisse videtur. Vertit enim: *κατῴκησεν Ἐφραὶμ κν Αἰγύπτῳ.* Verum minime opus est particulae interrogativae ellipsin statuere, si יָשׁוּב, uti nos eum Grotio fecimus, simpliciter in futuro tempore sumimus. Addit vates causam, cur ultra non sint ad Aegyptios legatos missuri, auxilii impetrandi et foederis ineundi ergo, וְאַשּׁוּר *nam Assur*, s. *Assyrius*, cui inde a temporibus Menahemi tributarii fuerant, 2 Reg. 15, 19., sed nuper, Aegyptiorum auxiliis freti, ab eo defecerant, 2 Reg. 17, 4., הוּא מַלְכּוֹ *hic* erit *rex ipsius*, sc. solus, ut proprium regem non habeant, nec auxiliarem Aegyptium. „*Rex*," inquit Lackemacher l. c. p. 346., „hic dicitur, qui subjugat, et in servitutem redigit, belli jure. Eo sensu Assyrius rex futurus erat Israelitarum, quippe republica simul cum libertate orbaturus, iisdemque עַל כָּרְחָם *invitis*, ut Raschi ait, imperaturus." כִּי מָאֲנוּ לָשׁוּב *Quia renuebant reverti* (ut Jer. 5, 3. 8, 5.) ad Deum suum (supra 5, 4.), a quo auxilium exspectare poterant certissimum; resipiscere nolebant.

6. וְחָלָה *Irruens enim* erit; חוּל et Chaldaeis est *cadere* in aliquem locum residendi causa. Eadem qua h. l. notione verbum usurpatur 2 Sam. 3, 29. Jer. 23, 19. Lackemacher confert Arabicum حال, quod praeter alia etiam *assilivit*, *insilivit* denotat. J. D. Michaelis a significatu *circumeundi*, quem itidem apud Arabes id verbum obtinet, in *Supplemm.* p. 685. vertit *obambulabit* gladius per urbes; minus commode. חֶרֶב *Gladius* hostium; cf. Levit. 26, 25. 33. בְּעָרָיו *In urbes ejus*, regni Israelitici, 8, 14., quando obsidione cingentur. וְכִלְּתָה בַדָּיו וְאָכָלָה *Conficiet vectes ejus et absumet.* „*Vectes*," inquit Lackemacher l. c., „repagula hic sunt, quae portis ab interiore parte obducuntur, ut, nisi summa vis adhibeatur, aperiri nequeant. Portae olim prae ceteris urbium partibus munitione instrui solebant valida, quod per eas facillimus alioquin hosti ad urbem esset aditus. Hinc factum, ut *portae* in sacris literis pro tota ponantur *urbe*,

et *portam* is *possidere* dicatur, qui ipsam tenet urbem, quia portis occupatis nihil erat, quod ipsius urbis occupationi impedimento esset. Itaque portae tum aliis rebus, tum pessulis praesertim et repagulis firmis diligentissime muniebantur. Haec propheta *confectum* iri *absumtumque* nuntiat, id est, hostem illa convulsurum, excussurum, ferro rescissurum, vel et igne destructurum: paucis, urbes non modo obsessurum esse, sed et munimentis praecipuis dirutis, capturum. Alii, in quibus Raschi etiam et Abarbenel [Chaldaeum interpretem sequuti], *vectes* tropico sensu de גבורין, seu *viris* interpretantur *fortibus*. Quos equidem minime reprehendo, cum viri animo forti ac imperterrito apposite *vectes* dici possint ac *repagula* populi, quod corpora sua, veluti pessulum quendam, hosti urgenti objicientes, progressum ejus impediunt, Horatii instar Coelitis, qui solus in ponte Tuscorum sustinuit impetum, hoc ea propter Livius (*Hist.* 2, 10.): *id munimentum illo die fortuna urbis Romanae habuit.* Sed quia tropo tali usos Hebraeos esse nusquam alias reperio, ac praeterea commate praecedenti de obsidione agitur urbium, quibus munimentum quoddam praecipuum portae praestabant, repagulis probe obstructae, eum, quem indicavi, sensum praeferendum duco.“ Similis sententia Thren. 2, 9. *Excisa lugent propugnacula simul et moenia; pessumdatae sunt ejus portae; perdidit perfregitque vectes ejus* [בְּרִיחֶיהָ]. Alteram tamen interpretationem, qua, Chaldaeo auctore (וְקַטֵל גִּבָּרוֹהִי *occidetque fortes ejus*), *vectibus* fortes viri intelliguntur, qui urbem defendunt, illud commendat, quod *gladio* aptius homines confici et absumi, quam munimenta dicuntur. Liveleus בַּדִּים interpretatur *divinos*, proprie *mendaces*, *vanos*, ut Jes. 44, 25., ubi cf. not., et Jerem. 50, 36., cui favet, quod sequitur, מִמּוֹעֲצוֹתֵיהֶם *propter consilia eorum*, male sana, quae de idolis colendis et de auxilio Aegyptiorum contra Assyrios comparando inierant. Cf. Jerem. 7, 24.

7. וְעַמִּי תְלוּאִים לְמְשׁוּבָתִי *Nam populum meum* quod attinet *suspensi* et defixi *inhaerent aversioni a me;* in malam semper partem postremum nomen usurpatur, vid. 14, 7. Jerem. 2, 19. 3, 22. 5, 6. 8, 5. 14, 7. Prov. 1, 32. Suffixum vero est passivum, ut in תְּפִלָּתִי *preces quae ad me diriguntur*, Jes. 56, 7. cf. Ps. 5, 8. תְּלוּאִים, observat Lackemacher, „*suspensi*, dicuntur, qui toti ex re aliqua pendent, sive unice ei sunt dediti, et quasi affixi inhaerent. תָּלָה enim interdum *affigere* est, *addicere*, Jesajas de Eljakimo 22, 24. וְתָלוּ עָלָיו כֹּל כְּבוֹד בֵּית־אָבִיו *ex eo omnem familiae paternae gloriam suspendent*, i. e. affigent quasi, et uni illi addicent. Quo eodem sensu Graecum quoque verbum ἐξαρτάομαι, *suspensus sum*, Hebraico תָּלָה, נִתְלָה significatu respondens, apud Athenaeum (*Deipnosoph.* L. XII. p. 554.) occurrit: *Οὕτω δὲ ἐξηρτήντο τῶν ἡδυπαθειῶν οἱ τότε, ὡς καὶ Καλλιπύγου Ἀφροδίτης ἱερὸν ἱδρύσασθαι ἀπὸ ταύτης αἰτίας.*

Voluptati sic dediti fuere ejus aetatis homines, ut Callipygo Veneri templum aedificarint. Itaque *suspensi ex aversione a Deo* homines sunt penitus ab eo aversi, qui officia ei praestanda omnino deseruerunt, cultum exhibendum prorsus negligunt.“ R. Tanchum: *constantes sunt in declinando a via recta.* Alii תְּלוּאִים, *suspensos*, eos dici existimant, qui perpetuis dubitationum fluctibus jactentur, et ל nomini מְשׁוּבָתִי praepositum vertunt *propter*, ut Num. 16, 34. Jud. 6, 11. 9, 24., ut haec prodeat sententia: populus Israeliticus animo prorsus dubio atque anxio haeret, eo quod a Deo se averterit. Ita Chaldaeus: *populus autem meus haesitat se convertere ad legem meam;* et Syrus: *populum meum* quod attinet *suspensi* haesitant; *redire ad me.* Sed prius praeferimus. Pergit vates: וְאֶל־עַל יִקְרָאֻהוּ *et* ad id quod *supra*, ad superna, divina et coelestia (alii: *ad Altissimum*, sed cf. not. ad 7, 16.) *revocant* quidem *eum* (populum) sc. prophetae, quae ellipsis et supra Vs. 2. Recte Jarchi: *et ad id quod supra eum est, vocant eum prophetae.* Consentit R. Tanchum, qui עַל h. l. idem quod Arabicum علو *altum*, *elatum* esse ait. Lud. de Dieu עַל non ut nomen sed ut Particulam capiens, verba cum iis quae sequuntur, יַחַד לֹא יְרוֹמֵם, sic vertit: *et sursum vocant eum, sed pariter non elevat se*, i. e. manent cordibus infixi terrae, neque volunt se sursum elevare, quamvis eo vocentur. Cepit יְרוֹמֵם significatu reciproco, quo tamen Piel verbi רום alias non usurpatum reperitur. Nos tamen iis interpretibus accedimus, qui יְרוֹמֵם active capiunt, ita ut subaudiendum sit: *Deum*, uti est in versione Arabica nondum edita, Pocockio laudata, *non erat ex iis unus, qui extolleret nomen Dei*, vel, quod malim, *me*, Deum suum (repetito primae personae suffixo ex לְמְשׁוּבָתִי), ut me praeferat humanis auxiliis, debitisque laudibus extollat (de quibus hoc verbum et Exod. 15, 2. Ps. 66, 17. 145, 1. Dan. 4, 34. al. 37. dicitur), et ita me cultu prosequatur decenti. יַחַד *Una* in universum, totus populus, Jes. 22, 3. Ps. 14, 3. Minus placet, quod Grotius ad לֹא יְרוֹמֵם subaudit רֹאשׁוֹ, ut sit: non extulit quisquam caput suum, ut arrectis auribus auscultaret. Eum sensum forsan spectavit Chaldaeus, qui sic vertit: *non ambulant erecta statura*, et Luthcrus, qui integrum Versum sic reddidit: *mein Volk hat keine Lust sich zu mir zu kehren, und wie man ihnen predigt, so richtet sich keiner auf, zu hören.* Ludov. Cappellus subaudit אוֹתָם, vertitque: *quapropter eos Deus non exaltabit.*

8. אֵיךְ אֶתְּנְךָ אֶפְרַיִם *Quomodo* igitur *dabo*, reddam, tractabo *te, Ephraim? Dare* Hebraeis saepe denotat aliquem in statu bono aut malo constituere; vid. Ezech. 5, 14. 26, 21. 35, 9. Inducit Deum loquentem more eorum, qui inviti puniunt, ac si dicat: non sine animi dolore, minimeque lubens sum facturus. אֲמַגֶּנְךָ *Tradamne te?* dedamne te hostibus? sive, pernicici?

Verbum מִגֵּן *dandi, tradendi* significatum obtinet, ut Gen. 14, 20. Prov. 4, 9., et convenit cum נָתַן bis h. l. usurpato. Tradamne te, inquit, extremo supplicio? Chaldaeus: *exterminabo te?* אֵיךְ אֶתְּנֵךְ כְּאַדְמָה *Quomodo dabo*, reddam, *te sicut Adama*, quae una cum Sodoma et Gomorrha igne coelitus demisso deleta, Genes. 14, 9. 19, 24. אֲשִׂימְךָ *Ponamne*, reddamne, *te?* 2, 5. Jerem. 6, 8. Ezech. 21, 32. כִּצְבוֹאִים *Sicut Zeboim*, itidem una quinque illarum urbium, igne coelesti deletarum, Deut. 29, 22. נֶהְפַּךְ עָלַי לִבִּי *Sed*, quando de te prorsus exscindendo cogito, *conversum*, mutatum est, *cor meum intra me* (ut Ps. 42, 5. 6. 7.), ab ira ad misericordiam. Vid. Thren. 1, 20. et cf. Jer. 31, 20. יַחַד נִכְמְרוּ נִחוּמָי *Una*, pariter, *aestuarunt*, incaluerunt, *poenitudines meae*, i. e. intimo poenitudinis sensu afficior, quod te tantis afflixi poenis. נִכְמְרוּ *aestuarunt*, *incaluerunt*, ut Gen. 43, 30. נִכְמְרוּ רַחֲמָיו אֶל־אָחִיו *incaluerunt viscera ejus erga fratrem suum*, i. e. amore erga eum commotus est.

9. לֹא אֶעֱשֶׂה *Non* igitur *faciam*, exsequar. Subjicitur effectus illius motus divinae misericordiae, de quo Vs. 8. Cf. Amos 7, 36. חֲרוֹן אַפִּי *Furorem irae meae*, poenam intelligit, quae infligitur non jam ad emendationem, sed ad internecionem, Jerem. 30, 24. 49, 37. לֹא אָשׁוּב *Non convertam me* scil. a miserendo, et promissionibus meis. Cf. supra 2, 8. 18. (al. 11. 21.). Vel: *non avertam me* ab Israelitis, coll. Jer. 32, 40. Alii cum verbo sequenti לְשַׁחֵת ita jungunt: *non revertar ad perdendum*, i. e. non rursus perdam (coll. Gen. 26, 18. 1 Reg. 13, 33. 2 Reg. 4, 35.), ut olim in diluvio, coll. Jes. 54, 9. כִּי אֵל אָנֹכִי וְלֹא אִישׁ *Nam Deus ego sum*, fallere nesciens in promissis datis, *nec vir*, homo, cujus dubia in promissis fides. Cf. Num. 23, 19. Mal. 3, 6. בְּקִרְבְּךָ קָדוֹשׁ *In medio tui Sanctus*, ut Jes. 12, 6., affectionibus vitiisque humanis plane exemtus. וְלֹא אָבוֹא בְּעִיר *Nec ingrediar urbem*, ita LXX, Vulgatus, Syrus; et cf. quoad constructionem Deut. 23, 9. sqq. 1 Sam. 23, 7. Jerem. 9, 20. Sed quomodo intelligendum hoc sit, de eo admodum ambigunt interpretes. Hebraei vulgo sensum hunc esse volunt: at *in* aliam *urbem*, praeter Hierosolymam, *non veniam*. Quae Chaldaei quoque mens videtur fuisse, qui vertit: *nec permutabo amplius Hierosolymam cum alia urbe*. Sed Hierosolymitanae urbis mentio ab hac in Ephraimitas directa oratione prorsus aliena. Melius Hieronymus: „*Et non ingrediar civitatem*, hoc est, non sum unus de his, qui in urbibus habitant, qui humanis legibus vivunt, qui crudelitatem arbitrantur justitiam; quibus jus summum summa malitia est; mea autem lex, meaque justitia est salvare correctos.“ Quae explicatio scitum defensorem nacta est Lowthum *de Sacra Poesi Hebraeor.* Prael. 19. p. 242. ed. Oxon. sec. s. p. 212. ed. Lips. not. „Est nimirum,“ inquit, „in posteriore membro τὸ לֹא אָבוֹא בְּעִיר parallelum et synonymum τῷ לֹא אִישׁ in priore. Futurum

אָבוֹא habet vim frequentativam (vid. Ps. 22, 3. et 8.), *non soleo urbem intrare*, non sum urbicola. Est etiam in singulis membris pulchra inter se oppositio partium; *sum Deus et non homo;* est auxesis in sequenti, et paulum variatur ratio oppositionis: sum Deus tuus tecum habitans, sed peculiari modo, extra ordinem, nec more hominum. Nihil, opinor, clarius, nihil elegantius.“ N. G. SCHROEDERUS vero in *Observatt. Selectt. ad Origg. Hebrr.* Cap. 2. §. 13. p. 25. nomini עִיר h. l. ut Ps. 73, 20. (ubi vid. not.) *fervoris, excandescentiae, irae* significatum tribuens (coll. Arab. غار pro غور *fervere*), verba nostra sic reddenda arbitratur: *non veniam cum fervore*, s. ira in gentis perniciem *effervescente*, ut respondeant primis ejusdem Versus verbis: *non exsequar* חֲרוֹן אַפִּי *excandescentiam irae meae.* Addere potuisset Schroederus, ejusdem interpretationis jam a Jarchio mentionem factam esse. Refert is enim, existere, qui עִיר significatione *odii* (שִׂנְאָה) h. l. capiant, coll. 1 Sam. 28, 16. *Jova a te recessit*, וַיְהִי עָרֶךָ *et factus hostis tuus.* Nos tamen haud dubitamus nostram facere interpretationem Hieronymianam sive Lowthianam, ex qua עִיר usitata sua et unice certa significatione sumitur, dictioque est satis poetica.

10. אַחֲרֵי יְהוָה יֵלֵכוּ *Post Jovam* tandem *ambulabunt*, ejus ductum sequentur; id enim notat הָלַךְ cum אַחֲרֵי junctum, cf. 5, 11. 1 Reg. 14, 8. Chaldaeus: *cultum Jovae sequentur.* Idem promittitur supra 3, 5. Jerem. 3, 17. Mich. 4, 2. כַּאֲרִיֵה יִשְׁאָג Quando *sicut leo rugiet*, valida sua voce dispersos per varias et multas terras convocabit. KIMCHI: „Sicut leo, qui rugit, ut animalia, quorum rex ipse est, sese ad eum congregant, ita congregabunt sese Israelitae audita voce rugientis Dei.“ כִּי־הוּא יִשְׁאַג וְיָחֲרְדוּ *Quando ipse rugit, tunc trepidabunt*, i. e. trepidantes prae nimia festinatione accurrent, cf. not. ad 3, 5. בָּנִים *Filii*, posteri Israelitarum eorum, ad quos tunc loquebatur vates. Vel: *filii* Jovae, quos Deus filios recipit, coll. Deut. 14, 1. Chaldaeus: *congregabunt se exules.* מִיָּם *A mari*, i. e. ab Occidente, ut recte Chaldaeus, cf. Gen. 12, 8., ab extremis terris, quae trans mare mediterraneum, Cananaeae ad occidentem, sitae sunt. Arabicus interpres Pocockio laudatus: *ex insulis maris.* Ceteras mundi plagas commemorat Versu proximo.

11. יֶחֶרְדוּ *Trepidabunt*, summa cum festinatione accurrent, Vs. 10. כְּצִפּוֹר *Sicut avis*, Chaldaeus addit *quae aperte*, palam, per aerem, advenit. מִמִּצְרַיִם etiam *ex Aegypto*, a meridie. Chaldaeus: *sic venient qui captivi deducti fuerant in terram Aegypti.* וּכְיוֹנָה *Et sicut columba*, cujus pernicissimus volatus est, vid. Jes. 60, 8. Ps. 55, 7. et ibi not. מֵאֶרֶץ אַשּׁוּר *E terra Assur*, e borealibus regionibus. Eadem spes facta Judaeis a Jesaja 27, 13. et Zacharia 10, 10. וְהוֹשַׁבְתִּים עַל־בָּתֵּיהֶם *Et reducam eos ad domos suas* pristinas, in patrias terras. Cf.

Jerem. 32, 37. נְאֻם־יְהוָה *Dictum Jovae*, fallere nescii, Num. 23, 13. Promissionis quasi sigillum. Cf. Jes. 1, 24. Ps. 33, 4.

CAP. XII.

Argumentum.

Hoc Capite ex quorundam sententia nova concio incipit, sequenti Capite continuata, finita vero 14, 1., *duabus* partibus constans, quarum *prior* (Vs. 1—11.) *contra Judam*, altera (Vs. 12. seqq.) *contra Ephraimum* sit directa; ita quidem, ut in *priore* parte, oppositione inter Judaeos et Israelitas facta, Judam de praeterita laudet constantia in pietate (Vs. 1. 2.), eundem vero de praesenti corruptione arguat (Vs. 3.), et *duabus* rationibus (quarum prima a justissima retributione Dei secundum bona vel male facta cujusque, Vs. 3., id quod exemplo Jacobi, patriarchae, probatur, Vs. 4. 5., altera a Dei immutabilitate Vs. 6. petita), ad poenitentiam revocet, Vs. 7., tandemque opposito exemplo impii et pertinacis Ephraimi (Vs. 8. 9.), doceat, Jovam futuris temporibus Judam singulari favore prosequuturum esse, Vs. 10. 11. Unde demum transeat ad *alteram* partem hujus concionis adversus Ephraimum directam, Vs. 12. seqq. Alii vero et plerique interpretes totum Caput directe *ad Ephraimum* referunt, qui eum Juda comparatus deterior sit, Vs. 1. 2., et corruptionis illi etiam auctor, Vs. 3., adeoque degener prorsus a Jacobi patriarchae pietate (Vs. 4. 5.), quum contra Deus ex sua parte semper sit idem (Vs. 6.), ad quem ideo ut redeat, Ephraimum hortatur (Vs. 7.), frustra tamen ob ejus pertinaciam in admittendis et defendendis sceleribus (Vs. 8. 9.). Unde Deus semper sibi constans, ex mente nonnullorum interpretum, ipsis exilium minatur, secundum alios vero, ex mera misericordia promissionem de futura reipublicae Israeliticae restauratione confirmat (Vs. 10.), ut qui non solum adhue officio suo non defuerit, per prophetas variis modis loquutus, sed etiam in posterum doctores et prophetas missurus sit, Vs. 11. seqq. J. H. Meisner in Programm. quod inscribitur: *Sistitur oeconomia Capitis duodecimi Hoseae* (Lips. 1788. 4.), vatem vicissim et mutuo utrumque regnum, tam Judaicum, quam Israelitieum, ab uno ad alterum transeundo, unum alteri implicando, graviter taxare et vituperare observat; quorum enim criminum reos sese fecerant cives unius regni, eorundem nomine accusari quoque poterant alterius regni cives. „Ne itaque anxie," inquit, „quaeramus, quid uni regno praecipue dictum sit, quid alteri, sed omnem hunc sermonem prophetae spectemus nunc sic, ac si dictus esset universae familiae Israelitarum, qui, uti constat, duplex regnum constituebant inde

a Rehabeami et Jerobeami I. temporibus. Invehitur autem propheta in *duo* comprimis *vitia* Israelitarum, ab eisque abstrahere eos per exempla allaborat. Et illa vitia sunt: *inconstantia in dictis et factis*, quae et dicitur *perfidia* (quo nomine generaliori comprehendit omnem animi eorum vitiositatem, inter cujus causas principes illa *inconstantia* non est ultimo loco nominanda); deinde, *superbia et arrogantia de rerum ac opum suarum*, malis tamen artibus comparatarum, vel immerito Dei beneficio acceptarum, *laeto statu*. Et sic hoc Caput sponte et apte simul dilabitur in *duas* partes fere aequales, quae singulae tractant orationem, diversam, si rem spectas, quae tractatur, sed similem, quoad modum tractandi.“ Vides, quantopere dissentiant interpretes tum de nexu singularum hujus Capitis partium, tum de sensu phrasium, et sententiarum. Nos in explicatione potiores varietates breviter attingemus.

1. סְבָבֻנִי *Circumdederunt me* mendacio, Ps. 17, 11., i. e. in omni circuitu meo, et quocunque circumspicio, mendacium fecerunt. Ita Chaldaeus: *multiplicaverunt coram me mendacia.* Similiter GUSSETIUS in *Lexico* (s. v. כָּזַב Q. 3.): *undique congerunt mihi* adulatoria mendacia, cujusmodi blanditiae ad dissimulandam impietatem et Job. 31, 28. intelligantur. בְּכַחַשׁ *Mendacio*, i. e. fucata pietate erga me, et superstitioso idolorum cultu; 7, 3. 13. 10, 13. cf. Jes. 30, 9. 59, 13. Alii conferunt supra 10, 4. Alii vertunt: *abnegatione*, coll. Prov. 30, 9. Job. 30, 28. Vid. infra Hieronymi explicationem. אֶפְרַיִם Israelitae decem tribuum, ut Vs. 2. et frequenter in hoc libro. וּבְמִרְמָה *Et dolo*, perfidia, cf. Jerem. 9, 5. 7. Ps. 50, 19. 2 Reg. 9, 23. (al 13.). בֵּית יִשְׂרָאֵל, quo nomine regnum decem tribuum et supra 1, 4. 6. 7. 5, 1. appellatur. וִיהוּדָה *Et Juda*, et cum eo Benjamin, i. e. regnum Judaicum, Ephraimitico, s. Israelitico, oppositum, cf. 1, 7. Verba עֹד רָד עִם־אֵל interpretum plerique sic explicant: *adhuc dominatur cum Deo*, verbo רוּד *dominandi* significatu accepto, i. q. רָדָה, ut Jerem. 2, 31. multi רַדְנוּ *dominamur* vertunt. JARCHI: „Juda adhuc principem agebat cum Deo, quia reges illius populi foedus cum Deo Opt. Max. retinebant.“ R. Tanchum: *utique illi dominium obtinent coram eo* et *stant una ei*, i. e. ab ejus partibus. Similiter Castalio: quum Judaei adhuc Deum colant, ideoque imperium retineant. Alii de praeterito tempore hoc capiunt, quod Ephraim perfide egerit in Jovam jam tum quum *Juda* adhuc *dominaretur cum Deo*, i. e. quum major aut potentior pars Judae, quae praevaluerit, adhuc obtineret, ut veri Dei cultus maneret. וְעִם־קְדוֹשִׁים *Et cum sanctis*, per quos alii intelligunt *homines* probos, praesertim majores, ut Ps. 16, 3., alii *coelites*, ut Job. 15, 15., alii, cum Kimchio, *ipsum Deum*, coll. Jos. 24, 19. [אֱלֹהִים קְדֹשִׁים הוּא], Prov. 9, 10., ita ut Particula *cum* non tantum *societatem*, verum

etiam *auxilium* et robur, dominium donans, significet; cf. Jos. 1, 5. נֶאֱמָן *Fidus* et constans esset; constanter veri Dei cultum teneret; eodem sensu haec vox et Jes. 1, 21. Ps. 78, 8. 37. usurpatur. In alia omnia abit N. G. SCHROEDER, qui in *Observatt. ad Origg. Hebrr.* Cap. 1. §. 11. p. 11. Judaeos minime a vate laudari, sed potius accusari, ut supra 5, 5. 6, 4., et mox Vs. 3., existimat. Quum autem verbi רוּד propriam notionem, comparatione Arabici ﺭﺩ, ponat in *motu reciprocato*, quo quid *huc illuc agitatur* et *versatur*, illud h. l. translatum vult ad animi levitatem et inconstantiam, et Versus nostri hemistichium posterius vertit hoc modo: *etiam Juda adhuc ultro citroque vagatur cum Deo, et cum Sancto fido.* Sed *vagari cum Deo* valere a Deo ad falsos deos deficere, equidem mihi nequeo persuadere. Nobis רוּד hic simplici *ultro citroque commeandi* significatu capi videtur, ut sensus hic prodeat: *dum Juda adhuc ambulat cum Deo, et cum sanctissimo Numine* conversatus *fidus* ei manet. Laudem Judae expressit jam Chaldaicus interpres, qui totum posterius hemistichium ita exposuit: *sed domus Judae* homines *validi erant in cultu, donec populus Dei e terra sua deportaretur; et illi coluerunt me in domo Sanctuarii; vocati sunt populus sanctus, propterea quod fideles essent.* In bonam partem accipit quoque HIERONYMUS, integri Versus sensum hoc modo declarans: „*Ephraim*, regia tribus, *et domus Israel*, qui tribui regiae serviebat, *circumdedit eum in negatione*, sive mendacio, dum Dominum negant, et idola profitentur. Judas autem, hoc est, duae tribus, quae habebant Templum, Legem, Prophetas, et servabant praecepta legalia, erant testes [pro עֵד enim posuit *testis*, quod עֵד legit], gradientesque cum Deo et cum sanctis fideles. *Sanctos* possumus dicere vel Angelos, vel Patriarchas ac prophetas, et ceteros, qui Dei imperio serviebant. Ad comparationem nempe illius temporis, quo haec dicebantur, aberrante penitus Ephraim, et decepto in idolorum cultu Israel, solus Juda remanserat, qui in Dei cultu et testimoniis versaretur.“

2. אֶפְרַיִם רֹעֶה רוּחַ *Ephraim pascit ventum*, quasi eum comesturus, sicut famelica bestia avide depascit herbas. Eadem metaphora Proverb. 15, 14. *stultus* dicitur *pascere ventum;* Jes. 44, 20. *idololatra pascere cinerem*, inane alimentum. Eodem sensu Jer. 22, 22. *ventus aliquem pascere* i. e. absumere dicitur. Contra Ps. 37, 3. *pascere veritatem* est eam cupide sectari. וְרֹדֵף קָדִים *Et persequitur eurum*, καύσωνα vertunt LXX (quod Arabicus in Polyglottis interpres السموم *venenatum* vertit), ut Jon. 4, 8. cf. Jac. 1, 11., i. e. rem inanem, imo longe perniciosissimam, idolorum cultum, et foedera cum exteris. Cf. Prov. 27, 16. Cohel. 5, 15. Ita vero *vanam in humanis auxiliis fiduciam* describi alii putant, alii vero non tam *poenam* Ephraimitis denuntiari, quam auctam ejus et obduratam malitiam de-

signari censent, qua multum sibi de cultu superstitioso, quem sectaretur, pollicitus sit. Nos utrumque spectari arbitramur. כָּל־הַיּוֹם *Quotidie*, semper, Jes. 52, 5. כָּזָב וָשֹׁד יַרְבֶּה *Mendacium et vastitatem multiplicabit*, non tantum spe sua frustrabitur, verum etiam perniciem sibi parabit. וּבְרִית עִם־אַשּׁוּר יִכְרֹתוּ *Et* modo *foedus cum Assyrio scindunt*, i. e. pangunt (cf. de phrasi not. ad Gen. 15, 10.), vid. supra 5, 13. infra 14, 4., et cf. 2 Reg. 15, 19. 17, 2. וְשֶׁמֶן *Et* mox perfido animo *oleum*, קוּרְבָּנָא *munus*, ut recte Chaldaeus; nobile autem et copiosum oleum in terra Canaan fuisse, constat ex Deut. 8, 8. 1 Reg. 5, 25. Ezech. 27, 17., ad quem locum vid. not. Cf. JAHN *Bibl. Archaeolog.* P. I. §. 80. לְמִצְרַיִם *In Aegyptum*, 7, 11. 11, 5. יוּבַל *Defertur*, 10, 6., pro obtinendo adversus Assyrios auxilio, vid. 11, 5. 2 Reg. 17, 3. HIERONYMUS: „Sacra narrat historia, Manahen, regem Israel, pace facta cum Assur, ab Aegyptiis auxilium postulasse, et hoc est quod nunc dicitur, Ephraim pascere ventos, id est, spe facta se decipere, sequique *καύσωνα*, hoc est, *aestum*, et ire ad Meridiem, nihilque aliud agere toto die, nisi sibi illuderc.“

3. וְרִיב לַיהוָה *Sed* nunc etiam *lis* s. litigandum est *Jovae*, 4, 1. Mich. 6, 2. עִם־יְהוּדָה *Cum Juda* et Benjamin, quod etiam hi, ab Ephraimitis seducti (4, 15.), et postremis praesertim vatis nostri temporibus, per impium regem Ahasum admodum corrupti fuerunt; vid. 2 Reg. 16, 3. וְלִפְקֹד עַל־יַעֲקֹב Idque *ut animadvertat in Jacobum*, ut poenas sumat de Jacobitis, ut 1, 4. 2, 15. 4, 14. 8, 13. Amos 3, 2. Nomen *Jacobi* quidam hic accipiunt de decem tribubus, alii de regno Judaico, alii de utroque, ut 10, 11., q. d. vindictam sumet de Jacobitis universis degeneribus. כִּדְרָכָיו *Secundum vias ejus*, prout malefactis suis promeriti sunt, cf. Jerem. 17, 10. 32, 19. Ezech. 18, 30. כְּמַעֲלָלָיו יָשִׁיב לוֹ Vid. supra ad 4, 9., ubi eadem verba.

4. Hortatur nunc Jacobidas, ut, priori via relicta, ad Dei veri cultum redeant, et parentis, Jacobi, cujus in Deum fidem pietatemque, pariter atque Dei erga illum favorem commemorat, vestigia persequantur (usque ad Vs. 7. inclus.). Et primo quidem divini in Jacobum favoris luculentissima exempla affert, ejusdemque fructum ad posteros quoque, si illius pietatem imitentur, pertinere innuit. בַּבֶּטֶן עָקַב אֶת־אָחִיו *In utero calcem tenuit fratris sui* Jacobus, cujus nomen Vs. 3. commemoratum, sed ibi de ejus posteris usurpatum; nunc vero de ipso illo viro intelligendum esse, res ipsa docet. Verbum עָקַב (Arabice عَقَبَ *pressit vestigia, pone* et *a calce venit, e vestigio sequutus fuit)* minus commode a nonnullis hic redditur *supplantavit*, neque enim dolum vel fraudem culpabilem ipsum hoc verbum, aut nomen *Jacobi* inde derivatum per se infert (etsi per invidiam eo illud traxit Esavus, Gen. 27, 36., et eodem sensu ad nomen *Jacobi*

Jeremias alludit 9, 3., quia etiam doloso animo et ad circumveniendum quis alterum *calce abrepta antevertere* et *supplantare* potest); sed laudabile potius Jacobi studium et victoriam hic innuit. Idem namque dicit, quod diserte legimus Gen. 25, 26. וְיָדוֹ אֹחֶזֶת בַּעֲקֵב עֵשָׂו *et manus ejus*, Jacobi, e matris utero egredientis, *tenens calcem Esavi*, ut, prior tempore proditurus, potiri possit jure primogeniturae. Quod nonnisi singulari virtute et Dei providentia ab infante factum esse, vates innuere voluit, uti post Chaldaeum Hebraei interpretes recte observant. Ita enim Chaldaeus: *Propheta, dic eis: nonne de Jacobo praedictum est, antequam nasceretur, eum majorem fratre futurum esse?* ex Gen. 25, 25. Jarchi: „Ego, Deus, hoc omne effeci in eo, ut nimirum calcaneo ipsum apprehenderet, quo signum exstaret, Dominum fratris (Esavi) ipsum fore." Quod disertius declarat Aben-Esra: „Sensus verborum prophetae hic est: Quare non in memoriam sibi revocant Jacobi posteri, me patrem eorum elegisse, eundemque in amplissimo dignitatis gradu inter mortales collocasse? Nam quum esset in utero, dedi ei vires ad prehendendum fratris calcem. Id quod prodigii loco habendum est. Neque enim robur est in foetu, versante in secundina, et quo tempore ea finditur, ut quicquam apprehendat, donec ex utero in lucem prodierit. Jacobo igitur dum adhuc in utero esset, vires ego dedi. Et postea quoque cum angelo luctatus est, eumque superavit." Cum Hebraeis consentiunt veteres Christiani interpretes, quorum verba attulimus in Scholiis uberioribus. Minime probandus Conr. Ikenius, qui in peculiari in nostrum locum Dissertatione, cui epigraphe: *de Praevaricatione Jacobi hancque secuto certamine fidei* (in *Dissertatt.* ejus *philologico-theologicis* P. I. p. 282. seqq.), prius hujus versiculi hemistichium in vituperium Jacobi vertere studuit. Tota vero orationis series innuit, spectasse vatem illud, quod Jacobus ex utero egrediens manu tenuit calcem praecedentis Esavi, tanquam quid singulari providentia et gubernatione effectum, quo signo veluti quodam praenuntiaretur, fore ut, licet Esavus ex utero materno prior egrederetur, Jacobus tamen de jure primogeniti cum eo contendat, eademque consequatur, quodque et ipse Deo acceptior foret quam frater, et gens ab eo oriunda fratris posteritati esset imperatura. J. G. Lackemacher in *Observat. de victoria Jacobi, virium et felicitatis regni Israelitici symbolo ad Hos.* 12, 4. 5. (in suis *Observatt. Philologg.* P. VI. p. 352. sqq.) Jacobi exemplum duplici consilio h. l. a vate in medium allatum arbitratur, primum, ut doceret, regnum Israelitieum in se ipso satis habere roboris atque virium, quo tueri sese possit ac defendere, si modo Deo confidat, nec necesse proinde fuisse, ut aliorum, nominatim Aegyptiorum, efflagitaret opem. Deinde, pessime egisse Israelitas cultu superstitioso Bethele constituto, quippe in loco, ubi singulari prorsus ratione conditori gentis Deus olim se patefecerit, et beneficia

posteritati ejus promiserit eximia. Prius illud vatem significare tectius exemplo Jacobi, in duplici certamine superioris; posterius autem ex illustri illa concludi velle visione, quae Jacobo obtigisset Bethele. Nos eam rationem, quam supra ad hujus Versus initium indicavimus, haud dubitamus praeferendam. Aliud divini erga Jacobum favoris documentum: וּבְאוֹנוֹ *Et robore suo*, Gen. 49, 3. Deut. 21, 17. Ps. 105, 36. divinitus ei concesso. שָׂרָה *Superior fuit* in lucta cum Deo, vel: *superavit* Deum, Gen. 32, 29. LXX: *ἐνίσχυσε πρὸς τὸν Θεόν*. Chaldaeus et Syrus: אִתְרַבְרַב *magnum*, aut principem *se gessit*. Alii: *potenter luctatus est*, coll. Gen. 32, 25. אֶת־אֱלֹהִים *Cum Deo*, vid. Gen. 32, 29. 31., qui in forma humana saepius adparebat, Gen. 32, 25. Jos. 5, 13. Jud. 13, 3. 6. Hinc factum, ut qui hic אֱלֹהִים vocatur, idem statim Vs. 5. appelletur *angelus*, מַלְאָךְ, quod ipsum nomen et hic posuit Chaldaeus. E lucta illa Jacobus nactum nomen יִשְׂרָאֵל a Deo ipso ei inditum, i. e. *principem se praestabat Deo*, vel, *de principatu contendebat cum Deo*, Gen. 32, 29.

5. וַיָּשַׂר *Superior*, inquam, *fuit*, cf. Vs. 4. Est Futurum Cal verbi שׂוּר, cognati cum שָׂרָה, vid. Jes. 32, 1. Prov. 8, 16., et Hiphil supra 8, 4. Nexus fit h. l. per metaphoram, seu per repetitionem ejus quod antecessit, ut novum et amplius quid subjicitur. אֶל־מַלְאָךְ *Erga*, s. *adversus* (אֶל pro עַל, ut alias saepe) *angelum*, vel potius Deum ipsum, Vs. 4., qui angeli formam induerat. וַיּוּכָל *Et praevaluit*, vid. Gen. 32, 29. coll. 30, 8. בָּכָה *Flevit* enim, non angelus, ut Hebraeorum nonnulli inde colligunt, quod angelus, quocum luctabatur Jacobus, ei dixisse narratur Gen. 32, 27. *dimittas me, nam ascendit aurora;* sed Jacobus flendo et precando ipsum vicit; cf. 1 Sam. 1, 10. Modus significatur, quo praevaluit Jacobus. וַיִּתְחַנֶּן־לוֹ *Et supplicavit ei*, Deut. 3, 2. 3. 1 Reg. 8, 33. 47. 59. Ps. 30, 9. Recte Hieronymus: „*Et invaluit*, inquit, *adversus Angelum*, et ejus benedictione, quem vicerat, confortatus est. Flevit quoque et rogavit cum, id est, angelum, dicens [Gen. 32, 27.]: *non te dimittam, nisi mihi benedixeris.*“ בֵּית־אֵל In *Bethel*, vid. Gen. 28, 17. 19., quae nunc *Beth-Aven* facta est, supra 4, 15. יִמְצָאֵנּוּ Jacobus *invenit eum*, angelum, quando a Deo monitus (Gen. 35, 1.) Bethelem ascendit, et vota exsolvit, quae Gen. 28, 21. 22. nuncupaverat. Alii: *Angelus ibi invenit Jacobum.* Sic Chaldaeus: *in Bethel revelatus est*, s. adparuit *ei*, sc. Jacobo Deus, uti legimus Gen. 35, 7. וְשָׁם יְדַבֶּר עִמָּנוּ *Et ibi loquutus est* Jacobus *nobiscum*, Deo, ut quidam volunt, quasi sit pluralis, quem vocant, majestaticus, quo Deus de se ipso loquens utitur et Gen. 1, 26. 3, 22. 11, 7. Jarchi ad Job. 20, 22., quem sequuntur tantum non omnes suae gentis interpretes, nostrum עִמָּנוּ pro עִמּוֹ, *cum ipso*, positum volunt; et sic quoque Syrus, Aquila, Symmachus et Theodotion in Scholiis Graecis; sed invita Grammatica. Kim-

chio vero aliisque verba sunt prophetae, q. d. *ibi* (Bethele) etiam adhuc *loquitur* Deus *nobiscum*, mecum, Hosea, ceterisque prophetis ad arguendum idolorum cultum, qui nunc Bethele viget, coll. Amos 4, 5. Rectius alii *prophetam* intelligunt una *cum populo*, Jacobo orto, quemadmodum Ps. 66, 6. de majoribus Israelitarum, qui mare rubrum transiere, prima pluralis persona dicitur: שָׁם נִשְׂמְחָה בּוֹ *tunc laetabamur de eo.* Cf. not. ad eum locum, et Hebr. 7, 9. 10. Ita et HIERONYMUS: „Quumque patris matrisque consilio in Mesopotamiam fugeret, invenit eundem Angelum in Bethel, qui loquutus est ad eum, loquutus est nobiscum, id est, in patre loquutus et filiis est, et in Jacob dilexit et Judam.“ LACKEMACHER (l. l. p. 361.): „Diligenter animadverti velim, dici Deum non cum solo Jacobo, sed cum omni simul ejus posteritate Bethele collocutum. Scilicet, quae a Jacobo hic dicuntur gesta, eidemque obtigisse, non ad illum ipsum spectant unice, sed ad totam simul gentem ex eo ortam, atque hujus etiam res, fortunamque, qua vel usura sit, vel uti certe possit, praesignificarunt.“

6. וַיהוָה *Atqui Jova*, Deus Abrahami, Isaaci et Jacobi, Gen. 28, 13. Exod. 3, 15., qui promissorum suorum memor propitius tibi erit, si poenitentiam egeris, 11, 9. אֱלֹהֵי הַצְּבָאוֹת *Deus exercituum*, i. e. rerum omnium coelestium et terrestrium, Gen. 2, 1.; cf. not. ad Jes. 1, 9. יְהוָה Nomen *Jova*, quod significat eum *qui est*, *qui fuit*, *et qui* semper sibi constans *erit*, Apoc. 1, 4. זִכְרוֹ *Memoria*, *μνῆμα*, *ejus*, i. e. proprium ejus nomen, quia nominato alicujus nomine proprio reducitur is nobis in memoriam. Respicit Noster effatum divinum Exod. 3, 15. *Jehovah est nomen meum in perpetuum*, וְזֶה זִכְרִי *et hoc est memoria mea*, i. e. verum nomen meum, quo nominato homines mei recordabuntur, *per omnes generationes.* Bene JARCHI: „Sicuti fui jam inde a primo tempore, ita etiam nunc sum; et si mecum in integritate ambulassetis, sicuti Jacobus, pater vester, ego memet erga vos gessissem, ut me erga illum gessi.“

7. וְאַתָּה בֵּאלֹהֶיךָ תָּשׁוּב *Tu igitur*, Jacobo oriunde, quem tanto favore dignatus est Deus, semper idem manens, *in Deo tuo* confisus *revertere* ad cum; fretus Dei tui misericordia redi ad eum. Emphasis quoque est in pronomine *tuum;* nam occulte perstringit eos, qui, relicto Deo suo, ad alios colendos animum appulerint. Alii phrasin nostram capiunt aliter. Chaldaeus: *confirma te in cultu Dei tui.* ABEN-ESRA: „Si reverti velis ad Deum tuum, auxilio tibi erit, ut ad eum revertaris.“ Cf. Jerem. 31, 18. הֲשִׁיבֵנִי וְאָשׁוּבָה *converte me, et convertar, quia tu Deus meus.* Kimchi verbum שׁוּב h. l. *quiescendi* significatione sumendum existimat, ut Jes. 30, 15. בְּשׁוּבָה וָנַחַת תִּוָּשָׁעוּן, quae verba interpretatur: *sedendo quiete et tranquillitate salvi eritis*, quasi שׁוּב conveniret cum יָשַׁב. Sed illic בְּשׁוּבָה commode verti potest

conversione ad Deum, poenitentia. Et nostri loci retinenda interpretatio ea, quam supra dedimus, quum ea adscita prodeat sententia alteri Versus hemistichio perquam apta: חֶסֶד וּמִשְׁפָּט שְׁמֹר, *pietatem et judicium*, justitiam, aequitatem, *custodi*, observa, cf. Jes. 56, 1., atque ita vestigiis Jacobi, patris tui (Vs. 4. 5.) insiste. וְקַוֵּה אֶל־אֱלֹהֶיךָ תָּמִיד *Et spem* tuam *dirige ad Deum tuum semper*, Jovae, Deo tuo, uni perpetuo confidas, nec ab idolo quopiam auxilium tibi credas exspectandum. Similis sententia Ps. 37, 34. *Spera in Jovam, et observa viam suam, et exaltabit te.* Alii paullo alio flexu: *sic spem tuam in Deo semper collocare poteris;* collato Imperativo Gen. 42, 18. זֹאת עֲשׂוּ וִחְיוּ *hoc facite et vivite*, i. e. vivetis, salvi eritis. Similiter Prov. 4, 4. *Teneat verba mea animus tuus, atque custodi praecepta mea*, וֶחְיֵה *et vive*, i. e. ut vivas. Sic GROTIUS: „Non est, quod ipsi diffidas, dummodo tu officium tuum facias.“ Recte JARCHI hujus Versus sensum exponit: „Promissione ejus et baculo, quo ipse te fidere jubet, tu niti poteris, si ad ipsum redibis; verum pietatem et aequitatem observa, et promissio tibi facta est, quod in ejus (Dei) auxilio semper sperare possis.“

8. כְּנַעַן *Cananaeus*, vel *mercator* est! In concisa hac loquutione, ob indignantis adfectum, et de significatione, et de nexu laborant interpretes. Aliis, ut LXX, Vulgato, Syro, est nomen *proprium*, q. d. sed *Canaanem* impium (de quo Gen. 9, 25. seqq.), aut *Cananaeos* refert Ephraim, non Jacobum patrem (qui Gen. 25, 27. אִישׁ תָּם *vir integer* vocatur), illorum enim impios mores et execrabilem cultum (Levit. 18, 24. Deut. 12, 30. 31.) imitatur. Ita TARNOVIUS: „Propositum est,“ inquit, „Vs. 4. 5. exemplum Jacobi, ut hujus pietatem imitarentur; verum ipsi potius mores Cananaeorum referunt.“ Cf. Ezech. 16, 3. 29. Zach. 14, 21., et historia Susannae Vs. 56. (*σπέρμα Χαναὰν, καὶ οὐκ Ἰούδα*). Eodem modo HIERONYMUS: Monuerat Judam, ut converteretur ad Dominum Deum suum, et misericordiam servaret atque judicium, et speraret in Domino semper, sive appropinquaret ei jugiter. Nunc ad Ephraim, hoc est, ad decem tribus, sermo convertitur, quem vocat Chanaan, juxta illud, quod loquitur Daniel ad Presbyterum [Histor. Susannae l. c.]: *Semen Chanaan, et non Juda, species decepit te.*“ Cf. Ezechiel 16, 3. Aliis כְּנַעַן h. l. nomen appellativum est, *mercatorem* denotans (ita כְּנַעֲנִי Jes. 23, 8. Prov. 31, 24. Job. 40, 30., ad quem loc. cf. not.), quales erant Cananaei sive Phoenices, qui, ut Grotius aliique observant, veteribus erant *φιλοχρήματοί τε καὶ τρῶκται, pecuniae cupidi et avari deceptores.* Ita Chaldaeus, qui integrum Versum hoc modo exponit: *ne sitis sicut mercatores*, qui *eo gerunt bilances, ut fraus committatur ad turbandam omnem benignitatem.* Sane de *mercatore* institui sermonem, suadere videtur, quod *lances* et familiares mercaturae fraudes comme-

morat textus. Sensu conveniunt loci Amos 8, 5. Mich. 6, 11. בְּיָדוֹ *In manu ejus*, tractat, cf. בְּיָדוֹ רָעָה, 1 Sam. 24, 12. 26, 18. מְאֹזְנֵי מִרְמָה *Bilances doli*, dolosae, quibus alios defraudant, Amos 8, 5. Mich. 6, 10. 11. Prov. 11, 1., contra expressum Dei interdictum Levit. 19, 35. Deut. 25, 13—16. לַעֲשֹׁק *Opprimere*, injuste laedere et vi et fraude, Levit. 5, 21. 23. 19, 13. Deut. 24, 14. LXX: *καταδυναστεύειν*. Cf. Jac. 2, 6. אָהֵב *Amat*, i. e. sciens et lubens, et summa impudentia ita peccat; cf. 4, 18. Amos 4, 5. Eadem objurgatio Amos 4, 1. Mich. 2, 2.

9. וַיֹּאמֶר אֶפְרַיִם „Et ne putaremus," inquit Hieronymus, „Chanaan alium quempiam sentiendum, ponit manifestius, qui sit iste Chanaan: *dixit Ephraim.*" אַךְ Quoquo modo se res haberet, *certe* עָשַׂרְתִּי *dives factus sum*, Job. 15, 29. Cf. supra 9, 1. 10, 1. Gloriantem quidam induci existimant Ephraimum de opibus suis ac prosperis successibus, tanquam de divini favoris argumento; coll. Zach. 11, 5. Sed manifestum, perstringi a Nostro impudentiam hominum praefracte improborum. Sensum recte expressit Hieronymus: „Non refert unde possideam, dummodo possideam." מָצָאתִי לִי *Inveni mihi*, assequutus sum, Prov. 1, 13. אוֹן *Robur*, ut supra Vs. 4., i. e. opes, ut חַיִל itidem *robur*, *vires*, et *opes* notare constat. Aliis idem est quod הוֹן, *opulentia*, *abundantia*, ut Prov. l. c. 18, 11. 30, 15. coll. Deut. 8, 18. LXX: *εὕρηκα ἀναψυχὴν ἐμαυτῷ*. Sane Arabibus أَوْن est *commoditas*, *quies*, *tranquillitas*. כָּל־יְגִיעַי Quantum ad *omnes labores meos* attinet, i. e. divitias, labore et industria mea conquisitas, ut Deut. 28, 33. Ps. 78, 46. 128, 2. לֹא יִמְצְאוּ־לִי *Non invenient mihi*, invenietur, impersonaliter, ut Esth. 2, 2. Nehem. 2, 7. עֲוֹן ejusmodi *iniquitatem* aut *delictum*, Deut. 19, 15. אֲשֶׁר־חֲטֵא *quae* adeo grave *peccatum* sit, quod tam acerbe reprehendi mereatur. Coccejus: „*pravitatem*, inquit, quae me damnabilem et favoris divini expertem faciat, q. d. ex eo facile patet, me non esse peccati reum; nam qui rei sunt, eos Nemesis impune abire non sinit." Nos acquiescimus Kimchio, qui R. Tanchum et Aben-Esram sequutus, integri Versus sensum hoc modo declarat: „Aliud insuper malum de iis refert, quod hic opprimendo et defraudando tam nequiter vivebant, dicere tamen non erubescerent, in omnibus, quae laboriose sic corraserant, neminem sibi ostendere opes posse partas inique et peccatum." Notat insuper, אֲשֶׁר, *quod*, poni pro *et*, adducitque simile ex Cohel. 5, 17.

10. וְאָנֹכִי *Ego vero*, cujus saluberrima monita (Vs. 7.) tu, Israel, non admittis, Vs. 9. יְהוָה Sum *Jova*, uti dictum Vs. 6. אֱלֹהֶיךָ *Deus tuus*, quem unice agnoscere et colere debebas, Exod. 20, 2. Eadem verba cum proximis duobus repetuntur infra 13, 4. מֵאֶרֶץ מִצְרַיִם *A terra Aegypti*, inde ab eo tempore,

quo eduxi vos e terra Aegypti, 2, 17. Commemorat beneficia sua in populum collata, cum eos e servitute durissima, quam in Aegypto serviebant, redimeret. Quod factum eo fine, ut perpetuo sibi devinctos et obstrictos haberet. Cf. Deut. 6, 10. seqq. 8, 7. seqq. עֹד אוֹשִׁיבְךָ בָּאֳהָלִים *Iterum habitare te faciam in tentoriis*, sicut quondam majores vestros in deserto, coll. Levit. 23, 42. 43. כִּימֵי מוֹעֵד *Sicut diebus festi* (quo significatu vox מוֹעֵד et supra 9, 5. aderat), scil. tabernaculorum, sicut septem illis diebus, quibus sub tabernaculis degitis, quod fit in memoriam eductionis ex Aegypto. מוֹעֵד h. l. *κατ' ἐξοχήν* ponitur de festo tabernaculorum, uti de eodem *ἰσοδύναμιν* חַג, 1 Reg. 8, 2. 2 Chron. 7, 8. 9. 10. Nehem. 8, 18. Joh. 7, 10. 37., quod hoc solenne omnium maximum habebatur. Philo in libro *de festis*, p. 1183. edit. Frcofurt., uti et Plutarchus in *Apophthegm.*, ubi de Antiocho agit Hierosolymas obsidente, *ἑορτῶν μεγίστην* vocant. Et idem Plutarchus *Symposiac.* L. IV. cap. 5. esse ait *μεγίστην καὶ τελειοτάτην παρ' αὐτοῖς ἑορτήν*. Cf. LACKEMACHER *Observatt. Philologg.* P. I. p. 18. seqq. et P. III. p. 201. Sensum hujus Versus et nexum cum iis, quae antecedunt, rectissime exposuit HIERONYMUS: „Tu quidem tanta peccasti, ut laetareris in scelere, et multitudinem peccatorum putares esse divitias. Ego autem Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Aegypti, quando serviebas Pharaoni, et aedificabas de luto et paleis civitates, adhuc tribuo tibi locum poenitentiae, et magnitudine promissorum hortor, ut ad me redeas, adhuc enim sedere te faciam in tabernaculis, sicut in diebus festivitatis. *Diem festivitatis* Scenopegiam vocat, septimo mense, quintadecima mensis, quando de Aegypto egressi sunt filii Israel. „Sicut, inquit, in eo tempore te de Aegypto liberavi, et habitasti in tabernaculis ad terram sanctam, et ad locum Templi ire festinans; sic etiam nunc educam te de tribulatione et angustiis, et imminente captivitate, si tamen feceris quae praecepi." Similiter KIMCHI: „Quum sis oblitus liberationis ex Aegypto, faciam te reminisci non praeteritae liberationis, sed novae futurae: nam te in captivitatem abducam, ex qua tamen te, ut olim ex Aegyptiaca servitute, retraham et liberabo." Praedicit et captivitatem, et liberationem, ad quam describendam et alii vates imagines mutuantur de liberatione ex Aegypto depromtas, vid. e. c. Jes. 41, 18.

11. וְדִבַּרְתִּי alii, cum LXX, in *Futuro*, alii, cum Chaldaeo et Vulgato, in *Praeterito* reddunt, *loquutus sum* adhuc. Sane *forma* hujus et sequentis verbi, vel potius *accentus* secundum codices plerosque in penultima, *Praeteriti* significationem poscit, ut Cohel. 2, 15.; quodsi enim Praeteriti forma praeposito Vav conversivo pro Futuro ponitur, accentus syllabam occupat ultimam, ut supra 2, 16. Exod. 25, 22. Num. 11, 17. Jerem. 1, 17., ut etiam h. l. habent libri nonnulli. Sed quum in fine Versus

verbum in Futuro positum sequatur, in hac temporum mixtura verba nostri Versus sensu *continuativo* capienda videntur, q. d. loquutus sum et adhuc loquor, עַל־הַנְּבִיאִים, *per*, sive, ut alii volunt, *ad* (coll. 10, 10.) *prophetas.* וְאָנֹכִי חָזוֹן הִרְבֵּיתִי *Et ego visiones* propheticas (cf. not. ad Jes. 1, 1.) *multiplicavi*, et comminationibus et promissionibus per prophetas meos in rectam viam eos revocare studui. Vid. 2 Reg. 17, 13. et cf. Amos 3, 7. וּבְיַד הַנְּבִיאִים *Et per manum*, i. e. opera et ministerio *prophetarum*, cf. quoad phrasin Exod. 9, 35. Jes. 20, 1. אֲדַמֶּה *Similitudinibus utor*, ut supra initio libri Cap. 1—3. Jes. 5, 1. Ezech. 16., q. d. nullum eos admonendi modum intentatum reliqui. Subaudiendum est nomen verbale דְּמוּמוֹת s. דְּמִיוֹנִים *similitudines*, ut Gen. 6, 4. וַיֹּלְדוּ לָהֶם *pepererunt eis*, scil. יְלָדִים *liberos*. Jerem. 50, 9. וְעֹרְכוּ לָהּ *instruent contra eam* scil. הַעֲרֻכָה *aciem*. Cf. verbum nostrum Jes. 40, 18. 25. Jer. 6, 2. Ezech. 31, 2. 8. 18.

12. Pergit Deus acrius perstringere facinorosum et pertinacem Ephraimum (Vs. 9.), eumque impios Gileaditas, non autem pium suum patrem Jacobum (Vs. 13.) imitari, atque ita exitium sibi accersere docet, Vs. 15. Particulam אִם quidam *interrogative* capiendam putant, *num? an?* ut Jes. 27, 7. Amos 3, 6., verbaque אִם־גִּלְעָד אָוֶן ita vertunt: *an Gilead* etiam est *Aven?* quod pro nomine proprio habent, ut idem sit quod *Bethel*, ob vanitatem cultus vitulini sic dicta, ut supra 4, 15. 5, 8. 10, 5. 8. Amos 5, 5., quasi admirabundus vates hoc diceret: an omnes etiam Gileaditae Bethelis sequuntur mores, haud toties ad saniorem mentem revocati resipiscere nolunt? et respondeatur אַךְ־שָׁוְא הָיוּ *utique vanitas facti sunt!* Qui sensus tamen vix consistere potest per temporum rationem, quam supra in Argumento Cap. 7. indicavimus. Erant namque, quum Samariae excidium et finis regni Israelitici sub rege Hosea nunc immineret, Gileaditae jam pluribus abhinc annis sub rege Pekah ab Assyriis in exilium abducti, 1 Reg. 15, 29. 1 Paral. 5, 26. 27. Alii אִם h. l. pro *affirmantis* voce habent, vertenda: *certe*, *profecto*. Sed loca a Noldio *Concordantt. Particular.* p. 66. allata, quibus אִם asseverandi vim obtinere volunt, nihil probant. Retinenda igitur usitata illius particulae significatio, qua adscita noster locus ita reddendus: *si Gilead*, i. e. Gileaditae, s. Transjordanenses, quorum impietatem Noster supra 6, 8. taxavit, *pravitas*, i. e. pravitati et idolorum superstitioso cultui (de quo אָוֶן supra 10, 8. Num. 23, 21. 1 Sam. 15, 23. Jes. 41, 29.) dediti erant, אַךְ־שָׁוְא הָיוּ *certe* s. *omnino vanitas facti sunt*, quod plures accipiunt de poenis deportationis, quas Gileaditae subierunt, cum vicinae tribus in captivitatem abducerentur. Ita Kimchi: „Si Gilead initium fecit committendae iniquitatis, quod ejus incolae primas ambivere partes, ut malefaciendo primi ipsi fierent, etiam primi abierunt in captivitatem.“ Id recipere nihil magnopere vetat. Et dici poterit

vates ex fructu perditionis venenosam iniquitatis radicem descripsisse. Interim suam quoque rationem constitisse iis reor, qui voces אַךְ־שָׁוְא הָיוּ *certe vanitas facti sunt* docent indicare in sua corruptione progressum, qui iniquitatum vanitates perpetim sectando, adeo facti fuere plane bruti, ut viderentur quasi ipsissima vanitas esse. Ita Jerem. 2, 5. וַיֵּלְכוּ אַחֲרֵי הַהֶבֶל וַיֶּהְבָּלוּ *vanitatem*, i. e. idola, *sequuti*, *vani facti sunt* ipsi. Illorum insaniam tamen imitantur reliqui Ephraimitae. בַּגִּלְגָּל *In Gilgal*, ubi et fanum fuit, et altare celeberrimum, vid. supra 4, 15. 5, 8. Amos 5, 5. Chaldaeus: *in aede Gilgal boves idolis immolant.* שֹׁרִים *boves*, pluralis formae חֲרָחִים *spinae*, a חוֹחַ, 1 Sam. 13, 6. זֹבְחוּ *Immolant*, impio cultu, cf. supra 4, 18. גַּם *Imo etiam*, Mal. 3, 15. Verba quae sequuntur, מִזְבְּחוֹתָם כְּגַלִּים עַל תַּלְמֵי שָׂדָי, quidam hoc sensu capiunt: *arae eorum* destruentur et fient *sicut acervi super portas agrorum.* Magis nobis probatur Aben-Esrae brevis quidem, sed solida explicatio, utpote orationis seriei accommodatior: „per simile sic loquitur, quo indicat, nulla altaria fuisse ei conspicua.“ Consentit Bochartus *Hieroz.* P. I. L. IV. Cap. 8. T. II. p. 520. edit. Lips.: „Agit propheta de aris, quas Galgalis idololatrae diis suis non solum in urbe exstruxerant, sed et in vicinis agris, et confert eum acervis lapidum, ab iis congeri solitis, qui lapidosos agros expurgant, eum propter utilitatem, tum propter frequentiam. Ut taceam, eminus intuentibus non absimilem esse speciem.“

13. Redit ad historiam Jacobi, post Vs 5. supra interruptam. Hoc ideo, ut ostenderet, ex qua origine ad tantam dignitatem pervenissent; quo beneficiorum acceptorum immemores eo fortius declarat, quum et ipse Israel, illorum pater, et ejus posteri ex impiorum semper oppressione liberati per virtutem solius Dei, ipsi tamen pervicaces manerent in foederis initi violatione, ad muta idola suum transferentes cultum. וַיִּבְרַח יַעֲקֹב *Et fugit Jacob*, prae metu fratris Esavi, quem primogenitorae jure defraudaverat. שְׂדֵה אֲרָם *In agrum Syriae*, quae regio Gen. 28, 2. 5. פַּדַּן אֲרָם dicta, i. e. *πεδίον Συρίας*, ut LXX vertunt, Syria campestris s. Mesopotamia. Ita Curtius L. III. c. 8. memorat *spatiosos Mesopotamiae campos*, ad quem locum recte Cellarius: „Montosa Syria [occidentalis] est; at trans Euphratem ad Babyloniam usque spatiosissimi campi patent.“ Alii שְׂדֵה אֲרָם interpretantur *agrum*, i. e. regionem sive possessionem hereditariam (ita שָׂדֶה 2 Sam. 9, 7.) Arami, filii Semi, Gen. 10, 22., a quo et tota gens et regio ista nomen habuit, non ab altero illo, filio Kemuelis, Gen. 22, 21. Cf. Bocharti *Phaleg.* 2, 5. p. 83. seq. וַיַּעֲבֹד יִשְׂרָאֵל בְּאִשָּׁה *Servivit* Jacobus, qui postea *Israel* dictus (Gen. 32, 29.) *pro muliere*, i. e. propter uxorem merendam, septem annos propter Rahelem, deinde, eum ei supposita esset Lea, alios septem; vid. Genes. 29, 18. 20. 31, 41.

וּבְאִשָּׁה שָׁמָר *Pro muliere*, inquam, vel: *dum pro muliere custodivit*, scil. pecus Labanis, vel *oves*, ut addit Chaldaeus. Vid. Gen. 30, 31. Hoc modo pastor ovium absolute שָׁמַר *custos* dicitur 1 Sam. 17, 20. Jarchi: „Probe nostis, quomodo Jacobum, cum a fratre Syriam fugere coactus esset, servaverim.“ Qua adscita ratione hic Versus aptius proximo congruet, quam ex Grotiana sententia, aggravari hoc Versu indignitatem culpae ex contrariis factis majorum in iisdem locis. „Obiter,“ inquit Grotius, „occasione Galaaditidis, in quam ex agro Syriae fugeret Jacobus [prius enim hemistichium vertit Grotius: *fugit Jacob agrum Syriae*], aliam adspergit exprobrationem: Jacob pro duabus uxoribus servivit Labani, et greges ejus pavit per annos quatuordecim; vos autem Dei causa nihil facere vultis.“

14. וּבְנָבִיא *Et per prophetam*, Mosen intelligit, quem ita vocat κατ᾽ ἐξοχήν, cf. Exod. 4, 15. 16. 7, 1. Num. 12, 6. 7. Mich. 6, 4. „Qua figura,“ inquit Drusius, „*Poetam* interdum per excellentiam dicimus pro Virgilio, et *Apostolum* pro Paulo; εἰωθότων τῶν ἀνθρώπων, uti dicit Galenus, τὰ πρωτεύοντα ἐν τῷ γένει τῷ τοῦ γένους προσαγορεύειν ὀνόματι.“ Alii: *per prophetam*, quales vos, degeneres Israelitae, despicitis, Vs. 9. 11., non per regia arma et vires. הֶעֱלָה *Adduxit*, proprie *sursum duxit;* nam, „*qui ex Cananaea in Aegyptum tendunt, descendere* (Gen. 12, 10. 26, 2. 46, 3.), *qui ex Aegypto in Cananaeam, contra adscendere dicuntur* (Gen. 44, 17. 45, 17.). Ratio est, quia illi versus austrum, hi vero versus aquilonem tendunt.“ C. B. Michaelis Dissertat. de *Notionibus Superi et Inferi, indeque adscensus et descensus in Chorograph. S.* §. 18. coll. §. 10., ubi ostendit, *borealia* esse *supera*, et *adscensus* terminum facere, *australia* vero *infera*, et terminum *descensus*. Hinc de eductione populi Israelitici ex Aegypto verbum הֶעֱלָה usurpari solet, veluti Jud. 6, 13. 1 Sam. 12, 6. אֶת־יִשְׂרָאֵל Posteros *Israelis* s. Jacobi. „Quia semel,“ inquit Hieronymus, „Jacob dixerat Israel, patrem filiosque conjungit, et sequentis recordatur historiae, quando in propheta Moyse eduxit Dominus Israel de Aegypto, et duodecim tribus, quae generatae sunt de Israel, propheta educente, servatae sunt. מִמִּצְרַיִם *E servitute Aegyptiaca*, cf. Exod. 12, 37. 20, 2. Deut. 26, 6. seqq. Mich. 6, 4. וּבְנָבִיא נִשְׁמָר *Et per prophetam*, inquam, Mosen, *custoditus* s. servatus est populus Israeliticus, veluti imbellis et errabundus grex ovium (vid. Jes. 63, 11. seqq.) in horridis Arabiae desertis, quae quadraginta annis pererravit. Cf. Deut. 8, 3. 4. 5. 15. 16. Neh. 9, 20. 21. Verbo נִשְׁמָר alludi videtur ad id, quod Vs. 13. dictum de Jacobo, eum *custodivisse* (שָׁמַר) *gregem*. LXX: διεφυλάχθη. Cf. Luc. 4, 10.

15. הִכְעִיסוּ Nunc vero per idololatriam (Vs. 12.) et per conjuncta illi scelera Jovam (Vs. 14.), *Dominum* ac Deum *suum* (ex fine Versus repetendum) *ad iram provocavit*, 1 Reg. 14, 9. 15.

15, 30. 2 Reg. 17, 11. 18. אֶפְרַיִם Decem tribus, Vs. 1. 2. 9. 11, 3. Jes. 7, 5. הַמְמָרְרִים alii ad Deum referunt, alii ad populum. Illi subaudito לְ vertunt: *in amaritudines*. Ita Drusius: „Sic *amarulentia* definitur *animi dolor in invidiam et malevolentiam exacerbatus*. Ut hic in *malevolentiam exacerbatus* sic intelligas, *irritavit in amaritudines*.“ Qui ad populum referunt, vertunt, subaudito בְּ, *per amaritudines*, i. e. gravissima peccata. Ita Chaldaeus: *addentes peccare*. Alii: *rebellionibus*, coll. Exod. 23, 21. Sed nomen hebraeum *amaritudinis* notionem aperte obtinet Jerem. 6, 26. 31, 15. וְדָמָיו עָלָיו יִטּוֹשׁ *Et sanguinem ejus super eum relinquet* Deus, in suo reatu et poena manere patietur, nec ab ultione et poena immunis sit. Qui enim reus caedis est, et propterea poenae obnoxius, *super eum sanguis esse* dicitur, Jon. 1, 14. Chaldaeus: *reatus sanguinis innocui, quem effudit, super eo manebit*. Minus bene alii: non curabit Deus sanguinem ejus ab hostibus effusum, non vindicabit. וְחֶרְפָּתוֹ *Et ignominiam suam*, qua Jovam adfecit, cum, Deum suum, deserendo et ad idola transeundo. Cf. Jes. 65, 7. Ps. 79, 12. Dan. 11, 18. (ubi ipsa nostra phrasis). יָשִׁיב לוֹ *Retribuet ipsi*, Vs. 3. Nehem. 3, 36., eum in summum contemtum exilii expellendo. אֲדֹנָיו *Dominus ipsius*, cui obsequium praefracte denegavit.

CAP. XIII.

Argumentum.

Pergit hoc Capite vates accusare vesanam populi Israelitici idololatriam, eamque maxime fuisse ostendit, quae jam nunc in exitium praecipitaverit universam denique gentem funditus absumturum. Scelus demonstrat esse eo gravius, quo eminentioribus et continuis magis beneficiis a disjecta Aegyptiaca servitute, usque ad ea demum, quibus nunc vivebatur, tempora, complexus Deus fuerat immorigerum licet et rebellem populum, quoque hic foediori perfidia restitavérat ubique, ne ad unicum illum auxilii auctorem, a quo jam olim discesserat, reduci sese ullis amplius monitis aut lenitudine miserantis Dei pateretur (Vs. 1 – 6.). Itaque tametsi differri adhuc aliqua mora oportebat ultimi exsequutionem supplicii, istud tamen certissime adventurum, quod et efferae belluae, undique adgredientis, dilacerantis, devorantisque (Vs. 7. 8.), et torminum, qualia sunt parturientium, similitudine declarat (Vs. 13.). Addit tamen recreaturam servaturae ceteros constantissimaeque promissionem gratiae divinae (Vs. 14. 15.).

1. כְּדַבֵּר אֶפְרַיִם רְתֵת *Quum loquutus est Ephraim tremorem.* Quia mox dicitur, *Ephraim* portasse *in Israele*, adeoque

ab eo distinguitur, et quasi ei opponitur, non sumitur quidem Ephraim h. l. pro decem tribubus, ut supra 12, 1. 2. et saepius apud Nostrum; nec tamen reliqui prorsus excluduntur; sed *Ephraim* tanquam *primus et praecipuus* notatur. Pergit enim Deus magis arguere peccata Ephraimi et Israelitarum, eorumque poenas et regni eversionem denuntiare, q. d. *nam*, ut istam *provocationem* 12, 15. et poenas ejus distinctius explicem: *quum loquutus est Ephraim* רְתֵת *horrorem*, i. e. horrendam idololatriam, per vitulos Jeroboami. Nomen hebraeum, hoc solo loco obvium, idem significat, quod sono cognatum רָטַט, Jerem. 49, 24., ubi Syrus ܪܬܝܬܐ posuit. Verbum רָתַת Aramaeis est *metuit*, *horruit*, *tremuit*. De sensu vero horum verborum interpretes valde differunt, ex quibus ea tantum afferemus, quae cum verbis et accentibus manifesto non pugnant. Chaldaeus: *quum loqueretur unus de domo Ephraim*, *tremor apprehendit populos*. Quod sequuti Kimchi, Abarbenel, nec pauci ex Christianis interpretes, horum verborum sensum hunc esse volunt: *ut loquebatur* olim *Ephraimus*, *tremor* erat, i. e. exhorrescebant ejus formidine omnes populi, simul ac ipse loqueretur. In confirmationem eorum, quae in praecedentis Capitis fine leguntur, hic ipso exemplo ostendi putant, retributionem Ephraimo fore ob opprobria, quibus Deum suum irritaverat, cum et ante, florens omni prosperitate, dignitate praepollens in suis, terror vicinis, pessum iverit, quod Baalem colendo mortis et perditionis culpam contraxerat, ut a majori ad minus ratiocinando clare fieret, egenum jam Ephraimum interiturum facilius. Sed jam ab eo inde tempore, quo Ephraim sui juris regnum est factum, vitulorum cultu Dei in se indignationem suscitavit. Quod ipsum obstat eorum interpretationi, qui, uti Pocockius, contrario sensu locum sic capiunt: *quum Ephraim* adhuc *loqueretur* cum timore ac *tremore* (sicut pater ipsius, Jacobus, humiliter Deum precabatur, supra 12, 5.), nec contumaciter et superbe Deo obloqueretur, 12, 9., *se extulit in Israele*, ut proxima verba vertunt. Ita Syrus: *cum loqueretur Ephraim tremens tunc erat et magnus erat in Israele.* Jarchi quoque רְתֵת interpretatur ברעדה *cum tremore.* Confert Pocockius Jes 66, 2. *Respiciam ad humilem et contritum spiritu*, וְחָרֵד עַל־דְּבָרַי *et trepidantem propter verba mea.* Verum sententia prodit iis quae antecedunt et sequuntur multo concinnior, *horrorem* intelligimus de *re horrenda*, id est, idololatria, quam pius quisque abhorret et detestatur, et quidem de impiis illis a Jeroboamo I. institutis sacris. Neque enim ad aliud tempus haec referri posse, nisi ad illud, quo Ephraim a Juda divisus fuit, ostendit sola ejus et Israelis mentio. Sensus itaque est: *quum loquutus* est, et primum instituit *Ephraim*, tempore Jeroboami, primi regis, qui perpetuam ignominiae notam eo ipso meruit, *horrendum* illum vitulorum *cultum* (1 Reg. 12, 28.), justas poenas

portavit in Israele. נָשָׂא הוּא *Portavit ipse*, scil. istud suum loqui horrendum, s. horrendum illud peccatum suum. Quemadmodum in sequenti membro antecedens: *et reus factus est* (וַיֶּאְשַׁם), habet malum suum consequens: *tum mortuus est* (וַיָּמָת), ita haec verba pro apodosi, sive consequente praecedentis membri habemus, et in malam partem accipimus, ut idem sit quod alias dicitur *portare iniquitatem*, vel *peccatum suum*, veluti Levit. 5, 1. 17. 17, 16. 19, 8. 20, 1. 7. 24, 15. *Portatur* autem *peccatum*, quando imputatur et vindicatur. Et revera non inultum fuit, sed gravissime peccatum vitulorum cultu commissum, tum in Jeroboamo et posteritate ejus deleta, tum in sequentibus regibus, qui non recesserunt ab ista superstitione. Cf. 1 Reg. 13, 34. 14, 10. sqq. Alii, qui cum Chaldaeo רַחַת de terrore intelligunt, quem Israelitae olim injecerint vicinis, נָשָׂא vertunt: *sustulit* ipse scil. caput suum; sive, *exaltatus est*, ad regni dignitatem evectus. Ita Chaldaeus: *principes facti sunt.* Et Syrus: *et fuit magnus.* Quae *efferendi sese* notio quidem plerumque forma Hithpael verbi נָשָׂא exprimitur, vid. e. c. 1 Reg. 1, 5. Prov. 30, 32. 1 Chron. 29, 11.; usurpatur tamen eodem significatu et Cal Ps. 89, 10. Nahum. 1, 5. בְּיִשְׂרָאֵל *In* et *cum* reliquo *Israele*, qui a Jeroboamo ad detestabilem illum cultum seductus fuit; cf. Vs. 9., item 1 Reg. 14, 15. 16. et 2 Paral. 13, 15. sqq. וַיֶּאְשַׁם *Et* quum *reus factus est* idem scilicet Ephraim cum Israele, 4, 15. 10, 2. 14, 1. בַּבַּעַל Non tantum in vitulis (quos rationibus politicis moti Jeroboami successores constanter retinuerunt), sed etiam *in Baale*, 2, 10. 15. 11, 2. Recte hoc de Achabi temporibus accipiunt, qui instinctu impiae uxoris Baalis cultum denuo introduxit 1 Reg. 16, 31. 32. 18, 18., a quo populus deinceps neque per Eliae zelum (1 Reg. 18, 40.), neque per Jehu, filium Nimsi (2 Reg. 10, 25. sqq.), ita repurgari potuit, ut non subinde malum illud recrudesceret. וַיָּמָת *Tum mortuus fuit*, ut Num. 25, 1. seqq., cf. supra 9, 10. seqq., i. e. adeo adflictus a Deo et pressus ab hominibus fuit, ut quasi animam ageret, aut vix cadaver aliquod reipublicae relinqueretur.

2. Nihilominus tamen ne sic quidem emendati, sed quasi stupidi atque dementes, וְעַתָּה *et nunc*, post illa Achabi tempora et cultum Baalis a Jehu eversum, 2 Reg. 10, 28. יוֹסִפוּ לַחֲטֹא *Addunt peccare*, peccata peccatis cumulant, cf. 7, 1. Non solum enim Jeroboami vitulos constanter retinuerunt et ad Baaliticum cultum relapsi sunt, uti ad 2, 10. notatum; sed novas superstitiones addiderunt, veluti in Gilgal, Bersaba, Amos 8, 14.); vid. 2 Reg. 17, 7 — 16. 21. 22. וַיַּעֲשׂוּ לָהֶם *Et fecerunt sibi*, contra expressum interdictum meum, Exod. 20, 4. מַסֵּכָה *Fusile*, fusas imagines, qualis erat vitulus Aaronis, Exod. 32, 4. 8. Singularis est *collective* sumendus, quia alter Accusativus, qui per appositionem sequitur, עֲצַבִּים, Pluralis est. Cf. 10, 1. Hic tamen non

de vitulis, nec de Baal, ut fere volunt interpretes cum Kimchio, sed de aliis superadditis variis idolis, quibus etiam homines aliquando immolaverint, uti sequitur, dici videtur. Vel hoc vult: ad superiorum impietatem adjiciunt, dum vitulis non contenti, suos quisque sibi deos, velut penates habent. מִכַּסְפָּם *Ex argento suo*, cf. 2, 10. 8, 4., cetera avari et iniqui, 12, 8. 9. בִּתְבוּנָם *Pro intelligentia*, opinione, *sua*, pro lubitu suo, neutiquam ut Moses, qui omnes res sacras ex divino mandato atque typo fecit, Exod. 25, 40. תְּבוּן a forma feminina תְּבוּנָה significatu haud differre videtur, quasi בִּתְבוּנָתָם positum esset, ut Ps. 49, 14. al. 15. צוּרָם pro צוּרָתָם *forma eorum.* Chaldaeus כְּדְמוּתְהוֹן *secundum similitudinem eorum* vertit. Similiter LXX: *κατὰ εἰκόνα εἰδώλων*, et Syrus: ܟܕܡܘܬܗܘܢ *in similitudinem suam.* Retulerunt nomen ad radicem בָּנָה, quasi idem sit ac תַּבְנִית *figura, exemplar.* Graecus interpres intellexit similitudinem *idolorum*, qualia et ipsi et aliae gentes habuere. Chaldaeus vero et Syrus retulerunt ad eos qui idola colunt, quae sua similitudine, i. e. formâ humanâ effinxerint. Ceterum pro בִּתְבוּנָם veteres videntur כְּתִבוּנָם, cum praefixo Caph legisse, quod ipsum hodienum plures codices exhibent; vid. De-Rossi ad h. l. עֲצַבִּים *Idola* nimirum detestanda, 4, 17. 8, 4. 14, 9. Jerem. 44, 19. מַעֲשֵׂה חָרָשִׁים Quae omnia et tota nil nisi *opus fabrorum* aut *artificum* sunt, 8, 6. Jes. 40, 19. Jer. 10, 3. 9., sine omni vita, et multo magis sine divinitate, quam homo nulla arte aut industria sua unquam efficere poterit, cf. 8, 6. Stupidi ergo sunt et stolidi, qui talia faciunt. Cf. Jes. 44, 9—20. 46, 5. seqq. Jerem. 10, 14. 15. 51, 17. Habac. 2, 19. Ps. 115, 2—8. כֻּלָּה *Universitas ejus* est, sc. idolis, s. operis illorum; cf. Jes. 9, 16. Jer. 6, 6. לָהֶם *Istis*, idololatris. Alii: *de his*, ut Gen. 20, 13. לִי *de me.* הֵם אֹמְרִים *Illi*, qui etiam homines nunc immolant, *dicunt.* Alii cum Jarchio et Kimchio subaudiunt *sacerdotes.* Chaldaeus: *falsi prophetae.* Hieronymus: *sacerdotes et principes.* Schmidius autem per prosopopoeiam hoc modo: *istis*, qui plura idola nunc colunt, et in his Molochum, cui etiam homines immolant, *illi*, patres eorum, qui vitulos tantum, vel Baal coluerunt, *dicentes* essent, si viverent: *qui sacrificant homines*, omittant crudele tale sacrificium, et *vitulos* potius, uti nos fecimus, *osculentur.* Verba זֹבְחֵי אָדָם sunt qui vertant: *qui homines immolant*, s. humanis hostiis litant. Sic veteres Hebraei interpretes Jarchio et Kimchio memorati; item Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus ad *ἀνθρωποθυσίαν* id referunt, de qua vid. Levit. 18, 21. 20, 2. Deut. 12, 31. 18, 10. Sed quamvis Israelitas Molocho infantes immolasse constat ex 2 Reg. 17, 16. 17. coll. Vs. 31., hoc tamen loco de cultu vitulorum agitur, in quo hostiis humanis non erat locus. Recte vero Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 34. T. I. p. 371. edit. Lips. cum Kimchio verba

וְבֹחֵי אָדָם interpretatur *sacrificantes hominum*, i. e. ii hominum, qui sacra faciunt, vel, quicunque hominum sacrificant, collata simili constructione Jes. 29, 19. אֶבְיוֹנֵי אָדָם *pauperes hominum*. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 678. עֲגָלִים יִשָּׁקוּן *Vitulos osculentur*, s. *osculabuntur*, h. e. secundum veteres apud Jarchium, illi digni demum sunt, qui vitulos osculentur. Certum itaque saltim ex hoc loco, Israelitas vitulos sacrificiis, osculis et adorationibus mactasse, per quos etiam jurarunt, Amos 8, 14. De *osculo*, adorationis signo, vid. not. ad Job. 31, 26. 27. et Ps 2, 12. Cf. 1 Reg. 19, 18. Hieronymus: „Pro eo, quod juxta Symmachum et Theodotionem vertimus *adorantes*, Aquila interpretatus est καταφιλοῦντες, id est, *deosculantes*. Qui enim adorant, solent deosculari manum suam, quod Job fecisse se negat, dicens: *Si osculatus sum manum meam apponens ori meo, et hoc mihi ad iniquitatem maximam reputetur.*“

3. לָכֵן *Propterea*, quia tantis sceleribus dediti sunt Israelitae, poena diu abesse non potest, cujus ultimus gradus, extrema reipublicae eversio, hic praedicitur, et *quatuor* similitudinibus figuratur, quarum duas priores, de *nube matutina* (כַּעֲנַן־בֹּקֶר), et de *rore matutino cito abeunte* (כַּטַּל מַשְׁכִּים הֹלֵךְ), et supra 6, 4. usurpavit Noster. כְּמֹץ *Sicut gluma*, Jes. 17, 13. 41, 15. Ps. 1, 4. 35, 5. Job. 21, 18. יִסַּעַר Quam *turbo abripit*, vel: *sicut glumam turbo aufert;* cf. סַעֲרָה *turbine* quasi *jactata*, Jes. 54, 11. Vulgatus: *sicut pulvis turbine raptus.* מִגֹּרֶן *Ab area*, quando nimirum fruges triturantur et ventilantur in aperto campo, uti fieri solet in terris istis; vid. not. ad Ps. 1, 4. et cf. Dan. 2, 35. וּכְעָשָׁן *Et sicut fumus*, Jes. 9, 17. 51, 6. Ps. 68, 3. מֵאֲרֻבָּה *E fumario* ascendens statim in auras evanescit; sic, inquit, Israelitae dispergentur sine omni spe reditus in terram suam. אֲרֻבָּה, proprie *opus plexum* et *reticulatum*, Gen. 7, 11. Jes. 60, 8. in Plurali de fenestrarum foraminibus dicitur, hic vero, uti res ipsa docet, de foramine opere reticulato ad emittendum fumum usurpatur.

4. Ne quis justo severiores istas poenas reputet, commemorat Deus iterum beneficia in Israelitas a prisco inde tempore collata, quorum illi immemores Jovanum cultum ingrate et impie desciverunt. וְאָנֹכִי יְהוָה אֱלֹהֶיךָ *Atqui ego Jova* solus sum *Deus tuus*, cf. supra 12, 10. מֵאֶרֶץ מִצְרָיִם Inde *a terra Aegypti* et hucusque. „Fuerat vero etiam antea Deus Israelis, sed nunquam tam clara signa edidit potentiae suae et favoris erga populum,“ inquit Drusius. Cf. Exod. 20, 2. Deut. 5, 6. 7. Chaldaeus: *qui te eduxit e terra Aegypti.* Graecus quoque Alexandrinus interpres: καὶ ἐγὼ ἀνηγαγόν σε ἐκ γῆς Αἰγύπτου. וֵאלֹהִים זוּלָתִי *Et Deum praeter me*, Jes. 45, 5. 21. לֹא תֵדָע *Non agnosceres*, vel, *non novisti*, aut *expertus es*, cui Deut. 13, 3. 7. opponuntur *dii alieni tibi et majoribus tuis ignoti.*

Alii: *Deum itaque praeter me agnoscere non debebas;* coll. Ps. 81, 10. וּמוֹשִׁיעַ אֵין בַּלְתִּי *Neque enim salvator* est *praeter me* unum, cf. Jes. 43, 11. 44, 8. 45, 5. 6.

5. אֲנִי יְדַעְתִּיךָ *Ego agnovi te* benigne, paterno studio et providentia mea te prosecutus sum (ita יָדַע et Ps. 144, 3. usurpatum); cf. Amos 3, 2. „Tu ergo etiam me grato animo agnoscere debebas," ut recte Kimchi addit. Chaldaeus: *ego necessaria eis suppeditavi*, quomodo idem illud verbum ידע Onkelos reddidit Deut. 2, 7. Sic etiam ad sensum LXX: ἐγὼ ἐποίμανόν σε. בַּמִּדְבָּר *In deserto*, cf. 2, 16. 9, 10. Deut. 32, 10. בְּאֶרֶץ תַּלְאוּבוֹת *In terra siccitatum*, vel *siticulosa*, in qua nec cibus nec potus, sed rerum omnium inopia tibi fuit. Vocem ἅπαξ λεγομένην תַּלְאוּבוֹת post Aben-Esram plures ex Hebraeis doctores Arabicae dialecti ope illustrarunt, in qua לָאַב (pro לָאַב) est *sitivit*, et לָאַב *locus lapidosus*, *aridus*, *siticulosus*. Sensus est: ego tui misertus per invia et horrida deserta et duxi, in angustiis te liberavi, in fame et siti te sustentavi, et ab hostibus defendi. Quae omnia tibi feci, quia benigno animi sensu erga te affectus te tandem in hanc optimam terram perducere volui, in qua abundans pascuum haberes. Tu vero, saturatus hoc pascuo, mei es oblitus, Vs. 6.

6. כְּמַרְעִיתָם וַיִּשְׂבָּעוּ *Secundum pascuum suum* (Jes. 49, 9.), optimum et pinguissimum, *ita saturati sunt;* vel: *cum* fuit ipsis *pascuum* optimum et abundans, *tum saturati sunt.* Respicit terrae Hebraeis concessae fertilitatem, quae Deut. 8, 7. sqq. laudatur. שָׂבְעוּ *Saturati*, inquam, *sunt.* „Repetitum verbum," inquit Rivetus, „priore loco notat beneficium Dei, hic autem ipsorum scelus, quo affluentia illa bonorum ad luxuriam abusi sunt." Cf. Deut. 32, 10. Prov. 30, 9. וַיָּרָם לִבָּם *Ita ut extulerit se cor eorum*, ut in rebus secundis fieri solet, Deut. 8, 14. Ezech. 31, 10. עַל־כֵּן שְׁכֵחוּנִי *Propterea obliti sunt mei*, meorum beneficiorum immemores, quod ne facerent, et eo scelere privarentur fertilissima illa terra, quam Deus ipsis possidendam dederat, monentur Deut. 8, 11. Chaldaeus: *cultum meum reliquerunt.* Oblivio Dei Israelitis a Nostro exprobratur 2, 15. 4, 6. 8, 14.

7. וָאֱהִי לָהֶם Quia itaque rebus secundis elati sunt, et obliti sunt mei (Vs. 6.), ideo tandem *factus sum et fui* (varias clades enim jam tum acceperant a Syris, 2 Reg. 8, 12. 10, 32., a Judaeis, 2 Reg. 13, 2., et Assyriis, ibid. 15, 29.), ac porro *futurus sum illis.* Praeteritum est propheticum et continuativum, ut supra 4, 18. 10, 4. 5. כְּמוֹ־שָׁחַל *Sicut leo;* sive, ut alii cum LXX, *sicut panther.* Cf. supra 5, 14., et quoad rem Jes. 63, 7—10., item infra 14, 1. כְּנָמֵר *Sicut pardus*, Jes. 11, 6.

Junguntur autem saepe tam in sacris, quam in aliis Veterum libris *leo et pardus* tanquam animalia feritate homogena. עַל־דֶּרֶךְ אָשׁוּר *Super*, juxta *viam speculabor*, ut in praetereuntes insiliam. Quae verba Chaldaeus cum antecedentibus conjunxisse videtur, vertit enim: *sicut pardus, qui insidiatur juxta viam.* Sed per accentus עַל־דֶּרֶךְ cum sequenti verbo cohaeret. אָשׁוּר Futurum verbi שׁוּר *speculari*, infra 14, 9. Num. 23, 9. 24, 17., hinc h. l. *insidiari;* ita enim pardi solent, insidiosum animal. Sic Plinius *Hist. Nat.* L. 10. c. 73. *Insidunt pardi condensa arborum, occultatique eorum ramis in praetereuntia desiliunt, atque e volucrum sede grassantur.* Cf. Bocharti *Hieroz.* P. I. L. III. C. 7. T. II. p. 105. ed. Lips. Hinc Jeremias 5, 6. *Pardus* שֹׁקֵד *vigilans super eorum urbes*, nempe in malum, (ut Jer. 31, 28.), i. e. insidiatus. Nisi verbi שׁוּר usus, quem indicavimus, obstaret, posset verti: *insiliam* in eos *in via*, collato Aramaeo שְׁוַר *saliit, subsiliit*, unde Syris ܫܘܪܐ *saltus animantium*, et Arabico سَارَ *assilivit, insilivit, impetum fecit.* Alii, quibus א in אָשׁוּר est radicale, quasi sit Participium verbi אָשַׁר *incessit* (Prov. 4, 14. 9, 6.), unde אָשׁוּר *gressus* vertunt: *juxta viam tritam*, quae scilicet ab hominibus aut animantibus frequentatur et teritur. LXX et Vulgatus: *Sicut pardus in via Assyriorum*, i. e. uti Hieronymus explicat: „quando ducentur captivi ab Assyriis," ad quos iverant auxilia quaesituri, 5, 13. 14. 7, 11. Jer. 2, 18. 19. Sed Assyriae nomen constanter אַשּׁוּר scribitur, ut vel loci laudati docent.

8. אֶפְגְּשֵׁם *Occurram illis*, Gen. 33, 8. Jes. 34, 14., scil. hostiliter. כְּדֹב שַׁכּוּל *Sicut ursus orbus*, vel, quia hebraeum nomen utrique generi commune est, secundum Vulgatum: *quasi ursa raptis catulis.* Ferocia enim ursi maxima est, in orbitate inprimis et in fame; vid. 2 Sam. 17, 8. Prov. 17, 12. Thren. 3, 10. Hieronymus: „Ajunt, qui de bestiarum scripsere naturis, inter omnes feras nihil esse ursa saevius, quum perdiderit catulos, vel indiguerit cibis." Plura vid. apud Bochartum l. c. p. 139. seqq. וְאֶקְרַע *Et disrumpam*, lacerabo, de vestibus proprie dici solet, ut Gen. 37, 29. 34. 2 Sam. 13, 19., de corde tamen quoque, etsi figurate, Joel 2, 13. סְגוֹר לִבָּם *Clausuram cordis eorum*, i. e. pericardium, quod cor revera סוֹגֵר *includit*, tanquam involucrum (quare cor quasi in vesica esse dicitur Galenus pronuntiasse). Hoc quum vel levissimum vulnus sine praesenti letho non ferat, videtur non tantum certum iis interitum indicere, sed simul spem omnem opis, qua, ut cor in pericardio, latitare se tutos sperabant, eis adimere. Alii *clausurâ cordis*, i. e. corde clauso (ut supra Vs. 5. *terra siccitatum* pro *terra sicca*) intelligunt animum pertinacem (coll. Jes. 6, 10.), quasi dicat Deus: *lacerabo obstinatum cor eorum.* Huc et Chaldaeus videtur respexisse, dum vertit: *et confregi impietatem cordis eorum.* וְאֹכְלֵם *Et*

devorabo eos, cf. eandem imaginem de reipublicae Israeliticae destructione usurpatam Jerem. 50, 17. שָׁם *Ibi*, in via scilicet, in qua eos observabo (Vs. 7.); exitium ibi et inde paraturus ipsis, ubi et unde illi securissimi futuri sunt. Cf. 8, 9. בְּלָבִיא Vid. not. ad Jes. 5, 29. חַיַּת הַשָּׂדֶה תְּבַקְּעֵם Ac si *fera agri eos discerperet.* Alii simpliciter: *ferae agri eos diffindent*, ut supra 2, 14. Verbum בָּקַע de *feris lacerantibus* et 2 Reg. 2, 24. usurpatur.

9. שִׁחֲתְךָ quidam habent pro *nomine*, formae שֶׁבֶר, Deut. 32, 35., דֶּבֶר Jer. 5, 13., קֶטֶר Jer. 44, 21., cum suffixo, q. d. hoc *perditio tua* est. Aliis vero est *verbum*, et secunda quidem persona Praeteriti Piel cum suffixo. Sic Jarchi: *Perdidisti te ipsum, o Israel, quia contra me* praevaricatus es, rebellasti *contra auxilium tuum.* Vel: *perdidisti te, o Israel, quando contra me, contra auxilium tuum, te perdidisti.* Rectius vero et minus *ἀνομαλῶς* שִׁחֲתְךָ pro tertia Praeteriti Piel persona habetur, hoc sensu: id *perdidit te, o Israel, quod contra me, contra auxilium meum* praevaricatus es. Ita Kimchi aliique. Factum vero id est, ut ex sequenti Versu 10. recte observat Schmidius, quando spreto Jova, rege et domino suo, regem, qualem vicinae habuere gentes, a Samuele postularunt, I Sam. 8, 5. sqq. Hic enim fons fuit exilii Israelis, cum reges, pejores semper facti, Jovam prorsus deseruerunt, et secum populum in superstitiones et idololatriam traxerunt, unde causae exitii, ex quo nec rex, nec principes quibus nimium confisi sunt, vid. 10, 3.) eos liberare potuerunt. Postquam nimirum Deus hactenus Israelitis multiplicem idololatriam (Vs. 2.) et oblivionem sui (Vs. 6.) exprobravit, et gravissimas poenas denuntiavit (Vs. 7. 8.), nunc ad initium et fontem omnis mali et perditionis ascendit. כִּי־בִי *Quod contra me*, scil. *fuisti*, vel *rebellasti*, cf. 7, 13. Jes. 1, 2. Jerem. 2, 8. בְּעֶזְרֶךָ *Contra auxilium tuum;* respicit ad Deut. 33, 26. 29. Cf. Ps. 33, 20.

10. Primam Versus vocem, אֲהִי, interpretum plures habent pro prima Futuri apocopati persona verbi הָיָה (pro אֶהְיֶה), neque tamen in sensu verborum constituendo consentiunt. Sunt, qui ita exponant: *ero*, i. e. semper maneo idem, et constanter paratus sum me ostendere beneficum erga homines. Alii, ut Jarchi, conjungunt cum verbis proximis, מַלְכְּךָ אֱפוֹא, hoc modo: stabo e regione ut videam, ubi sit rex tuus, et quisnam sit exitus tuus, atque ubi sit qui te servet? Alii sensum sic faciunt: ero, maneo rex tuus; ubi vero sunt illi quos mihi opponis, quasi qui te salvos reddere possint? Ut Jova asserat jus dominii in Israelitas, etiamsi ab illo defecerint. Interpres Arabicus nondum editus, Pocockio laudatus: *verbis ero rex tuus hoc vult: ubi est ille, qui tibi dixit: ego ero rex tuus.* Quae quidem omnia quam sint inconcinna et languida, non est quod moneamus. Sed

vix dubium est, אֵתִי eum אֵפוֹא junctam esse interrogationem *ubi est?* Ita LXX, Vulgatus, Chaldaeus, Syrus, item doctiores ex Hebraeis. Est enim אֵי per He in medio auctum et magis adspiratum, et idem quod אַיֵּה. Cf. vs. 14. מַלְכְּךָ *Rex tuus*, in quo confidis, 10, 3., et quem jam olim putasti te servaturum. אֶפוֹא *Nunc*, particula in interrogationibus adhiberi solita, vid. Gen. 27, 33. Jud. 9, 38. וְיוֹשִׁיעֲךָ Q. d. adsit nunc *et servet te*, si possit. Innuit regem eorum mox cum ipsis periturum, nec semet ipsum, multo minus alios, servaturum. בְּכָל־עָרֶיךָ *In omnibus urbibus tuis*, quippe quae mox auxilio ejus summopere opus habebunt, quando veniet hostis eas eversurus. Cf. Mich. 5, 13. וְשֹׁפְטֶיךָ *Et judices tui* scil. ubi nunc sunt? Non intelligendi illi judices, qui ante reges rem Hebraeorum publicam administrarunt, sed proceres et principes, qui sub regibus servierunt; cf. supra 7, 7. Alii ipsos *reges* intelligunt, collato 1 Sam. 8, 5. *Da nobis regem* לָשָׁפְטֵנוּ *qui nos judicat.* אֲשֶׁר אָמַרְתָּ *De quibus dixisti*, vid. 1 Sam. 8, 5. seqq. תְּנָה־לִּי מֶלֶךְ *Da mihi regem*, quum me rege ac principe tuo contentus ac felix esse potuisses. 1 Sam. 10, 19. וְשָׂרִים *Et principes;* cf. 8, 4. Exponitur hic, quomodo *se corruperit Israel*, dum peccavit contra Jovam, auxilium suum (Vs. 9.), et regem petiit. Sensus nimirum est: perdidisti te, o Israel, quando contra me, contra tuum sospitatorem peccasti, regem petendo. Id quod clare docet eventus. *Ubi enim nunc est rex tuus*, quem putasti te servaturum? *Servet te jam!*

11. אֶתֶּן־לְךָ *Dabam* itaque *tibi*, Israeli decem tribuum, cum Juda et Benjamine. Grotius: „*Dedi* jam saepius *tibi*, i. e. iratus peccatis vestris sivi vos per seditiones ac caedes mutare reges pro lubitu.“ Similiter Tarnovius: *dare soleo*, coll. 2 Reg. 15. et 18. item Jes. 3, 4. Sed rectius alii verba nostra ad Saulem referunt. *Futuro* autem Hebraei in narrationibus saepe pro *Praeterito* sive *Imperfecto* utuntur, vid. Exod. 15, 6. 7. Jud. 2, 1. subaudito Vav conversivo, ut supra 6, 1. מֶלֶךְ *Regem*, proterve postulatum 1 Sam. 8, 5. 19. 10, 19., scilicet Saulum, uti diximus. Nam neque Jeroboamum (de quo id accipiunt quidam, coll. 1 Reg. 11, 9.), neque Assyrium, neque ullum alium regem a Deo petierunt; sed constitutionem potius Reipublicae per regem aliquem, qui perpetuos successores haberet. בְּאַפִּי *In ira mea*, vid. 1 Sam. 12, 17. 19. וְאֶקַּח *Et nunc auferam* eum per Assyrium. Neque enim ad Saulum hic respicitur, quod alii volunt, coll. 1 Sam. 31, 7., sed in genere ad regem, seu regiam dignitatem Israelis; cf. supra 1, 4. 3, 4. לָקַח *auferendi* significatione vid. supra 2, 11. Gen. 14, 11. בְּעֶבְרָתִי *In furore meo*, de quo cf. Vs. 7. 8. et supra 2, 5. 6., ut praedictum etiam fuit 1 Sam. 12, 14. 15. Hieronymus: „Tu enim dixisti: *Da mihi regem et principes;* itaque dedi tibi Saulem regem in furore meo, in tantum ut in diebus messis pluviam demonstrarem contra naturam Judaeae

provinciae. Et abstuli, inquit, in indignatione mea regem, videlicet Sedeciam; ut quem cum furore dederam, tollerem cum indignatione."

12. צְרוּר *Ligata*, colligata, et quasi in fasciculo aut crumena constricta est. Cf. supra 4, 19. Prov. 30, 4. HIERONYMUS: „Quomodo si ligetur quid in sacculo, conservatur et non perit ei, cui ligatum est; sic omnis iniquitas, qua in Deum peccavit Ephraim, colligata est ei, et abscondita, et quasi in marsupio reservatur." Cf. Job. 14, 17. עֲוֹן אֶפְרַיִם Cum aliis omnibus etiam haec *iniquitas Ephraimi*, qua regem postulavit, Vs. 10. 11. Cf. 7, 1. צְפוּנָה חַטָּאתוֹ *Reconditum est peccatum ejus* in memoria Dei, cf. Job. 21, 19. Chaldaeus: *servata sunt ad vindictam omnia peccata eorum.* Dixerat nempe Deus (Vs. 11.), se, quem olim iratus eis dedisset regem, eundem ipsis inconsum ablaturum. Dubitare autem aliquis potuit, an peccatum ante aliquot secula commissum tam longo intervallo vindicetur. Quod utique futurum, certiores illos his verbis facit.

13. Describitur effectus istius colligationis et conditionis peccatorum (Vs. 12.), eorum poena: חֲבָלֵי יוֹלֵדָה יָבֹאוּ לוֹ Ideo *dolores* gravissimi, quales sunt *parturientis*, *venient ei.* LXX: ὠδῖνες ὡς τεκούσης, 1 Thess. 5, 3. Chaldaeus: *anxietas et tremor venient super eum, sicut dolores super parturientem.* Cf. Jes. 26, 17. Jerem. 49, 24. Mich. 4, 9. 10. הוּא־בֵן לֹא חָכָם *Ipse* enim *filius* est *non sapiens*, imo maxime insipiens et stultus, dum neglecto me (Vs. 6.), rege ac domino suo (Vs. 4. 5.), non solum alium regem postulavit (Vs. 9. 10.), sed plures etiam deos sibi colendos constituit, Vs. 1. 2. Chaldaeus: *ipse est filius, qui educatus* quidem, *sed non sapiens, ut me vereri discat.* כִּי־עֵת לֹא־יַעֲמֹד בְּמִשְׁבַּר בָּנִים *Nam* alioqui per *tempus* aliquod *non staret in ruptura filiorum*, i. e. in loco, unde erumpant filii, in matrice, quasi foetus sibi non consulens, neque ex utero erumpens. Allegoria significat, Ephraimum non sapere, quod tamdiu differat poenitentiam agere, ac sic semet eximere e calamitatibus et angustiis: in iis enim qui versatur, comparatur cum foetu, qui diutius in ore matricis haeret. Vel possunt verba hebraea sic verti: *nam tempus* pariendi adest; verum *non stat in matrice*, id est, Chaldaeo explicante, *nunc enim adducam super eum angustiam, qualis est feminae sedentis in sella partus, nec valentis parere.* Quod Hebraeis adagiale fuisse, apparet ex hisce Hiskiae regis verbis 2 Reg. 19, 3. Jes. 37, 3. *Dies angustiae et vindictae et contumeliae hodiernus dies est;* כִּי־בָאוּ בָנִים עַד־מַשְׁבֵּר וְכֹחַ אַיִן לָלֵדָה *nam venerunt filii ad orificium uteri, sed nullae ad pariendum vires suppetunt.* A מַשְׁבֵּר in loco Jesajano usurpato significatione non videtur differre nostrum מִמְשַׁבַּר, quod nominis *matrici* seu *uteri orificio* inditum fuerit, quod in partu quasi rumpatur. JARCHI cum Chaldaeo exponit

sellam parturientis, sed Kimchi per רֶחֶם *uterum*, quem ita appellatum existimat a frangendis doloribus, qui tum mulieri parienti, tum ipsi foetui in articulo partus obveniunt.

14. Si resipuerint, inquit Deus, nullum erit tam forte vinculum, quo ipsos non solvam, etiam a morte et sepulchro ipsos vindicabo. מִיַּד שְׁאוֹל אֶפְדֵּם מִמָּוֶת אֶגְאָלֵם *E manu*, potestate, *orci eos redimam, a morte eos redimam*, id est, nisi per ipsos staret, ego voluntarius essem eorum redemtor et liberator. Profitetur Deus se adesse ad implendum munus redemtoris, sed obstare istorum in malefaciendo pervicaciam, qui malint perire, quam se ad Deum ac dominum suum convertere. Verbum פָּדָה, proprie *soluto pretio quem redimere* (vid. Ps. 49, 8. 9. 1 Sam. 14, 45.), et גָּאַל *jure cognationis aliquem vindicare* constat, vid. not. ad Job. 19, 25. Utrumque autem tum latiori nonnumquam sensu accipitur de liberatione e malo quo demumcunque legitimi et potentis vindicis interventu, et illud quidem supra 7, 13. 2 Sam. 4, 9., hoc Job. 5, 20. Jes. 43, 1. Ps. 107, 2. שְׁאוֹל *Orcus*, defunctorum communis quaedam mansio, vid. e. c. Gen. 37, 35. Jes. 14, 9. 11. 14. Job. 14, 13. al., hoc loco sensu convenit cum מָוֶת. Addit postea: אֱהִי דְבָרֶיךָ מָוֶת אֱהִי קָטָבְךָ שְׁאוֹל *ero enim pestis*, perditio *tua mors! ero excisio tua, orcus!* Quibus verbis suam commendat et amplificat Deus virtutem in servandis et liberandis hominibus, q. d. etiamsi jam mortui sint homines, hoc tamen non obstare, quo minus eos vitae reddat, *esse* enim *sese interitum mortis*, *et excisionem orci*, i. e. quamvis mors absorbeat omnia, tamen ipsum superiorem esse morte. אֱהִי LXX reddunt *ποῦ;* quomodo accipiendum vidimus supra Vs. 10. Illos sequutus est Paulus, qui 1 Cor. 15, 55. nostrum locum laudat. Nec aliter Syrus, R. Tanchum et Abu-Walid apud Pocockium in Commentar. ad h. l. Nos cum Hieronymo capimus pro prima Futuri persona, quae contextui egregie convenit, quum אֶפְדֵּם et אֶגְאָלֵם praecesserint. Ita et interpres Arabicus ineditus Pocockio laudatus: *ero pestis morti*, *et ero excidium sepulchro.* דְבָרֶיךָ etsi toties alias in V. T. *verba tua* significet, tamen quin hic *pestem*, *perniciem* notet, nemo, opinor, dubitaverit, qui hunc locum diligenter expenderit eum Ps. 91, 6. collatum, ubi similiter cum nomine קֶטֶב, *exitium* notante, jungitur דֶּבֶר *pestis.* Notat Abu-Walid, et Arabicum طب obtinere notionem verbi هلك *interire*, *destrui*, et الطبار esse idem quod الهلاك *pernicies.* Quod Apostolus l. l. pro דְבָרֶיךָ *κέντρον* posuit, Drusius conjicit hinc factum, quod literis transpositis דרבנך legerit; est enim דָּרְבָּן *stimulus.* Pocockius vero cogitat de Arabico طبغ *calcar avis*, *quo percutit.* In plurali autem hic dicitur, ut *mortes* legimus Jes. 53, 9. Ezech. 28, 10. קֶטֶב idem quod קָטֶב *succisio*, *excidium*, Jes. 28, 2. Abu-Walid interpretatur *excidium per vehementiam perdentem.* Affine est verbo חָמַם *succidere*, Kimchio

observante, qui ad h. l. laudat Targum Hierosolymitanum, in quo Deut. 19, 5. pro Hebraeo לַחֲטוֹב עֵצִים *ad succindendum ligna*, legatur לְמִקְטַב אָעִין. Nostrae tamen editiones hodie habent לְמִקְטַע. Paulus, Apostolus, dum 1 Cor. 15. in eo erat, ut mortuorum demonstraret resurrectionem, multisque usus argumentis extra omnem dubitationem posuerat; subjungit Vs. 54. 55. *Τότε γενήσεται ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος. κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος. Ποῦ σου, θάνατε, τὸ κέντρον; ποῦ σου, ᾅδη, τὸ νῖκος; Tum eveniet*, in resurrectione videlicet mortuorum, quam deberi acceptam virtuti resurrectionis Christi, Apostolus Vs. 12. seq. evicerat, quaeque tum e noxa naturalis mortis, tum e culpa, meritura aeternam, redemtos in Christum credentes vindicatosque plenissime patefaciet, *id quod scriptum est: absorpta est mors in victoriam; ubi aculeus tuus, mors: ubi victoria tua, inferne?* quorum alterum sumtum e Cap. 25, 8. Jesajae, alterum totidem verbis repetitum e loco nostro. Hinc in Christianis, tum antiquis, tum recentioribus, plures exstiterunt, qui nostro loco promissionem contineri existimarent absolutissimae et humano generi universo profuturae redemtionis per Messiam, disjectaeque pariter, morti et inferno quae fuerat in miseros, potestatis. Quam sententiam defensorem quoque nactam esse AURIVILLIUM in peculiari in hunc locum Dissertatione (*Dissertatt. a J. D. Michaele junctim editt.* p. 413.), miror. Multo sanius ea de re Calvini est judicium, quod legitur in ejus *Praelectionibus in duodecim Prophetas, quos vocant minores*, p. 165. edit. Genev. 1559. fol. „Quia putabant," inquit, „multi interpretes, hunc locum citari a Paulo, simul etiam exposuerunt de Christo quicquid hic dicitur, ac multis modis errarunt. Primo dixerunt, Deum hic redemtionem promittere absque ulla conditione; videmus autem, longe diversum fuisse prophetae consilium. Postea sumserunt in persona Christi: *de manu sepulchri redimam eos.* Quamquam infernum etiam nimis argute putarunt vocari tormenta, quibus cruciantur reprobi, vel locum ipsum tormentis destinatum. Sed propheta variis verbis idem repetit, et nota est satis illa phrasis Hebraica. *Sepulchrum* ergo hic non differt a *morte:* quanquam Hieronymus hic laborat, et contendit, longe aliud esse sepulchrum, quam mortem; sed illud totum est nugatorium. Deinde quum dicit propheta: *ero excisio tua, inferne!* posuerunt nomen *morsus*, et allegorice exposuerunt, Christum fuisse instar humi. Quemadmodum ergo vermis, si hamo aptatur, quum voratur a pisce, est illi interitus, ita etiam Christum dixerunt, quum depositus fuit in sepulchrum, fuisse morsum letiferum; quia sicuti hamo capiuntur pisces, ita mors inescata fuerit morte Christi. Et argutiae illae magno plausu acceptae fuerunt, ideo in toto Papatu sine controversia hoc pro oraculo viget, quod Christus fuerit morsus mortis. Sed interea si quis propius prophetae verba expendat, videbit illos inscite et turpiter abusos fuisse prophetae testimonio. Atqui nobis

summopere studendum est, ut maneat vera et certa Scripturae intelligentia. Jam videndum est quid respondebimus, quum tamen videatur Paulus citare hunc locum. Solutio facilis est. Neque enim ex professo semper locos adducunt Apostoli, qui toto contextu ad institutum quod tractant pertineant; sed interdum alludunt ad unum verbum duntaxat, aliquando aptant locum ad sententiam per similitudinem, aliquando adhibent testimonia. Ubi Apostoli utuntur Scripturae testimoniis, illic quaerenda est simplex et genuina veritas; ubi autem verbum unum duntaxat perstringunt, non est tam anxie laborandum; ubi etiam per similitudinem designant aliquem Scripturae locum, est illa etiam nimis scrupulosa anxietas, quaerere, quomodo singulae partes conveniant. Atqui satis constat, Paulum illum 15. Capite primae ad Corinthios epistolae non citasse prophetae testimonium ad confirmandam illam doctrinam, de qua disserit.“ Sed redeamus ad vatem nostrum. Is sub finem Versus haec addit: נֹחַם יִסָּתֵר מֵעֵינָי *poenitentia abscondetur ab oculis meis* (cf. eandem phrasin Jes. 65, 16.), i. e. non ducar unquam poenitudine; *poenitere* autem Deus dicitur, cum mutat sententiam, nec facit id, quod facere decrevit. Decrevit autem Deus perdere populum Israeliticum, quod inde a Versu 3. variis declaravit imaginibus. Non est igitur, inquit, quod speretis temporis successu me posse mitescere; hoc mihi enim manebit fixum, vos in nihilum redigere, quia estis desperati. נֹחַם, hoc solo loco obvium, significatione *poenitentiae* esse sumendum, convenit inter plerosque, coll Jer. 26, 3. 42, 10. נִחַמְתִּי אֶל־הָרָעָה *poenitet me immissae calamitatis.* Alii *consolationem* interpretantur, a Piel verbi נָחַם, quod est *consolari*, unde Jes. 44, 11. לֹא נֻחָמָה *nulla effecta consolatione.* Ita LXX *παράκλησις*, quos Hieronymus sequutus. Nec orietur ea adscita significatione incommodus nostri loci sensus, q. d. non est quod miretur quispiam, me tam aspere loqui, et nihil aliud quam fulminare contra populum meum, neque enim jam consolatio apud eos locum habet, quia desperata populi malitia non patitur, ut stylum ad consuetudinem inflectam, et faciam aliquam spem veniae et salutis. Aliam vocis נֹחַם interpretationem recitat Jarchi, quasi esset: *quies eorum* abscondetur ab oculis meis. Crediderim id respexisse Chaldaeum, dum sic fuit interpretatus: *quia transgressi sunt legem meam, removero habitationem meam ab ipsis.* Sed ne jam e contextus ratione id refellamus, Jarchi satis probavit, quod Patach syllabae posterioris et priori appositus Accentus nequaquam patiantur ejusmodi expositionem.

15. Iterum confirmat Deus sententiam illam, quod Israel frustra confidat suis opibus et praesidiis, et quod immineat ei certus interitus ob scelera, quae sine fine et modo prosequutus fuerat. כִּי הוּא בֵּין אַחִים יַפְרִיא *Nam ipse* quidam Ephraim (Vs. 12. memoratus) *inter fratres*, inter reliquas tribus, Jacobi filiis oriundas, *augescit;* alludit ad nomen אֶפְרַיִם, quod a sobolis

incremento ei inditum; tribus Ephraim enim et numero hominum, et aliis etiam modis dignitate ceteras superavit. Cf. votum Jacobi, Ephraimo bene precantis Gen. 48, 19. *Certe frater ejus* [Manassis] *minor illo evadet major, complebitque ejus propago gentes.* Verbum יַפְרִיא referendum ad פָּרָה *fructificavit*, ut bene Jarchi: *efflorescens ac progerminans*, ratione, quam Aben-Esra monstravit. „Scriptum," inquit, „יַפְרִיא pro יַפְרֶה, quemadmodum הֶחֱלִיא (cum defectu τοῦ א occurrit hoc Jes. 53, 10.) est pro הֶחֱלָה." Alii nostrum verbum interpretantur: *ferox est*, s. *ferociter agit*, sicut *onager*, פֶּרֶא, supra 8, 9. Jerem. 2, 24. Gen. 16, 12. Huc referendus forsan Chaldaeus: *Namque illi appellantur quidem filii, sed probrosa opera adauxerunt.* LXX: *Διότι οὗτος ἀναμέσον ἀδελφῶν διαστελεῖ*, quod sequutus Hieronymus: *quia ipse inter fratres dividet.* Ejus explicationis et Jarchi mentionem facit. „Alius," inquit, „exstat haec exponendi modus. Per בֵּין אַחִים יַפְרִיא *inter fratres dividit*, Jeroboamum prophcta indigitat, quippe hic filiorum unus fuit, qui avitam Israelis possessionem decerpsit, quando effecit ille, in duo ut regna lacerentur." Etsi vero ea interpretatio collato Arab. فَرَى *scidit, diffidit*, commendari possit; ea tamen, quam primo loco posuimus, interpretatio sensum magis concinnum efficere videtur. יָבוֹא קָדִים Sed *veniet eurus*, 12, 2., ventus plantis et fructibus inimicus et noxius ac torrefaciens, vid. Ezech. 19, 12. Jon. 4, 8. רוּחַ יְהוָה *Ventus Jovae*, i. e. a Jova missus, ut Jes. 27, 8. 40, 7. מִמִּדְבָּר עֹלֶה *E deserto ascendens*, turbulentus et rapidus, vid. Jes. 21, 1. et Job. 1, 19. atque ibi not. nec non Jer. 13, 24. Hostis barbarus regnum Israeliticum destructurus comparatur cum euro ob rigorem, et cum vento, qui e deserto advenit, ob ingentem impetum. וְיֵבוֹשׁ מְקוֹרוֹ *Et exarescet scaturigo ejus*, ut Jerem. 51, 36. וְיֵבוֹשׁ esset proprie *pudefiet*, est enim Futurum verbi בּוֹשׁ. Sed h. l. docet res ipsa valere idem quod יִיבַשׁ a יָבַשׁ, quemadmodum vicissim הוֹבִישׁ, Hiphil verbi יָבֵשׁ significationem verbi בּוֹשׁ habet, *pudore affecit*, 2 Sam. 19, 6., et *pudefactus est* Jerem. 2, 26. וְיֶחֱרַב מַעְיָנוֹ *Et exsiccabitur fons ejus*, omnis vis et vigor regni consumetur, ut respublica eorum funditus evertatur. Cf. supra 9, 16. הוּא יִשְׁסֶה *Ille*, hostis cum vento comparatus, *praedabitur*, Ps. 44, 11. 1 Sam. 23, 1. Chaldaeus: *Nunc adducam super eos regem fortem instar venti orientalis; Jovae jussu e via deserti ascendet; destruet domum thesauri ejus, diruetque urbem regiam ejus.* אוֹצַר כָּל־כְּלִי חֶמְדָּה *Thesaurum omnis vasis desiderii*, thesauros rerum omnium desiderabilium, pretiosarum, ut Jer. 25, 34. Nah. 2, 10. 2 Paral. 32, 27. Divitiis et opibus suis insolentius gloriatos esse Ephraimitas, intelligitur comparatione eorum, quae supra 2, 10. 12, 9. leguntur. Eaedem, quae hic contra Ephraimitas, minae de thesauris diripiendis contra Judaeos exstant Jerem. 15, 13.

CAP. XIV, 1. Arete cohaeret hic Versus cum superioribus, recteque igitur a plerisque interpretibus Capiti praecedenti accensetur. תֶּאְשַׁם Chaldaeus et Syrus vertunt *rea fiet*, ab אָשַׁם. Ita et JARCHI: „Ex hoc usque tempore erit conspicuum, eum ex delicto tenori.“ Alii ad שָׁמַם *desolatus fuit* referunt. Ita LXX: ἀφανισθήσεται. Hieronymus: *pereat.* R. Tanchum: *vastata, evacuata, et deserta erit.* Et sane, quum prius hujus Versus membrum sit quaedam ἀνακεφαλαίωσις praecedentium, et vatis scopus hic sit, exponere, et qua de causa subiturus esset Israel denuntiatas modo miserias, et quoque in quam tristes aerumnas eae essent erupturae, liquet *desolandi* verbum hic magis quadrare. שֹׁמְרוֹן *Samaria.* „Saepe,“ inquit HIERONYMUS, „diximus, decem tribus appellari Samariam a metropoli Samaria, quae ex nomine Augusti nunc vocatur Augusta, id est, Sebaste.“ כִּי מָרְתָה *Quia rebellis fuit*, Deut. 21, 18. 20. Thren. 1, 18. Sic LXX: ὅτι ἀντέστη, et Chaldaeus: *quia rebellavit.* Alii cum Vulgato: *exacerbavit* Deum suum, coll. 12, 15., sed invita constructione, et forma verbi intransitivi. בֵּאלֹהֶיהָ *Contra* Jovam *Deum suum*, 13, 4. Chaldaeus: *contra verbum Dei*, dum contra foedus cum eo initum, et contra admonitiones ejus ad alios deos defecit; quod in mente habuit Arabicus nondum editus interpres, Pocockio laudatus, qui ita vertit: *quia rebellavit per idola*, s. *cum idolis.* בַּחֶרֶב יִפֹּלוּ *Gladio cadent* cives Samariae, et qui eo confugerunt; cf. 7, 16. עֹלְלֵיהֶם יְרֻטָּשׁוּ *Parvuli eorum illidentur*, cf. supra 10, 14. et cf. not. ad Ps. 137, 9. וְהָרִיּוֹתֶיהָ *Et foetae* s. *gravidae* mulieres populi Samaritani. *Jod mobile*, quod hic nonnullos offendit, habes etiam in פְּרִיָּה, Ps. 128, 3., et in בּוֹכִיָּה Thren. 1, 16. יְבֻקָּעוּ *Discindentur;* vide similem barbariem et crudelitatem 2 Reg. 8, 12. 15, 16. Amos 1, 13. *Partus* autem cum matribus gravidis *verbo masculino* includuntur.

CAP. XIV.

Argumentum.

Ad poenitentiam vates hortatur suos, optimamque praescribit orandi et poenitendi formam (Vs. 2. 3. 4.). Converso vero populo magna promittit, eaque praeclaris similitudinibus illustrat et amplificat (Vs. 5—9.). Significat tandem, optare se maxime, ut omnes intelligant, quae sint parata et justis praemia, et pertinaciter impiis supplicia (Vs. 10.).

2. Poenas gravissimas ob rebellionis foedum crimen populo in superioribus vates indixerat; ad has averruncandas monet illum nunc, ut vera pietate tempestive Deo occurrat. Cf. Amos

4, 12. *Quia istud sum facturus tibi, compares te in occursum Deo tuo, o Israel!* שׁוּבָה יִשְׂרָאֵל עַד יְהוָה אֱלֹהֶיךָ *Revertere, o Israel, ad Jovam, Deum tuum*, quem reliquisti idola colendo. עַד pro אֶל usurpatum in eadem phrasi, *ad Deum se convertere*, praeter hunc locum et Deut. 4, 30. 30, 2. Joel 2, 12. Si vero, quae multorum est sententia, voculà עַד, *usque ad* majus quid designetur, quam simplici אֶל *ad*, existimemus non infeliciter enucleasse vocis rationem, qui docuerunt, modum sic insinuari, quo instituenda conversio foret, videlicet non ficto conamine, sed serio et consummato studio, ut terminus conversionis *ad quem* indicetur, q. d. non aliquatenus, sed perfecte convertere, non desistens, donec Deum contingas. Quasi in animo haberi convertentibus debeat illud Psalmi 73, 8. וְאֲנִי קִרְבַת אֱלֹהִים לִי־טוֹב *et me quod attinet propinquum esse Deo mihi bonum.* Id ipsum forsan expressurus Chaldaeus vertit: תּוּב לְדַחְלָתָא דַיְיָ *revertere ad timorem Domini.* כִּי *Ratio* movens ad poenitentiam, ut 6, 1. כָּשַׁלְתָּ *Impegisti* s. *corruisti*, 4, 5., in multas et graves incidisti miserias. Cf. Jes. 3, 8. בַּעֲוֹנֶךָ *Per culpam tuam;* eadem sententia supra 5, 5. Nec quisquam alius, praeter Jovam, te servare aut restituere potest; ergo resipisce et ad eum convertere. Hieronymus: „Pereunte Samaria et viris ejus, et parvulis et praegnantibus occisis, clisis atque dissecissis, totus Israel ad poenitentiam provocatur, ut qui infirmatus est, sive corruit in iniquitatibus suis, revertatur ad medicum, et recipiat sanitatem, vel stare incipiat, qui corruerat."

3. קְחוּ עִמָּכֶם דְּבָרִים *Sumite vobiscum* (cf. eandem constructionem Genes. 31, 23. 48, 1. Exod. 14, 6. al.) *verba* scil. דְּאִתְוַדָּאָה *confessionis*, ἐξομολογήσεως (uti recte Chaldaeus supplevit), quae mox sequuntur. Formulam enim precandi iis praescribit, quibus testentur, serio se resipuisse. Ea acceptiora fore Deo innuit hostiis vel aliis muneribus, coll. Mich. 6, 6. Alii: obsequioso animo *recipite* et sumite *vobiscum*, nec oblivioni mandate vel negligite *verba mea*, coll. Prov. 1, 3. 2, 1. 4, 10. Job. 22, 22. Sed praestat prior interpretatio, Chaldaei nixa auctoritate, quam et Kimchi tuetur. „Non postulat," inquit, „Dominus a vobis in poenitentia argentum et aurum, neque victimas, quas idolis suis magno sumtu Israelitae profundebant, 1, 10. 15. 10, 1. 12, 12.); sed verba tantum bona, quibus confiteamini iniquitates vestras." וְשׁוּבוּ אֶל־יְהוָה *Et* ita, ut jam dictum est Vs. 2. *convertimini ad Jovam* toto animo, nec labiis tantum vestris, ut iterum Kimchi Cf. 2, 9. 3, 5. 6, 1. אִמְרוּ אֵלָיו *Dicite ei*, Jovae; praescribitur formula confessionis, quemadmodum aliae formulae praescribuntur Jes. 48, 20. Jer. 31, 7. Ps. 66, 3. 1 Paral. 16, 35. כָּל־תִּשָּׂא עָוֹן *Omnem aufer iniquitatem* nostram, culpam, qua ut onere gravati sumus, Ps. 32, 1. 38, 5. Eaedem preces Ps. 51, 11. Ceterum in nostris verbis est

hypallage, qualis Ezech. 24, 17. 39, 11., ubi vid. not. Recte Jarchi כָּל־עֲוֹנוֹתֵינוּ סְלַח posita observat pro כָּל־תִּשָּׂא עָוֹן *omnes nostras iniquitates condona.* ABENDANA in Additamentis ad Commentarium *Michlal Jophi* dictum duas alias profert expositiones, vel, ut subaudito ante כָּל particula מ (מִכָּל), sit: *ab omnibus aufer iniquitatem*, vel: *omnes tollas iniquitates* (כָּל־הָעָוֹן), ut consummata sit remissio, Ps. 103, 3. 130, 8. Verum quum utraque haec explicatio nitatur additamentis particularum מ et ה, nec evitet incommodum transpositionis, nihil est, cur vulgatiorem interpretationem rejiciamus. וְקַח־טוֹב *Et accipe bonum*, i. e. in bonum, quasi sit לְטוֹב, in bonam partem scil. hanc nostram precationem. GROTIUS: *Acceptum habe* id *bonum*, quod nunc facimus, plane quasi non peccassemus.“ Chaldaeus: *suscipiamur utique tanquam boni.* Alii: *acceptum* tribue, confer *bonum*, i. e. justitiam et integritatem morum. Ita BOCHARTUS *Hieroz.* P. I. L. II. C. 41. T. I. p. 449. edit. Lips.: „Rogatur Deus, ut bonum de suo accipiat, quod nobis conferat. Sic Gen. 21, 21. *Agar accepit* filio Ismael *uxorem* ex Aegypto, nempe quam illi copularet. Ita etiam de Juda Gen. 38, 6. et Ps. 68, 19. de Deo: *accepit dona in hominibus*, nempe quae daret et distribueret. Proinde Apostolus Ephes. 4, 8. pro ἔλαβε habet: ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις.“ Sed Psalmorum loco indicato verbum לָקַח rectius simpliciter *accipiendi* significatu sumitur. HIERONYMUS: „*Et accipe*, inquit, *bonum;* nisi enim tuleris mala nostra, bonum tibi quod offeramus, habere non possumus, juxta illud quod alibi scriptum est [Ps. 37, 27.]: *Declina a malo, et fac bonum.*“ וְנְשַׁלְּמָה פָרִים שְׂפָתֵינוּ *Et solvemus* grati pro illis beneficiis tuis (Ps. 50, 14.) tanquam *juvencos labia nostra*, i. e. pro juvencis reddemus labia nostra, i. e. gratiarum actiones. Cf. Ps. 116, 12. 13. 17. 141, 2. Ita Arabicus interpres ineditus Pocockio memoratus: *reddemus loco oblationis juvencorum sacrificia labiorum nostrorum.* Chaldaeus: *sint verba labiorum nostrorum accepta penes te tanquam boves in beneplacitum super altari.* LXX: *Καὶ ἀνταποδῶμεν καρπὸν χειλέων ἡμῶν.* Quasi pro פָּרִים שְׂפָתֵינוּ, aliter divisis vocibus, legerint פְּרִי מִשְׂפָתֵינוּ *fructum e labiis nostris.* Idem sequuntur Arabs et Syrus, nisi quod is pro prima Pluralis persona tertiam Singularis exprimit hoc modo: *et solvet*, s. *rependet fructus labiorum vestrorum.* Et scriptor epistolae ad Hebraeos 13, 15. huc palam alludens *per ipsum igitur*, inquit, *assidue offeramus Deo θυσίαν αἰνέσεως, sacrificium laudis, τουτέστι καρπὸν χειλέων ὁμολογούντων τῷ ὀνόματι αὐτοῦ, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus.* „Sed sensus,“ inquit BOCHARTUS l. c., „plane idem est. Nam *καρπὸς*, *fructus*, eo loco pro *oblatione* sumitur, ut in Graeca versione *κάρπωσις*, *κάρπωμα*, *ὁλοκάρπωσις*, *ὁλοκάρπωμα*, quae pro *sacrificio* et *holocausto* passim occurrunt.“ Cf. נִיב שְׂפָתַיִם *proventum labiorum*, Jes. 57, 9.

4. Verbis אַשּׁוּר לֹא יוֹשִׁיעֵנוּ Syrus praemittit e Versu superiore: *et dicite, Assyrius* etc., scilicet rex et populus, in quo male confisi sumus, *non salvabit nos.* Respicit vates ad hoc, quod saepe in Israelitis coarguit, quando in angustiis foedera cum Assyriis fecerunt, ut ipsis auxiliarentur; vid. 5, 13. 7, 12. 8, 19. Chaldaeus: *reges Assyriae non salvabunt nos.* Cf. supra 5, 13. 14. עַל־סוּס *Super equis*, quibus superbivimus, cf. 1, 7. Jes. 2, 7. Proverb. 21, 31. לֹא־נִרְכָּב *Non equitabimus*, neque in nostris viribus, nec in aliorum auxiliis fiduciam ponemus. Chaldaeus: *curribus* vel ascensoribus *equorum non confidemus.* R. Tanchum: *relinquamus fiduciam in res creatas, nec confidamus in equis et multitudine*, sive: *copiis et apparatu bellico.* Cf. Ps. 20, 8. Alii: *et super equos* Aegyptios *non conscendemus*, nec eorum auxilium, ut supra 7, 11., implorabimus, quia hoc etiam praesidium vanum est, Jes. 31, 3. Sic Jarchi et Aben-Esra, coll. Jes. 30, 1. 31, 1. Nec non HIERONYMUS, cujus haec sunt verba: „Qui reddituros se esse dicunt labiorum vitulos, et Dei laudes perpeti voce canituros, etiam illud repromittunt, quod nequaquam in Assyriis spem habeant, nec super equos Aegyptios, quia fallax equus ad salutem.“ Aegyptii enim equis abundarunt, cf. Deut. 17, 16. 1 Reg. 10, 28., et equis fere bellarunt, Exod. 14, 6. 7. 9. 15, 1. *Super equis* itaque Israelitae *equitarunt*, quando equites, currus et equos conduxerunt, et ex foedere in auxilium advocarunt. וְלֹא־נֹאמַר עוֹד *Nec dicemus contra*, ut stolide fecimus, cf. supra 2, 7. Promittunt perseverantiam in Dei veri cultu. אֱלֹהֵינוּ לְמַעֲשֵׂה יָדֵינוּ *Operi manuum nostrarum: Deus noster* tu es! ut Jes. 42, 17. 44, 17., et cf. supra 8, 6. 13, 2. Insaniam istam agnoscemus et detestabimur. R. Tanchum: *revertemur a cultu omnis ejus quod non coli meretur essentiâ suâ.* אֲשֶׁר־בְּךָ יְרֻחַם יָתוֹם *O tu in quo*, per quem *misericordiam consequetur* et servabitur (respicit ad 1, 6. 8. 2, 3.) *orphanus* s. *pupillus*, qui omni ope destitutus; cf. supra 5, 15. Ps. 10, 14. 18. 68, 6.

5. Postquam rationes indicaverat propheta, quibus Israel divinam gratiam sibi conciliare deberet, ne inundantibus miseriis, denuntiatis adversus contumaces Vs. 1. absorberetur, pergit jam exponere, quam lactus iis exitus foret morem gerentibus admonitioni propheticae. אֶרְפָּא מְשׁוּבָתָם *Sanabo*, inquit Deus, *aversionem eorum*, i. e. defectionem, rebellionem, idololatriam ceteraque peccata, quibus a me aversi sunt, 11, 7. Jerem. 2, 19.; cum ipsius rebellionis morbo simul sanabo plagas, quas ob impietatem iis eram inflicturus. Chaldaeus: *recipiam eos in suam conversione, condonabo eorum delicta.* R. Tanchum: *medebor rebellioni et obstinationi eorum, i. e. servabo eos ab eo quod meruerunt per eam.* Alii, מְשׁוּבָה sensu bono accepto de *conversione* ad Deum, et abstracto pro concreto, sic vertunt: *sanabo*

conversionem eorum, i. e. ipsos conversos. Ita Syrus. אֹהֲבֵם נְדָבָה Qui prius eos oderam et reprobaram (supra 9, 17.), *diligam eos sponte* (subaudita ante נְדָבָה particula ב, quae ante hoc ipsum nomen exstat Ps. 54, 8., vel ponitur Adverbialiter), ultro, bona fide, prompta animi voluntate. *Amor voluntarius* qui ex puro affectu manat, nulla fictione tectus aut inquinatus. כִּי שָׁב אַפִּי *Quia aversa est ira mea* (ut Jerem. 2, 35.), quae accensa fuerat pervicacia eorum 8, 5. מִמֶּנּוּ *Ab eo*, Israele, populo meo, ita ut non amplius recordaturus sim peccata eorum; cf. Mich. 7, 18. 19. Masorethae notant, codices Orientales, i. e. Babylonicos, exhibere מִמֶּנִּי abiit *a me* ira mea.

6. Commemorat nunc variis similitudinibus a plantis desumtis amoris Jovani effectus. Res Israeliticae denuo efflorescent. אֶהְיֶה כַּטַּל לְיִשְׂרָאֵל *Ero Israeli sicut ros*, qui, ubi pluviae rariores, copiose cadens, terram foecundat, marcida germina recreat et crescere facit. Efficiam, ut omnia eis floreant, ut agri irrorati. Cf. 6, 3. Deut. 32, 2. Jes. 26, 19. יִפְרַח כַּשּׁוֹשַׁנָּה *Florebit* novis viribus instructus *sicut lilium*, Jes. 35, 1. 2. Cant. 2, 1. 2, pulcherrime et copiosissime. *Lilio* enim *nihil foecundius esse*, ait PLINIUS, una radice quinquagenos saepe emittente bulbos, *Hist. Nat.* L. 21. c. 5. וְיַךְ שָׁרָשָׁיו *Et incutiet radices suas* in terram, i. e. defiget, altius immittet. Metaphora a rebus, quae incutiendo altius penetrant, longiusque mittuntur ac porriguntur. Nam הָכָה non solum *caedere* et *percutere*, sed aliquando *incutere* significat, ut 1 Sam. 2, 14. הִכָּה בַּכִּיּוֹר *incussit in labrum.* Et ibid. 19, 10. וַיַּךְ אֶת־הַחֲנִית בַּקִּיר *incussit hastam in parietem.* Idem igitur hic dicitur quod Jer. 17, 8. יְשַׁלַּח שָׁרָשָׁיו *mittet radices suas.* Graecisque ῥιζοβολεῖν idem significat. כַּלְּבָנוֹן *Sicut Libanus*, i. e, ut recte Chaldaeus, sicut arbores Libani; per metonymiam. Cf. Jes. 35, 2 60, 13. Ps. 92, 13. HIERONYMUS: „Sicut arbores Libani, quae quantum in auras consurgunt vertice, tantum radicem in ima demergunt, ut nulla tempestate quatiantur, sed stabili mole consistant.“ Alii: *radices suas jaciet ut Libanus*, i. e. veluti mons Libani ita auxilio divino firmatus, ipse stabit immotus, coll. Ps. 125, 1.

7. וְלָכוּ *Ibunt*, i. e. crescendo pergent et longius progredientur, distendent ac diffundent se. *Ire* dicuntur rami, cum longi et magni magis magisque fiunt, quomodo etiam sese extendunt. Cf. Jer. 12, 2. יוֹנְקוֹתָיו *Surculi* s. *rami ejus*, Israelis. Chaldaeus: *multiplicabuntur* s. augescent *filiis et filiabus*, s. progenie. Alii cum Jarchio indicari existimant quotidiana incrementa divinae beneficentiae postquam semel coeperit se ostendere liberalem erga populum Israeliticum. וִיהִי כַּזַּיִת *Eritque sicut olea*, vel, *sicut oleae*, quae, ut Cyrillus ad h. l. ait, est ἀειθαλὴς καὶ εὔκαρπος, *semper viridis et fructibus referta.* Cf. Jer. 11, 16.

Ps. 52, 10. 128, 3. הוֹדוֹ *Gloria*, decor *ejus*, Job. 40, 10. Dan. 10, 8. *Honor* autem sive decor olivae sunt multi fructus ejus, quibus decoratur et pulchra redditur, ob quos etiam laudatur. R. TANCHUM comparationem cum olea illud spectare putat, *quod propter id, quod in ea est pinguedinis, ejus folia nec hyeme desiccantur et cadunt, ut aliorum arborum folia; sed suam pulchritudinem et aestate et hyeme servat.* וְרֵיחַ לוֹ כַּלְּבָנוֹן *Et odor ei* erit *sicut Libani*, cujus gratissimi odoris cum ex herbis et arboribus fragrantibus, quales *cedri*, tum ex floribus arborum et herbarum, et Cant. 4, 11. mentio facta. Cf. CELSII *Hierobot.* P. I. p. 242. OEDMANNS *Vermischte Sammlungen aus d. Naturk. zur Erklär. d. heil. Schrift*, P. II. C. 9. p. 197. vers. german. Recte R. TANCHUM: *comparat* eum *etiam Libano ob abundantiam rerum aromaticarum et florum suaveolentium.* Declaratur felix reipublicae status similitudine sumta ab arboribus radicatis, patulis, speciosis, odoriferis; quae omnia arbores commendant. *Radicatio* firmitatem, *ramorum diffusio* propagationem et civium frequentiam, *decor oleae* pulchritudinem et gloriam, atque eam quidem constantem et continuam, *odor* jucunditatem et amabilitatem notat.

8. Israel tandem in tam proceram et patulam excrescet arborem, ut omnes, qui ad ejus umbram se receperint, secure sub ea sint habitaturi. יָשֻׁבוּ, *Revertentur*, alii interpretantur: *in patriam redibunt*, ut Chaldaeus *(congregabuntur ex suis exiliis)*; alii: *convertentur* ad Jovam scil. e gentibus exteris, quicunque sub Israelis umbra confugerint. Sed verbum שׁוּב, *redire*, de Israelitis quidem, ad Jovae cultum, quem reliquerant, revertentibus, recte dicitur, non item de exteris, qui Jovam nunquam antea coluerant. Neque vero de Israelitis in patriam reducibus commode haec verba intelligi possunt. Qualis enim haec sententia: *revertentur* Israelitae *sedentes in umbra ejus*, Israelis? Quae quum ita sint, haud dubitamus iis inter Hebraeos interpretibus adstipulari, qui nostrum יָשֻׁבוּ *redibunt* scil. ad se exponant, i. e. refocillabuntur, recreabunt se. Simili phrasi 1 Sam. 30, 12. de juvene morbo et fame prope exstincto, sed cibo et potu recreato dicitur: וַתָּשָׁב רוּחוֹ אֵלָיו *rediitque spiritus suus ad ipsum.* Ita et Jud. 15, 19. תָּשָׁב רוּחוֹ וַיְחִי *rediitque spiritus ejus et revixit.* Thren. 1, 11. לְהָשִׁיב נֶפֶשׁ *ad reficiendam animam suam.* Cf. not. ad eum loc. Vox יְשָׁבֵי in forma regiminis posita, uti et alias factum ante particulas, veluti Ps. 2, 12. חוֹסֵי בוֹ *qui ad eum confugiunt.* Et 84, 7. עוֹבְרֵי בְּעֵמֶק *vallem transeuntes.* Pronomen suffixum in בְּצִלּוֹ *in umbra ejus*, haud dubie ad Israelem, cum arbore patula comparatum, referendum. יְחַיּוּ דָגָן quidam vertunt: *vivificabunt frumentum*, i. e. producent frumentum per culturam agrorum. Alii post Vulgatum *(vivent tritico): vitam producent* s. sustentabunt *frumento.* Quod utrum-

que mirum quantum inter ceteras, quae hic leguntur, magnificas promissiones subsidet. Chaldaeus: *reviviscent mortui.* Nos subaudito ad יְחִיוּ nomine זֶרַע ex Gen. 7, 3., et ante דָּגָן particula כ, ut in proximo כַּגָּפֶן, sic vertimus: *vivificabunt*, producent semen *instar frumenti*, i. e. prole numerosa gaudebunt, augescent tanta copia, quanta frumentum provenit, dum ex uno grano multa solent provenire. Cui bene convenit, quod additur: וְיִפְרְחוּ כַגָּפֶן *et florebunt sicut vitis*, „feminae erant foecundae," exponit Grotius, coll. Ps. 128, 3., cui adde Zach. 8, 12. Drusius: „Vitis non floret perpetuo, sed tamen secus ac frumentum solet, quod post factam messem cessat, nec in agro amplius conspicitur; ejus stirps semper manet, quae post annum rursus viresceit et fructum de novo edit." Chaldaeus: *multum erit bonum in terra.* זִכְרוֹ כְּיֵין לְבָנוֹן *Memoria ejus sicut vinum Libani*, fama illius laudatissima erit, et gratissima ac jucundissima recordatio nominis illius, ut vinum Libani sapore et odore jucundissimum est. Id quod probat Kimchi testimonio cujusdam Asaphi Medici, qui scripsit, vinum Libani, Hermonis, Carmeli, montium Israelis et Hierosolymae et Caphtoris, odore, sapore, medicina, reliquis omnibus antecellere. Plinius etiam *Hist. Nat.* L. XIV. cap. 7. *vinum Tripoliticum*, *Tyrium*, *Berytium* laudat, quae loca Libano vicina erant. Et qui recentioribus temporibus terras istas adierunt, laudant vini Libanitici excellentiam. Testimonia illorum attulit Oedmann loco ad Vs. 7. laudat. p. 193. Cf. libr. nostr. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. I. p. 240.

9. אֶפְרַיִם nonnullis interpretibus appellandi Casus est, et verba מַה־לִּי עוֹד לַעֲצַבִּים ipsius Dei, hoc modo: *o Ephraim, quid mihi amplius cum idolis?* quasi dicat Deus: noli mihi illa adjungere amplius, ego namque sum tibi solus Deus. Sed accentus *Sakeph gadol* nomini אֶפְרַיִם impositus, qui incisum in sermone facit, aliquid abesse arguit. Rectum vidisse itaque illos interpretes arbitror, qui Ephraimi, de quo sermo adhuc institutus erat, verba a Deo referri existimant, quasi dicat, *Ephraimus* dicet, s. *Ephraimi* hic sermo erit (prout concise sic loqui Hoseae familiare): *quid mihi ultra ad idola* ut refugiam? Vel: valeant, nihil mihi cum illis rei amplius est. Juxta quod Versu 4. promiserat: *operi manuum nostrarum posthac non dicemus: o Deus noster.* Ita Chaldaeus: *dicent Israelitae: quid ad nos attinet ultra servire idolis?* Syrus quoque praemittit: *et dicet* Ephraim. Recte Tarnovius: „Postquam Deus illas promissiones longe amplissimas absolvit, nunc demum Ephraim repetit prius (Vs. 3. 4.) factam obedientiae et fidei suae sponsionem, et Deus vicissim in posteriori hemistichio gratiam suam repromittit." Ad phrasin מַה־לִּי לַעֲצַבִּים *quid mihi commercii cum idolis?* cf. Jos. 22, 24. Jud. 11, 12. 2 Sam. 16, 10. Jer. 2, 18. Similiter Anacreon *Od.* 17, 4. *Τί γὰρ μάχαισι κἀμοί*; scil. *κουρόν*. Respondet Deus:

אֲנִי עָנִיתִי וַאֲשׁוּרֶנּוּ *Ego exaudiam et respiciam eum.* Ita Chaldaeus: *ego per verbum meum recipiam ejus orationem, Israelis videlicet, eique me exhibebo propitium.* Nec aliter R. Tanchum Pocockio laudatus: „Quum dixerit Ephraim: *quid mihi amplius cum idolis?* tunc ego adnuam votis ejus.“ Alii עָנָה *humiliandi* significatione sumunt; ita LXX: *ἐγὼ ἐταπείνωσα αὐτόν* (ita et Syrus), *καὶ ἐγὼ κατισχύσω αὐτόν.* Recentiorum quidam: *ego adflixi iterumque respiciam eum.* Verum simplicior et concinnior sensus prodire videtur verbo עָנָה *respondendi, exaudiendi* notione accepto, ut saepius, e. c. Jes. 65, 24. *Antequam vocent* וַאֲנִי אֶעֱנֶה *ego respondebo.* אֲשׁוּרֶנּוּ *Diligenter observabo*, intentis oculis adspiciam (cf. verbum שׁוּר supra 13, 7. Num. 23, 9.) *eum*, Israelem, singularem curam ipsius habebo. Hujus oppositum Deut. 31, 17.: הַסְתַּרְתִּי פָנַי מֵהֶם *abscondam faciem meam ab eis.* Syrus: *gloriosum* s. *laudatum eum reddam.* Videtur verbum שׁוּר *cantandi, celebrandi* significatione (cf. Jud. 5, 1. Ps. 7, 1.) accepisse, quomodo tamen cum *Dativo personae*, et cum *Accusativo rei* s. *cantici* construitur, vid. Exod. 15, 1. Ps. 21, 14. 33, 3. אֲנִי כִּבְרוֹשׁ רַעֲנָן *Ego tanquam abies virens* ero Israeli, sicut viridis et condensa arbor, obumbrans et protegens eos. Jarchi: „Ego me demittam illi, ut prehendere me ejus manus queat, sicuti abies viridis sese in terram flectit, quo ramos ejus homo prehendat; ut sensus sit: facile ei inveniar.“ Quia vero abies, etsi semper viret, non tamen fert fructum, ideo addit: מִמֶּנִּי פִּרְיְךָ נִמְצָא *ex me fructus tuus*, quo indigebis, *invenietur*, praesto erit. Per *fructum* omnia necessaria indicari, res ipsa docet. Pro פִּרְיְךָ נִמְצָא dicitur brevius פְּרִי לְךָ נִמְצָא. Chaldaeus: *faciam eos ut pulchram abietem, quia a me remissio* peccatorum *ob poenitentiam eorum invenietur.*

10. Conclusio, qua propheta hortatur bonos ad intelligentiam doctrinae suae a fructu, quem inde percepturi sint, contraria illi quidem improborum hominum ruina illustrato. Est vero ista hortatio elegant exclamatione figurata, ut majorem vim habeat; מִי חָכָם וְיָבֶן אֵלֶּה נָכוֹן וְיֵדָעֵם *quis sapiens ut intelligat ista?* quis *prudens*, *ut cognoscat* et perpendat *ea*, omnia quae in meis sermonibus prodidi monita. Ita hortantes et optantes aliquid fieri loquuntur. Cyrus apud Xenophontem *Cyropaed.* L. III. c. 28. *Τίς ἐφέπεται; τίς ἀγαθός; τίς πρῶτος ἄνδρα καταβαλεῖ;* Similem huic interrogationem habes Psalm. 107, 43. Jerem. 9, 11. Alii paucitatem eorum, qui salutaria prophetae consilia admitterent, hac interrogatione indicari existimant. Syrus vocem מִי pro *quisquis*, *quicunque* accepit: *qui sapiens est, intelliget haec, qui prudens est, cognoscet ea.* Sane מִי ita capitur Exod. 24, 14. Jud. 7, 3. Jes. 50, 10. Prov. 9, 4. et alias, quibus locis tamen non ו sequitur, ut hic. Bene Jarchi: „Quis sapiens in vobis, qui animum ad isthaec adver-

tendo providum se gerat, ut sese convertat ad me?“ כִּי־ יְשָׁרִים דַּרְכֵי יְהוָה *Nam rectae* sunt *viae Jovae*, consilia ejus justissima et aequissima sunt. *Viis Jovae* praecepta monitaque ejus, quibus quae hominibus agenda sunt praescribit, intelliguntur, cf. 2 Sam. 22, 22. 23. 31. Jes. 26, 7. 57, 14. Ezech. 18, 25. 29. וְצַדִּקִים יֵלְכוּ בָם *Et justi*, recti, probi, *incedunt in iis*, observant illa praecepta, et prospero rerum suarum successu gaudent, וּפֹשְׁעִים יִכָּשְׁלוּ בָם *sed praevaricatores corruunt per ea*, dum monita illa negligunt nihilque pensi habent, in gravissimas poenas incidunt.

December 23. 1843.

IN JOELEM PROOEMIUM.

Joel ubinam vixerit, quo vitae genere fuerit usus, quo tempore denique sua vaticinia protulerit, quum neque in eo, qui nomen ejus gerit, libro, neque in ullo alio V. T. loco traditum sit, atque quum ne vestigia quidem satis certa usquam deprehendantur, unde illa cognosci possint; manifestum est, quaecunque ab interpretibus de Joelis genere, natalibus ac aetate sunt prolata, meras esse conjecturas. Rumoribus, quibus vix quicquam tribuendum, accensemus, quod Pseudo-Epiphanius (*de Vit. Prophetarum*, Cap. 14. T. II. *Opp.* p. 245.) tradit, Joelem e tribu Ruben oriundum fuisse, Bethehorone, quae est urbs in confiniis Ephraim et Benjamin (vid. RELANDI *Palaest.* p. 633.), natum et mortuum, atque in ejusdem urbis agro sepultum. Plures equidem *Joeles* in codice Hebraeo memorantur (vid. SIMONIS *Onomast. V. T.* p. 517.), sed *Pethuelis filium*, quomodo Noster in libri sui limine appellatur, alias reperias nusquam. Judaeorum nonnulli, innixi incertae suae regulae, quod ubique una cum propheta nominetur ejus pater, hic non vir tantum bonus, sed et propheta fuerit, Pethuelem Samuelemque pro uno eodemque habuere. Habuit sane Samuel filium, qui vocabatur Joel (1 Sam. 8, 2.); at, uti neque tempus, quo hic vixit, admittere videtur, ut eum Nostro eundem esse opineris; ita nec id, quod de Joele, Samuelis filio, memoriae proditum legimus, vero esse sinit simile, prophetam fuisse hunc hominem pessimae vitae et morum insimulatum (ibid. Vs. 3.). Quin nec ulla praeterea possit dari ratio, cur Pethuel iste Samuel esse existimetur. Illa enim, quam affert JARCHI, ratio nullius momenti esse videtur, nempe quod

sic appellatus sit, quia פתה לאל בתפלתו *persuadebat*, vel *flectebat Deum precibus suis*. Nam ea ratione quilibet propheta, vel alius vir bonus non minus atque Samuel sic nominari possit. Hoc tamen magna veri specie dici potest, Joelem in regno Judae vixisse. Quae enim apud eum ad poenitentiam sacerdotum adhortatio legitur (1, 13. 2, 15. sqq.), quae domus Dei et montis Zion, quae Judae et Hierosolymae frequentissima fit mentio (1, 14. 2, 1. 15. 17. 3, 5. 4, 2. 6. 16. 17. 20.), diserte ad regnum Judae spectant, et universus id loquitur prophetae contextus. Recte igitur HIERONYMUS (*Commentar. in Joel.* 1, 1.), „Quomodo," inquit, „in Osee Propheta sub nomine Ephraim ad decem tribus confertur vaticinium, quae vel Samaria, vel Israel saepe memorantur; sic in Joel omne quod dicitur ad tribum Judae et ad Hierusalem pertinere credendum est, et nullam omnino Israelis, id est, decem tribuum, in hoc fieri mentionem." Etsi vero Israelis nomen quoque vice una alterave occurrat (2, 27. 4, 2. 16.), non tamen decem tribus et diversum a Juda regnum, sed quoscunque propheta intelligit veros Israelis posteros, trita alias quoque vocis significatione (veluti 1 Reg. 12, 17. 1 Macc. 1, 21. 22.).

Magis invicem dissentiunt interpretes circa *tempus*, quo prophetia haec edita est. Sunt (ut Kimchi), qui Joelem floruisse ferant regnante Joramo, Ahabi filio, cum septem annis ingens in terra Israel fames esset (2 Reg. 8, 1.), de qua hunc prophetam loqui opinantur. Alii (ut Chronicon *Seder Olam* majus et minus, magnae utrumque auctoritatis inter Judaeos) censent Joelem suam prophetiam edidisse tempore Manassis, hoc maxime argumento moti, quod quum nulla decem tribuum fiat mentio in hisce oraculis, non nisi illis in exilium abductis ea prodita essent. Alii (Tarnovius, Eckermannus aliique) vaticinatum autumant Nostrum tempore Josiae, regis Judae, quum sub eo fames gravissima terram opprimeret, quae a Jeremia (14, 1. 2.) fere eodem, quo a Joele, modo describitur. Quae quidem sententiae quam infirmis nitantur rationibus, satis patet. Nos vero nulli dubitamus,

Joelem Hoseae et Amoso fuisse acqualem, non sane regula illa moti, quam a Judaeis acceptam tradit HIERONYMUS (in *Prologo in XII Prophetas minores*), *in quibus* Prophetarum scriptis *tempus non profertur in titulo, sub illis eos regibus prophetasse, sub quibus et hi, qui ante eos habent titulos, prophetaverunt*, in qua parum esse roboris, vel unius Jonae exemplum demonstrat; sed rationibus convicti, quas pro illa sententia CAMPEGIUS VITRINGA produxit (in *Typo Doctrinae Prophet.* C. 4. p. 35. sqq.). „Nostra," inquit, „sententia eadem est, quae Abarbenelis, vixisse Joelem eodem tempore cum Amoso, et paullo ante eum hanc edidisse prophetiam. Argumenta nostra sunt, 1) quod inter hostes Judaeorum *Aegyptii* et *Idumaei* tantum occurrunt, 4, 19., *Assyriorum* vero aut *Babyloniorum* nulla fit mentio. Locus enim 2, 20. aeque ac superiora ad *plagam locustarum* pertinet. 2) Quod eadem plane exprobret crimina *Tyriis*, *Sidoniis* et *Idumaeis* (qui captivos ex Judaea omnis sexus et aetatis multos abduxerant, inclementer habuerant et vendiderant exteris, et agros illorum invaserant atque occupaverant), quae Amosus; et simile iis denuntiet judicium 4, 2 — 7. coll. Amos 1, 9 — 11. 3) Quo tempore Joel concionatus est, sacra adhuc apud Judaeos suo stabant ordine, 2, 15. 16. 17. 4) Laetiora etiam tempora in *Judaea* cum omnium rerum ubertate pollicetur, 2, 18. 19. 5) Quam Joel praedicit *Judaeis* instantem calamitatem famis et sterilitatis, Amos demonstrat *Israelitas* modo pressisse et adhuc dum premere, 4, 6. 7. 6) Amos incipit suam prophetiam ea sententia 1, 2., qua suam fere claudit Joel 4, 16.: *Jova e Sione rugiet*, et quae sequuntur *)."

*) Ad eandem sententiam accedere D. H. C. DE COELLN, quippe qui in *Disserlat. exeget. critica de Joelis prophetae aetate*, Marburg. 1811. vatem hunc primis Usiae regis annis sua oracula edidisse probatum iverit, didici e BERTHOLDTII *Einleit. in die Schriften des A. u. N. T.* P. IV. p. 1604. Atque is quidem Vir Doctus Joelem vaticinia sua post sextum demum Hiskiae regis annum, abductis decem tribubus in exilium, arguere putat illud, quod 4, 2. (al. 3, 7.) *Israelitarum* inter gentes dispersorum fit mentio. Sed iis totum Hebraeum populum utriusque regni significari.

Prophetiae Joelicae argumentum proxime spectat ad calamitatem publicam, qua tum premebatur terra Judaica. Duplex illa erat, aquarum penuria, et locustarum pestis, quae per plures annos continuos, ut videtur, agros vastabant. Propheta communi dolore tactus hortatur populum, ut, conversis ad Deum animis, jejuniis, precibus et supplicationibus benignitatem ejus exorent, tum cessaturam calamitatem et placatum Numen nova felicitate et omnium rerum affluentia pristina mala compensaturum esse. Imo fore aliquando longe laetissimam aetatem, qua Deus eximia religionis cognitione et sensu imbuturus sit cultores suos, qui deletis hostibus sub ejus tutela perpetua felicitate fruituri sint. Hoc est simplex totius prophetiae argumentum, si demto poetico ornatu et imaginum varietate rerum summam teneamus. Verum Joel, ut est sublimis ingenii poeta, cui praeter Jesajam et Habacucum in omni vatum Hebraicorum numero vix invenias parem, miro ornatu et egregio artificio haec extulit. Incipit ab apostrophe, qua perterritos ac desolatos cives alloquitur, an quidpiam praesenti calamitati simile aut illi, aut majores illorum viderint? scisciians. Tum tristissimam terrae, solis aestu et locustarum turmis devastatae faciem coloribus vividissimis depingit. Omnia jacent desolata, exaruit vitis, arida est ficus, emortua palma, quid quod? omnes arbores campi, et gaudium quodvis de terra evanuit. Ipsa ferta et libamina, summo Jovae debita, jamjam desunt, illius ministri sordidati in

---

vix dubium est; vid. not. ad eum loc. Ad exilii Babylonici aetatem vatem nostrum referendum putat STEUDEL in *dem Archiv für Theologie und ihre neueste Literatur* a Bengelio edito P. II. p. 232. contendens, Chaldaeos 2, 20. *septentrionali* scil. hosti indicari, quo nos cum aliis interpretibus locustarum catervas, quae e plaga septentrionali venerint, intelligimus. Antiquissimum omnium, quorum scripta supersunt, prophetarum, quippe qui annos 870 — 65 ante Chr. nat., 70 — 80 ante reliquos prophetas vixerit, Ahasja, Athalja et Joaso regnantibus, ostendere studuit CAR. AUG. CREDNER, Theologus antea Jenensis, nunc Gissensis, in Prooemio ad suam hujus libri interpretationem (*der Prophet Joel, übersetzt und erklärt*, Halle, 1831.) p. 38. seqq.

saccis sedent, cives omnes vestitu lugubri incedunt, animalia anxie suspirant, et ipsa terra moesta luget. Pausa aliqua interjecta picturam suam elegiacam audaci allegoria continuat perficitque (2, 1—11.). Nova apostrophe convocari jubet universum populum ad supplicationem Jovae faciendam, imminere enim ingentem calamitatem, infestum locustarum innumerabilium agmen, quod omnia late vastaturum sit. Harum adventum imaginibus ab exercitu hostili ductis, qui aurora ocior supra montes se diffundat, inundet terram, expugnet urbes, conscendat muros, atque omnia quasi igne et flamma miscere perdat. Hinc (2, 12.) transit vates ad cives adhortandos, ut sincero errorum dolore atque serio virtutis studio Jovae iram placare studeant, spem faciens fore, ut Jova in populum suum semper benignus, in gratiam redeat, et eversas res larga manu reponat. Multum sibi placet in describenda futura illa, si ad frugem redierint, felicitate, quam suavissimis imaginibus et vario cum ornatu adumbrat. Quo vero numeris suis absoluta foret aureae felicitatis delineatio, restabat, ut omnes beatae gentis hostes, illatas injurias luentes graviter plecterentur ac penitus evanescerent. Vindictam igitur a Jova in populos Judaeis infensos exercendam illorumque cladem potior Capitis 4. pars imaginibus gravissimis et formidolosissimis depingit. Exstirpatis sic omnibus inimicis Israel summa tranquillitate et securitate, imo omnigena felicitate fruetur. In medio ejus ipse Altissimus thronum suum aeternum constituet, de quo illimis fons prorumpet, cujus aqua viva atque perennis deserta recreabit, et longe lateque ridentem florem ubertatemque diffundet (4, 18—20.).

J O E L.

CAP. I.

A r g u m e n t u m.

Praemissa inscriptione (Vs. 1.), et excitatis ad attentionem animis (Vs. 2. 3.), diram famem per siccitatem et perniciosum locustarum exercitum divinitus immittendam vaticinatur pluribusque describit Vs. 4 — 12., unde transit ad cives suos hortandos, ut poenitentia, jejunio, et seriis precibus avertere studerent mala, quae ipsis aut impendebant, aut jamjam eos invaserant, Vs. 13 — 20.

1. Inscriptio libri, qualis Hoseae aliorumque prophetarum vaticiniis praeposita. דְּבַר־יְהוָה *Verbum Jovae*, id est, ut Chaldaeus vertit, פִּתְגָם נְבוּאָה מִן קֳדָם יְיָ *verbum prophetiae a Jova.* אֲשֶׁר הָיָה אֶל־יוֹאֵל *Quod fuit*, directum erat, *ad Joel*, quod nomen vix dubium est contractum esse ex יְהוָה et אֵל, ut significet vel: *Jova* est *Deus*, cf. 1 Reg. 18, 39. infra 2, 27. al., vel: cui *Jova* est *Deus*, ut אֶלִיאֵל, 1 Chron. 6, 19. Patris prophetae nomen, פְּתוּאֵל, videtur *dilatationem Dei*, i. e. dilatationem familiae divinitus factae denotare.

2. שִׁמְעוּ זֹאת *Audite hoc!* quod dicturus sum. Apostrophe, sive excitatio ad attentionem, ut Hos. 5, 1. 4, 1. Amos 3, 1. Ps. 49, 2. Hieronymus: „Arte rhetorica ex rerum magnitudine attentum auditorem facit.“ הַזְּקֵנִים *Senes!* Vs. 14. 2, 16., qui aetatis beneficio plura viderant atque audiverant, cf. Job. 32, 7. Deut. 32, 7. וְהַאֲזִינוּ „Ubicunque,“ inquit Hieronymus, „haec duo verba, *audite* et *auribus percipite*, juncta ponuntur, non ad simplicem tantum verborum sonum, sed ad reconditum quoque dictorum intelligentiam pertinere, intelligendum est.“ Cf. Gen. 4, 23. Jes. 1, 2. כֹּל יוֹשְׁבֵי הָאָרֶץ *Omnes incolae terrae* Judaicae, Vs. 14. 2, 1. הֲנִהְיְתָה זֹּאת בִּימֵיכֶם *Num factum est hoc*, tale quicquam, *in diebus vestris?* וְאִם בִּימֵי אֲבֹתֵיכֶם *Imo num patrum vestrorum memoria* tale quid factum est? „Nulla haec,“ inquit, „aetas meminit, quae dicturus sum, nec vestro, nec patrum vestrorum atque majorum facta sunt tempore.“ Hieronymus.

3. עָלֶיהָ *De eo*, 1 Reg. 5, 13. לְבְנֵיכֶם סַפֵּרוּ *Filiis vestris narrate*, quasi dicat: tam ingens atque inauditum hoc est severitatis divinae documentum, ut dignum sit, de quo vos ac posteri vestri in omne aevum loquantur. Cf. Exod. 10, 2. Deut. 4, 9. 6, 7. Ps. 44, 2. וּבְנֵיכֶם לִבְנֵיהֶם וּבְנֵיהֶם לְדוֹר אַחֵר *Et filii vestri* narrent *filiis suis*, *et horum filii* referant *generationi posterae* s. sequenti, Ps. 109, 13. Cf. Ps. 102, 19. HIERONYMUS: „Patres autem avos atavosque cognosce, et filios filiorum, omnem deinceps sobolem, juxta illud Virgilianum [*Aeneid.* 3, 98.]: *Et nati natorum, et qui nascuntur ab illis.*“

4. „Exordium sequitur narratio: ibi ut attentum faceret auditorem, magna et incredibilia se dicturum esse promisit, quae nec vetus sciret historia, nec praesens aetas facta cognosceret.“ HIERONYMUS. יֶתֶר הַגָּזָם *Residuum* (Ezech. 34, 18.) *erucae*, i. e. id quod reliquit eruca ex plantis terrae, ut recte KIMCHI et R. TANCHUM a Pocockio allatus, explicant, non residuum ipsarum erucarum. אָכַל הָאַרְבֶּה *Comedit locusta.* Animalium noxiorum recensentur hoc Versu species quatuor, quarum alia alii succedit ita, ut posteriori cedat, quod a priore relictum est; donec quaecunque fructuum terrae erant absumta sint omnia. Quatuor nominibus גָּזָם, אַרְבֶּה, יֶלֶק et חָסִיל totidem diversas *locustarum* species significari, sententia est interpretum longe plerorumque, et ea quidem perquam verisimilis, quum Levit. 9, 22. legatur: הָאַרְבֶּה לְמִינוֹ *locusta secundum species suas.* Quod vero eo Levitici loco totius locustarum generis est nomen, nostro loco, uti et Ps. 78, 46. certam illarum speciem denotare, post Pocockium agnoverunt OEDMANN in variarum observationum res naturales, quarum in V. T. mentio fit, spectantium Sylloge *(Vermischte Sammlungen aus der Naturkunde zur Erklärung der heil. Schrift)* Fasc. II. Cap. 7. p. 91. 92. vers. german. et OL. G. TYCHSEN in Commentatione de locustis in V. T. memoratis, quae subjuncta est Ignatii de Assyo y del Rio libello de locustis, ex Hispanico a se germanice translato (Rostoch. 1787. 8.) p. 88. Indicari nomine אַרְבֶּה, ubi certae locustarum specici tribuitur, *gryllum gregarium* Forskalii, cui illud nominis sit inditum a רָבָה *multus fuit*, quod hujus speciei magna sit copia, et gregatim migrent, arbitrantur Oedmannus et Tychsen II. II. Quam infirmum vero sit hujusmodi e solo nominis etymo petitum argumentum, unusquisque intelliget ipse. Nec alia est trium reliquarum specierum, hoc Versu memoratarum, ratio, quae appellationes, quas gerunt, a diverso laedendi modo obtinuisse videntur, quae in eo tamen conveniunt, quod omnes damnum inferant, atque terrae proventus exedant atque consumant. Et גָּזָם quidem, et Amos 4, 9. obvium, a verbo גָּזַם, quod Talmudicis, Arabibus et Aethiopibus in usu est *abscindendi* et *amputandi* notione, locustis recte inditum est, quia praeacutis dentibus non

solum gramen et segetes, atque arborum folia, sed et cortices ipsosque arborum teneriores ramusculos ita erodunt, ac si amputarentur. Chaldaeus pro גָּזָם posuit זַחֲלָא *locusta repens*, seu ἄπτερος, i. e. bruchus, quo nomine significatur foetus, ex ovo locustae exclusus, antequam alas habeat. Ita quoque Syrus, qui ܡܫܘܛܐ habet; vid. Bocharti *Hieroz.* P. II. L. IV. C. I. T. III. p. 254. edit. Lips. et ibid. not. Recte vero גָּזָם a Chaldaeo et Syro *bruchum* redditum esse, verisimile est inde, quod hoc loco reliquis locustarum nominibus anteponitur, quasi illa species agros devastandi initium fecerit, quod optime brucho convenit. יֶלֶק, quae quod אַרְבֶּה fructuum reliquit, consumsisse dicitur, memorata quoque Nah. 3, 15. 16. Jer. 51, 14., ex plerorumque interpretum sententia proprie notat *linctorem* (verbo יָלַק adscripta notione cognati לָקַק *lingere*), quia, ut Kimchi loquitur, locusta herbas lambendo et lingendo devorat. Arabibus quoque, observante Bocharto (l. l. p. 258.), nomen لَحَسٌ *linctus*, de locusta dicitur, quae terrae proventum ut tinea lanam lingendo absumit. Alias multo incertiores conjecturas de illo nomine retulimus in not. 10. ad Bocharti l. l., coll. p. 272. Quarta locustarum species, חָסִיל, nominata quoque Jes. 33, 4., et inter locustas Aegyptias Ps. 78, 46., nomen nacta est a חָסַל *consumsit*, Deut. 28, 38, quod ipsum verbum Chaldaeus Nah. 3, 15. pro hebraeo אָכַל posuit. Notat igitur proprie *exesorem*. Cf. Bochartum l. l. p. 256. et not. nostr. 8. ibid. Has quatuor locustarum species Judaeam devastasse Hebraei putant quatuor annis continuis, ita ut גָּזָם primo anno, אַרְבֶּה secundo, יֶלֶק tertio, חָסִיל quarto anno saevierint. Cui opinioni recte opponit Bochartus (p. 290), si singulae species singulis annis designatae fuissent, non diceretur אַרְבֶּה comedisse residuum τοῦ גָּזָם, et יֶלֶק residuum τοῦ אַרְבֶּה, et חָסִיל residuum τοῦ יֶלֶק; neque enim hujus anni proventus sunt praecedentis reliquiae, nec quae futuro provenient in hujus anni reliquiis haberi possunt. „Itaque," addit Bochartus, „sive annotina fuerit haec locustarum plaga, aut, quod ex Joel 2, 25. videtur recte concludi, in plures annos propagata; non tamen singulas locustarum species singulis annis assignandas, sed omnes eodem anno in Judaeam puto ingruisse. Ita ut, uno agmine ex agro aliquo discedente alterum succederet, praecedentis reliquias, si quae essent, depasturum et consumturum: idque repetitum toties, ut nihil omnino, quo vel homines, vel bestiae vescerentur, in agro superesset." In novem aut decem nominum, quibus et a Joele, et ab aliis V. T. scriptoribus locustae appellantur, significationes erudite et subtiliter inquisivit Credner in Appendice ad suam hujus libri interpretationem p. 293. seqq. Iis tamen quae V. D. disputavit plura opposuit Hengstenberg *Christologie des alt. Testam.* P. III. p. 150. seqq., qui Joelem nonnisi de *una*

locustarum specie, quatuor, quibus locustae damnum inferunt designantibus nominibus poeticis, loqui contendit. Ceterum sintne quae de locustis hic et in iis quae sequuntur legimus, propric intelligenda, an vero allegorice locustarum imagine Judaeorum hostes describantur, gravis jam Hieronymi temporibus agitabatur quaestio. Et ipse quidem HIERONYMUS inter utramque sententiam ita fluctuat, ut ad posteriorem magis propendeat. Primo enim haec referri narrat ad quatuor imperia, quae singula temporis progressu in Judaeam irruerant. „*Erucam*," inquit, „quae Hebraice *Gazam*, Graece dicitur κάμπη, Hebraei Assyrios interpretantur, Babylonios atque Chaldaeos, qui de uno orbis climate procedentes, tam decem tribuum, quam duarum, hoc est, Israelitici populi, cuncta vastarunt. *Locustam* autem Medos interpretantur et Persas, qui, subverso imperio Chaldaeorum, Judaeos habuere captivos. *Bruchum* [יֶלֶק] Macedonas et omnes Alexandri successores, maximeque regem Antiochum cognomento Epiphanem, qui instar bruchi sedit in Judaea, et omnes priorum regum reliquias devoravit. *Rubiginem* [חָסִיל] referunt ad imperium Romanum, qui, quarti et ultimi, in tantum oppressere Judaeos, ut de suis finibus eos pellerent." Haec ille, tanquam ex mente Hebraeorum, qui tamen, ipso fatente, agnoscunt, etiam ad literam contigisse, quae de locustis hic habentur. „Judaei," inquit, „putant, in diebus Joel tam innumerabilem locustarum super Judaeam venisse multitudinem, ut cuncta complerent; et non dicam fruges, sed ne vinearum quidem et arborum cortices ramosque dimitterent." Sed hanc Judaeorum sententiam ita refellit: „Hoc utrum factum nec ne sit, liquido affirmare non possumus. Neque enim Regum et Paralipomenon narrat historia. Quod utique si fuisset, numquam Scriptura tacuisset. Tantum dicimus, quod sub metaphora locustarum hostium describatur adventus." Deinde, quasi inter utramque sententiam ambiguus, „Ni fallor," inquit, „videor mihi in hoc propheta aliquid reperisse. Narratur impietas hostium sub figura locustarum. Et rursus sic de ipsis locustis dicitur, quasi hostibus comparentur; ut, cum locustas legeris, hostes cogites; cum hostes cogitaveris, redeas ad locustas." Hieronymo assentitur CYRILLUS, qui per quatuor pestes hoc Versu indicatas, Salmanassarem, Nebucadnezarem, Antiochum et Romanos intelligit. Addit tamen: *Ἀληθὲς μὲν οὖν τὸ χρῆμα, κἂν εἰ ἐπὶ ἀκρίδος τυχὸν νοοῖτο, βροῦχου τε, καὶ κάμπης. Verum quidem hoc est, etiamsi de locusta, bruchoque, et eruca accipiatur.* THEODORETUS, postquam nonnullos tropice haec interpretari scripsit de quatuor Assyriae regibus, Tiglathpilassare, Salmanassare, Sennacheribo, et Nebucadnezare, *Ἐγὼ δὲ*, ait, *ἀληθῆ μὲν ἡγοῦμαι καὶ ταῦτα· ὑπολαμβάνω δὲ καὶ τὰ κατὰ τὸ ῥητὸν νοούμενα τῷ ὄντι γεγενῆσθαι. Ego vero vera quidem haec esse censeo; sed et quae ad literam intelliguntur, re vera contigisse arbitror.* Chaldaeus nostro loco literalem sensum

amplectitur, quaeque hic exstant locustarum nomina vocibus illis in sua lingua respondentibus reddit. Sed infra 2, 25., ubi eadem, quae hic, nomina repetita leguntur, in mysticum sensum delabitur, et pro quatuor locustarum speciebus ponit עַמִּים אוּמִּים וְלְשׁוֹנוֹת וּמַלְכוּתוֹת פּוֹרְעָנוּת *populos, nationes, linguas, imperatores atque regna vindictae*, id est, quibus Deus usus est ad rebellium in populo suo ultionem. Ex Hebraeis Jarchi, Aben-Esra et David Kimchi, celebriores suae gentis interpretes, proprie de *locustis* exponunt, quae fructus terrae absumebant, eoque causam praebebant ingentis famis, reique frumentariae inopiae, quae regioni incubuit. R. Tanchum non tantum quae hoc Versu exstant verba, sed et quae sequuntur Vs. 6. de locustis exponit, ita tamen, ut fateatur, non absurdum esse dicere, quaecunque memorantur de natura locustarum carumque actionibus, parabolice intelligenda esse de hostium irruptione, eorumque multitudine atque terrae devastatione. Idque ex aliis loquendi modis, quae sequuntur, conatur confirmare, praesertim ex illo terrore, quo afficiebantur intuitu harum locustarum. Nec non ex eo, quod nulla liberatio superfutura dicitur, nisi *in residuis, quos Jova vocaverit*, 3, 5., unde difficile sit creditu, tantam valuisse *locustarum* immissionem. Eo quoque tendere, quae adjunguntur de sumenda vindicta de hostibus 3, 7. Atque illis recentior Abarbenel, sibi minime persuadere posse dicens, de locustis sermonem esse, illarum sub imagine, plane ut Hebraei Hieronymo commemorati, quatuor regna Judaeis inimica, Babyloniorum, Persarum, Graecorum et Romanorum, describi existimat. Ex nostrae aetatis interpretibus Steudel et eo loco, quem supra (p. 174) laudavimus, et in Programm. in nostri vatis Cap. 3. infra recensendo (p. 13.) quae hoc Cap. de locustis legimus proprie intelligenda esse negat. „Si," inquit, „prophetae oracula inter se cohaerere sumserimus, vix, ut taceam alia argumenta, locustarum sese excipientium exercitus C. 1. 2. de quoquam alio quam de diversorum sibi subsequentium hostium copiis intelligemus, ex quibus unus, ut tum temporis quam maxime timendus *borealis* iste, scil. rex Assyriae nominatim refertur [2, 22.]." Sed *boreali* illo, הַצְּפוֹנִי, nihil obstare, quo minus locustas intelligamus, videbimus ad illum locum. Eorum interpretum sententia, qui hostilium populorum exercitus locustarum imagine describi existimant, defensorem nuper nacta est Hengstenbergium l. l. p. 154. seqq. Quum autem in tota hac descriptione nihil occurrat, quod non locustis optime conveniat, nos non dubitamus, illam plane suo ac simplici sensu accipere cum Bochartо in *Hieroz.* P. II. L. IV. Cap. 4. T. III. p. 292. ed. Lips., ubi Abarbenelem refutavit. Calamitatem vero terrae Judaicae a locustis illatam jam aliquamdiu durasse, non difficile colligitur et ex ipso nostro Versu, et ex eo quod infra 2, 25. legitur: *Et rependam vobis annos illos, quos absumsit locusta* etc. Et eandem, a qua

Judaei nondum immunes fuerunt, plagam diutius duraturam pronuntiat prophcta, si in peccatis essent perseveraturi.

5. Excitat vates popularium suorum animos, ut ea qua par erat attentione adverterent, quae huc usque passi crant, quodque ipsis jam erat immissum malorum, eum in finem factum putarent, ut, quam graviter Deum provocassent, sentirent, quantaque opus esset movendi eum sedulitate, ut quodcunque adversi immorigeris obvenisset, benigniter velit ire compensatum. הָקִיצוּ *Expergiscimini*, 2 Reg. 4, 31. Prov. 23, 35., quo loco idem verbum usurpatur de homine se ipsum ex mentis stupore excitante. LXX: ἐκνήψατε. שִׁכּוֹרִים *Ebrii*, quibus longa compotatio somnum solet conciliare; cf. Jes. 5, 11. 13. Verba quae his adduntur: וּבְכוּ וְהֵילִילוּ *ac flete et ejulate*, indicant malorum, quibus oppressi erant, gravitatem. כָּל־שֹׁתֵי יָיִן *Omnes vini potores;* cf. Jes. 24, 9. Amos 6, 6. עַל־עָסִיס *Super musto.* Nomine hebraeo, et infra 4, 18., nec non Jes. 49, 26. Amos 9, 13. et Cant. 8, 2. obvio, a verbo עָסַס *pressit*, *calcavit* (Mal. 4, 3.), derivato, significatur liquor, qui premendo et calcando ex uvis aut aliis fructibus exprimitur. Chaldaeus vertit *ob vinum merum*, et Syrus *ob vinum.* כִּי נִכְרַת מִפִּיכֶם *Quod excisum* et ablatum est mustum *ab ore vestro*, locustis omnes prorsus devastantibus uvas, ex quibus illud parabatur. Sic infra Vs. 9. הָכְרַת מִנְחָה *excisum est fertum*, et Vs. 16. אֹכֶל נִכְרָת *cibus excisus est*, nempe a locustis, quarum una species גָּזָם dicitur ab *excidendo*, vid. ad Vs. 4. Sed hic propheta utitur verbo כָּרַת, ut Nah. 3, 15: תַּכְרִיתֵךְ *exscindet te gladius, et absumet ut bruchus.*

6. Exponit calamitatem illam, qua vinum potoribus auferatur. כִּי־גוֹי עָלָה *Nam gens ascendit*, locustarum, Vs. 4. Nihil est, quod obvertit Abarbenel, de locustis non posse *gentis* nomen usurpari. Quum tamen non solum Paroemiastes Prov. 30, 25. 26. de *formicis* et *choerogryllis* eodem nomine usus sit, verum et poetis exteris hac metaphora nihil sit frequentius. Ita Homerus *Iliad.* 2, 87. Ἥν τε ἐθνεά εἰσι μελισσάων ἀδινάων, *ut sunt gentes apum frequentium.* Idemque eadem ἐθνῶν appellatione utitur de volucribus, muscis, muribus, aliisque animalibus. Locorum tam ex Homero, quam ex aliis poetis Graecis Romanisque magnam copiam attulit Bochartus *Hieroz.* P. II. L. IV. Cap. 4. T. II. p. 293. seqq. edit. Lips., idemque ex Arabum Philologis observat, Arabicum أُمَّة *gens*, de quorumcunque animalium multitudine dici. עַל־אַרְצִי *Super terram meam;* suffixum haud pauci hic ut Vs. 7. 4, 2. ad Jovam referunt, coll. Hos. 9, 3. (אֶרֶץ יְהוָה). Verum quum totus orationis contextus arguat, loqui vatem, ad hunc suffixum referendum esse, vix dubitari potest. *Suam* vocare recte potuit terram Judaicam, in qua natus erat, et cujus erat incola. עָצוּם Adeo *numerosa, copiosa*, 2, 2.

5. 12. Num. 32, 1. Jes. 60, 22. וְאֵין מִסְפָּר *Ut nullus* ejus sit *numerus.* Sic de Midianitis et Amalekitis dicitur Jud. 6, 5. *Venerunt ut locustae multitudine, et ipsorum atque camelorum suorum nullus erat numerus.* Cf. ibid. 7, 12. Jerem. 46, 23. *Numerosiores locustis, nec eis numerus.* שִׁנָּיו *Dentes ejus*, gentis locustarum. שִׁנֵּי אַרְיֵה Sunt *dentes leonis*, quod Joannes Apocal. 9, 8. vertit: ὀδόντες αὐτῶν ὡς λεόντων ἦσαν, *dentes earum*, locustarum, *ut leonum erant*, i. e. duri, validi, acuti. Plinius de locustis *Hist. Nat.* L. XI. c. 29. *Omnia morsu erodentes et fores quoque tectorum.* וּמְתַלְּעוֹת לָבִיא לוֹ *Et molares* (Prov. 30, 14.) *leaenae* (Jes. 5, 29.) *illi* sunt. Quae vis est stupenda prorsus in tam vili animalculo. Ut non immerito Hieronymus ad haec verba exclamet: „Quid *locustis* fortius, quibus humana industria resistere non potest?“ Et Cyrillus: Ἄμαχον τὸ χρῆμά ἐστι, καὶ ἀκαταγώνιστος κυμιδῆ τῶν τοιούτων ἡ ἔφοδος, ἱκανή τε ἄρδην ἀπολέσαι τὰ ἐν ἀγροῖς. *Res est insuperabilis, et prorsus inexpugnabilis est eorum impressio, et ad perdendas ruris opes plane sufficit.* Cf. quae ad Vs. 7. de locustis affercmus ex Ludolfo. Quod ab illis demorsum est Arabes, Bocharto observante, تَشَّر vocant, id est, *denticulatum in serrae modum.* Nam أَشَرَ est *serra secare.* Esse quandam inter maxillas locustarum acutas et denticulatas, atque leonum maxillas similitudinem, quam vates in hac comparatione respiciat, observat Justi ad h. l. ex Fabricii *Generibus insectorum* p. 96.

7. שָׂם גַּפְנִי לְשַׁמָּה *Posuit* gens illa locustarum (Vs. 6.) *vitem meam*, i. e. vites patriae meae (de suffixo vid. ad Vs. 6.) *in desolationem*, depopulata est vites hujus terrae; usque adeo exedendo atque arrodendo eas perdidit, ut amplius non sint proficuae. Cf. Vs. 12. Hos. 2, 14. Locustas vitibus perquam infestas esse, probavit Bochartus l. c. p. 295. Cf. *das alte u. neue Morgenl.* P. IV. p. 370. וְתְאֵנָתִי לְקַצָּפָה *Et ficum meam* posuit *ad s. in confractionem.* LXX: εἰς κλασμόν. Arabice قصف est *frangere nimio onere*, et قصيف *fractus arboris ramus.* Nam summos arborum ramos locustae depascuntur, vel nimio insidentium onere frangunt. Hieronymus: *ficum meum decorticavit.* Alii cum Aben-Esra: *in spumam*, i e. in rem nihili, coll. Hos. 10, 7. חָשׂף חֲשָׂפָהּ *Nudando nudavit*, i. e. penitus nudavit *eam*, Gen. 30, 37. Ps. 29, 9. Chaldaeus: מְקַלַּף קְלָפַת *decorticando decorticavit.* „Sed,“ inquit Bochartus l. l. p. 296., „ut *nudari* dicatur arbor, corticem adimi necesse non est. Sufficit enim, ut folia, et fructus, vel flores auferantur. Id Graece dixeris ψιλοῦν.“ וְהַשְׁלֵךְ *Et dejecit* in terram, Jerem. 9, 18. הַלְבִּינוּ *Albuerunt*, Jes. 1, 18, vel detracto cortice, vel cum ipse cortex putrescit. שָׂרִיגֶיהָ *Palmites ejus*, vitis. שָׂרִיגִים non arborum ramos, sed palmites notare, docet vocis usus Gen. 40,

10. 12. Cognatum Arabicum سَرْعٌ denotat *virgam*, i. e. palmitem *vitis*. Quae ceterum hisce duobus Versibus (6. 7.) de clade per locustas illata dicuntur, minime esse supra veritatem aucta, cognosci poterit ex iis, quae ex variis variorum itinerum commentariis ad Exod. 10, 13. 15. attulimus. Eorum summam hic dabimus LUDOLFI *Hist. Aethiop.* L. I. C. 13. §. 16. sqq. verbis: „Longe exitiosiores [serpentibus] sunt *locustae*, quae non deserta et arenosa loca quaerunt, ut serpentes; sed arboribus consita atque frugibus culta. Ineffabili multitudine instar densae nubis solem obumbrant; non herbae, non frutices, non arbores intactae manent: quidquid herbidum aut frondosum, arroditur, quasi igne tostum esset. Etiam cortices arborum dentibus mandunt; et sic non in unum tantum annum nocent. Sequuntur hominum pecudumque mortes et vastitas regionum per aliquot annos, quia tantae calamitati tolerandae neque foenum, neque frumentum, convehere aut coacervare solent.“ Quae plurium, qui istas oras adierunt, testimoniis confirmavit Ludolfus in *Commentario ad suam Histor. Aethiop.* p. 173. sqq. Adde OEDMANNI *Vermischte Sammlungen*, Fasc. 3. C. 10. p. 84. vers. teuton.

8. אֱלִי *Ejula*, congregatio Israelis! ut Chaldaeus supplet, s. בַּת צִיּוֹן *filia Zionis*. Quae exstant Vs. 5. verba sunt numeri pluralis, pariterque nomina, ad quae verba sunt referenda; sed hic verbum singularis numeri ac generis feminei, ejusdem rationis nomen requirit, quod quum non sit expressum, subaudiendum esse patet. Alii cum Aben-Esra subaudiunt אַדְמָה *regio*, alii נַפְשִׁי *anima mea*, alii בַּת־צִיּוֹן *filia Zion*, alii בְּתוּלַת בַּת־עַמִּי *virgo, filia populi mei*, coll. Jer. 14, 17. Thren. 1, 15. Simplicissimum, quod Chaldaeus posuit. אֱלִי ceterum est Imperativus femineus verbi אָלַל, hoc solo loco obvii, idem quod Aramaeum אֲלָא *luxit, plorávit*, vid. e. c. Chaldaeum 2 Sam. 3, 33. Convenit cum הֵילִילוּ supra Vs. 5. כִּבְתוּלָה חֲגֹרַת־שַׂק עַל־בַּעַל נְעוּרֶיהָ *Sicut virgo accincta sacco* s. *cilicio*, habitu lugubri (vid. Jes. 3, 24. 15, 3. 22, 12.), quae luget *super* mortuo vel erepto sibi *marito juventutis suae*, cui nuper desponsata fuit, quemque tenerrime adhuc diligit; cf. Jes. 54, 6. Prov. 2, 17.

9. הָכְרַת *Excisum est* a locustis, Vs. 5., et desiit, Num. 11, 33. CREDNER *siccitatis* descriptionem, quam alii interpretes demum infra Vss. 17. seqq. contineri statuunt, jam inde ab hoc Versu incipere censet. Attamen Versum 16. ad locustas referendum esse, ipse agnoscit. מִנְחָה *Fertum*, cujus praecipua pars erat simila, vid. Levit. 2, 1. seqq. 6, 14. Num. 15, 4. וְנֶסֶךְ *Et libamen*, quod fiebat ex vino, vid. Num. 15, 5. 7. 28, 7. 14. מִבֵּית יְהוָה *E domo Jovae*, i. e. templo, Vs. 14. 16., quod igitur adhuc exstitit, non vero, ut vult Abarbenel, excisum fuit. Cf. Proocmium. אָבְלוּ הַכֹּהֲנִים Unde *lugent sacerdotes*, Vs. 13.

מְשָׁרְתֵי יְהוָה *Ministri Jovae*, 2, 17. LXX: *Οἱ λειτουργοῦντες θυσιαστηρίῳ Κυρίου.* Nempe de frumento, vino et oleo primitiae Deo offerebantur et decimae, Num. 18, 8. 12. 20. Deut. 14, 23. 18, 3. 4.; sed et ferta ac libamina ex iisdem fiebant. Itaque quum illa deessent, a locustis absumta, ut Versu proximo dicitur, non erat, unde solitae fierent oblationes, de quo lugent sacerdotes.

10. שֻׁדַּד שָׂדֶה *Vastatus est ager*, in quo lacta fuerat seges, 2, 3., cf. Jer. 4, 20. אָבְלָה אֲדָמָה *Terra luget*, ut quaecunque desolata sunt et in deterius mutata, Jes. 24, 4. Hos. 4, 3. כִּי שֻׁדַּד דָּגָן *Nam vastatum est triticum*, a locustis absumtum. Cf. *das alte u. neue Morgenland* I. 1. p 371. seqq. הוֹבִישׁ *Erubuit* tanquam pudore adfectum, Vs. 12. 17. Jes 33, 9. Hos. 13, 15. תִּירוֹשׁ *Mustum*, quod hominum exspectationi respondere non possit. Ut Jes. 24, 7. אָבַל תִּירוֹשׁ *luget mustum.* אֻמְלַל יְצָהָר *Languet oleum*, 2, 19. Chaldaeus: *defluxerunt olivae.* Frumentum autem, mustum et oleum memorantur potissimum respectu ad templum habito, Vs. 9., quia ex illis primitiae, decimae ac ferta cum libaminibus danda erant.

11. Hinc spe sua destituti et הֹבִישׁוּ *pudore suffusi sunt*, Vs. 10. Jes. 30, 5. Ita in Praeterito hoc Verbum et quod proxime sequitur interpretum plures capiunt. Sed quum quae praecedunt strophae Vss. 5—7., Vss. 8—10., et quae sequuntur inde a Vs. 13 singulae evocatione incipiant; praestat et hic utrumque verbum cum Chaldaeo in Imperativo reddere: *erubescite*, אִכָּרִים *vos, o agricolae!* ob incassum deperditam operam vestram. הֵילִילוּ *Ejulate*, ut sequ. Vs. 13. כֹּרְמִים *Vinitores*, 2 Reg. 25, 12. עַל־חִטָּה וְעַל־שְׂעֹרָה *Propter triticum et propter hordeum.* Bochartus: „Ordo esset: *Erubescite, agricolae, propter triticum et hordeum; ejulate, vinitores*, quia *vitis erubuit* (Vs. 12.). Sed haec transponuntur per figuram, qualis χιασμός.“ כִּי אָבַד קְצִיר שָׂדֶה *Quoniam periit messis agri.* Neque enim, observante Bocharto ex Musseti *Theatro Insectorum*, morsu solum locustae segetibus, pascuis, hortis pomariisque nocent; sed stercore item nigro, viridi, mordaci, gravi; biliosaque inprimis atque aeri saliva, quam multam ex ore inter rodendum fundunt.

12. Vinitores vero (Vs. 11.) ejulabunt, quia חַגָּפֶן הוֹבִישָׁה *vitis* a locustis erosa (Vs. 7.) *erubescit*, succo suo et fructu spoliata, ut erubescere pudore homines solent, cum illis mali aliquid praeter opinionem accidit, vel cum spe sua, qua aluntur, excidunt. Alii cum LXX, Chaldaeo et Syro *exaruit* vertunt, coll. Jos. 2, 10. 4, 23. Sed iis locis verbum usurpatur transitive de Deo Jordanis aquas exsiccante. וְהַתְּאֵנָה *Et ficus*, Vs. 7. Hab. 3, 17. Vid. de hac arbore *Bibl. Naturgesch.* P. I. p. 285. אֻמְלָלָה *Languet*, Vs. 20. 1 Sam. 2, 5. רִמּוֹן *Malus punica*, cujus

ferax illa regio, Habac. 2, 19. Cf. libr. laud. p. 273. גַּם־תָּמָר *Etiam palma*, vegeta alioquin arbor, Ps. 92, 13. וְתַפּוּחַ *Et malus*, Cant. 2, 3. 8, 5. כָּל־עֲצֵי הַשָּׂדֶה *Imo omnes arbores agri*, Vs 19. Ezech. 17, 24. יָבְשׁוּ *Aruerunt*, propter detractum corticem, Vs. 7. Cf. Amos 1, 2. 4, 7. HIERONYMUS: „Quid loquar de frumento, vino, oleoque et hordeo, quum etiam arborum poma siccata sint, ficus elanguerint, et malogranatum et palma, et malum, et omnia ligna, vel infructuosa, vel fructifera, locusta vastante consumta sint.“ כִּי־הֹבִישׁ *Quia erubuit*, in pudorem versum et ablatum est, Vs. 10. 11. שָׂשׂוֹן *Gaudium*, quo homines adficiuntur in messe et vindemia, et quum arborum fructus colliguntur; cf Ps. 4, 8. Jes. 9, 3. מִן־בְּנֵי אָדָם *A filiis hominum* se avertens. Construetio praegnans quae dicitur, de qua vid. GESENIUS *Lehrgeb.* p. 157. Alii *gaudium* μετονυμικῶς positum volunt pro illis rebus, ex quibus gaudium capiebatur. Chaldaeus et Syrus: *desiit gaudium a filiis hominum.*

13. חִגְרוּ Quare *circumcingimini* saccis, s. habitu luctuoso, ut Vs. 8., et jam sequitur. וְסִפְדוּ *Et plangite*, Jerem. 4, 8. הַכֹּהֲנִים *Sacerdotes!* Vestrum enim est, exemplo ad poenitentiam ceteris praeire, in communi praesertim calamitate, Vs. 9. הֵילִילוּ *Ejulate*, Vs. 5. מְשָׁרְתֵי מִזְבֵּחַ *Ministri altaris.* Cf. 1 Cor. 9, 13: *Οὐκ οἴδατε ὅτι οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἐσθίουσιν; Οἱ τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντες τῷ θυσιαστηρίῳ συμμερίζονται;* בֹּאוּ *Ingredimini* templum. Id enim intelligendum esse et res ipsa, et altaris mentio arguit. לִינוּ בַשַּׂקִּים Et *pernoctate* etiam *in saccis*, 2 Reg. 19, 1. 2. Jon. 3, 8. Ne desinite lugere, et Jovam adire suppliees. מְשָׁרְתֵי אֱלֹהָי *Ministri Dei mei*, Vs. 9. 2, 17. כִּי־נִמְנַע *Nam prohibetur*, cessat, Job. 38, 15. Cf. Jer. 3, 3. 5, 25. Amos 4, 7. מִבֵּית אֱלֹהֵיכֶם מִנְחָה וָנֶסֶךְ *A domo Dei vestri fertum et libamen*, cf. not. ad Vs. 9.

14. קַדְּשׁוּ־צוֹם *Sanctificate jejunium*, sancte celebrandum indicite, 2, 15. 16. Mich. 3, 5. עֲצָרָה *Proclamate coetum* solennem, ad publicas preces in templo faciendas, quibus moveatur forsan Jova, ut calamitatem istam averteret. עֲצָרָה Chaldaeus כְּנִישָׁא, Jarchi אֲסִיפָה, Kimchi קָהָל interpretantur, quae voces omnes *congregationem* notant. Denominationis rationem in Lexico KIMCHI dicit hanc, *quia detinentur et morantur in eo loco, ubi una sunt congregati.* Symmachus quoque *σύνοδον*, et Aquila *ἡμέραν συλλογῆς* vertit. Alias ejus nominis interpretationes vid. ad Jes. 1, 13. אִסְפוּ זְקֵנִים *Congregate senes*, „quorum aetas vicina morti, maturaeque sententiae, magis timorem et cultum Dei suscipit,“ uti ait Hieronymus. Alii *senioribus* magistratus intelligunt. Alii vero latissime eam vocem accipiunt utraque significatione eum pro eis qui aetate profecti, tum pro illis, qui dignitate seniorum nomen adepti erant, quos utrosque ad poenitentiam agendam moneri quidam hic putant praecipue actate

quidem provectiores, eo quod magis Deum offendissent, illorumque reatus esset gravior; auctoritate vero eminentes, quod eorum exemplo alii ad peccata illecti essent. כֹּל יֹשְׁבֵי הָאָרֶץ Et vos, *omnes terrae* Judaicae *incolae;* cf. Esr. 10, 7. 9. Alii haec verba in Accusativo capiunt: congregate, vos seniores, *omnes terrae incolas*, בֵּית יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם *In domum Jovae, Dei vestri*, i. e. in templum, Vs. 13. Cf. Jes. 56, 7. 1 Reg. 8, 37. seqq. וְזַעֲקוּ אֶל־יְהוָה *Et clamate ad Jovam*, ardentissimas ad eum fundite preces. LXX addunt ἐκτενῶς, Luc. 22, 44. Syrus vero addit: *et dicite*, quasi in sequentibus praescriberetur a propheta, quid clamandum esset. Sed nihil obstat, quo minus Versu sequenti sub sua ipsius persona miseram impoenitentis populi conditionem lugeat.

15. אֲהָהּ לַיּוֹם *Ah diem!* i. e. o infaustum et tristissimum illum diem! de quo nimirum in antecedentibus dixerat. Vocem אֲהָהּ Kimchi recte ait esse exclamationem propter angorem et sollicitudinem, vid. 2 Reg. 3, 10. Ezech. 30, 2. כִּי קָרוֹב יוֹם יְהוָה *Nam propinquus est dies Domini*, quo nonnulli cum intelligunt diem, quo Jova se sisturus sit tanquam judex, ut in Judaeos animadvertat, locustarum agmine in eos immisso. Sed ex loco infra 3, 3. 4. (al. 2, 30. 31.) patet, *die Domini* intelligi diem multo graviorum malorum, quae huic terrarum orbi ruinam adferent, cujus praenuntia summa illa a locustis illata vastatio credebatur; cf. not. infra ad loc. laudat. Eodem sensu יוֹם לַיהוָה usurpatur Jes. 2, 12., ad quem loc. vid. not. וְכִשֹּׁד מִשַּׁדַּי יָבוֹא *Et sicut vastatio ab Omnipotente veniet*, ita ut nemo ei resistere possit. Particulam כ quidam redundare existimant. Sed minime carere illa videtur sua emphasi, quippe qua significetur, mala ventura fore plane insolita, et infligenda exspectatione citius a tanta potestate, cui resistere aut effugere nemini foret integrum. Ceterum in nominibus שֹׁד et שַׁדַּי observa elegantem Hebraeis paronomasiam, quae ipsa et Jes. 13, 6. exstat, ad quem locum cf. not.

16. Rationem addit, cur supremam orbis diem instare credat. הֲלֹא *Nonne* enim? Verba interrogandi forma prolata evidentius validiusque affirmant, et rerum dicendarum veritatem probant. נֶגֶד עֵינֵינוּ *Coram oculis nostris*, nobis cum maxima aegritudine spectantibus, ut Ps. 23, 5: נֶגֶד צֹרְרָי *spectantibus adversariis meis*. Hieronymus: „Ante oculos alimenta pereunt peccantium, quando jam speratae fruges e manibus auferuntur, et praevenit locusta messorem.“ אָכַל נִכְרַת *Cibus excisus est*, Vs. 9., i. e. fruges, quae alimenta nobis praebent, absumtae sunt a locustis. *Sufficiunt quippe*, inquit Plinius *Hist. Nat.* 11, 29., *locustis vires; et tanquam parum sit, maria transiisse, immensos tractus permeant, diraque messibus nube contegunt, multa contactu adurentes, omnia vero morsu erodentes, et fores quoque tectorum.* מִבֵּית אֱלֹהֵינוּ *E domo Dei nostri* scil. נִכְרַת ἀπὸ τοῦ

κοιτοῦ repetendum. Unde rursus apparet, agi de templo adhuc stante, non a Chaldaeis everso, uti vult Abarbenel. Cf. 2, 17. שִׂמְחָה וְגִיל *Gaudium et exaltatio*, ut Jes. 16, 10. נֶאֱסַף שִׂמְחָה וְגִיל *ablatum est gaudium et laetitia.* Intelligitur *gaudium*, quando sacrificiis eucharisticis et primitiis in templo oblatis hilares vescebantur, lege ita jubente Deut. 12, 6. 7. 16, 10. 11. 1 Paral. 29, 21. 22. Cessat autem hoc gaudium, cum desunt oblationes; eae autem deerant, quia locustae nihil intactum reliquerant. Cf. not. ad Vs. 9.

17. Hactenus hoc Capite de *locustis*; sequitur nunc conquestio de *siccitate*, locustas et antecedente, et comitante ac promovente, coll. infra 2, 3. et not. ad Vs. 19. עָבְשׁוּ *Computruerunt*, emortua s. *evanida perierunt*, propter immodicos aestus et siccitatem, Vs. 19. 20. Verbum עָבַשׁ hoc solo loco obvium quidam conferunt cum Arabico عَبِسَ *siccae evaserunt in manu sordes.* Rectius tamen illustrari videtur ex Chaldaico עָפַשׁ *mucescere*, *mucidum fieri*, *putrescere*, ut infra 2, 8. בָּצַע idem est quod פָּצַע. Chaldaeus interpres h. l. אִתְמְסִיאוּ *computruerunt* vertit, eodemque verbo Latino usus est Hieronymus. Alias et veterum et recentiorum interpretationes vid. in Bocharti *Hieroz.* P. II. L. IV. Cap. 4. T. III. p. 299. edit. Lips. et in nott. nostr. ibid. פְּרָדוֹת *Sparsa* grana, coll. Syriaco ܦܪܘܕ, quod in Peschito, i. e. versione Syriaca literali Marc. 13, 31. Joa. 12, 24. 1 Cor. 15, 37. de *granis frumenti* dicitur. תַּחַת מְגָרְפֹתֵיהֶם *Subter glebis suis.* מְגָרְפוֹת plerique recte *glebas* interpretantur, coll. Arabico جَرْف *gleba terrae*, *quam aqua convolvit et secum abducit* (cf. רֶגֶב Job. 21, 33.), unde pro quavis gleba usurpatum. Cf. quae de hac voce Arabica notavit Silv. de Sacy in *Chrestom. Arab.* P. II. p. 138. Radix גָּרַף Jud. 5, 21. obvia Arabibus significat *avehere*, et nomina inde deducta *fluxum aquae terram asportantem.* Alias nominis מְגָרְפוֹת interpretationes examinavimus ad Bocharti l. l. p. 301. not. 8. Corrumpitur autem semen sub glebis non solum cum nimii sunt imbres, sed etiam ex summa siccitate, qua, si proprie loqui velimus, semina non tam putrescere, quam *vanescere* dicuntur. Plinius *Hist. Nat.* 18, 24.: *Sationem locis humidis celerius fieri, ratio est, ne semen imbre putrescat; siccis serius, ut pluviae sequantur, ne diu jacens atque non concipiens evanescat.* Sic Hesiodus in *Scuto Herculis* Vs. 153. de cadaverum ossibus: Σειρίου ἀζαλέοιο κελαινῇ πύθεται αἴῃ, *sic arido Sirio in nigra putrescunt terra.* Quasi etiam siccitas sit causa putredinis. נָשַׁמּוּ *Vastata sunt*, Amos 7, 9. אוֹצָרוֹת *Horrea*, 2 Paral. 32, 27. נֶהֱרְסוּ *Destructa sunt*, corruerunt, Prov. 24, 31. מַמְגֻרוֹת *Loca in quibus granaria*, denominativum a מְגוּרָה *granarium*, Hag. 2, 19. a rad. גּוּר *congre-*

gari. Dagesch in מ secundo nostrae vocis est *euphonicum*, vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 87. Hieronymus: „Quia, si frumenta et vina non fuerint, frustra horrea et torcularia praeparantur.“ כִּי הוֹבִישׁ דָּגָן *Nam exaruit frumentum.* LXX: ὅτι ἐξηράνθη σῖτος. Alii: *pudefactum est triticum*, quod hominum exspectationi non responderet. Eadem ambiguitas supra Vs. 10., ad quem loc. vid. not. Cf. Amos 4, 7. 8. Hagg. 1, 11.

18. מַה־נֶּאֶנְחָה בְהֵמָה *Quam ingemiscunt* (cf. verbum Jes. 24, 7 Ezech. 21, 11.) *jumenta*, deficiente pabulo. נָבְכוּ *Perplexa sunt*, perturbata angore et moestitia, ut Esth. 3, 15. הָעִיר שׁוּשָׁן נָבוֹכָה *Urbs Susan perplexa erat.* Cf. Exod. 14, 3. עֲדָרֵי בָקָר *Armenta boum*, Gen. 29, 2. 3. כִּי אֵין מִרְעֶה לָהֶם *Nullum enim pascuum est eis*; cf. Gen. 47, 4. Jes. 15, 6. Ideo gemunt et muginnt; secus quam solent, quando necessaria non desunt. Job. 6, 5. *Numquid rugit onager ad herbam? Aut mugit apposita farragine bos?* גַּם־עֶדְרֵי הַצֹּאן *Etiam greges ovium* et caprarum, Cant. 1, 7. נָאְשְׁמוּ *Desolati sunt*, destructi sunt. LXX: ἠφανίσθησαν, Hieronymus: *disperierunt.* Verbum אָשַׁם Aben-Esra et Kimchi recte monent mutuari significationem a שָׁמַם, ut Hos. 14, 1. Jes. 24, 6. Alii retenta usitatiore verbi illius notione *deliquit*, *reus peractus fuit*, vertunt: *greges ovium culpae obnoxii facti sunt*, i. e. iis suppliciis, qualia possessores peccatis suis a Deo in se provocaverant; ob hominum reatum plectuntur, i. e. pereunt.

19. אֵלֶיךָ יְהוָה אֶקְרָא *Ad te, Jova, clamo*, tuam opem imploro. Sunt, qui hisce censeant continuari verba sacerdotum (Vs. 13.), quibus propheta velit, ut lamententur propter immissas plagas. Rectius vero alii haec pro verbis prophetae capiunt, quibus quid in tantis miseriis illis faciendum sit, suo exemplo declaret: nimirum preces et supplicationes fundendas esse ad Deum, ut misericordia motus removeat ea mala, quae denuo per partes exponit. כִּי־אֵשׁ *Nam ignis* solis, 2, 3., et immodicus aestus, cf. Amos. 7, 4. Jes. 9, 17. 18. אָכְלָה נְאוֹת מִדְבָּר *Consumsit pascua deserti*, Vs. 20. 2, 22. Ps. 23, 2. Hieronymus: „*Speciosa* autem *deserti*, quae Hebraice dicuntur *Naoth*, intelligamus aut plana camporum, aut pratorum florentia, aut virentia herbis loca, quae pascua praebuere jumentis.“ וְלֶהָבָה לִהֲטָה כָּל־עֲצֵי הַשָּׂדֶה *Et flamma adussit* (2, 3. Mal. 3, 19.) *omnes arbores campi*, s. regionis, ut Hieronymus vertit. Describitur summa siccitas, quae ipsa et causa fuit, cur locustae uberius provenirent. De iis enim ita Plinius *Hist. Nat.* 11, 29. *Vernis aquis intereunt ova, sicco vere major proventus.* Itaque, ut locustarum ova destruantur, docet Mussetus, Bocharto laudatus, in eorum loca derivari primo vere torrentes, qui totam terrae superficiem, aut maximam ejus partem abunde humectent. Siccitatem favere locustarum proventui, docet etiam multis

exemplis Ignatius de Asso in libro de locustis, p. 9. 15. vers. german.

20. גַּם־בַּהֲמוֹת שָׂדֶה Ipsae *etiam* ferae *bestiae agri*, 2, 22. Cf. Hos. 4, 3. תַּעֲרֹג אֵלֶיךָ *Clamant ad te*, inopia pressae vehementibus clamoribus pabulum poscunt. Verbum עָרַג, quod et hic et Psalm. 42, 2. recentiores fere *clamare* vertunt, propric videtur *auxilium circumspicere* indicare, collato Arabico عرج *ascendit*, in specie *circumspiciendi causa;* hinc in secunda Conj. cum على junctum *intentus fuit*. Vid. not. nostr. ad Bochartı *Hieroz.* T. II. p. 241. edit. Lips. LXX: ἀνέβλεψαν. Hieronymus: *suspexerunt*. Chaldaeus: מְסַבְּרָא קֳדָמָךְ *exspectant coram te*, i. e. in te sperant. כִּי יָבְשׁוּ *Quia aruerunt*, exsiccati sunt, Gen 8, 14. אֲפִיקֵי מָיִם *Alvei aquarum*, 4, 18. Ps. 42, 2., imo lacus magno aestu absumti dicuntur Amos 7, 4., ut etiam pisces interirent. Hos. 4, 3. וְאֵשׁ אָכְלָה נְאוֹת הַמִּדְבָּר Vid. Vs. 19. et Jerem. 23, 10.

CAP. II.

A r g u m e n t u m.

Post iteratam cladis a locustis illatae descriptionem (Vs. 1 — 11.), populares suos vates denuo adhortatur ad poenitentiam et preces (Vs. 12 — 17.), quibus Jovam benigne aures praebiturum promittit (Vs. 18 — 20.), ita ut accepta detrimenta abunde sint refarcienda (Vs. 21. seqq.).

1. Inducitur Deus, jubens, ut signo tuba dato universus populus ad attentionem et poenitentiam excitetur. תִּקְעוּ שׁוֹפָר *Clangite buccina* ad convocandum populum, Num. 10, 2. seqq. בְּצִיּוֹן *In Sione*, quem statim הַר קָדְשִׁי *montem suum sanctum* appellat (cf. Ps. 2, 6.), qui quum esset congregationis solennis Israelitarum locus, declarat, quanti momenti res sit, ut ad unum omnes ejus sint conscii et admoneantur. וְהָרִיעוּ *Et sonum edite*, signum tubae sono date, Hos. 5, 8. יִרְגְּזוּ *Contremiscant*, commoveantur, Ps. 4, 5. כֹּל יֹשְׁבֵי הָאָרֶץ *Omnes incolae terrae* Judaicae, 1, 2. Cf. Amos 3, 6. *An buccina clanget, quin populus trepide accurrerit?* quo audito communiter de quodam ingenti malo imminenti admonebantur. כִּי־בָא יוֹם־יְהוָה *Nam venit dies Jovae*, Vs. 11., dies ultionis et vindictae, de quo 1, 15. כִּי קָרוֹב *Nam propinquus est*, quod addit ad peccatores admonendos, ut, si velint se securos reddere ab imminenti periculo, sine mora ad frugem redeant atque ad preces confugiant.

2. Exponit jam, quae diem illum terribilem appropinquare arguant, eumque appetentem annuntient; innumeras locustarum

greges, quae terras late vastant. Ex Nostro sumtum, quod Joannes inter calamitatem supremam orbis diem praegressurus et horrenda locustarum agmina recenset, Apocal. 9, 3. seqq. יוֹם חֹשֶׁךְ *Dies tenebrarum* ingruit. Ut *lux* res secundas, ita *tenebrae* adversas notant; vid. Amos 5, 18. Esth. 8, 16. Sunt, qui *tenebrarum* mentionem hic non figurate, sed proprie capiendam censeant, quum in descriptione locustarum plagae Aegypto immissae, ingens illarum multitudo *terram obscurasse* dicatur (וַתַּחְשֹׁךְ הָאָרֶץ) Exod. 10, 15. De illis Plinius quoque *Hist. Nat.* 11, 29. *Solem obumbrant, sollicitis suspectantibus populis, ne suas operiant terras.* וַאֲפֵלָה *Et caliginis*, Jes. 8, 22. Zephan. 1, 15. יוֹם עָנָן וַעֲרָפֶל *Dies nubium* (Ezech. 30, 3.) *et obscuritatis*, 2 Sam. 22, 10. Jerem. 13, 16. SHAW, Anglus, praestantissimis Itinerum Commentariis celebris, de locustarum agminibus, quae dum ipse istis in oris versaretur, terras populabantur, haud multo aliter quam vates noster p. 331. vers. gall. *Vers le milieu d'Avril elles s'étoient si prodigieüsement augmentées, qu'au plus fort du jour elles formoient des espèces de nuées, qui obscurissoient le soleil.* כְּשַׁחַר פָּרֵשׂ עַל־הֶהָרִים *Sicut aurora* (Jes. 58, 8.), quae *sese expandit* (Hos. 5, 1. Ps. 105, 39. Job. 36, 30.) *super montes*, in quibus lux primum apparet. Significatur fore, ut hoc malum et late et cito diffundatur. Utrumque enim est aurorae proprium, cujus lumen ubique spargitur puncto temporis. Cf. Jes. 58, 8. Ps. 139, 9. Alii hoc referunt ad flavescentem splendorem, qui appropinquantibus locustarum agminibus in coelo apparet; vid. *das a. u. n. Morgenl.* P. IV. p. 374. עַם רַב וְעָצוּם *Populus multus et numerosus*, s. validus, Vs. 5. 11., ut supra 1, 6. locustas vocavit *gentem validam et innumerabilem.* Sic etiam Prov. 30, 25. 26. כָּמֹהוּ לֹא נִהְיָה *Qualis*, vel: *cui similis* antea *non fuit* in Palaestina. Cf. Exod. 9, 18. 10, 14., et not. supra ad 1, 2. מִן־הָעוֹלָם *Ab aeternitate*, i. e. inde ab antiquissimis temporibus; vid. de hoc vocis עוֹלָם usu not. ad Ps. 139, 24., et cf. Ps. 143, 3. Jes. 44, 7. 46, 9. Ezech. 26, 20. וְאַחֲרָיו לֹא יוֹסֵף *Et post eum non addet* scil. esse, vel fieri, i. e. nec iterum erit. Cf. Nah. 2, 1. עַד־שְׁנֵי דוֹר וָדוֹר *Ad annos cujuscunque aetatis* futurae, ut Deut. 32, 7.

3. לְפָנָיו *Ante eum*, venturum locustarum populum, s. *ante adventum ejus*; ita de tempore haec vox usurpatur quoque Amos 1, 1. Habac. 3, 5. אֹכְלָה אֵשׁ Omnia ferme jam *consumsit ignis*, summa siccitas, 1, 19. וְאַחֲרָיו *Et post eum*, post discessum ejus, ut Zachar. 7, 14. תְּלַהֵט לֶהָבָה *Flamma exuret* reliqua, 1, 19. Haec OEDMANN (Fasc. 6. Cap. 8. p. 77.) eo refert, quod loca a locustis vastata vere tanquam igne adusta apparent, referente MARITI in *Itineris per Cyprum insulam facti Commentariis* P. I. p. 258., quum locustae non segetes tantum et gramina, sed radices etiam consumant. כְּגַן־עֵדֶן *Sicut hortus Edenis.*

LXX: ὡς παράδεισος τρυφῆς, cf. Gen. 2, 8. הָאָרֶץ לְפָנָיו *Terra* fuit *ante eum*, locustarum adventum et siccitatem. Terra Canaan cum amoenissimo horto, primorum hominum sede, confertur, ut Aegyptus et Sodomorum ager ante cladem a Deo immissam Gen. 13, 10. Cf. Ezech. 36, 35. וְאַחֲרָיו *Sed post discessum ejus.* מִדְבַּר שְׁמָמָה *Desertum vastitatis*, i. e. vastum, incultum et horrendum desertum; ut 4, 19. וְגַם־פְּלֵיטָה לֹא־הָיְתָה לוֹ *Et etiam evasio* (3, 5.) *non est ei*, locustarum agmini. Omnia ita absumunt, ut de terrae proventu nihil residuum maneat.

4. כְּמַרְאֵה סוּסִים *Qualis adspectus equorum*, cf. Ezech. 1, 26. מַרְאֵהוּ *Adspectus ejus*, agminis locustarum, ut Apoc. 9, 7. *Καὶ τὰ ὁμοιώματα τῶν ἀκρίδων ὅμοια ἵπποις ἡτοιμασμένοις εἰς πόλεμον.* Hanc locustarum cum equis comparationem Hebraei referunt ad cursus aut volatus velocitatem, qua sint equis prope pares; sed Bochartus *Hieroz.* T. III. p. 307. recte observat, spectari ea comparatione insuper ad caput aut faciem, equinae non absimilem, a qua locustae ab Italis vocantur *cavallette.* Theodoretus ad h. l.: *Εἴ τις ἀκριβῶς κατίδοι τὴν κεφαλὴν τῆς ἀκρίδος, σφόδρα τῇ τοῦ ἵππου ἐοικυῖαν εὑρήσει. Locustae caput si quis attente consideret, id equi capiti reperiet valde simile.* Similia ex Arabicis scriptoribus profert Bochartus l. c. Cf. Niebuhrii *Descript. Arab.* p. 173. et *das a. u. n. Morgenl.* P. IV. p. 375. וְכַפָּרָשִׁים כֵּן יְרוּצוּן *Et sicut equites currunt*, Vs. 9. Hieronymus: „Non, quod Babylonii equitibus comparentur, sed quod locustae per translationem hostium quasi equites dicantur huc illucque discurrere.“

5. כְּקוֹל מַרְכָּבוֹת *Tanquam strepitus curruum*, „sic erit sonitus locustarum,“ recte addit Hieronymus. Apocal. 9, 9. *Καὶ ἡ φωνὴ τῶν πτερύγων αὐτῶν ὡς φωνὴ ἁρμάτων. Transeuntes grylli super verticem nostrum sono magnae catarrhactae fervebant*, ait Forskal in *Descript. Animall. quae in itinere Orientali observavit*, p. 81. עַל־רָאשֵׁי הָהָרִים *Super cacumina* etiam *montium*, Ezech. 6, 13. יְרַקְּדוּן *Saliunt*, Jes. 13, 21. Nah. 3, 2. כְּקוֹל לַהַב אֵשׁ *Tanquam strepitus flammae ignis*, Jes. 29, 6. אֻכְלָה קַשׁ *Stipulam consumentis*, ut Cohel. 7, 6. *Sicut strepitus spinarum* accensarum et conflagrantium *sub olla.* „Hoc quoque,“ inquit Bochartus, „locustis prorsus convenit, quae magno strepitu volant, et in agros decidunt, et segetes dentibus commolunt.“ Plinius *Hist. Nat.* 11, 29. *Tanto volant pennarum stridore, ut aliae alites credantur.* Cyrillus ad h. l.: *Eas non citra strepitum in agros decidere ajunt. Sed et tenuem quendam sonum dentibus edere, dum prostratos fruges mandendo comminuunt, tanquam venti flammam agitantis.* כַּעַם עָצוּם Vs. 2. 11. „Notandum,“ inquit Bochartus, „hunc qualemcunque exercitum non jam dici *populum*, sed *ut populum.* Itaque cum *gentem* et *populum* supra Vs. 2. vocavit, loquebatur metaphorice, *populum*

vocans eas copias, quae revera populus non sunt, sed *ut populus* ad pugnam instructus. Quale est, quod easdem addit Vs. 7. *currere sicut strenuos milites*, atque *ut viros bellatores murum conscendere:* ne quis hic veros milites et bellatores sibi fingeret. Sed utut milites non sint, merito tamen cum iis conferuntur, cum ratione numeri et virium, tum ratione ordinis, quem in volatu et in incessu servant.“ עֲרוּךְ מִלְחָמָה *Instructus* s. *paratus* (Jerem. 6, 23.) *ad pugnam.* Cf. Apocal. 9, 9. *Καὶ εἶχον θώρακας ὡς θώρακας σιδηροῦς.*

6. מִפָּנָיו יָחִילוּ עַמִּים *A conspectu ejus contremiscunt* (ita חוּל Jerem. 51, 29. Ps. 114, 7.) *populi. Sollicite suspectantibus populis, ne suas operiant terras*, ut loquitur Plinius 11, 29. כָּל־פָּנִים קִבְּצוּ פָּארוּר *Omnes facies contrahunt pallorem.* פָּארוּר plerique idem esse putant cum פָּרוּר, Num. 11, 8., *olla, cacabus*, cujus nigrori conferri existimant luridum colorem, quo vultus magno metu correpti afficitur. Sic LXX: *πᾶν πρόσωπον ὡς πρόσκαυμα χύτρας.* Hieronymus: *omnes vultus redigentur in ollam.* Chaldaeus: *omnes facies coopertae sunt*, ut sint *atri instar ollae.* Syrus: *omnis facies erat nigra sicut nigredo ollae.* Alii vero melius cum Aben-Esra פָּארוּר ad פְּאֵר *elegantia, nitor* referunt, vertuntque: *omnes facies contraxerunt* in se, i. e. retraxerunt, removerunt *pulchritudinem*, collato כּוֹכָבִים אָסְפוּ נִגְהָם infra Vs. 10. 4, 15. Ita et Abu-Walid et R. Tanchum: *collegerunt pulchritudinem suam et contraxerunt eam.* Legitur haec ipsa nostra phrasis et Nah. 2, 11., ad quem locum Hieronymus: „Prae magnitudine metus facies in ollarum similitudine videntur exustae, tabidae, et pallore deformes.“ N. G. Schroederus (laudatus Everardo Kreenen in Notis ad Nahumum) nomen פָּארוּר derivatum existimans a specie Pihlel verbi פָּאַר (quasi pro פַּאֲרוּר) *micare*, exponit *colorem flammeum*, qui sit pallor luridus et intensior, qualem homines saepe contrahunt vel ex morbo diurno, vel ex consternatione subita, prout Jesajas 13, 8. iis, qui vehementer consternati sunt, *facies* tribuit *flammarum*, id est, referentes flammeum colorem.

7. כְּגִבּוֹרִים יְרוּצוּן *Sicut strenui* milites *currunt*, non fatigantur, cf. Ps. 19, 6. כְּאַנְשֵׁי מִלְחָמָה *Ut viri bellatores*, Num. 31, 28. Hieronymus: „haud dubium, quin *locustae.*“ יַעֲלוּ חוֹמָה *Ascendunt murum*, „ut murorum sublimitas impetum fortium prohibere non valeat, et nequaquam per portas, sed per muros ingrediantur,“ ait Hieronymus. Horti sepimentis circumdati aeque locustarum vastationi sunt subjecti, quam campi patentes. Cf. Vs. 9. וְאִישׁ *Quisque enim*, ut Ezech. 1, 9. 7, 16. 9, 1. בִּדְרָכָיו יֵלֵכוּן *In viis suis*, s. *per vias suas incedunt*, non est, quod eorum cursum vel impediat, vel immutet. וְלֹא יְעַבְּטוּן אֹרְחוֹתָם *Nec pervertunt semitas suas;* ita recentiorum plerique vertunt, verbo עָבַט collato cum cognato עָבַת *intorquere, per-*

vertere, Mich. 7, 3. Tam firmo ordine, quasi ad aciem instructi, procedunt per viam suam, ut peracto itinere nullus eam aliquo modo pervertisse dici possit. LXX: *καὶ οὐ μὴ ἐκκλίνωσι τὰς τρίβους αὐτῶν.* Hieronymus: *non declinabunt a semitis suis*, et eodem plane modo Syrus. Sed Chaldaeus: *nec morantur vias suas*, vel, *moram faciunt in viis suis.* Quam *morandi, tardandi* significationem verbo Hebraeo vindicare student ex notione vocis עֲבוֹט *pignus*, quia quod pignori datum, vel in depositum traditum est, inhibetur et retinctur, donec pretium, quo oppigneratum est, solutum sit. Verbum עָבַט in Cal denotat *mutuum accipere*, et in Hiphil *mutuo dare*, Deut. 15, 6. 8. 24, 10. Unde fortassis verti possit: *neque permutant semitas suas*, instar ordinatissimi militis procedunt, non evagantur extra ordines. Quod quam apte de locustis dictum sit, HIERONYMUS, testis *αὐτόπτης*, edisserit, ita scribens in Commentario ad h. l.: „Hoc nuper in hac provincia (Palaestinae) vidimus. Cum enim locustarum agmina venirent, et acrem, qui inter coelum et terram est, occuparent, tanto ordine ex dispositione jubentis Dei volitant, ut instar tesserularum, quae in pavimentis artificis figuntur manu, suum locum teneant, et ne puncto quidem, ut ita dicam, ungueve transverso, declinent ad alteram.“

8. וְאִישׁ אָחִיו *Et vir fratrem suum*, i. e. alter alterum, Gen. 37, 19. Exod. 10, 13. לֹא יִדְחָקוּן *Non premunt*, s. premendo repellunt; cf. verbum Jud. 2, 18. LXX: *ἕκαστος ἀπὸ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ οὐκ ἀφέξεται*, quod Arabicus interpres sic expressit: *et quisque eorum non fugiet a fratre suo*, i. e. non separabunt se unus ab altero. גֶּבֶר Sed *vir*, i. e. quisque, singuli, Thren. 3, 39. Proprie de hominibus dicitur, hic vero de locustis, quia easdem cum viris et strenuis militibus comparavit Vs. 5. et 7. בִּמְסִלָּתוֹ יֵלֵכוּן *In calle* s. *tramite suo* (1 Sam. 6, 12. Jes. 59, 7.) *incedunt.* Laudatur ordo in locustis et Prov. 30, 27., ut merito eas *exercitum suum magnum* vocet Deus infra Vs. 25. וּבְעַד הַשֶּׁלַח יִפֹּלוּ *Etiam inter tela ruunt.* שֶׁלַח, *missile*, hic collective sunt *tela*, ut 2 Paral. 32, 5. Job. 33, 18. לֹא יִבָּצֵעוּ *Non sauciant* tela illas. בָּצַע h. l. idem est quod יִפָּצֵעוּ, 1 Reg. 20, 37., quemadmodum פָּכָה et פָּכַח, Ezech. 47, 2., et עָבַשׁ supra 1, 17. significationibus conveniunt. Significat vates, esse locustas molestiores et graviores quam hostes ex hominibus, quia nec gladii nec clausae portae eas arcent. „Reliqua animalia,“ uti BOCHARTUS ait, „viso homine fugiunt; sed haec hominem ultro impetunt. Proinde cum nubes locustarum ingruit, omnes in aedibus latent, ne, si prodeant, eas provocent.“ Sunt, qui retenta verbi בָּצַע notione usitata, *resecuit*, verba לֹא יִבָּצֵעוּ vertant: *non abscindunt*, abrumpunt, scil. cursum suum.

9. בָּעִיר יָשֹׁקּוּ *Per urbem gradiuntur*, Jes. 33, 4. Nah. 2, 7. בַּחוֹמָה יָרֻצוּן *In muro discurrunt*, Vs. 4. 7. בַּבָּתִּים יַעֲלוּ *In*

domos ascendunt, ut Pharaoni etiam praedixit Moses, Exod. 10, 6. בְּעַד הַחַלּוֹנִים *Per* ipsas etiam *fenestras*, Jer. 9, 20. יָבֹאוּ כַּגַּנֵּב *Ingrediuntur tanquam fur*, cf. Matth. 24, 43. Joh. 10, 1. „Nihil enim," inquit HIERONYMUS, „locustis invium est, quum et agros, et sata, et arbores, et urbes, et domos, et cubiculorum secreta penetrent." Theodoretus: *Non solum enim volando, sed et ad muros irrependo per fenestras in domos penetrant.*

10. לְפָנָיו רָגְזָה אֶרֶץ רָעֲשׁוּ שָׁמָיִם *Coram eo*, locustarum agmine, *contremiscit terra, et coeli moventur.* HIERONYMUS: „Non quod locustarum tanta vis sit, ut possint movere coelos, et terram concutere; sed quod adversa patientibus prae terroris magnitudine *coelum ruere* et *terra fluctuare* videatur." שֶׁמֶשׁ וְיָרֵחַ קָדָרוּ *Sol et luna obscurantur.* Similis, sed ex alia causa, vid. Jerem. 4, 28. Ezech. 32, 7. Mich. 3, 6. Jes. 50, 3. וְכוֹכָבִים אָסְפוּ *Et stellae retrahunt*, ut 1 Sam. 14, 19.: אֱסֹף יָדֶךָ *collige*, retrahe, *manum tuam.* Vel: *auferunt* hominibus, cf. 4, 15. Gen. 30, 23. Ps. 85, 4. נָגְהָם *Splendorem suum*, Prov. 4, 18. HIERONYMUS: „Prae multitudine locustarum, obtegentium coelum, sol et luna convertentur in tenebras, et stellae retrahent lumen suum; dum lumen posita in medio nubes locustarum ad terram non sinit pervenire." Plinius quoque 11, 29. *locustas solem obumbrare* scribit. Et ELMACINUS *Hist. Saracen.* p. 98. refert, anno Hegirae 317. tantam in Aegypto locustarum multitudinem fuisse, ut impediret radios solis, ne terram attingerent. Plura vid. apud Bochartum T. III. p. 314.

11. וַיהוָה נָתַן קוֹלוֹ *Jova enim*, velut imperator, *dedit*, edidit, *vocem suam*, 4, 16. Ps. 18, 14. לִפְנֵי חֵילוֹ *Ante exercitum suum*, locustarum a se immissarum, Vs. 25., cf. not. ad Vs. 8. כִּי רַב מְאֹד מַחֲנֵהוּ Quem recte sic dico, *nam magna valde* sunt *castra ejus*, cf. Vs. 2. כִּי עָצוּם עֹשֶׂה דְבָרוֹ *Nam fortis* est *qui exsequitur verbum suum*, jussa sua (cf. Ps. 103, 20. 148, 8.), i. e. qui mandati sui exsequendi eos dedit ministros, atque hoc onus illis imposuit, is etiam instruit eos virtute ac fortitudine, ut nihil tam firmum sit, quod eos vel cohibeat, vel remoretur in mandatis ejus obeundis. כִּי־גָדוֹל יוֹם־יְהוָה *Nam magnus*, gravis (cf. Hos. 2, 2.) erit *dies Domini* (1, 15. Zeph. 1, 14. Mal. 3, 23.), qua summus judex terras inviset, ut hominum crimina ulciscatur, cujus appropinquantis diei praecursores sunt horrenda illa locustarum agmina, atque extrema siccitas. cf. not. ad Vs. 1. וּמִי יְכִילֶנּוּ *Et quis sustinebit eum?* Mal. 3, 1.

12. Minas excipiunt iteratae hortationes ad poenitentiam. וְגַם־עַתָּה *Attamen etiam nunc*, q. d. si vel nunc saltem, post tot irritas admonitiones, resipueritis, extremam perniciem evadendi aliqua spes erit. Cf. Jerem. 18, 7. 8. נְאֻם יְהוָה *Dictum Jovae*, cf. ad Hos. 11, 11. שֻׁבוּ עָדַי *Convertimini ad me*, לִפְלָחֲנִי

ad cultum meum, ut Chaldaeus recte. Vid. Hos. 14, 1. et cf. Zach. 1, 4. בְּכָל־לְבַבְכֶם *Toto corde vestro*, Deut. 6, 5. 1 Sam. 7, 3., i. e. serio ac bona fide. Cf. Jer. 3, 10. וּבְצוֹם וּבִבְכִי *Et cum jejunio et fletu*, 1, 14. Jer. 31, 9. וּבְמִסְפֵּד *Et cum planctu* ad contestandum dolorem ex peccatis conceptum. HIERONYMUS: „Sensus est: omnia, quae sermone praeterito continentur, propterea sum loquutus, ut vos comminatione mea terrerem. Unde *convertimini ad me in toto corde vestro*, et animi poenitentiam *jejunio, et fletu et planctibus* indicate; ut nunc jejunantes postea saturemini, nunc flentes postea rideatis, nunc plangentes consolemini." Ad hunc locum respici nonnulli existimant Jes. 22, 12., ubi Jova dicitur Judaeos vocasse *ad fletum et planctum* (לִבְכִי וְלִמְסִפֵּד). Ita VITRINGA in *Typo Doctrin. Prophet.* p. 36. „Jesajam," inquit, „hanc vidisse prophetiam, ex collatione utriusque prudentibus liquebit. Nec obstat, plagae a Joele denunciatae [descriptae] in historia illius temporis nullam exstare memoriam, magis, quam quod *ingens* quoque *terrae motus* sub Usia in eadem sit praetermissus, cujus tamen liquidissima mentio Amos 1, 1. Zach. 14, 5."

13. וְקִרְעוּ לְבַבְכֶם *Et scindite*, s. *lacerate cor vestrum*, i. e. acerbissimo ob commissa peccata dolore concepto ex corde vestro vitia omnia abrumpite. Chaldaeus: *et auferte impietatem cordis vestri.* Cf. Deut. 10, 16. Ps. 51, 19. Rom. 2, 28. 29. וְאַל־בִּגְדֵיכֶם *Nec vestimenta vestra*, ut alioquin in magnis malis et in luctu faciebant, vid. e. c. Jos. 7, 6. KIMCHI: „Si lacera veritis cor vestrum, et ab eo malam omnem cogitationem abstuleritis, non necesse habebitis scindere vestes vestras, ut fieri solet tempore afflictionis et angustiae." וְשׁוּבוּ אֶל־יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם *Et redeatis ad Jovam, Deum vestrum.* Jer. 4, 1. Hos. 14, 2. 3. Zach. 1, 3. Mal. 3, 7. כִּי־חַנּוּן וְרַחוּם הוּא *Quia benignus et misericors est*, Exod. 34, 6. Jon. 4, 2. Ps. 103, 8. 145, 8. HIERONYMUS: „Quia magna peccata magna delebit misericordia." אֶרֶךְ אַפַּיִם *Tardus ad iram*, Num. 14, 18. Nah. 1, 3. Chaldaeus: *differt iram.* וְרַב־חֶסֶד *Et multus*, abundans, *probitate*, clementia, Ps. 86, 5. Chaldaeus: *et multiplicat beneficia et veritatem.* וְנִחָם עַל־הָרָעָה *Quemque poenitet mali*, quod comminatus est, idque si peccator serio resipiscat. Exod. 32, 14. 2 Sam. 24, 16. Jerem. 18, 8. Jon. 4, 2. *Malum* intelligendum de calamitate in poenam immissa, ut Amos 3, 6. Chaldaeus: *et revocat verbum suum ab inducendo malum.* HIERONYMUS: „Ut si nos egerimus super peccatis poenitentiam, et ipsum poeniteat comminationis suae, et mala, quae comminatus est nobis, non inferat, nostracque mutatione sententiae et ipse mutetur."

14. מִי יוֹדֵעַ *Quis scit?* Est bene sperantis in re difficili, ut Jon. 3, 9., ubi rex Ninives ad resipiscentiam excitasse legitur populum his verbis: *Quis scit, an reversurus sit, et poeniteat*

Deum, ut reverso eo ab aestu irae suae non pereamus? Cf. 2 Sam. 12, 22. „Ne forsitan," ut HIERONYMUS scribit, „desperarent scelerum suorum magnitudine, aut magnitudo clementiae divinae faceret negligentes." Bene LUTHERUS ad h. l.: „In nostra lingua phrasis haec: *quis scit?* negative, seu potius dubitative sonat. Sed est aptissima poenitentis vox. Utrumque enim complectitur, et *sensum peccati,* qui facit, ut statuamus, Deum juste irasci, ac nos plectere; et *spem liberationis*, siquidem Deus natura benignus et placabilis est." יָשׁוּב וְנִחַם *Revertetur* Deus (ut Jes. 63, 17. Mich. 7, 9.) *et poenitebit* eum mali, quod minatus est, Vs. 13. Aliter, sed minus bene, haec verba construunt et accipiunt Hebraei, Chaldaeum sequuti, qui sic vertit: *qui scit, penes se esse peccata, abscedat ab eis, tum miserebitur ejus.* Pro quo Abendana mavult: *et poeniteat eum* peccatorum. Salomo Ben-Melech: *Qui novit vias poenitentiae, convertatur; tum poenitebit Dominum hujus mali.* Ad *homines* referunt verbum יָשׁוּב. Sed planior est magisque perspicua verborum sententia, si interrogandi forma legantur, et verba יָשׁוּב et נִחַם ad Deum referantur. וְהִשְׁאִיר אַחֲרָיו *Et relinquet* Deus *post illud*, locustarum agmen, Vs. 11. Alii, relato suffixo ad Deum: *relinquet post se*, i. e. post ea, quae perpetravcrat, ira deposita. בְּרָכָה *Benedictionem*, ubertatem, Jes. 65, 8., ut locustae non omnia penitus absumant. Ita ut offerre possitis מִנְחָה וְנֶסֶךְ לַיהוָה אֱלֹהֵיכֶם *fertum et libamen Jovae, Deo vestro*, i. e. tantam fructuum ubertatem relinquet, ut oblationes praescriptas iterum exhibere possent, quas hactenus, in summa rerum omnium penuria, offerre non potuisse, questus erat vates supra 1, 9. 13.

15. תִּקְעוּ שׁוֹפָר בְּצִיּוֹן Quare *clangite buccina*, ad populum convocandum, Vs. 1. Num. 10, 7. קַדְּשׁוּ צוֹם *Sanctificate*, indicite, *jejunium*, Vs. 16. 4, 9. Vid. not. ad 1, 14. קִרְאוּ עֲצָרָה *Convocate coetum*, 1, 14.

16. אִסְפוּ־עָם *Congregate populum* ad publicas supplicationes, 1, 14. קַדְּשׁוּ קָהָל *Sanctificate*, indicite, *congregationem* solennem, cui omnes mundi et rite praeparati adesse debuerunt, Exod. 19, 10. 14. קִבְצוּ זְקֵנִים *Congregate senes*, vid. not. ad 1, 14. אִסְפוּ עוֹלָלִים וְיוֹנְקֵי שָׁדָיִם *Congregate* etiam *infantes et sugentes ubera* (Ps. 8, 3.), persuasum enim erat antiquis, citius se posse impetrare veniam, si supplicantibus sibi una adjungerent infantes; cf. Judith 4, 7. 8. יֵצֵא חָתָן *Exeat* etiam *sponsus*, qui alioqui a publicis exemtus erat officiis, veluti a disciplina militari, Deut. 24, 5. מֵחֲדָרוֹ *E conclavi suo* nuptiali, Jud. 15, 1. ad publicam supplicationem, jejunium ac preces. וְכַלָּה *Et sponsa*, Jes. 61, 10. מֵחֻפָּתָהּ Egrediatur *e thalamo suo*, Ps. 19, 6. Omnis nuptiarum pompa in hoc publico luctu insuper habeatur, festiva quaeque atque lactitiae signa evanescant, cf. Jes. 22, 12. 13.

17. בֵּין הָאוּלָם וְלַמִּזְבֵּחַ *Inter vestibulum* templi *et altare* holocaustorum, quod 2 Paral. 8, 12. a Salomone exstructum dicitur ante portam in atrio interiore. Significatur atrium sacerdotum, sive interius, in quo sacrificia praeparare solebant, proxime ante templum, ut Ezech. 8, 16. Unde patet, referenda haec esse ad illud tempus, quo templum, vestibulum et altare adhuc salva et integra erant. יִבְכּוּ הַכֹּהֲנִים מְשָׁרְתֵי יְהוָה *Fleant sacerdotes, Jovae ministri,* 1, 9. 13. חוּסָה *Parce*, Ezech. 20, 17. Nehem. 13, 22. עַל־עַמֶּךָ *Populo tuo*, Vs. 18. 26. 4, 2. Deut. 9, 26. וְאַל־תִּתֵּן נַחֲלָתְךָ *Ne des hereditatem tuam*, populum tibi peculiarem, 4, 2. 1 Reg 8, 51, Jes. 63, 14. לְחֶרְפָּה *In opprobrium*, Vs. 19. Ps. 44, 14. לְמָשָׁל־בָּם גּוֹיִם *Ut dicterio in eos* utantur *populi*, cf. Deut. 28, 37., ubi Israelitae a Jova desciscentes dicuntur fore לְשַׁמָּה לְמָשָׁל וְלִשְׁנִינָה בְּכֹל הָעַמִּים *in stuporem, in parabolam, et in dicterium inter omnes populos.* Ita et 1 Reg. 9, 7. Jerem. 24, 9. Job. 17, 6. מָשָׁל, *proverbium*, malo sensu usurpatur pro *dicterio, convitio.* Sed veteres omnes מָשָׁל h. l. *dominatus* notione capiunt, quam verbum obtinet Deut. 15, 16. Ps. 106, 41. Thren. 5, 8., vertuntque: *ut dominentur iis gentes.* Qua adscita interpretatione sensum hujus loci exponit Petrus a Figueiro apud Pocockium hoc modo: „*Parce populo tuo*, auferendo ab eo locustarum istam plagam, quae si amplius desaevierit et grassata fuerit, extremam inducet famem, atque ita cogetur populus tuus ad levandam famis necessitatem, in aliarum gentium regiones transfugere, et apud eas pro pane servire, et imperium earum, nec non opprobria, sustinere, non secus ac olim in Aegyptum confugerunt et servi facti sunt.“ לָמָּה יֹאמְרוּ בָעַמִּים *Quare dicent?* ne forsan dicant *inter populos*, ut Exod. 32, 12. Ps. 79, 10. אַיֵּה אֱלֹהֵיהֶם *Ubi est Deus eorum?* ubi est Deus ille, quem a se unis nosci et coli jactitabant? Hieronymus: „quem sibi praesulem, quem defensorem esse jactabant.“ cf. Mich. 7, 10. Ps. 115, 2.

18. וַיְקַנֵּא יְהוָה *Tum* utique *aemulabitur*, zelum suum demonstrabit *Jova*, Ezech. 39, 25. Zach. 1, 14. Verbum ob praepositum Vav, quod *conversivum* Grammaticis dictum, proprie in Praeterito vertendum. Loquitur enim vates de futuris in Praeterito, ut in visione. Sic etiam sub verbis praeteritis enuntiantur futura 2 Paral. 15, 4. לְאַרְצוֹ *Pro terra sua*, „quam prius quasi alienam contemserat, et passus fuit locusta vastante populari,“ ut ait Hieronymus. Cf. Num. 11, 29. הַמְקַנֵּא אַתָּה לִי *Num zelo commotus es pro me?* mei causa? Nostrorum verborum sensus igitur hic erit: Jova magno affectu afficietur, ita ut quod noxium et damnosum populo suo, procul sit remoturus, quodque in bonum ejus cedat procuraturus. *Zelotypum esse* h. l. indicare, benevolentia atque favore terram prosequi, manifestum est ex eo quod additur: וַיַּחְמֹל עַל־עַמּוֹ *miserebitur populi sui*, quo innuit

Deus, se pro justa sua severitate, quam commeriti erant, eos non esse tractaturum, sed serio poenitentibus commissa condonaturum. Cf. Amos 7, 2. 6.

19. וַיַּעַן יְהוָה *Et respondebit Jova*, nec tacebit ad serias populi sui preces. HIERONYMUS: „Et in tantum pepercit poenitentibus, ut eos dignos sua responsione faceret, diceretque: quoniam omnes fruges vestras locusta, bruchus, rubigo vastavit, ideo dabo vobis frumentum, et cetera, quae propheta describit.“ הִנְנִי שֹׁלֵחַ לָכֶם *Ecce! missurus*, daturus sum, *vobis*, cf. Deut. 28, 12. Hos. 2, 10. אֶת־הַדָּגָן *Frumentum*, cf. Hos. 2, 11. 14. וְהַתִּירוֹשׁ *Et mustum*, in oppositione ad 1, 10. וְהַיִּצְהָר *Et oleum*, Vs. 24. וּשְׂבַעְתֶּם אֹתוֹ *Et satiabimini eo*, Vs. 26. Oppositum vid. 1, 16. 18., et similem verbi constructionem Proverb. 25, 16. וְלֹא־אֶתֵּן אֶתְכֶם עוֹד חֶרְפָּה בַּגּוֹיִם *Ne dabo vos amplius opprobrium inter gentes*, non amplius aliis gentibus contemtui eritis, tanquam populus indigens, cujus Deus non par esset ei succurrendo, vel quem plane deseruisset. In hunc sensum Chaldaeus: *neque dabo vos amplius* חִסּוּדִי כַּפְנָא *opprobria famis inter populos.*

20. וְאֶת־הַצְּפוֹנִי *Septentrionalem* autem illum hostem, locustarum exercitum, Vs. 10. Recte Aben-Esra et Kimchi notant, locustas vocari *septentrionales*, quia a plaga septentrionali venerunt. Sic et LIGHTFOOT in *Chronolog. V. T. Opp.* T. I. p. 94. „Irruperant,“ inquit, „locustae ea parte terrae, quae *septentrioni* obvertitur, quae Syriam atque Hhamatham spectat, et velut ordinata acie pergentes (Vs. 5.) devorarunt, quidquid obvium erat, procedentes versus partem meridionalem: illic vero, ubi deflectebant, descendentes infra extrema maris mortui, sterilitas regionis fame adflixit illas, quae regionem totam fame adflixerant.“ Alii *aquilonares hostes*, Assyrios, vel Chaldaeos intelligunt. Sic HIERONYMUS: „Et Assyrium atque Chaldaeum, qui ab aquilone est. Saepe commonui, sub translatione locustarum describi impetum Chaldaeorum, quo Judaea vastata est. Itaque servat metaphoram in reliquis, et juxta situm provinciae sic loquitur, quasi non de hostibus, sed de locustis referre videatur.“ Sed cf. not. ad Vs. 5. 9. 11. et 1, 4. אַרְחִיק מֵעֲלֵיכֶם *Removebo a vobis*, 4, 6. וְהַדַּחְתִּיו *Et impellam* s. *propellam eum*, 2 Sam. 15, 4. אֶל־אֶרֶץ צִיָּה *Ad terram siccitatis* s. siticulosam, Hos. 2, 5. Ps. 63, 2. וּשְׁמָמָה *Et solitudinis*, s. desolatam, i. e. in Arabiae deserta. Cf. Deut. 8, 15. אֶת־פָּנָיו *Facies* nimirum *ejus*, i. e. primam illius partem, quae ad mundi faciem, s. ortum conversa est. DRUSIUS: „Frontem exercitus innuit, sive primum agmen, quod Graeci similiter *πρόσωπον* vocant.“ אֶל־הַיָּם הַקַּדְמֹנִי Propellam *in mare orientale*, i. e. mortuum, ad orientem Hierosolymae situm. HIERONYMUS: „Illud intellige, in quo fuit quondam Sodoma et Gomorrha, Adama et Seboim, quod nunc *mortuum*

nominatur, eo quod nulla ibi vivant animantia." Vid. Ezech. 47, 18. Zach. 14, 8. וְסֹפוֹ *Et extremum ejus*, tergum agminis, vel postremum agmen. אֶל־הַיָּם הָאַחֲרוֹן *In mare posterum*, i. e. occidentale, mediterraneum; vid. not. ad Deut. 11, 24 et ad rem cf. Exod. 10, 19. et ad eum loc. not. PLINIUS *Hist. Nat.* 11, 29. *Gregatim sublato vento, in maria aut stagna decidunt. Forte hoc casuque evenit.* Australium locustarum, observante Bocharto, non meminit, quia quum Jerusalem sita fuerit in extremo fere austro terrae Canaan, australes paucae fuerunt respectu urbis, et sub aliis comprehensae. וְעָלָה בָאְשׁוֹ *Et adscendet foetor ejus*, Jes. 34, 3. Amos 4, 10. בָּאְשׁוֹ, ut בָּאְשָׁם *foetor eorum*, Jes. 34, 3., a בֹּאֶשׁ i. q. בְּאשׁ, ut קָדְשׁוֹ a קֹדֶשׁ. Sed Kimchi ad בְּאַשׁ refert, observatque, secundum normam Aleph debere esse cum Cholem, בְּאשׁוֹ, בְּאשָׁם, sed quiescere Aleph in medio, juxta morem nominum hujus formae. וְתַעַל *Ascendet*, inquam, „in nares praetereuntium," ut Kimchi addit. צַחֲנָתוֹ *Putor ejus;* id enim notare vocem hebraeam, hoc solo loco obviam, docet non solum contextus, verum et Syriacum ܨܚܢ *impudicus*, *sordidus*, *contaminatus fuit*, cui cognatum Arabicum صَنَخَةٌ *spurcitia*, *sordes*. Vid. N. G. SCHROEDERI *Observatt. ad Origg. Hebrr.* C. 5. §. 4. 5. §. 73. seqq. כִּי *Quia*, alii: *postquam*, coll. Job. 1, 5. הִגְדִּיל לַעֲשׂוֹת *Magnum fecit se faciendo*, Vulgatus: *quia superbe*, Syrus: *quia insolenter egit*. Chaldaeus: *quia multiplicavit facere mala*, i. e. plurima et maxima damna vobis intulit; cf. similem loquutionem 2 Reg. 21, 6. Dan. 8, 4, et ex opposito hic sequentem Vs. 21., ex quo tamen collato et Vs. 26. haec verba non male de Deo accipi poterunt: *quia magnus est in suis operibus* Jova. GROTIUS refert quae hoc Versu leguntur ad exercitum Sanheribi peste deletum, 2 Reg. 19, 22. Jes. 37, 20. Sed quam apte haec omnia locustis conveniant, liquebit cum ex iis, quae hactenus annotavimus, tum ex ipsius HIERONYMI verbis ad h. l.: „Etiam nostris temporibus," inquit, „vidimus agmina locustarum terram texisse Judaeam, quae postea misericordia Domini — vento surgente — in mare primum et novissimum [mortuum et mediterraneum] praecipitata sunt. Quumque littora utriusque maris acervis mortuarum locustarum, quas aquae evomuerant, implerentur, putredo earum et foetor in tantum noxius fuit, ut aerem quoque corrumperet, et pestilentia tam jumentorum, quam hominum, gigneretur."

21. אַל־תִּרְאִי אֲדָמָה *Ne igitur time tibi, o terra!* Propheta concludit laetis promissis pluviae post siccitatem, et florentium arborum et agrorum post vastationem a locustis illatam. HIERONYMUS: „Omnibus, quae supra fuerat comminatus, nunc contraria pollicetur." גִּילִי וּשְׂמָחִי *Exulta* potius *et laetare*, Vs. 23. Zeph. 3, 14. Cf. supra 1, 10. כִּי־הִגְדִּיל יְהוָה לַעֲשׂוֹת

Quia magnificavit Jova facere, 1 Sam. 12, 24. Jcs. 28, 29. Ps. 126, 2. 3. Chaldaeus: *quia magnifice egit Jova faciendo in te bona populo suo.* KIMCHI: „Oppositum hoc ei, quod Vs. 20. dictum de locustis, quae plurima et gravissima mala intulerant.“

22. אַל־תִּירְאוּ בַהֲמוֹת שָׂדָי *Ne* etiam *timeatis bestiae agri*, oppositum ei quod dictum 1, 18. 20. כִּי דָשְׁאוּ *Nam germinarunt*, vel *herbuerunt*, Cal hoc solo loco occurrit; cf. Hiphil Gen. 1, 11. נְאוֹת מִדְבָּר De quibus 1, 19. 20. dixerat: *ignis exussit pascua deserti.* כִּי־עֵץ *Nam arbor*, i. e. collective: omnis generis arbores, ut Gen. 1, 11. נָשָׂא פִרְיוֹ *Ferunt* poma s. *fructus suos*, Ezech. 34, 27. 36, 8. תְּאֵנָה וָגֶפֶן *Ficus et vitis*, 1, 7. 12. נָתְנוּ חֵילָם *Dant vim suam*, i. e. varios fructus suos; cf. similem loquutionem Gen. 4, 12. HIERONYMUS: „Haec autem a Domino repromissa sunt, credimus juxta literam accidisse, et sterilitatem praeteritam novis frugibus compensatam, ut quicquid locusta, bruchus et rubigo et eruca consumserat, annis sequentibus impleretur.“

23. וּבְנֵי צִיּוֹן *Et vos, filii Zionis*, i. e. vos incolae Hierosolymae, cujus pars erat aedificata in monte Zion. גִּילוּ וְשִׂמְחוּ בַּיהוָה אֱלֹהֵיכֶם *Exultate et laetamini in* s. *de Jova Deo vestro*, cujus favorem resipiscentia vobis iterum conciliastis; Ps. 32, 11. כִּי־נָתַן לָכֶם אֶת־הַמּוֹרֶה *Nam dabit vobis pluviam tempestivam*, ut mox altero hemistichio, et Ps. 84, 7. Alii cum Chaldaeo et Hieronymo vertunt *doctorem*, quem sane vox hebraea denotat Jcs. 9, 14. Hab. 2, 18. Job. 36, 22. Hoc vero loco, inter promissa refarciendorum a locustis illatorum damnorum, *doctoris* mentio plane aliena. Nec de eo cogitasset quisquam, nisi additum legeretur לְצֶדֶק, quod ad *justitiam* vertendum arbitrati sunt. Vidit tamen jam Calvinus, hunc sensum: *dabo vobis doctorem ad justitiam*, non ferre *circumstantiam loci*, monuitque LIVELEUS, לְצֶדֶק hic esse: *justâ mensurâ*, i. e. pluvia (מוֹרֶה), quae frugibus maturandis et abunde proferendis satis sit, ut nihil desit, quod opus est, vel abundet ultra quod sat est; horum enim utrumque frugibus nocet. Hac ratione pondera integra vocantur *justa*, et mensurae, quibus ad perfectionem nihil deest aut supercst, dicuntur *justae* Levit. 19, 36. וַיּוֹרֶד לָכֶם גֶּשֶׁם *Et descendere faciet vobis pluviam*, Ezech. 34, 26. Nomen גֶּשֶׁם in genere *pluviam* significat, quam duae quae sequuntur, מוֹרֶה *tempestiva* s. *matura pluvia*, et מַלְקוֹשׁ *serotina pluvia*, eas in specie denotent, quae certo decidunt tempore; prior quidem post jactam sementem, quae efficit, ut frumentum crescat, posterior, cum seges in culmos et spicas succrevit, et grana turgescunt, qua efficitur, ut seges ad justam maturitatem perveniat. Cf. Deut. 11, 14. et ad eum loc. not. בָּרִאשׁוֹן *In primo* statim *tempore*, i. e. quam primum erit tempestivum aut necessarium. Vel: *in primo mense*, Ezech. 29, 17. 45, 28., quo matura vel seria pluvia

opus est; cf. ex Plinio not. supra ad 1, 17. Chaldaeus: *primam pluviam in tempore suo, et serotinam in mense Nisan.* Nempe pluvia *prima* descendit in mense *Marchesvan*, sive Octobri, *serotina* vero in mense *Nisan* s. Martio. Alii verbis מוֹרֶה וּמַלְקוֹשׁ בָּרִאשׁוֹן rem plane novam et inauditam promitti existimant; fore nimirum, ut utraque pluvia, prima et serotina, uno mense primo cadat, adeo ut quam alias nonnisi sex mensium spatio fruges adepta erant maturitatem, eandem unius mensis decursu adepturae sint. Sunt praeterea, qui בָּרִאשׁוֹן capiant pro כְּבָרִאשׁוֹנָה, *sicut in priore* tempore, sicut in prioribus temporibus. Ita LXX: *καθὼς ἔμπροσθεν.* Vulgatus: *sicuti in principio.* Syrus: *ut antea.* Quam interpretationem refutavit Credner.

24. וּמָלְאוּ הַגְּרָנוֹת *Et implebuntur areae*, 1 Sam. 23, 1. בָּר *Frumento*, Gen. 41, 35. Amos 5, 11. Cf. supra 1, 10. 17. וְהֶשְׁיקוּ *Et redundabunt;* ita hoc verbum, praeter hunc locum infra tantummodo 4, 23. obvium, veteres omnes vertunt, rei et contextui satis convenienter. Pocockius illud illustrat ex Arabico ساق (pro سوق), *impellere*, in Conjug. VI. *se invicem sequi, et tam arcte ire, ut alius alium premat* vel *trudat*, et in VII. *duxit* et *progressus est*, quo denotetur abundantia, qua res rebus succedunt. הַיְקָבִים *Lacus torcularium*, Jes. 16, 10. תִּירוֹשׁ וְיִצְהָר *Mustum et oleum*, Vs. 10. Cf. Prov. 3, 10. Hisce tribus, quae hoc Versu commemorantur, *tritico*, *musto* s. *vino*, et *oleo*, comprehenduntur omnia ad hominis usum necessaria. Quemadmodum illorum defectu fames et omnium rerum ad vivendum necessariarum inopia describitur, ita contra ex corum abundantia fertilitas omniumque rerum copia innuitur.

25. וְשִׁלַּמְתִּי לָכֶם *Et compensabo vobis*, Jes. 57, 18. אֶת־הַשָּׁנִים אֲשֶׁר אָכַל הָאַרְבֶּה וגו׳ *Annos quos comederunt*, i. e. fruges quas annis superioribus consumserunt *locustae*, de quarum nominibus vid. supra ad 1, 4. חֵילִי הַגָּדוֹל *Exercitus meus magnus*, Vs. 2. 11. אֲשֶׁר שִׁלַּחְתִּי בָּכֶם *Quem misi contra vos*, ad vos castigandos.

26. וַאֲכַלְתֶּם אָכוֹל וְשָׂבוֹעַ *Et comedetis comedendo, et saturando* scil. saturabimini, Vs. 19. Habebitis quod edatis abunde, nec inopia laborabitis. וְהִלַּלְתֶּם אֶת־שֵׁם יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם *Et laudibus celebrabitis nomen*, famam, *Jovae*, *Dei vestri*, Jes. 62, 9. אֲשֶׁר עָשָׂה עִמָּכֶם *Qui egit vobiscum*, cum puniendo, Zach. 1, 6., tum benefaciendo resipiscentibus, Num. 10, 32. לְהַפְלִיא *Ad miraculum usque*, mirifice, Jes. 29, 14. Ps. 31, 22. Nonnulli arbitrantur miraculum in eo consistere, quod jam uno anno illis velit restituere, quantum quatuor praeterlapsis annis redundasset, ni a locustis fuisset absumtum. וְלֹא יֵבֹשׁוּ עַמִּי לְעוֹלָם *Nec erubescent populus meus in aeternum*, nunquam in posterum aliis gentibus opprobrio exponetur, ut questus est supra Vs. 17. Eadem formula repetita Vs. 27.

27. וִידַעְתֶּם *Et scietis*, beneficiis maximis in vos collatis experiemini, cf. 4, 17. כִּי בְקֶרֶב יִשְׂרָאֵל אָנִי *Quod in medio Israelis ego*, me iis sospitatorem atque salutis defensorem adesse, cf. Hos. 11, 9. Deut. 31, 17. וַאֲנִי יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם *Et ego Jova Deus vester*, Hos. 13, 4. וְאֵין עוֹד *Et nullus adhuc*, praeter me nullus, cf. Jes. 43, 11. 12. 44, 6. 8. וְלֹא יֵבֹשׁוּ עַמִּי לָעוֹלָם Vid. Vs. 26.

CAP. III.

Argumentum.

Pergit vates in promissis lactis faciendis, polliceturque, fore aliquando felicissimam aetatem, qua non solum omnes Israelitae divino beneficio summo religionis studio, divinorumque institutorum intelligentia perfundantur, verum et omnes ex quacunque gente veri numinis cultores in ejusdem beneficii partem esse venturos (Vs. 1. 2. 5.). Illam vero ingentem rerum vicissitudinem, quacum hostium nominis Judaici interitum conjunctum fore intelligitur ex Cap. 4., praegressura denuntiat ostenta atque prodigia horrenda, Vs. 3. 4.

Peculiaribus commentationibus hoc vaticinium illustrarunt Frid. Guil. Dresde, Theologus quondam Vitebergensis, in Programmatibus duobus, quae inscripta sunt, *Comparatur Joelis de effusione Spiritus Sancti vaticinium cum Petrina ejusdem vaticinii interpretatione*, Viteberg. 1782. 1783. 4., Thom. Christ. Tychsen, Philologus Gottingensis, in Programmate Pentecostali: *Inest illustratio vaticinii Joelis C.* 3., Gotting. 1788. 4., atque J. Chr. Frid. Steudel, Theologus Tubingensis, in Programmate *Pentecostali, inscripto: Disquiritur in Joelis Cap.* 3. Tubing. 1820. 4.

1. וְהָיָה אַחֲרֵי־כֵן *Fiet etiam postea*, post ea, quae in superioribus praenuntiata sunt, post restitutam terrae Judaicae foecunditatem, et post reductos ab exilio populares, coll. 4, 1. 2. 20. LXX: *μετὰ ταῦτα*, pro quo Petrus Actor. 2, 17. *ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις* dixit, quocum Kimchi convenit, qui h. l. אַחֲרֵי־כֵן idem esse affirmat, quod בְּאַחֲרִית הַיָּמִים *extrema aetate*, qua formula tempora Messiana intelligi vel patet ex Jes. 2, 2.; permutaturque ea phrasis cum אַחֲרֵי־כֵן Jerem. 49, 6., coll. 48, 47. אֶשְׁפּוֹךְ *Effundam*, effuse dabo. Potest quoque verti: *perfundam*, seu *imbuam*, quia cum עַל construitur. Hieronymus: „Verbum *effusionis* ostendit muneris largitatem.“ Benc Abarbenel: „Significat, abundantem fore cognitionem et notitiam Dei.“ Eam enim *spiritu divino*, רוּחִי, indicari, non du-

bium. „*Spiritus Jehovae*, רוּחַ יְהוָה," inquit TYCHSEN, „non prophetis tantum tribuitur, qui divino afflatu sive impulsu loquuntur, Jes. 61, 1. [cf. not. nostr. ad Jes. 11, 2.]: sed etiam artificibus, heroibus, poetis, et omnibus omnino, qui insolito impulsu, vi atque virtute aliquid efficiunt, 1 Sam. 10, 6. 16, 13. Gen. 41, 38., ut omnino notet *vim* et *virtutem divinam*, adnexa saepe augendi et instaurandi notione, Jes. 32, 15. 44, 3. Ezech. 39, 29. Quomodo hic quoque capiendum esse videtur, ita tamen, ut inprimis ad instaurandam religionem rerumque divinarum intelligentiam referatur." עַל־כָּל־בָּשָׂר *Super omnem carnem*, quod recte Arabs vertit: *super omnem carne praeditum*, i. e. super omnes homines, non super Judaeos solos, aut super Israelitas Recte Abarbenel: „Certissime haec phrasis complectitur *omnes homines*, cujuscunque sint nationis, ut Jes. 66, 23. Ps. 145, 21." וְנִבְּאוּ בְּנֵיכֶם וּבְנוֹתֵיכֶם *Et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae.* „נָבָא est *prophetico modo* et *auctoritate loqui*, sive omnino, prophetae loco esse, posito eximio officii prophetici actu pro universa dignitate prophetae. Haec autem non ad oracula solummodo edenda revocari debet. Prophetae enim apud Hebraeos ministri erant et familiares Jehovae, divinae voluntatis interpretes, legum divinarum statores, qui non modo impulsu divino oracula edebant, sed etiam summo cum studio legibus Mosaicis operam dabant, ad easque observandas populares suos cohortabantur, quae omnia comprehendit prophetae nomen atque officium. Igitur hic non tam praedicere videbitur Noster, fore, ut omnes oracula edant, quam potius hoc, fore tempus, quo non, ut alias solitum, paucos quosdam prophetas familiaritate sua dignetur Jehova, sed quo omnes eo honore, et cum summo numine commercio, ea divinarum rerum intelligentia fruantur, quibus alias prophetae. Eundem sensum exhibent sequentia: זְקֵנֵיכֶם חֲלֹמוֹת יַחֲלֹמוּן *Senes vestri somnia somniabunt*, scilicet divinitus missa [cf. Job. 33, 15. 16.], בַּחוּרֵיכֶם חֶזְיֹנוֹת יִרְאוּ *juvenes vestri visiones videbunt.* Sunt haec alia revelationis, sive commercii divini genera, quibus prophetas saltim, aut alios paucos per eximium favorem dignari putaretur Jehova, quos sive per somnum (2 Sam. 7, 3. Dan. 4, 1. 7, 1. Zach. 1, 8.), sive per visum aliquod de voluntate sua certiores redderet. Ceterum haec genera antiquitus erant solennia (Num. 12, 6.), unde Samuelis aetate a *videndo* dicti viri divini (1 Sam. 9, 9.), et sermones eorum חָזוֹן, ipsumque verbum חָזָה cum דָּבָר conjungitur Amos 1, 1. Jes. 2, 1.. dueta a potiori denominatione. Utrumque igitur nihil aliud erit, nisi, intimiore eos familiaritate dignabitur Jehova, atque omnes divinorum virorum loco erunt. Notanda autem hic orationis concinnitas, et poetae in jungendis verbis delectus, quod *senibus somnia* tribuat, quae debiliori aetati magis conveniunt, *juvenibus visiones*, utpote vividioribus ingeniis ad concipienda phantasmata promtioribus." TYCHSEN.

2. וְגַם־עַל־הָעֲבָדִים וְעַל־הַשְּׁפָחוֹת *Etiam super servos et super ancillas.* „Tenendum est, totum locum poetice esse enuntiatum. Quod primo dixerat כָּל *omnes*, mox per partes eundo amplificat: *senes*, *juvenes*, *servi*, *servae*, quae manifestum est, nihil aliud esse, nisi distributionem poeticam. Idem de praedicatis tenendum. Quum enim plures essent prophetiae, sive revelationis modi, sive per adflatum aliquem, et impulsum ad loquendum, sive per somnia et visiones, haec iterum distribuit poeta et singulis subjectis conjungit.“ Tychsen. בַּיָּמִים הָהֵמָּה *In illis diebus* Messianis, vid. not. ad Vs. 1. init. אֶשְׁפֹּךְ אֶת־רוּחִי *Effundam spiritum meum*, vid. ad Vs. 1. „Videmus igitur, hoc Joelis vaticinium eandem continere de instauranda olim religione praedictionem, quam aliis verbis alii prophetae passim describunt, cum tempora canunt, quibus omnes divinitus edocti futuri sint, Jes. 54, 13., et novas leges laturus sit Jehova, animis civium inscribendas, Jer. 31, 33., novamque mentem habituri sint Israelitae, Ezech. 36, 27. adde Jes. 11, 5. 59, 21.“ Tychsen. Ceterum, si quae h. l. praedicit Joel, unquam impleta fuerint, eventus omnino erit referendus ad ea, quae Actor. C. 2. narrata leguntur, ad quae et Petrus ibidem Vs. 17. seqq. illa refert.

3. Ad temporum, quae Vs. 1. 2. canunt, felicitatem potissimum pertinet, ut populus Jovae dilectus ab hostium vexationibus securus reddatur. Quod ita praestiturum Deum promittit Noster, ut gentes Judaeis inimicas ille horrenda strage sit perditurus. Eam vero dira praesagiens prodigia, quae Vs. hoc et sequenti describit. וְנָתַתִּי מוֹפְתִים *Et dabo prodigia*, τέρατα, ut LXX h. l. vertunt, Deut. 6, 22. Jer. 32, 21. Quae vero hic ostenta Dei judicis, de hostibus Judaeorum poenas sumturi adventum praecessura enumerantur, semper magnarum calamitatum praenuntia esse existimata sunt. Veluti דָּם וָאֵשׁ *sanguis et ignis*, quibus nonnulli horrendas caedes, seditiones et intestina bella significari volunt, nos vero illa proprie intelligenda arbitramur, quemadmodum Livius *Hist.* L. 22. Cap. 1. inter prodigia, quae ante pugnam ad Thrasimenum contigerunt, narrat *litora crebris ignibus fulsisse, et scuta duo sanguine sudasse; et milites quosdam ictos fulminibus, et solis orbem minui visum, et Praeneste ardentes lampades coelo decidisse, et Arpis parmas in coelo visas, pugnantemque in luna solem; et Capenae duas interdiu lunas ortas, et aquas Caeretes sanguine mixtas fluxisse, fontemque ipsum Herculis cruentis manasse sparsum maculis, et in Antiati metentibus cruentas in corbem spicas cecidisse.* Initio belli Marsici *simulacra deorum sudavisse, et sanguinem fluxisse*, narrat Cicero de *Divinat.* Lib. I. cap. 44. Claudianus *in Eutropium* L. I init. *Semiferos partus, metuendaque pignora matri, et lapidum duras hyemes, nimboque minacem sanguineo rubuisse Jovem, puteosque cruore mutatos*

tandem mirari desinat orbis. Cf. LUCANUS *Pharsal.* L. I. 524. seqq. ubi monstra enumerantur, quae bellum civile praecesserunt. Quod in fine nostri Versus legitur, תִּמְרוֹת עָשָׁן, obvium quoque Cantic. 3, 6., alii *elationes fumi* vertunt, nomine priore ad רָמַר *efferre* relato; alii vero, Jod pro adventitio habentes, ut idem sit quod תְּמֹרוֹת *palmae*, 1 Reg. 4, 29. 32. 35. 36., nostram dictionem interpretantur *palmas* seu *columnas fumi*, i. e. fumum in altum ductum, seu palmae vel columnae instar recte ascendentem. Cui quidem sententiae favet et phrasis plane similis, עַמּוּד עָשָׁן *columna ignis*, Jud. 20, 40., et Chaldaei interpretis auctoritas, qui pro תִּימְרוֹת h. l. יְטוּרִין, *columnas*, posuit. Cf. LIGHTFOOTI *Horr. Hebrr.* ad Act. 2, 19., ubi locus ex Tractatu Talmudico *Joma* adducitur, quo fumus thuris sacri dicitur עשן מתמר ועולה כמקל *fumus columnans, et ascendens instar baculi. Columnis fumi* autem nostro loco non tam fumi intelliguntur excitati incensis ignibus coelestibus corporibus, nec fumi incensarum urbium, sed crassi et atri vapores, qui insolito modo e terra escendent, hominibusque terrorem et metum incutient.

4. הַשֶּׁמֶשׁ יֵהָפֵךְ לְחֹשֶׁךְ *Sol convertetur in tenebras*, i. e. eclipsi, quae calamitatum venientium praenuntia credebatur, ejus lumen deficiet. LUCANUS *Phars.* L. I. Vs. 540. seqq. de ostentis bellum civile praenuntiantibus: *Ipse caput medio Titan cum ferret Olympo, condidit ardentes atra caligine currus, involvitque orbem tenebris, gentesque coëgit desperare diem.* VIRGILIUS *Georg.* I. Vs. 466. de solis defectu sub obitum Caesaris tumultus illorum temporum praemonstrante: *Sol etiam exstincto miseratus Caesare Romam, cum caput obscura nitidum ferrugine texit, impiaque aeternam timuerunt secula noctem.* וְהַיָּרֵחַ לְדָם *Et luna* convertetur *in sanguinem*, i. e. in ruborem, ut in lunae obscuratione per eclipsin fieri solet. OVIDIUS *Metamorph.* L. XV. V. 785. sqq. similiter loquitur: *Signa dabant luctus superi haud incerta futuri; saepe faces visae, solis quoque tristis imago. Caerulus et vultum ferrugine Lucifer atra sparsus erat, sparsi lunares sanguine currus.* לִפְנֵי בוֹא *Antequam veniat*, 1 Sam. 9, 15. 2 Sam. 3, 35. Ezech. 33, 22. יוֹם יְהוָה *Dies Jovae*, quo populos ad judicium coget, deque iis, qui Judaicum populum oppresserunt atque vexarunt, supplicia sumet, 4, 2. sqq. Cf. not. ad Ezech. 30, 3. הַגָּדוֹל וְהַנּוֹרָא *Magnus ille et horribilis*, cf. 2, 11. „De hoc die," inquit DRESDE in Programmatum, quorum in Argumento mentionem fecimus, priore p. 22., „vehementer inter se dissentiunt. Alii 1) *eversionem Hierosolymorum per Chaldaeos;* alii 2) *diem, quo resurrexit Dominus*, aut *misit coelitum promissum Spiritum;* alii 3) *destructionem reipublicae Judaicae per Romanos;* alii 4) *exitum hujus universi;* alii 5) denique *duos*, aut etiam *tres postremos eventus conjunctim* innui existimant. Nec videntur per historiam et ipsius vaticinii

indolem plures eventus commode sumi posse. Qui *ultimam* amplectuntur sententiam, coguntur tamen *comma sequens* de *solo eventu primo*, aut *secundo*, intelligere, quod nimis coactum videtur. Qui *quartae* favent, ne habent quidem, quo *comma sequens* referant. Qui *secundam* tuentur, habent quidem *prodigia*, sed non nisi secundae classis, seu *coelestia*. Qui *primam* defendunt, *terrestria* quidem habent *prodigia*, quae proferant, sed nulla vera *coelestia*. Qui *tertiae* denique patrocinantur, pares quidem non sunt solvendis omnibus his obviis difficultatibus; videntur tamen laborare multo minoribus, quam reliquae omnes. Nam *primo* vix dubitari potest, quin hic idem dies significetur, qui etiam Malach. 3, 23. praedicitur; nam eadem sunt utrobique verba, nec leguntur in scripturis sacris alibi. Apud Malachiam autem neque sermo potest esse de *excidio Hierosolymorum per Chaldaeos;* vaticinatus enim est post jam solutam captivitatem Babylonicam, neque de *fine universi;* id enim non permittunt sequentia, ex quibus potius, fatente ipso Grotio, manifestum est, ingens et horrendum praedici exitium, quod Judaei a Romanis experti sunt [?]. *Deinde* hoc exitium multa manifesta in ipso coelo antegressa esse prodigia, Josephus *de Bello Jud.* L. IV. cap. 4. §. 5. et L. VI. cap. 5. p. 3. edit. Haverc. ita testatur, ut vanissimus sit, qui ea de re dubitare velit. Ad quod accedit, sic quoque *comma* vaticinii *ultimum* locum habere, qui historiae optime respondeat. Laborat tamen et haec sententia *difficultate duplici*, prima quidem, quod ipse Petrus videtur Actor. 2, 22. docere, praedicta a Joele prodigia ex parte saltim jam ante mortem Domini accidisse; altera autem, quod prodigia a Josepho commemorata praedictis a Joele exacte non conveniunt. Sed utraque difficultas apparens magis, quam vera mihi videtur. Etenim quod *primam* attinet, quid impedit, quominus ad notata a Joele prodigia ea quoque referamus, quae Matth. 27, 51—53. accidisse dicuntur? Cur autem his similium in prodigiis a Josepho traditis non diserta fiat mentio, id vel propterea non mirandum videtur, quod idem illis adeo, quorum memoriam Matthaeus citato loco servavit, silentio praetermisit, et praetermittere quoque suo jure potuit, si ipse, quod etiam Josephi allegata loca paene suadent, tales eventus pro non insolitis, aut veris prodigiis, haberet.“ Verum urbi Hierosolymitanae a Romanis excisae et eversae nullo modo aptari possunt, quae mox Vs. 5. de Zione et Hierosolymis, ut locis, ad quae confugientes salvi sint futuri, atque 4, 1. seqq. de reducendo illo ipso tempore (בַּיָּמִים הָהֵמָּה וּבָעֵת הַהִוא) Judam et Hierosolymam Judaeis, congregandisque in valle Josaphat gentibus Judaeis inimicis, praenuntiantur. Frustra igitur laborant, qui quonam tempore ea, quae hic praedicuntur, evenerint, inquirunt. Eichhorn *die libl. Propheten* Vol. I. p. 14.) Versus 3. 4. 5., subaudita voce נְהִי Conjunctione conditionali אִם seu כִּי, conjungit hac sententia: equidem *si* portenta ex-

hibuero in coelo et in terra, sanguinem, incendia, fumum alte sublatum, sol *si* in tenebras, in sanguinem *si* luna se mutaverit, antequam adfuerit Jovae dies magnus et horrendus; salvus tunc erit, qui Jovam invocat rel., q. d. quamvis rerum futurarum tristium suspicio portentis miris moveatur, Judaei tamen non erunt anxii; horum civitatem ejusmodi prodigia non tangent, quippe quae sedes sit veri cultus divini, eademque securitatis et tranquillitatis sedes, ad quam percipiendam quemvis cultorum suorum Deus invitat. Ad quam interpretationem STEUDEL, V. S. V., in Programmate supra in Argumento hujus Cap. laudato p. 6. vere monet, Jovae diem istum magnum *revera* adfore vatem annuntiare, „cujus adventus si simpliciter praedicitur, ea, quae eundem antecedent, haud hypothetice tantum annuntiari videntur. Cetcrum non tam *ominosa* modo quam miras rerum vicissitudines et ruinas ipsas Vs. 3. 4. significari putaverimus. Scilicet iis, quibus hic vates utitur, imaginibus, magnas rerum terrestrium conversiones, clades terrasque expugnatas describi, probe JAHN notavit (*Erklär. der Weissagungen Jesu von der Zerstör. Jerusalems* in Bengelii *Archiv* Vol. II. p. 133. seqq.): quae cum evenerint animorumque attentionem moverint, quippe singularem prorsus et unicam Dei virtutum manifestationem exspectantium; tunc adfore diem Jovae. גָּדוֹל hicce vocatur et נוֹרָא." Quo epitheto Steudel non id ipsum fore, ut pavorem terrorcmque injiciat, designari existimat, sed id potius, fore, ut eodem reverentia in Deum augeatur, quo sensu Deo נוֹרָאוֹת tribuuntur, e. g. Deut. 10, 21., id quod synonymum est תִּפְלָאוֹת, vid. Ps. 139, 14. *Diem* vero *istum Jovae magnum stupendumque* tempus Messianum esse observat, iisdem verbis descriptum a Malachia 3, 21. Id temporis momentum nonnisi post summas rerum conversiones instare vates dicit.

5. Docet, qninam a malis isto tempore ingruentibus salvi intactique mansuri sint. וְהָיָה כֹּל אֲשֶׁר־יִקְרָא בְּשֵׁם יְהוָה *Et fiet*, ut *quicunque invocet nomen Jovae*, i. c. eum pro Deo vero agnoscat, ejusque auxilium imploret, vid. 1 Reg. 18, 24. 36. Jes. 64, 6. 65, 1. Zach. 13, 9. Ps. 79, 6. יִמָּלֵט *Eripietur* e calamitatibus, quas prodigia Vs. 4. enumerata praesagiebant, *salvus erit*, uti recte Hieronymus vertit. LXX σωθήσεται. Gen. 19, 17. Jes. 49, 25. Ps. 124, 7. Dan. 12, 1. כִּי בְהַר צִיּוֹן וּבִירוּשָׁלַם *Nam in monte Zion et Hierosolymis*, ubi erat Jovae templum et cultus Jovani praecipua sedes. Quo sensu vero ibidem dicatur תִּהְיֶה פְּלֵיטָה *futura ereptio*, dubitari posset, inquit STEUDEL l. l. p. 7., „quod inde pendet, an vero פְּלֵיטָה *liberationem*, an *liberatione gaudentes*, liberatos, an *liberationis auctorem* sumseris. Primum itaque Hierosolyma ut locus describeretur, ad quem si confugeris, salvus fueris; quae urbs si ceu veri Jovae cultus sedes recenseri putetur, sensus erit: qui verorum Dei cultorum numero adscriptus fuerit, hoc ipso quodvis damnum

effugiet. Ita altera haec phrasis idem fere moneret, quod comma antecedens. Deinde, si פְּלֵיטָה designaverit *liberationis participes*, verba valerent: profecto Hierosolymis *quoque* erunt, qui liberabuntur; ubi sequentia verba dicerent: ex quo Jova definiverit. Denique huic phrasi inesse significatio posset: profecto Hierosolymis is est, qui liberationem praebet, uti semper Jova promisit. Non itaque necesse fuerit sumere, ad incolas Hierosolymorum restringere prophetam spem evadendi. Sed aut ex evadentium numero Hierosolymitanos etiam esse posse praedicit, alios haud excludens; aut Deum, cujus cultus sedes est Hierosolyma, liberationem esse praebiturum, ex suo decreto, non certae cuidam modo hominum classi, sed cujuscunque generis hominibus." כַּאֲשֶׁר אָמַר יְהוָה *Quemadmodum dixit*, promisit, *Jova*, qualis promissio Jes. 4, 3. *Qui in Sione et Hierosolymis reliqui superfuerint, ii sancti dicentur, videlicet omnes Hierosolymis ad vitam adscripti.* Verba וּבַשְּׂרִידִים אֲשֶׁר יְהוָה קֹרֵא interpretum plures sic capiunt: *et inter residuos*, superstites (vid. ad Jes. 1, 9.), *quos Jova vocavit*, revocabit e terris exteris. Chaldaeus: *et liberabuntur illi, quos Jova destinat.* Quod sequutus Grotius, קָרָא *vocare*, hic loci idem, quod *destinare* esse perhibet. Jarchi similitudinem vult desumtam esse ab iis, qui ad convivium invitentur. Sensum hujus Versus Tychsen in hunc modum exposuit: „*Sed qui Jovam colit tutus erit ab his rerum conversionibus. Salus enim erit Sione et Hierosolymis, promittente Jova, atque apud omnes, quos ipse adducturus est.* Verba haec, וּבַשְּׂרִידִים nolim ita jungi, ut אֲשֶׁר referatur ad verbum יְהוָה supplendum: *inter liberatos erit quemcunque advocat Jehova*, aut ad alia confugere non minus contorta. Simplicissimum est, repetere ex superioribus פְּלֵיטָה, quo valde augetur sententia, non Hierosolymis tantum securitatem fore ab imminentibus malis, sed apud exsules quoque, qui erepti hostium gladio inter gentes dispersi adhuc essent, sive de Israelitis cogitaverit in Medos et Assyriam deportatis, sive de Judaeae civibus, quorum jam tum poterant aliqui per Assyriorum et Chaldaeorum incursiones abducti esse. *Vocare* (קָרָא) est revocare ab exsilio, ut Jes. 41, 9. Jam arctissime cohaerent sequentia: tum enim, cum reducam exules Hierosolymorum, poenas repetam ab hostibus et oppressoribus gentis meae." Aliter tamen Steudel, qui „haud nos quidem," inquit, „assenserimus eorum sententiae, qui ex superioribus פְּלֵיטָה repetendum censentes, securitatem affirmari putant exsulibus quoque, qui erepti hostium gladio inter gentes adhuc essent dispersi. Namque, ne illud urgeam, quod hicce propheta in praecedentibus dispersionem Judaeorum inter populos non memorarit, שְׂרִידִים nequaquam sunt reliqui illi, qui sunt praeter Judaeos, Hierosolymitanos, sed *superstites ex clade*, atque iidem, qui פְּלֵיטָה vocari possunt. Non est, unde norimus, exules ex terra Judaeorum hic a propheta spectari, et si spectarentur, haud

optime verba inter se jungerentur. Si enim פְּלֵיטָה significat *ereptionem*, *evasionem*, velut e strage et persequente hoste effugientis [ut Gen. 14, 13.], quae inveniatur in monte Zion; non sane apte diceretur, eandem inveniri in superstitibus e clade, quos Jova in patriam revocet. Loco locus, qui praebeat effugium, rectius responderet. Si vero verteris: *in monte Zione et Hierosolymis erunt* פְּלֵיטָה *liberati* (ut abstractum sit loco concreti), altera phrasis haec fere esse deberet: בִּפְלֵיטַת יְהוָה הַשְּׂרִידִים *in liberatorum numero superstites etiam isti erunt.* Praeterea de significatione ista verbi קָרָא *advocare ex exilio*, dubitari facile poterit, quum idem קָרָא significare: *definire*, *eligere ad aliquid*, plura loca satis probent," ut Jes. 42, 5. 48, 12. 51, 2. Hino verba וּבַשְּׂרִידִים אֲשֶׁר יְהוָה קֹרֵא STEUDEL sic interpretatur: *scilicet in numero superstitum erunt*, *quoscunque vocarit Jova.* Nec illicitum fore, addit, sic vertere: *qui a Jova se vocari permiserit*, qui consilio ejus obsequentem sese praestiterit; ita ut comma Versus tertium plane congrueret commati Versus primo, unde lux effunderetur medio ejusdem commatis. Triplex scilicet parallelismus idem effaretur: salus et liberatio Jovae praesidio et numine iis erit, qui eum colunt, eique duci obsequuntur. Licet ab insita ista sibi popularibusque idea, ex qua veri Dei cultus sedes esset urbs Hierosolyma, phrases mutuaretur propheta et imagines; id tamen innuit, quicunque verus Jovae cultor sit (nequaquam Judaeos solos aut Hierosolymitanos), salutis a Deo praebitae fore compotem. En tibi dignam reique ipsi accommodatissimam Messianorum temporum imaginem: quae si aetatis, qua fuit composita, vestigia impressa sibi tulerit, haud haerebis; sed evehet mentem recreabitque idea numinis afflatu sacratis viris formâ quamvis nondum satis idoneâ et perfectâ obversata, et verbis, licet rudioribus forte, expressa tamen plane et perspicue!" Nobis tamen verba וּבַשְּׂרִידִים אֲשֶׁר יְהוָה קֹרֵא simpliciter sic interpretanda videntur: *et* inter *superstites* a communi clade erit *qui Jovam vocat*, invocat ut suum sospitatorem, ut Deum suum colit, quomodo haec phrasis Ps. 14, 4. 18, 7. et alias usurpatur. Cf. hujus Versus initium.

CAP. IV.

Argumentum.

Postquam pluribus descripsisset vates poenas et castigationes, quibus a Jova plectendae sint atque perdendae gentes Hebraeo populo infestae (Vs. 1 — 17.), claudit sua vaticinia imagine felicissimi aevi, quo Judaea rerum omnium abundantia, securitate ab hostibus, et alta atque sempiterna pace fruetur (Vs. 18 — 21.).

1. כִּי *Nam*, ut superius (3, 5.) promissis fidem faciam, et ostendam salvos futuros esse, qui ad Jovam atque sedem cultus ejus sese receperint. STEUDEL vero hae Conjunctione hunc Versum cum superioribus hoc sensu conjungi censet: „*nam*, ut monstretur, facile olim ex Judaea ejusmodi rerum divinarum studium sese propagaturum esse, quum misera, quae civitati instet, conditio desitura, ejusdemque ad alias civitates ratio magnam passura sit mutationem.“ הִנֵּה *Ecce!* particula attentionem exeitans, quae simul confirmat, quamvis gravia videntur atque dubia, quae jam praenuntiat vates, attamen certo esse futura. בַּיָּמִים הָהֵמָּה *In diebus illis* novissimis, 3, 1. 2. וּבָעֵת הַהִיא *Et tempore illo*, felicissima illa aurea aetate, de qua eaedem, quae hoc loco, dictiones usurpantur quoque Jer. 50, 4. 20. אֲשֶׁר אָשִׁיב *Quando*, s. *quibus reducam*, Jer. 32, 44. 33, 11. Quod in textu exstat, אָשׁוּב, idem notat, vid. Ps. 126, 1. et ad eum loc. not. אֶת־ שְׁבוּת יְהוּדָה וִירוּשָׁלָם *Captivitatem*, i. e. turbam captivorum *Judae et Hierosolymorum*, ut Ezech. 39, 25. coll. 16, 53. Videntur a Tyriis et Sidoniis, nec non a Philistaeis, Aegyptiis et Idumaeis, qui Hebraeos vexasse et oppressisse satis clare innuuntur Vs. 4. et 19., plures Judaei belli capti in exteras terras deportati fuisse. Sed possit *reductione captivitatis Judae et Hierosolymorum* et omnino *rerum Judaicarum collapsarum restauratio* indicari, ut Job. 12, 10., ad quem loc. vid. not.

2. וְקִבַּצְתִּי *Et colligam*, congregabo, cf. Jes. 66, 18. Mich. 4, 12. Zeph. 3, 8. אֶת־ כָּל־ הַגּוֹיִם *Omnes gentes*, eas praesertim, quae populum meum male tractarunt, uti mox sequitur. וְהוֹרַדְתִּים *Et deducam eas*, quasi ad judicii et supplicii locum, Deut. 21, 4. Jer. 51, 40. אֶל־ עֵמֶק יְהוֹשָׁפָט *Ad vallem Josaphat*, cujus praeter hunc locum et infra Vs. 12. alias in V. T. nulla facta reperitur mentio. Quidam hanc vallem volunt eandem esse cum ea, quae 2 Chron. 20, 26. dicitur vallis בְּרָכָה, *benedictionis*, quia Jovae benedicebat ibi Josaphat et ejus populus, ob insignem cladem, qua Deo operante hostes cadebant. Alii existimant esse vallem Hierosolymis propinquam, urbem inter et montem olivarum, ita dictam a sepulchro Josaphati ibi sito, quod parum probabilitatis habet, eo quod 2 Paral. 21, 2. Josaphatus sepultus dicitur in civitate Davidis cum patribus suis, quorum sepulchra non nisi in monte Zionis intra civitatem fuerunt. Cf. *Ansichten von Palaestina* P. II. p. 5., et *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 155. Sed vix dubium est, nomen esse allegoricum, a vate fictum, quo significaret locum, quo *judicium exerciturus sit Jova* (יְהוָה שָׁפָט *Jova judicat*), et ultionem sumturus de populi sui hostibus. Hinc Chaldaeus recte vertit: לְמֵישַׁר פִּלּוּג דִּינָא *ad vallem diremtionis judicii.* וְנִשְׁפַּטְתִּי עִמָּם שָׁם *Ubi disceptabo cum illis*, sicuti quis eum, a quo injuria est affectus, in jus vocat, Jes. 66, 16. Jer. 25, 31. Zeph. 3, 8. Chaldaeus: וְאֶתְפְּרַע מִנְּהוֹן

vindictam de iis sumam. Cf. Jes. 34, 8. 35, 4. Ps. 79, 20. עַל־עַמִּי *Propter populum meum*, propterea quod populum mihi carum vexarunt et oppresserunt. וְנַחֲלָתִי יִשְׂרָאֵל *Et* propter *hereditatem meam Israelem*, cujus peculiarem curam et rationem habeo, quam mihi in perpetuum vindicabo, 2, 17. Jes. 19, 25. 47, 6. אֲשֶׁר פִּזְּרוּ בַגּוֹיִם *Quem disperserunt inter gentes*, dum captivos Israelitas in exteras terras abduxerunt. וְאַרְצִי *Et terram meam*, i. e. terram populi mei, adeoque meam, cf. not. ad 1, 6. חָלָקוּ *Diviserunt*, tanquam suam sibi vindicantes, Jos. 13, 7. Mich. 2, 4.

3. וְאֶל־עַמִּי יָדּוּ גוֹרָל *Et super populo meo jecerunt sortem*, ut de captivis fieri mos erat, vid. Nah. 3, 10. Obad. Vs. 11. Significatur simul, Judaeos a suis hostibus summa contumelia affectos fuisse, dum captivos sorte dividebant, nulla alterius prae altero ratione habita, quasi plane indigni essent ullo delectu. וַיִּתְּנוּ יֶלֶד בַּזּוֹנָה *Et dederunt puerum* Hebraeum *pro meretrice*, id est, uti recte Chaldaeus et Syrus, בַּאֲגַר זַנְיְתָא *pro mercede meretricis.* Illud כ enim nomini זוֹנָה praefixum, *pro* esse vertendum, indicat hemistichium alterum, et sensus est, pueros Judaeos meretricibus pro sui corporis prostitutione datos esse vice pecuniae. וְהַיַּלְדָּה *Et puellam*, sive collective *puellas*, ut LXX et Syrus verterunt. Legitur id nomen praeter hunc locum bis tantum, Gen. 34, 4. Zach. 8, 5. מָכְרוּ בַיַּיִן *Vendiderunt pro vino*, vili pretio; cf. Amos 2, 6. וַיִּשְׁתּוּ *Et biberunt* animo levissimo; cf. Ps. 14, 4.

4. Postquam in genere dixisset Jova, se in judicium vocaturum esse gentes, ob eas quibus populum suum affecerunt injurias, jam nominatim quasdam illarum commemorat, quibus litem sit moturus. וְגַם *Et etiam*; quod vos attinet, qui amicitiae et auxilii loco, cui ferendo ex jure viciniae eratis obligati, populum meum oppressistis. מַה־אַתֶּם לִי *Quid vos ad me?* quid vobis mecum negotii est? Cf. Jos. 22, 24. Quid vobis mecum rei est, quod populo mihi caro, adeoque mihi ipsi, ita aversamini? Sed Chaldaeus: *et quoque quanti aestimati estis apud me?* quocum prorsus convenit Syrus. Quo sensu adscito exprobrarit Tyriis et Sidoniis stultitiam, qui sibi viderentur satis idonei ad resistendum a Deo, quasi non esset par vindictae sumendae de ignominia, qua ipsum afficiunt, qui populum suum laedunt. Sed praestat prior explicandi ratio, qua significat Deus, se cum illis expostulare velle propter nefas in populum suum citra ullum meritum admissum. צֹר וְצִידוֹן *Tyrus et Sidon?* Vid. de his not. ad Ezech. 26, 2. 28, 20. וְכֹל גְּלִילוֹת פְּלֶשֶׁת *Et omnes termini Palaestinorum*, de quibus vid. not. ad Ezech. 25, 15. coll. not. ad Jes. 14, 29. LXX: *καὶ πᾶσα Γαλιλαία ἀλλοφύλων.* Nomen גְּלִילוֹת pro nomine proprio regionis habuerunt, et Galilaeam respici putarunt. Sed ea regio vocatur גָּלִיל

הַגְּבוּלִים, vid. Jes. 8, 23. Recte nostro loco Chaldaeus: *et omnes termini Palaestinorum.* Hieronymus: *et omnis terminus Palaestinorum.* Cf. Jos. 13, 1. 18, 17. הַגְּמוֹל אַתֶּם מְשַׁלְּמִים עָלָי *Num retributionem rependitis mihi?* Nomen גְּמוּל est ἐκ τῶν μέσων, et *beneficium* collatum, ut Jud. 9, 16., et *injuriam* illatam, ut Ps. 137, 8. significans, quemadmodum verbum גָּמַל *bene* vel *male de aliquo mereri* denotat, eandem igitur vim habet, quam Latinum *meritum.* Cum עַל construitur, ut h. l., ita et Jes. 65, 6. Ps. 13, 2. 2 Paral. 20, 11., saepius vero cum ל, ut Jes. 3, 9. 59, 18. Jerem. 25, 14. וְאִם־גְּמֻלִים אַתֶּם עָלָי *At si talia vos confertis*, vel *committitis adversus me* priores; nam גָּמַל hic secunda vice usurpatum notat *priorem malum inferre*, ut Gen. 50, 15. וְהָשֵׁב יָשִׁיב לָנוּ אֶת כָּל־הָרָעָה אֲשֶׁר גָּמַלְנוּ אֹתוֹ *Et omnino rependet nobis illud malum, quod intulimus* priores *ipsi.* LXX illo loco et hic utuntur verbo μνησικακεῖν. קַל מְהֵרָה *Cito et velociter*, Jes. 5, 26. אָשִׁיב גְּמֻלְכֶם Ego *meritum vestrum rependam*, Jes. 66, 15. Prov. 12, 14. בְּרֹאשְׁכֶם *In caput vestrum*, Vs. 7. Obad. Vs. 15. Sensus nostri loci huc redit: populum meum affligentes utrum cogitatis mihi, i. e. populo meo, referre, aut inferre injuriam? Si referre; quid ego vobis feci, cui nihil sane rei est cum quoquam vestrum? Quodsi inferre cogitatis, is sum, qui efficere facile possim, ut injuria, quam mihi inferetis, e vestigio redeat in caput vestrum.

5. אֲשֶׁר *Propterea quod*, ut Deut. 3, 24. LXX: ἀνθ' ὧν. כַּסְפִּי וְזְהָבִי לָקַחְתֶּם *Argentum meum et aurum meum cepistis. Suum* vocat Deus argentum et aurum a populis istis e terra Judaica direptum, non quod in templo erat, sed quod populi sui erat, ut modo Vs. 4. *sibi* dixit factam injuriam, quod populo illata fuerat. וּמַחֲמַדַּי *Et pretiosa mea*, i. e. populi mei, 1 Reg. 20, 6. Hos. 9, 6. 13, 15. הַטּוֹבִים *Optima*, ut 1 Sam. 8, 14. 16. 1 Reg. 20, 3. הֲבֵאתֶם לְהֵיכַלֵיכֶם *Intulistis in delubra* (ita LXX et Vulgatus). alii *in palatia vestra*, ut Jes. 13, 22. Amos 8, 3. Prov. 30, 28.

6. וּבְנֵי יְהוּדָה וּבְנֵי יְרוּשָׁלַם מְכַרְתֶּם לִבְנֵי הַיְוָנִים *Judaeos autem et Hierosolymitanos vendidistis Graecis*, quibus magnum ab omni aevo cum Phoenicibus commercium fuit, vid. Ezech. 17, 13. Tale quid factum videtur sub Ahaso, ut colligere licet ex 2 Paral. 28, 17. 18., ubi Idumaei et Philistaei impressione in Judaeam facta multos captivos secum abduxisse leguntur. Cf. Amos 1, 6. לְמַעַן הַרְחִיקָם מֵעַל גְּבוּלָם *Ut procul abigeretis eos a termino suo*, quo minor esset facultas eos redimendi.

7. הִנְנִי מְעִירָם מִן־הַמָּקוֹם אֲשֶׁר־מְכַרְתֶּם אוֹתָם שָׁמָּה *En! ego excitaturus sum eos e loco, quo eos vendidisset.* Participium relativum מְעִיר adjecto Suffixo tertiae masculinae Pluralis, ut Jerem. 9, 6. הִנְנִי צוֹרְפָם *en! me conflantem eos.* Chaldaeus: *ecce ego palam reducturus sum eos inde, quo vendidistis eos.*

וַהֲשִׁבֹתִי גְמֻלְכֶם בְּרֹאשְׁכֶם *Et reducam meritum vestrum in caput vestrum*, poenas promeritas vobis reponam, ut sequentia explicant. Quoad phrasin cf. Vs. 4. Thren. 3, 64. Jud. 9, 57. Obad. Vs. 15.

8. וּמָכַרְתִּי אֶת־בְּנֵיכֶם וְאֶת־בְּנֹתֵיכֶם בְּיַד בְּנֵי יְהוּדָה *Vendam enim filios vestros et filias vestras per Judaeos*, cf. Jud. 2, 14. וּמָכְרוּם לִשְׁבָאִים *Qui venumdabunt eos Sabaeis*, Arabiae populo, de quo vid. Prolegomena ad Jobum p. 27. not. 13. Arabicus interpres ineditus a Pocockio laudatus: *populo Jemen*, i. e. Arabiae felicis. Cf. 1 Reg. 10, 1. Sed LXX: καὶ ἀποδώσονται αὐτοὺς εἰς αἰχμαλωσίαν. Vocem לִשְׁבָאִים habuerunt pro nomine a שָׁבָה *captivum abduxit*, ut Job. 1, 15. אֶל־גּוֹי רָחוֹק *Ad gentem* a vobis *remotam* abducendos. כִּי יְהוָה דִּבֶּר Chaldaeus: *qui per verbum Domini decretum est*, adeoque certissimum. Cf. Jes. 1, 20.

9. קִרְאוּ־זֹאת בַּגּוֹיִם *Proclamate hoc inter gentes!* Dixerat Vs. 2., *se omnes gentes congregaturum esse in vallem Josaphati.* Hic igitur ministris suis id faciendi mandatum dat. Jubet eos gentes inimicas Hebraeo populo cogere ad bellum, ut ita congregatas Deus profliget et perdat. Similis locus est Zach. 14, 2. 3. *Deum congregaturum omnes gentes ad bellum contra Hierosolymam, et contra illas congregatas pugnaturum esse.* Item Ezech. 38, 4. 16. 17. hostes populi Judaici contra eum a Deo adductos et collectos deletum iri. Eadem similitudine, sumta a bello, quo potentissimi imperatores suos hostes proterunt et consumunt, et Noster hic utitur. Ex una parte statuuntur gentes universae suis viribus instructae, Vs. 9. 10., ex altera Deus cum bellatoribus suis, in fine Vs. 11. קַדְּשׁוּ מִלְחָמָה *Sanctificate bellum*, i. e. praeparate, ut recte Chaldaeus et Hebraei interpretes exponunt. „Similitudo," inquit Grotius, „a sacrificiis, quae multae egent praeparationis." Cf. Jer. 6, 4. 51, 27. 28., nec non supra 1, 14. הָעִירוּ הַגִּבּוֹרִים *Suscitate robustos*, ut Vulgatus vertit. LXX: τοὺς μαχητάς, ut 2, 7. יִגְּשׁוּ *Accedant*, Jes. 41, 1. Jerem. 46, 3. יַעֲלוּ *Ascendant*, veniant ad oppugnandum, Vs. 12. Jes. 7, 1. 1 Sam. 7, 7. „Objectum bello oppetendum Hebraeis concipitur ut *fastigium*, ab oppugnante superandum; indeque fit, ut qui regi, populo, regioni, urbi, bellum inferunt, *adscendere adversus eos* dicantur, quoquo modo se cetera iter habeat, sine respectu ad situm loci sive borealem, sive editiorem in montibus, ut Jud. 1, 16. 6, 3. 1 Reg. 11, 15. 2 Reg. 18, 13. al." Haec C. B. Michaelis in *Dissertat. chorographica de notionibus Superi et Inferi in Cod. S.* §. 30. (in *Commentatt. Theologg.* a Velthusenio et Kuinoelio editt. Vol. V. p. 442. seqq.). כֹּל אַנְשֵׁי הַמִּלְחָמָה *Omnes bellatores*, Deut. 2, 14., q. d. frustra tamen, imo nociva vobis haec omnia molimina erunt. Cf. Jes. 8, 9. 10. Hieronymus: „Locus iste dupliciter intelligitur: quidam enim arbitrantur haec sanctis gentibus praedicari, ut praeparentur ad

bellum, et pro populo Dei dimicent. — Nobis autem Hebraeorum opinionem sequentibus videtur esse contrarium. Ideo enim gentes adversariae Israeli parantur ad pugnam, et contra Domini exercitum congregantur, ut occumbere Dominus faciat robustos earum, et intelligant se Deo adversante superatas.“ Cui posteriori sententiae et nos cum praestantioribus interpretibus accedimus.

10. כִּתְּתוּ *Tundite*, cudite, Jes. 2, 4. Chaldaeus: *parate*. אִתֵּיכֶם *Vomeres*, s. ligones *vestros*, 1 Sam. 13, 20. לַחֲרָבוֹת *In gladios*, Ezech. 38, 4. וּמַזְמֵרוֹתֵיכֶם *Et falces vestras* Jes. 18, 5. et cf. not ad Jes. 2, 4. LXX: *τὰ δρέπανα ὑμῶν*. לְרֻמָחִים *In hastas*, Num. 25, 7., contrario studio, quam Jes. 2, 4. Mich. 4, 3. Instrumenta ad agriculturam pertinentia in arma bellica vertite. Tempore enim belli horum, non illorum, usus est; culturâ terrae relictâ homines ad pugnandum sua studia conferunt. Virgilius *Georg.* 1, 506. seqq. de incommodis belli querens: *Non ullus aratro dignus honos: squalent abductis arva colonis, et curvae rigidum falces conflantur in ensem.* Vid. et Ovidius *Fastor.* 1, 697. seqq. הַחַלָּשׁ *Debilis* etiam; adjectivum hoc nomen hoc solo loco exstat, sed cf. verbum, unde derivatum, Exod. 17, 13. Grotius: „Etiam infirmi numerum augeant, quasi aliquid possint.“ יֹאמַר גִּבּוֹר אָנִי *Dicat: fortis ego* sum, animos sibi sumat. Ridet hostilem temeritatem et audaciam.

11. עוּשׁוּ LXX *συναθροίζεσθε*, *congregate vos*. Ita et Syrus, atque Chaldaeus: אִתְכַּבְּשׁוּן *congregent se*. Quae *congregandi* notio huic verbo, huic tantummodo obvio, satis est apta. Nonnullis ex Hebraeis interpretibus idem est quod חוּשׁוּ *festinate*, gutturalibus ע et ה inter se permutatis. Hieronymus: *erumpite*, q. d. prodite magno cum impetu ex omnibus urbibus vestris. Nos quidem antiquissimam verbi hebraei interpretationem, primo loco positam, retinendam arbitramur. וּבֹאוּ כָּל־הַגּוֹיִם *Et venite*, vos *omnes*, inimicae *gentes*, Vs. 12. Jes. 60, 12. מִסָּבִיב Undiquaque *ex circuitu*, ut Vs. 12. Jerem. 4, 17. Ezech. 39, 17. וְנִקָּבְצוּ *Et congregamini*. Ita Hieronymus. Kimchio quoque in Grammatica est Imperativi forma anomala, pro הִקָּבְצוּ, cui similem tamen adducit נִלָּווּ (pro הִנָּלְווּ), *conjungimini*, Jerem. 50, 5. Sed vere monuit Gesenius *Lehrgeb.* p. 312. no. 6., utrumque esse Praeteritum, sed ut Imperativus capiendum, ut saepe, si Imperativus praecedit; vid. *Lehrgeb.* §. 205. no. 8. p. 767. Vertendum igitur h. l.: *congregent se*, quicunque volunt. שָׁמָּה הַנְחֵת יְהוָה Verum *illuc*, in vallem Josaphat, *descendere fac*, *Jova!* Apostrophe prophetae ad Deum, qui adnuit Vs. 12. Verbum est Imperativus Hiphil a נָחַת, Jer. 21, 13. Ps. 38, 3. quod tamen Chaldaeis magis in usu pro יָרַד, quod ipsum synonymum et mox Vs. 13. usurpatur. גִּבּוֹרֶיךָ *Fortes*, heroes *tuos*, opponendos hostium robori, Vs. 9. Alii *angelos* intelligunt, coll. 2 Reg 19, 35. Ps. 91, 11. 103, 20. Vid. et Apocal. 19, 11. 14.

Chaldaeus postrema Versus nostri verba sic vertit: *confringet Jova robur fortium eorum.* Eodem sensu Syrus, et Hieronymus: *occumbere faciet.* Ceperunt הַנְחֵת significatione *dejiciendi, profligandi*, atque suffixum ad גִּבּוֹרֶיךָ retulerunt ad *hostem.* Verum simplicius est, affixum ad *Jovam* referre; de hostibus, quorum in plurali hic constanter fit mentio, ponuntur affixa pluralia, in מְזַמְּרוֹתֵיכֶם et אִתֵּיכֶם Vs. 10.

12. יֵעוֹרְרוּ *Suscitentur, consurgant*, ut Hieronymus haud male. Vid Vs. 7. Jer. 50, 41. Habac 3, 9. וְיַעֲלוּ *Et ascendant*, vid. de hoc verbo, quod hic cum אֶל־עֵמֶק *ad vallem* jungitur, adeoque *descendere* commodius vertendum videri possit, not. ad Vs. 9. Ceterum verba haec יֵעוֹרְרוּ וְיַעֲלוּ satis apte in *Futuro* verti possunt: *suscitabuntur, ascendent*, ut Deus, prophetae precibus annuens, affirmet, se id certissime daturum effectum, quod ille flagitavit. הַגּוֹיִם *Gentes* inimicae, Vs. 9. 11. אֶל־עֵמֶק יְהוֹשָׁפָט *In vallem Josaphat*, s. *judicii divini*, Vs. 14, vid. not. Vs. 2. כִּי *Nam*, ratio additur nominis et istius excitationis שָׁם אֵשֵׁב *Ibi sedebo*, in tribunali judex, quomodo verbum יָשַׁב et Ps. 9, 5. Dan. 7, 9. 10. usurpatur. Cf. Apoc. 20, 4. Chaldaeus: *ibi revelabor*, ipso videlicet opere et effectu. לְשָׁפְטָ֣ה אֶת־כָּל־ הַגּוֹיִם מִסָּבִיב *Ad judicandum omnes gentes circumquaque*, ex cunctis terrae partibus. Cf. Ps. 9, 8. 9. 96, 13. 98, 9.

13. שִׁלְחוּ *Mittite*, immittite, vos executores judicii divini, qui *fortes Jovae* dicti Vs. 11. מַגָּל *Falcem*, ut Jerem. 50, 16., praeterea id nomen non occurrit. De ejus significatione tamen nulla est dubitatio, nam Syris ܡܓܠܐ, et Arabibus مِنْجَل itidem est *falx*. A messe ducta allegoria, qua indicatur, adesse tempus, quo delendae sint gentes. Chaldaeus: *stringite in eos gladium.* ut sicut ager falce demetitur, ita gladio hostes. בִּי בָשַׁל קָצִיר *Quia maturuit messis*, maturuerunt ad supplicia de iis sumenda. Chaldaeus: *nam venit tempus finis eorum.* Cf. Jes. 27, 11. Jer. 51, 33. Matth. 13, 39. Apoc. 14, 15. בֹּאוּ רְדוּ *Venite, descendite!* „Locus, in quo fit pugna vel proelium," inquit C. B. Michaelis in Dissertat. supra ad Vs. 9. laud., „ab Hebraeis concipitur esse humilis, campestris, profundus, probabiliter, quod proelia ordinarie in planitiebus ac locis campestribus committuntur. Hinc fit, ut iter ad bellum, seu ingressus in aciem bellicam, *descensus* in proelium appelletur, ut I Sam. 26, 10. *In proelium descendet et consumetur*; cf. 29, 4." Chaldaeus: *descendite, conculcate interfectos fortium eorum.* Additur alia imago a vindemia desumta: כִּי־מָלְאָה גַּת *nam plenum est torcular*, refertum est uvis, Thren. 1, 15. Qua similitudine quidam abundantiam scelerum significari existimant; nam ad eam indicandam metaphora a mensurae plenitudine desumitur Gen. 16, 16. *iniquitas Amoraei nondum completa est.* Matth. 23, 32. καὶ ὑμεῖς πληρώσατε τὸ

μέτρον τῶν πατέρων ὑμῶν. Sed hoc loco potius copia hostium, instar uvarum conculcandorum, quibus repleti sint campi, notatur. Chaldaeus: *sicut quod calcatur in torculari.* הַשִּׁיקוּ הַיְקָבִים *Exundabunt lacus torcularium*, vid. supra ad 2, 24. Chaldaeus per Imperativum: אוֹשִׁידוּ דְּמְהוֹן *fundite sanguinem eorum*, qui et alias cum vino comparatur, vid. Jes. 63, 3. Similiter interitus hostium populi Hebraei describitur Jes. 59, 26. 66, 16. Cf. Apoc. 14, 19. 20. כִּי רַבָּה רָעָתָם *Quia magna* facta, et nimis cumulata est *malitia eorum*, Gen. 18, 20. Jon. 1, 2. Hieronymus: „Et haec [quae Vs. 12. 13. leguntur] juxta superiorem sensum [vid. ad Vs. 9.] interpretantur bifariam. Alii enim gentes ascendere in vallem Josaphat, quae interpretatur *Domini judicium*, et sedere ibi Deum, ut dijudicet omnes gentes, quae de circuitu veniunt, in bonam partem intelligunt, quo scilicet et sancti contra Dei adversarios congregentur, et mittant falces suas, ut maturam hostium messem demetant, et veniant atque descendant, calcentque torcularia, quia adsit vindemia, et intantum musta exuberent, et torcularia capere non possint. Et ut sciremus, quae sit vindemia, plenumque torcular, intulit: *multiplicata est malitia eorum*, haud dubium quin eos significet, qui contra Dominum congregati sunt. Alii autem consurgere gentes, et convenire in vallem Josaphat, et sedere Dominum, ut omnes judicet nationes, ideo asserunt, ut parent se et assumant universa arma pugnantium, et in valle Josaphat Domini falcibus demetantur. Venisse enim contra eos tempus judicii, et intantum eorum crevisse mala, ut Dei vincerent patientiam. Nam et Amorrhaei tunc expulsi sunt, quando expleta sunt peccata eorum. Judaei istum locum ad Gog et Magog, gentes saevissimas, referunt, de quibus supra diximus arbitrantes summo tempore, quando Jerusalem fuerit instaurata, sub mille annorum imperio contra Dei populum esse venturas, et in valle Josaphat, quae ad orientalem partem Templi sita est, esse ruituras.“

14. הֲמוֹנִים הֲמוֹנִים *Populi, populi*, Chaldaeus: מַשְׁרְיָן מַשְׁרְיָן *exercitus, exercitus*, q. d. quot et quantos conspicio exercitus! Geminatio nominis indicat multitudinem, vid. Gen. 14, 10. Exod. 8, 10. 2 Reg. 3, 16. בְּעֵמֶק הֶחָרוּץ Erunt *in valle concisionis*, ut Hieronymus vertit, ut designetur vallis, in qua gentium hostilium copiae excidendae sint. Alii: *in valle decisionis*, s. definiti et severi judicii; satis probabiliter, est enim hic locus, ubi Jova *ad judicandum sedebit*, ut ipse Vs. 12. dixit. Et חָרַץ etsi proprie *incidere* vel *concidere* significat, aliquando per metaphoram est *decernere, judicare*, vid. 1 Reg. 20, 40. Jes. 10, 22. Ita nostrum חָרוּץ intellexerunt LXX, qui *τῆς δίκης* verterunt, et Chaldaeus, qui *divisionis judicii*, ut supra Vs. 2. 12. posuit. Hieronymus: „Ubi nos diximus *in valle concisionis*, sequentes translationem Aquilae et Symmachi, et Quintae Editionis, Septua-

ginta et Theodotio τῆς δίκης καὶ τῆς κρίσεως, id est, *causae et judicii* transtulerunt; pro quo in Hebraico scriptum est *Harus*, quod Hebraei non solum *concisionem*, sed et *aurum* interpretari putant, quo scilicet in valle judicii, quam suspicantur Gehennam, excoctis sordibus peccatorum purum aurum remaneat.“ Sunt quoque, qui חָרוּץ h. l. significatione *tribulae* capiunt, ut Jes. 28, 27. 41, 15. coll. Amos 1, 3. *Vallis tribulae* seu *triturationis* tum talis erit vallis, in qua Deus sui populi hostes ibi congregatos eodem modo concidat, quo matura frumenta in areis collecta, tribulis super iis tractis (pro more in istis regionibus recepto) conteruntur et comminuuntur. Vid. Bochart *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 32. T. I. p. 315. edit. Lips. כִּי קָרוֹב יוֹם יְהוָה *Nam prope aderit dies Jovae*, qua de hostibus ultionem sumet, cf. 1, 15. 2, 1. 3, 4.

15. שֶׁמֶשׁ וְיָרֵחַ קָדָרוּ *Sol et luna obscurabuntur*, cf. supra 2, 10. 3, 4. et ibi not. וְכוֹכָבִים אָסְפוּ נָגְהָם *Et stellae colligent*, retrahent (cf. not. 2, 6.) *splendorem suum*, cf. Jes. 60, 20., ubi oppositum: *Non occidet amplius sol tuus*, וְיָרֵחַךְ לֹא יֶאֱסֹף *et luna tua non recipiet se*, aut deliquium patietur.

16. וַיהוָה מִצִּיּוֹן יִשְׁאָג *Jova autem e Sione rugiet*, tonabit e Sione, sede sua peculiari, vid. Ps. 132, 13. 14. וּמִירוּשָׁלַם יִתֵּן קוֹלוֹ *Et ex Hierosolymis*, ubi templum suum, *edet vocem suam* terribilem. Diversis verbis idem dicit; nam *vox Jovae* est tonitru, vid. Ps. 29, 3. et ibid. not. וְרָעֲשׁוּ שָׁמַיִם וָאָרֶץ *Ut contremiscant coelum et terra*, terrae motus erit, et coelum tonitru concutietur. Similia vid. 2, 10. Jes. 13, 13. 24, 18. Ezech. 38, 20. Pacuvius: *Tenebrae conduplicantur, noctisque et nimbûm occaecat nigror, flamma inter nubes coruscat, coelum tonitru contremit.* Sunt autem haec Dei hominum peccata ulturi terrificae potentiae argumenta; vid. Matth. 24, 29. Luc. 21, 26. וַיהוָה מַחֲסֶה לְעַמּוֹ *Erit* tamen *Jova refugium populo suo*, cf. Jes. 4, 6. 25, 4. וּמָעוֹז לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל *Et munimentum filiis Israel*, cf. Zephan. 3, 14. seqq. Hieronymus: „Quum solis et lunae cunctarumque stellarum splendor tenebris fuerit commutatus, Dominus de Sion instar leonis rugiet, sive clamabit, et tam excelsa vox ejus erit atque terribilis, ut coelorum cardines et terrarum fundamenta quatiantur. Quumque tam severus fuerit in eos, qui puniendi sunt, erit clemens erga populum suum, et dabit eis fortitudinem, qui appellantur filii Israel. . . . Haec Judaei et nostri Judaizantes ad mille annorum fabulam referunt, quando putant Christum habitaturum in Sion, et in Jerusalem aurea atque gemmata sanctorum populos congregandos, ut qui in isto seculo oppressi sunt ab universis gentibus, in hoc eodem cunctis imperent nationibus.“

17. וִידַעְתֶּם כִּי אֲנִי יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם *Ut cognoscatis, me esse Jovam, Deum vestrum*, 2, 17. Ezech. 36, 11. 37, 6. 13. 14.

שֹׁכֵן בְּצִיּוֹן *Habitans in Sione*, protector populi mei, Vs. 16. 21. Jes. 8, 18. Zeph 3, 17. הַר קָדְשִׁי *Monte meo sancto*, vid. not. ad Ps. 2, 6. Chaldaeus: *habitantem ponam majestatem meam in Sione, monte meo sancto.* וְהָיְתָה יְרוּשָׁלַם קֹדֶשׁ *Et erit Hierosolyma* vere *sanctitas*, sive, subaudito עִיר, *urbs sanctitatis*, sancta, i. e. cara erit Deo, et sub ejus cura, favore ac tutela ab inimicarum gentium dominio, direptione atque possessione (qua *profanari* et *pollui* dicitur) libera et immunis. Cf. Obad. Vs. 17. Drusius: „*Sanctitas*, i. e. sacrosancta et inviolata. Quod cum diceret propheta, respexit, meo animo, ad locum ejus nominis, qui in Templo erat, a quo profani arcebantur: ideo infert, *et extranei non transibunt per eam amplius.* A Sancto, atque adeo a sacris, arcebantur profani; sic ab ea extranei. Ergo *sanctitas erit Jerusalem*, non solum quia pura et impolluta, verum etiam, quia ab hominum injuria, Deo eam defendente, tuta erit. Aliter: *erit sanctitas*, s. *ut* sanctitas. Vult dicere: ut res Deo consecrata, quam non licebat ulli attingere.“ וְזָרִים לֹא־יַעַבְרוּ־בָהּ עוֹד *Et alieni*, hostes (vid. ad Jes. 1, 7.) *non amplius pertransibunt per eam*, „ut amplius malefaciant illis,“ ut Kimchi explicat, vel: „hostili exercitu,“ ut Grotius. Eadem, quae h. l., promittuntur et Jes. 35, 8. Jer. 30, 8. Zach. 14, 21., quae repetit auctor Apocalypseos 21, 27.

18. וְהָיָה בַיּוֹם הַהוּא *Et fiet in die illa*, gentibus inimicis deletis, et instaurata Hierosolyma, Vs. 17. יִטְפוּ הֶהָרִים עָסִיס *Stillabunt montes musto*, Chaldaeus: *vino mero.* Significat rerum nobilissimarum copiam et abundantiam, et simul quod illa omnia ἀπονητί, *sine labore*, sint proventura. Cf. Amos 9, 13. Jes. 30, 23. Talis erat aurea illa aetas, de qua Ovidius *Metam.* I, 111. 112. *Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant, flavaque de viridi stillabant ilice mella.* וְהַגְּבָעוֹת תֵּלַכְנָה חָלָב *Et colles fluent lacte*, dictum quasi per hypallagen: *lac fluet per colles*, tanta lactis copia colligetur ex pecudibus, pabulum in collibus quaerentibus, ut ipsi colles videantur rivos lactis effundere, vel ipsi in lac resoluti, quod inde defluere. וְכָל־אֲפִיקֵי יְהוּדָה יֵלְכוּ מָיִם *Et omnes alvei Judae manabunt aquis*, cf. Jes. 30, 25. 44, 3. 4. וּמַעְיָן מִבֵּית יְהוָה יֵצֵא *Et fons e domo Jovae*, templo, *egredietur*, vid. not. ad Ezech. 47, 1. et cf. Zach. 14, 8. וְהִשְׁקָה אֶת־נַחַל הַשִּׁטִּים *Et rigabit vallem Schittim*, in campestribus Moabitarum erat haud longe a mari mortuo, Transjordanicae Israelitarum regioni vicina, vel potius in confinio, ut videtur, Israeliticae et Moabiticae ditionis. Inde enim ad Jordanem venientes in terram promissam transiverunt, Jos. 3, 1. Vid. et Num. 25, 1. 33, 49. Mich. 6, 5. Sed quae hic memoratur vallis *Schittim* a transjordanica illa diversa videtur; vid. *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 161. et p. 166. not. 20. Hieronymus in Comment. ad h. l. dicit esse locum juxta Liviadem trans mare mortuum, sexto ab eo distantem milliario, ubi quondam

cum Moabitis fornicatus est Israel, cujus loci ex persona Dei memoret et Micha 4, 5. Cum dicit *fontem e templo manantem rigaturum* hanc *vallem*, quae in extremis finibus terrae Israelitarum erat ad Orientem Australem, nihil aliud vult, quam, rerum omnium abundantiam singulari Dei beneficio longe lateque diffusam iri. Abarbenel solus inter suae gentis interpretes quae hic de fonte e templo emanante, et vallem Sittim irrigante leguntur, allegorice dicta existimat, quibus significetur, cultum Jovanum, e Sione proditurum, per totum terrarum orbem propagatum iri, coll. Jes. 2, 3. Quam interpretationem e Christianorum interpretum commentariis videtur hausisse, quorum haud raro rationem habet.

19. מִצְרַיִם לְשַׁמָּמָה תִּהְיֶה *Aegyptus in desolationem erit*, desolata reddetur, quod repetiit Ezechiel 29, 9. Cf. eandem phrasin Mich. 7, 13. וֶאֱדוֹם לְמִדְבַּר שְׁמָמָה תִּהְיֶה *Et Edom in desertum desolationis erit*, vasta solitudo evadet. מֵחֲמַס בְּנֵי יְהוּדָה *Propter violentiam filiorum Judae*, quae iis ab Aegyptiis et Idumaeis illata est. Recte Hieronymus: *pro eo quod inique egerunt in filios Judae.* Genitivus hic est patientis, ut Obad. Vs. 10. מֵחֲמַס אָחִיךָ יַעֲקֹב *propter injuriam fratris tui Jacobi*, i. e. quae fratri tuo illata est. Eodem sensu חָמָס cum Genitivo jungitur Jud. 9, 24. Habac. 2, 8. 17. Judaeos istis temporibus multis injuriis vexatos et oppressos fuisse ab Idumaeis, patet quoque ex Amos 1, 11. sqq. אֲשֶׁר *Eo quod*, ut Vs. 5. Alii: *quorum* (Judaeorum) sanguinem innoxium fuderunt, quos temere ac sine causa occiderunt. שָׁפְכוּ *Fuderunt*, ut Ps. 79, 3. 10. דַּם־נָקִיא *Sanguinem innocuum*, Jes. 59, 7. Ps. 10, 8. 94, 21. Scribitur נָקִיא h. l. cum א, ut Jon. 1, 14.; ita נָבִיא, נָשִׂיא. בְּאַרְצָם *In terra eorum*, Judaeorum, quam hostiliter invaserunt. Alii suffixum ad Aegyptios et Idumaeos referunt, ut significetur, eos trucidasse Judaeorum illos, qui in fidem eorum se receperant in Aegypto aut Idumaea refugium sibi quaerentes.

20. וִיהוּדָה לְעוֹלָם תֵּשֵׁב *Juda vero*, i. e. Judaea, *in aeternum habitabitur*, verbum est passive vertendum, ut Jes. 13, 20. Ezech. 26, 20. 35, 9., ad quae loca vid. not. וִירוּשָׁלַם לְדוֹר וָדוֹר *Et Hierosolyma* habitabitur *in generationem et generationem*, per omnes generationes, ut Jes. 58, 12. 60, 15. Similia promittuntur supra 2, 26. 27. Jes. 60, 21. Jer. 31, 40. Ezech. 37, 25. 43, 7. 9.

21. וְנִקֵּיתִי דָמָם לֹא־נִקֵּיתִי *Et mundabo*, i. e. mundos, innocentes declarabo, hostium exitio, illos, *quorum sanguinem non mundaveram*, pro innocenti non tractaveram, sed quos veluti impios trucidari hostibus permiseram. נקה *Mundare* pro insontem declarare, dicitur Ps. 19, 13. Job. 9, 28. 10, 14. Pronomen relativum post דָּמָם subaudiendum, ut Ps. 51, 10. et saepius. וַיהוָה שֹׁכֵן בְּצִיּוֹן *Et Jova habitans* erit *in Sione*, vid. Vs. 17.

IN AMOSUM PROOEMIUM.

Amosus, Thecoita, vixit tempore Usiae, regis Judae, et Jeroboami II., regis Samariae (vid. 1, 1. et ibi not.), aequalis Jesajae, Hoseae et Joeli. Pastoritiam vitam primo egit, nec patrem habuit prophetam, nec magistrum (vid. 7, 14.); tum vero, quamvis ex Juda oriundus, inter Israelitas vates prodiit et divinae voluntatis interpres. Utebatur ea tempestate regnum Israeliticum sub Jeroboami II. imperio rebus maxime secundis, cum non populus modo summa tranquillitate et alta pace gauderet, sed rex quoque recuperatis aliquot urbibus, olim a regno avulsis, imperii fines latius proferret (cf. 2 Reg. 14, 25. sqq.). Longam vero prosperitatem rerumque omnium affluentiam augendis sceleribus criminibusque valuisse, satis arguunt nostri vatis oracula. Acriter enim in locupletes et avaros Israelitas invehitur, quibus acdium superbiam, conviviorum apparatum, et in utensilibus domorum nimium luxum (3, 15. 4, 1. 2. 6, 4. seqq.), tum et vanitatem exprobrat. Judices viros insontes opprimentes, pauperes in servitutem vendentes castigat (2, 6.). Populum reum agit intolerabilis petulantiae et in prophetas pervicaciae (2, 11. seqq. 3, 10. 5, 10. seqq. 21. seqq. 6, 1. 8, 4. seqq.). Inprimis vero superstitioso peregrinorum deorum cultui deditos severe increpat (4, 4. 5. 5, 5. 21. seqq.). Quum vero nullo parcens ordini libere et fortiter scelera castigaret, poenasque divinitus immittendas praenuntiaret Amosus, eum multorum in se odium concitasse et per se credibile est, et satis apparet ex iis, quae Noster ipse ab Amazia, Bethelensi sacerdote, secum gesta narrat 7, 10 — 17. Offenderat sacrificulum, probabiliter ordinis sui

primarium, vaticinium Amosi antegressum adversus Israeliticum regnum (Vs. 1 — 9.), in quo diserte sanctuariis decem tribuum, Bethelensi, Danitico aliisque, tum genti Jeroboami, regis, dira ominatus erat. Indignatus igitur Amazias seditionis et impietatis vatem insimulavit, quin et in conspirationis suspicionem adduxit apud regem, eoque nomine jus et auctoritatem sibi arrogavit, Nostrum amandandi ex Israelitico regno in Judaeam, quod Bethelense oppidum, regium sanctuarium et sedes, prophetiis suis edendis locus sit minime congruus, 4, 12 — 17.

Oracula a Nostro literis consignata maxima quidem ex parte in *comminationibus* versantur, videlicet inde ab initio usque ad 9, 10., in *promissiones* tamen, laetam rerum conversionem, impiis plane deletis, praenuntiantes, desinunt, 9, 11 — 15. *Comminationes* partim sunt *nudae* 1, 2. usque ad 6, 14., partim vero imaginibus et emblematibus *figuratae*, 7, 1. usque ad 9, 10. *Comminationes nudae* quatuor absolvuntur concionibus, quorum aliae ab aliis prooemiali formula distinguuntur 1) post generalem poenarum denuntiationem emphaticis hisce expressam verbis: *Dominus e Zione rugiet, et ex Hierosolymis edet vocem suam; lugebuntque mansiones pastorum, et exarescet vertex Carmeli,* 1, 2., primo finitimis gentibus, Damascenis, Vs. 3 — 5., Philistaeis, Vs. 6 — 8., Tyriis, Vs. 9. 10., Idumaeis, Vs. 11. 12., Ammonitis, Vs. 13 — 15., Moabitis, 2, 1 — 3., ipsis Judaeae incolis, Vs. 4. 5., deinde vero Israeli, hoc est, decem tribuum regno, contra quod potissimum sua oracula directa sunt, Vs. 6 — 16., singulis propter tres praevaricationes, additamque his quartam, quae praecedentium complementum est, extrema denuntiat; 2) Israelitas primo in universum, deinde vero speciatim incolas regni decem tribuum, denuntiatione imminentis excidii reipublicae denuo terret, 3, 1 — 15., non sine respectu ad denuntiationem illam primo sermoni praemissam 1, 2., coll. 3, 4. 8.; 3) primo magnates, mox incolas regni Israelitici universos, propter injustitiam, idololatriam, ac in peccatis pertinaciam, comminatione poenae divinitus infligendae ad poenitentiam ex-

citat, 4.; 4) canit lamentum super instante utriusque regni excidio, sermone directo primo ad decem tribus, 5, 1 — 17., deinde vero ad cives utriusque regni, tam Judaici, quam Israelitici, conjunctim Vs. 18. usque ad 6, 14. *Comminationes emblematicae* tribus constant sermonibus: 1) imminentia Israelitis divinitus immittenda supplicia exponit, eaque primo inchoata sub imagine locustarum, 7, 1 — 3., et ignis, Vs. 4 — 6., deinde consummata sub symbolo perpendiculi, Vs. 7 — 9., adjuncta narratione de actis Amosum inter et Amaziam super hac ipsa prophetia, Vs. 10 — 17., 2) finem reipublicae Israeliticae, diramque oraculorum divinorum in exilio famem, praenuntiat sub imagine fructuum aestivorum, C. 8. tot.; 3) Judaico potissimum regno, sub emblemate percussarum a Deo columnarum templi, comminatur excidium, quod primo exaggerat, 9, 1 — 8., deinde restringit, additis promissionibus felicioris aliquando sequuturae aetatis, quae totius libri partem constituunt alteram, Vs. 9 — 15.

Amosum oracula, quae suum nomen prae se ferunt, ipsum literis mandasse, cur in dubium vocetur, ratio idonea est nulla. Quod enim de vate nonnumquam in tertia persona sermo sit (1, 1. 7, 12. 13.), minime argumento esse, alium quendam hunc librum composuisse, vix est quod moneamus. Nemo sane dubitaverit unquam, sintne C. Julii Caesaris de bello quod cum Gallis gessit Commentariorum libri 7. ab ipsius Caesaris manu, propterea quod in iis Caesaris res gestae in tertia narrantur persona. Sed quae Noster sibi visa toto Cap. 7. item 8, 1. 2. 9, 1. edisserit, ita de se in prima persona et αὐτοπροσώπως describit, ut eundem et vaticiniorum praeconem, et libri hujus scriptorem manifesto doceat. Idem enim vates, qui genus ac aetatem suam 1, 1., divinamque ad munus propheticum vocationem et instructionem 7, 14. 15. exponit, tum ea ipsa, quae 7, 1. sqq. vidisse narrat, semetipsum literis consignasse indicat, et intercessionis suae verba refert, Vs. 2 — 5., neutiquam diversus ab Amoso, aut alius ab eo judicari poterit, qui quid mente perceperit, quid responsi dederit, quam visorum explicationem edoctus fuerit, Vs. 7. 8. consignavit,

Idem valet de locis 8, 1. 2. et 9, 1. Praeterea et stylus ac sermonis habitus Amosum ipsum arguunt libri, qui ejus nomen gerit, scriptorem, quippe qui quum inter Thecuanos rusticam ageret vitam, nec haberet, unde politioris sermonis facultatem sibi compararet, dictione utitur plana et simplici, solis exornata imaginibus e rure, gregibus, desertis rebusque naturalibus aliis, petitis. Quod et HIERONYMUS observavit, in suis ad nostrum vatem Commentariis (ad 1, 2.). „Naturale est," inquit, „ut omnes artifices suae artis loquantur exemplis, et unusquisque in quo studio trivit aetatem, illius similitudinem proferat. Verbi gratia, qui nauta est et gubernator, tristitiam suam comparat *tempestati*, damnum *naufragium* vocat, inimicos suos *ventos contrarios* appellat: rursus prosperitatem et laetitiam, *auram placidissimam*, et *secundos* nominat *ventos*, *tranquillia maria* et *aequora*, campi simillima. E regione miles quicquid dixerit, scutum, gladium, loricam, galeam, lanceam, arcum, sagittam, mortem, vulnus et victoriam sonat. In ore Philosophorum semper Socrates et Plato, Xenophon et Theophrastus, Zeno et Aristoteles, Stoici versantur et Peripatetici. Oratores Lysiam et Hyperiden, Periclem et Demosthenem, Gracchos, Catones, Tullios et Hortensios in coelum laudibus ferunt. Poetae, si Epici sunt, Homerum atque Virgilium, si Lyrici, Pindarum et Flaccum, crebro sermone concelebrant. Cur haec dicta sunt? ut scilicet ostendamus, etiam Amos prophetam, qui pastor de pastoribus fuit, et pastor non in locis cultis ac vineis consitis, aut certe inter sylvas et prata virentia, sed in lato eremi vastitate, in qua versatur leonum feritas, et interfectio pecorum, artis suae usum esse sermonibus, ut vocem Domini terribilem aeque metuendam rugitum leonum et fremitum nominaret, eversionem Israeliticarum urbium, pastorum sollicitudini et ariditati montium comparans."

A M O S.

CAP. I.

A r g u m e n t u m.

Praemissa toti libro epigraphe (Vs. 1.), atque solenni indignationis divinae et vindictae exercendae denuntiatione (Vs. 2.), vates minatur criminum commissorum poenas Deo daturos Damascenos (Vs. 3—5.), Gazanos (Vs. 6—8.), Tyros (Vs. 9—11.), Ammonitas (Vs. 12—15.).

1. דִּבְרֵי עָמוֹס *Verba*, effata, oracula *Amosi*, usitata inscriptionum formula, vid. e. c. Jerem. 1, 1. Cohel. 1, 1. עָמוֹס ab עָמַס *portare, onerare*, significat *portatum* (ut אָמוֹן *infans, qui gestatur*, ab אָמַן *portavit*, מָאוֹס *quod rejicitur*, a מָאַס *rejecit*, נָקֹד *punctatus*), scil. divina cura, coll. Jes. 46, 3., ubi Deus, eodem usus verbo, a quo Amosi nomen est, de Israelitis dicit: הָעֲמֻסִים *portati* a me *inde ab utero*, *gestati inde a matrice*. Cf. Ps. 22, 10. 11. Est autem discrimen satis evidens inter nostrum עָמוֹס *Amos*, patremque Jesajae prophetae, אָמוֹץ, quem et ipsum LXX Graeci interpretes, una cum Vulgato Latino, Ἀμώς et *Amos*, perinde ac nostrum prophetam, extulerunt Jes. 1, 1. אֲשֶׁר הָיָה בַּנֹּקְדִים *Qui fuit inter pecuarios*, vel, *de pecuariis*. Vox hebraea, quae praeter hunc locum semel tantum, 2 Reg. 3, 4., in Codice Hebraeo occurrit, a Bochartо *Hieroz.* P. I. L. II. c. 44. T. I. p. 484. seq. edit. Lips. recte illustratur ex Arabico نَقَدَ *ovis* aut *caprae* genus deforme quidem et pumilum, sed pilis aut lanis mollibus: cujusmodi gregis *pastor* نَقَّاد vocatur, tum idem nomen pro pastore quovis videtur sumi. Laudato Regum libri secundi loco Moabitarum rex dicitur נֹקֵד, ubi recte Chaldaeus מָרֵי גִּוְיִן *dominus pecorum*, et Vulgatus Latinus *nutriebat pecora multa* vertit. Eodem, quo illic, modo Chaldaeus interpretatus est et hoc loco, quasi Amos non *pastor mercenarius*, sed *pecorum dominus* fuisset. Quae Kimchii quoque est sententia, ad haec verba observantis, Amosum non dici נֹקֵד *pecuarium*, sed בַּנֹּקְדִים *inter pecuarios*, ut innueretur גָּדוֹל

שֹׁבְנֹקְדִים *magnus*, seu *primarius inter pecuarios*, divitesque pecoris. Verum ut רוֹעֶה non *mercenarium* modo *pastorem*, sed *dominum* quoque *gregis* significat, ut Gen. 4, 2. 47, 3., ita vicissim נוֹקֵד *mercenarium* etiam notare potest, et hujusmodi fuisse Amosum, verosimile admodum fit ex Cap. 7, 14. 15., ubi non solum gregem se pavisse, sed sycomoris quoque colligendis, tenuissimo vitae generi, operam dedisse ait. Patria prophetae indicatur addito מִתְּקוֹעַ *e Thecoa*. Quamvis enim, quod Abarbenel in Prologo ad XII Prophetas obmovet, Noster se non vocet *Thekoensem*, patronymico nomine, ut Micha *Moraschtaeum*, et Nahumus *Elkoschaeum* se vocant Mich. 1, 1. Nah. 1, 1.; tamen loquutio illa *e Thekoa* aequipollet patronymico nomini; plane ut fuisse dicuntur Benaias *e Cabtzela* 2 Sam. 23, 10., Ittaius *e Gibea* Vs. 29., Jigealus *e Zoba*, Vs. 36., et Jonas *e Gathchephra*, 2 Reg. 14, 25., pro: *Cabtzelensis*, *Gibeathensis*, *Zobatensis*, *Gathchepherensis*. Est igitur ista designatio Amosi, *qui fuit inter pecuarios ex Thekoa*, plane gemina huic Jeremiae, *ex sacerdotibus qui erant in Anathoth*, Jer. 1, 1., qua patriam vatis describi, nemo dubitat. Thekoensis oppidi in libro Josuae quidem, ubi tribuum sortes describuntur, mentio facta reperitur nulla, etsi Jos. 15, 60. in Graeca Alexandrina versione comma ἐμβολιμαῖον exstat, in quo Thekoa, cum aliis decem urbibus tribui Judae diserte adscribitur, quo de additamento Alexandrini interpretis adire juvabit RELANDUM in *Palaest.* L. II. sub *Bethlehem* p. 643. Quidquid autem de hoc additamento judicetur; tamen dubitari nequit, Thekoam pertinuisse ad tribum Judae. Etenim 1 Paral. 2, 24. Aschchur, Chezronis ex Abia uxore filius posthumus, vocatur אֲבִי תְקוֹעַ *pater*, h. e. progenitor *Thekoae*, seu *Thekoensium*, idque ea ratione uti ibidem dicuntur *pater Bethzur* Vs. 45., *pater Madmenae* Vs. 49., *pater Kirjathjearim* Vs. 50., *pater Bethlehemae* et *pater Bethgaderae* Vs. 51., quorum familiae ista loca tenuerunt. Atqui Chezron, pater Thekoae, fuit *Judae* ex Perezo nepos, 1 Paral. 2, 4. 5. Hinc 2 Paral. 11, 5. 6. Thekoa inter illas Judae commemoratur urbes, quae post rebellionem Jeroboami et decem tribuum a Rehabeamo communitae sunt, et Jerem. 6, 1. compellatur cum aliis Judaici regni locis, quibus tempore Jeremiae a Babyloniis et Chaldaeis exitium imminebat. Concinit non solum JOSEPHUS *Antiquitt.* L. VIII. Cap. 10. §. 1. isque αὐτόπτης, verum etiam HIERONYMUS, qui Palaestinae loca et ipse coram obiit, dum in *Prologo* ad Amosum oppidum hoc scribit *sex millibus ad meridianam plagam abesse a sancta Bethlehem, quae mundi genuit Salvatorem:* itemque in *Commentario* ad Jerem 6. *Thecuam quoque*, inquit, *viculum esse in monte situm, et duodecim millibus ab Hierosolymis separatum, quotidie oculis cernimus.* Confirmat hunc loci situm ab Hieronymo indicatum, quod 2 Paral. 11, 5. 6. Thekoa recensetur una cum *Bethlehem*, *Etam*, aliisque urbibus, haud dubie

in tribu Judae et ad austrum Hierosolymae sitis; et quod Josaphatus rex Ammonitis, Moabitis, Idumaeis, Syrisque, ab austro in Judaeam irrumpentibus, castraque metatis apud Chazazonthamar seu Engedi, ad sinum austrinum lacus Asphaltitae 2 Paral. 20, 2. obviam cum exercitu ivit, primo quidem לְמִדְבַּר תְּקוֹעַ *in eremum Thekoae*, Vs. 20., et hinc porro ad *adscensum Ziz desertaque Jeruel* Vs. 16., quae loca proin cis lacum Asphaltitem, ad littus ejus occidentale, medio fere itinere inter Hierosolymam a borea, et Engedi ab austro, sita fuisse oportet Cf. de hac urbe libr. nostr. *Handb. d. bibl. Alterthumskunde* Vol. II. P. II. p. 295. Ceterum Thecoensi oppido contiguum fuit desertum, quod 2 Paral. 20, 20. מִדְבַּר תְּקוֹעַ *desertum Thekoae*, et 1 Macc. 9, 33. ἡ ἔρημος Θεκωέ nominatur, pars haud dubie majoris illius deserti, quod vel eminenter in describendis finibus Judae הַמִּדְבָּר *desertum*, vel מִדְבַּר יְהוּדָה *desertum Judae* audit, quodque ad occidentem lacus Asphaltitae situm est, Jos. 15, 61. Jud. 1, 16., utpote cujus partes, observante Relando in *Palaest.* p. 375. a vicinis locis alia aliaque acceperunt nomina, ut sunt *desertum Maon* 1 Sam. 23, 2., *desertum Ziph* ibid. Vs. 14., *desertum Engedi* 1 Sam. 24, 2., et *desertum Jeruel* 2 Paral. 20, 16. Jam vero deserta Palaestinae pascualia sunt, et alendis gregibus apta, unde clarius intelligitur, quid hoc sit, quum Noster fuisse dicitur *inter pecuarios ex Thecoa.* Hieronymus in Prologo ad Commentarium in hunc librum: „Ultra [hoc est, ad meridiem Thekoae] nullus est viculus, ne agrestes quidem casae et furnorum similes, quos Afri vocant *mapalia.* Tanta est eremi vastitas, quae usque ad mare rubrum, Persarumque et Aethiopum atque Indorum terminos dilatatur. Et quia humi arido atque arenoso nihil omnino frugum gignitur, cuncta sunt plena pastoribus, ut sterilitatem terrae compensent pecorum multitudine. Ex hoc numero pastorum Amos propheta fuit." אֲשֶׁר חָזָה *Quae* verba (דִּבְרֵי) *vidit*, mentis intuitu, phantasiae suae divinitus oblata, i. e. quae prophetavit; cf. Jes. 1, 1. et ibid. not. עַל־יִשְׂרָאֵל *Super Israel*, latissime accepto; nam post vaticinia contra populos vicinos, usque ad 2, 3., primo nominatim contra Judam, Vs. 4. 5., ac Israelitici regni tribus Vs. 6. seqq. prophetat; posthac vero vaticinatur quidem inprimis contra decem tribus, inter quas per aliquod tempus versatus est (7, 10. seqq.), ita tamen, ut Judaicum regnum, propter paria crimina, subinde conjungat, ut 3, 1. 6, 1. בִּימֵי עֻזִּיָּה מֶלֶךְ יְהוּדָה *In diebus Usiae*, *regis Judae*, qui sequenti Israelitico regi coaevus fuit, 2 Reg. 15, 1. seqq. et 2 Paral. 26. tot. וּבִימֵי יָרָבְעָם בֶּן־יוֹאָשׁ מֶלֶךְ יִשְׂרָאֵל *Et in diebus Jeroboami*, *Joasi filii*, *regis Israelis*, Jeroboami igitur secundi, quem adpositum patris nomen a Jeroboamo primo, Nebati filio, qui Israeliticum regnum condidit, distinguit. Ejus res gestae leguntur 2 Reg. 14, 23—29. Quum autem Usias anno vigesimo septimo Jeroboami II. regnare coeoeperit (2 Reg. 15, 1.), Jeroboamus vero

in universum annos quadraginta et unum regnaverit (14, 23.), igitur, si demas priores XXVII annos regni Jeroboami, remanebunt ei ad minimum XIV anni, quibus quum Usias Judaico, ipse Israelitico regno praefuit. Et inter hos XIV annos, quibus una Usias et Jeroboamus regnaverunt, constringenda videntur Amosi oracula hoc libro literis consignata. HIERONYMUS: „Quando apud Assyrios urbesque Ciliciae regnabat Sardanapalus, de quo insignis Orator: *Turpior*, inquit, *vitiis quam nomine.* Et apud Latinos Procas Silvius, cui Amulius, expulso Numitore germano, successit in regnum. Quo interfecto, congregata pastorum et latronum manu, Romulus sui nominis condidit civitatem.“ שְׁנָתַיִם לִפְנֵי הָרַעַשׁ *Biennio ante terrae motum*, de quo tacent Regum et Paralipomenorum scriptores, neque ejus alibi ulla mentio nisi Zach. 14, 5. his verbis: *Fugietis per vallem montium meorum* cet., *fugietis*, *inquam*, *quemadmodum fugistis propter terrae motum tempore Usiae*, *regis Judae.* Ex quo loco colligitur, primo quidem, fuisse illum terrae motum horribilem, deinde vero, memoriam ejus inde ab Usiae temporibus, usque ad reditum e Babylonico exilio, ac adeo usque ad aetatem Zachariae prophetae, integram ac veluti recentem, sive ex orali traditione, sive ex monumentis historicis mansisse. Sed de anno illius terrae motus nihil traditur. Sunt quidem, qui eodem illum temporis articulo accidisse putent, quo Usias templum ingressus, sacerdotium sibi ambitiose arrogavit, eaque propter lepra percussus est, 2 Reg. 15, 2. 2 Paral. 26. In quorum numero antiquissimus est JOSEPHUS *Antiqq.* L. IX. cap. 10., et post eum Hebraei illi, de quibus HIERONYMUS ad h. l.: „Hic est Ozias, rex Judae, cognomento Azarias, qui indebitum sibi sacerdotium vindicare conatus, lepra percussus in fronte est, quando iram Domini non solum poena ejus, qui sacrilegus fuit, sed et terrae motus ostendit, quem Hebraei tunc accidisse commemorant.“ Quibus accedunt Jarchi, Aben-Esra et Kimchi. Et res foret in vado, si quidem certo constaret, hunc ipsum terrae motum esse, quem Jesajas 6, 4. his verbis commemoraverit: *commoti sunt postes templi.* Sic enim iste terrae motus anno demum illo, quo Usias mortuus est, evenisset, coll. ibid. Vs. 1. Sed miscent Hebraei quae diversa videntur, uti in se, sic temporum rationibus; videlicet ingressum Usiae in templum, terrae motum, et Jesajae visionem ecstaticam, qua templi postes ob Seraphorum clamores contremiscere conspicatus est; quae tria eodem pertinere, nemo asserat, quum ipse ABEN-ESRA ad h. l. fateatur, *hypothesin hanc probari non posse ex Scriptura*, *sed traditione niti.* Ea vero quam sit parum certa, inter omnes satis constat.

2. Totius vaticinii prooemium, complectens quoddam quasi compendium comminationis, non modo contra Israelem, sed ceteras quoque nationes, quibus devastationem denuntiat. יְהוּדָה

וּמִירוּשָׁלַם . . . . מִצִּיּוֹן *Jova e Zione . . . . et ex Hierosolymis*, ubi erat templum, et Jovani cultus sedes, „ut doceret," inquit Hieronymus, „Deum non in Israel urbibus, id est, in Bethel et Dan, ubi erant aurei vituli, nec in metropoli Samaria et Jezrael, sed in vera religione versari, quae illo tempore colebatur in Sion et Jerusalem" יִשְׁאָג *Rugiet*, ad instar leonis, cujus terribili voce cuncta terrentur animantia, 3, 8. Significat, Jovam, cujus numen Hierosolymis colitur, velut leo gregibus rugitu, sic gentibus mox nominandis irae suae demonstratione ingentem incussurum terrorem, quem strages certissima regionum pariter et incolarum sequatur, aut comitetur potius. Comparationem a leonis rugitu desumtam Hieronymus, cujus verba in Prooemio p. 223. adduximus, repetit ex vitae genere, quo Amosus usus est, quippe qui gregum pastor in vastis desertis plerumque versatus sit, in quibus leonum rugitus frequens. Verum et alii prophetae ad exprimendam summam Dei indignationem, qua commotus regioni alicui vastationem inducit, eadem similitudine utuntur, vid. e. c. Jerem. 25, 30. Joel 4, 16. וְיִתֵּן קוֹלוֹ *Edet vocem suam*, quod et infra 3, 4. verbo *rugiet* respondet. Cf. 2 Sam. 22, 14. יַרְעֵם *Tonat e coelis Jova*, וְעֶלְיוֹן יִתֵּן קוֹלוֹ *et Altissimus edit vocem suam.* וְאָבְלוּ *Ita ut lugeant*, 9, 5., i. e. tristi adspectu sint propter horrendam sui desolationem ac incolarum stragem. Cf. Jerem. 12, 11. אֶבְלָה נְשַׁמָּה *Luget desolata* terra. Vid. et Joel 1, 12. נְאוֹת הָרֹעִים *Mansiones pastorum*, quae Joel 1, 19. Ps. 65, 13. נְאוֹת מִדְבָּר *mansiones deserti*, pascua a pastoribus frequentata. Cf. Jerem. 33, 12. נְוֵה רֹעִים מַרְבְּצִים צֹאן *mansio pastorum recubare facientium greges.* וְיָבֵשׁ *Et exarescet*, cf. Joel 1, 12. רֹאשׁ הַכַּרְמֶל *Caput*, vertex (9, 3.) *Carmeli.* „Duo sunt," inquit Hieronymus, „montes, qui vocantur hoc nomine. Alter in quo fuit Nabal Carmelus, maritus Abigail [1 Sam. 25, 5.], ad australem plagam. Alter juxta Ptolemaidem, quae prius vocabatur Acho, mari imminens, in quo Elias propheta flexis genibus pluvias impetravit [1 Reg. 18, 19. 20. 42.]. Sic ergo de Chermel dicit, in quo habitavit Nabal, magis pastorum gregibus convenit, quia est juxta solitudinem. Sin autem de illo, qui vicinus est littori; ad reges et superbiam pertinet regum Israel, quos, imminente captivitate, instar montium desertorum dicit esse vastandos." Sed Carmelum illum, cujus 1 Sam. 24, 5. nec non Jos. 15, 55. mentio fit, Eusebius et Theodoretus negant montem fuisse, sed vicum quendam asserunt ad australem Hierosolymorum plagam, illorum aetate eodem, quo olim, nomine appellatum. Vid. Relandi *Palaest.* p. 695. Praestat igitur, celebrem illum montem Carmel h. l. intelligere, australem ad occidentem tribus Ascher terminum, qui lactis pascuis abundabat (cf. Jer. 50, 19. *Depascet Carmelum et Basanem*), laudaturque a fertilitate sua plurimum Jes. 35, 2. *Desertum laetabitur, quia gloria Libani, et decor Carmeli et Saronis ei dabitur.* Vid. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.*

Vol. II. P. I. p. 102. Acceditque hoc Carmelo accepto major sententiae vis: ipsius quoque Carmeli, montis pascuosi et fertilissimi, vertex, Jova indignante, exarescet. Ita et Jerem. 4, 26. וְהִנֵּה הַכַּרְמֶל הַמִּדְבָּר *en! Carmelus in desertum* est redditus.

3. כֹּה אָמַר יְהוָה *Ita* enim *dixit Jova.* Generale illud oraculum Vs. 2. explicat nunc propheta speciatim et distributive cum appellatione ad varias gentes. עַל־שְׁלֹשָׁה פִּשְׁעֵי דַמֶּשֶׂק וְעַל־אַרְבָּעָה *Propter tria peccata Damasci, imo propter quatuor,* propter tam multa et gravia a Damascenis commissa peccata. Subaudiunt quidam *dixi,* scilicet quae Vs. 4. et 5. sequuntur. Verum possunt haec commodius cum proximo לֹא אֲשִׁיבֶנּוּ connecti, nulla statuta ellipsi, vid. infra. De דַּמֶּשֶׂק vid. not. ad Jes. 17, 1. Verba *propter tria peccata Damasci et propter quatuor* sunt, qui ita capiant: tria delicta Damasci, etsi vindictam meruissent, tamen a me condonata fuissent, sed quia quartum quoque addiderunt, adcoque peccatorum suorum mensuram penitus impleverunt, non possum non ipsos punire. At Lightfoot in *Chronol.* (*Opp.* Vol. I.) p. 95. sic interpretatur: *propter tria* etc., sed speciatim *propter quartum,* collata simili phrasi Prov. 30, 15. 18. 21. Ita quoque Hieronymus explicat, secundum quem sensus hic est: „Si semel meum esset populum prosequutus, aut secundo, darem veniam; nunc vero, cum tertio et quarto crudelis exstiterit, ut captivam multitudinem plaustris ferreis tereret, nonne debeo eum plagis corripere?“ Verum haec numerorum *trium* et *quatuor* conjunctio, repetita Vs. 6. 9. 11. 13. 2, 1. 4. 6., et similes phrases *duo* et *tria,* Job. 33, 29., *tria* et *quatuor* Prov. 30, 15. 18. 21., *sex* et *septem* Prov. 6, 16. Job. 5, 19., *septem* et *octo* Cohel. 11, 2., per synecdochen *multitudinem* designant. Cf. not. ad Job. 5, 19. et Gesenii *Lehrgeb.* p. 702. no. 2. Sic apud Homerum Ulysses horrenda tempestate agitatus in mari *Odyss. E.* 306. *Τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις οἳ τότ' ὄλοντο τροίῃ ἐν εὐρείῃ.* Quem locum Virgilius imitatus est *Aeneid.* 1, 94. seq. *O terque quaterque beati, queis ante ora patrum, Trojae sub moenibus altis, contigit oppetere!* Horatius *Carmin.* 1. Od. 31. *Diis charus ipsis, quippe ter et quater anno revisens aequor Atlanticum.* לֹא אֲשִׁיבֶנּוּ *Non convertam,* avertam, *illud,* quod mox dicturus sum, Vs. 4. 5. Poenas, inquit, quas propositum mihi sumere de illis, non avertam, non revocabo; sed certissime decretum meum exsequar. Cf. Num. 23, 20. וּבֵרַךְ וְלֹא אֲשִׁיבֶנָּה *benedixit* Deus, *nec avertam illud,* non irritum faciam. Recte Chaldaeus nostra verba reddidit: *non condonabo illis.* Ceterum suffixum in אֲשִׁיבֶנּוּ Lightfoot l. c. refert ad קוֹלוֹ *vocem suam,* Vs. 2. עַל־דּוּשָׁם *Propter triturare eorum,* i. e. propterea quod trituraverunt Galaaditas instar frumenti, quod tribulis ferreis subjectum Orientales excutiunt. Erat hoc inter diriora supplicia, vid. Jud. 8, 7. 16. 2 Sam. 12, 31.

coll. 1 Paral. 20, 3. 2 Reg. 13, 7. Prov. 20, 26., et faetitatum in Israelitis fuerat ab Hasaele et Benhadado, quorum proinde mentio fit speciatim Vs. proximo, coll. 2 Reg. 10, 32. 33. 13, 3. 4. בַּחֲרִצוֹת הַבַּרְזֶל *Cum tribulis ferreis.* HIERONYMUS: „Pro *tribulis*, quae Hebraice appellantur *Arsoth*, et a Theodotione translatae sunt *rotae ferreae*, quae nos *plaustra ferrea* interpretati sumus, Septuaginta transtulerunt *serris ferreis* [πρίσσαι σιδηραῖς]. Est autem genus plaustri, quod rotis subter ferreis atque dentatis volvitur, ut, exeussis frumentis, stipulam in areis conterat, et in cibos jumentorum propter foeni sterilitatem paleas comminuat.“ Cf. not. ad Jes. 28, 27. et quos ibi laudavimus. אֶת־הַגִּלְעָד *Gileadem*, i. e. trans-Jordanenses Israelitas, Rubenitas, Gaditas, ac dimidiam tribum Manassis, cf. Vs. 13. Chaldaeus: *incolas terrae Gilead.*

4. וְשִׁלַּחְתִּי *Ideo*, inquam, *missurus sum.* Praefixum ו hic emphasin quandam habet, ut Gen. 3, 5. וְנִפְקְחוּ *quod tunc aperientur.* Et Gen. 17, 14. וְנִכְרְתָה *ea*, anima, *exscindetur.* Ita nexus cum partieula causali עַל Vs. 3. satis est evidens. אֵשׁ *Ignem*, aliqui intelligunt *bellum*, ut Ps. 78, 63. בַּחוּרָיו אָכְלָה־ אֵשׁ *juvenes ejus devoravit ignis.* Aut *hostes*, ut Jer. 48, 45. אֵשׁ יָצָא מֵחֶשְׁבּוֹן *ignis exivit e Hesbona*, וְלַהֶבֶת *et flamma e Sichonitis, quae fines Moabi comedet.* Sed nihil obstat, quo minus h. l. אֵשׁ intelligamus proprie de ignis flamma ab hostibus belli furore incensa, quo urbes consumuntur et vastantur. Idem repetitur Vs. 7. 10. 12. 14. 2, 2. 5. בְּבֵית חֲזָאֵל *In domum*, palatium, *Hasaelis*, qui post Ben-Hadadum I. in Syria regnavit, vid. 2 Reg 8, 15. coll. Vs. 7. 12. וְאָכְלָה אַרְמְנוֹת *Qui consumet palatia*, Vs. 7. 10. 11. 14. 2, 2. 5. בֶּן־הֲדַד *Benhadadi*, secundi ejus nominis regis Syriae, Hasaelis filii, 2 Reg. 13, 3., i. e. magnifica quaeque Damasci palatia, per synecdochen partis insignioris pro toto. Repetita haec comminatio Jerem. 49, 27. Nominantur autem inprimis *Hasaelis* et *Benhadadi* palatia, non modo in antanaclasi ad culpam, qua duo isti reges in Israelitas immaniter saevierant, coll. not. ad Vs. 3. item 2 Reg. 8, 7. 13, 3. 24., verum etiam, quod Damascus illorum tempore inprimis aucta ornataque multis operibus esset, evecta proin, ut videbatur, ad summum felicitatis fastigium. HIERONYMUS: „Dat intelligentiam, quod Azael, regnantibus Ozia et Jeroboam, jam in Syria mortuus erat, et ei in regnum successerat filius suus Benadad, a quo omnes postea reges Aram, id est Syriae et Damasci, Benadad vocabulum possederunt. Unde pulchre non dixit: *mittam ignem in Azael*, sed *in domum Azael*, id est, in domum ejus regium, cui Benadad filius eo tempore praeerat.“

5. וְשָׁבַרְתִּי בְּרִיחַ דַּמֶּשֶׂק *Confringam vectem*, s. vectes *Damasci.* Est autem *vectis* proprie instrumentum, quo portas urbium, aut januas aedium adversus vim muniunt, et ingredi

volentes arcent. Unde illud sequitur, eo effracto patere faciliorem introitum in urbem domumve. Innuit ergo, se patefacturum hostibus aditum in Damascum, ut in ea agant pro libidine. Aut *vecte* per synecdochen significat quamvis munitionem, hoc sensu: faciam, ut Damascus, licet sit munitissima, tamen ab hostibus capiatur. Chaldaeus posuit תְּקוֹף *robur*. Ita et Jes. 45, 2. *Ostia aenea diffringam*, וּבְרִיחֵי בַרְזֶל אֲגַדֵּעַ *et vectes ferreas convellam*. Atque de expugnata Babylonia Jer. 51, 30. נִשְׁבְּרוּ בְרִיחֶיהָ *Effracti sunt vectes ejus*. De Hierosolyma vastata Thren. 2, 9 *Pessumdatae sunt portae ejus*, אִבַּד וְשִׁבַּר בְּרִיחֶיהָ *perdidit fregitque* hostis *vectes ejus*. וְהַכְרֵתִי יוֹשֵׁב *Et exscindam habitantem*, habitatores, ut Vs. 8. מִבְקַעַת־אָוֶן *E valle Aven*, i. e. Syria Damascena, inter Libanum et Antilibanum comprehensa, בִּקְעַת הַלְּבָנוֹן *vallis Libani* etiam dicta, Jos. 11, 17., sicut et κοῖλον πεδίον, *campus concavus*, apud Strabonem, itemque Ἀμύκη, id est, עֵמֶק *vallis*, apud Polybium L. V. a situ inter montes dicitur. Vid. Bochartı *Geograph. Sacr.* L. II. C. 6. 8. Plura vid. in *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 236. et 302. not. 16. Ceterum אָוֶן ut nomen proprium retinuerunt LXX, Chaldaeus et Syrus. Hieronymus vero pro appellativo cepit; dum verba nostra vertit: *et disperdam habitatores de campo idoli*. „*Campum* autem *idoli*," inquit in Commentario, „quod Hebraice dicitur *Aven*, et Septuaginta et Theodotio interpretati sunt Ὦν, Symmachus et Quinta Editio transtulerunt *iniquitatem*, Aquila ἀνωφελοῦς, id est, *inutilem*, ut ostenderet vana idolorum auxilia, quum populus Damasci, Assyrio veniente, capietur." Ita Hos. 10, 5. pro *Bethele* ponitur בֵּית אָוֶן, *domus iniquitatis*, seu *idolorum*, ut denominatione simul regionis culpa notaretur, quemadmodum Babylonia Jer. 50, 38. אֶרֶץ פְּסִילִים *terra sculptilium* vocatur. וְתֹמֵךְ שֵׁבֶט *Et tenentem sceptrum*, Vs. 8., i. e. principes, et regem inprimis, qui apud Homerum simili ratione σκηπτοῦχος, *sceptritenens*, appellatur. Hinc שֵׁבֶט Gen. 49, 10. pro imperandi et judicandi potestate ponitur. Et Chaldaeus recte שׁוּלְטָן *dominator* vertit. מִבֵּית עֵדֶן Exscindam *e domo Eden*, quod est hodiernum nomen regionis et vici Libani in valles Coelesyriae descendere incipientis. Cf. libr. nostr. paulo supra laudat. Vol. I. P. II. p. 290. Grotio עֵדֶן videtur is esse Syriae locus, qui Ptolemaeo *Παράδεισος* nominatur. Hieronymus et hoc nomen appellative reddidit: *de domo voluptatis*. וְגָלוּ *Et exulabunt*, ut 2 Reg. 17, 23. וַיִּגֶל *et exulavit Israel e terra sua in Assyriam*, 25, 21. וַיִּגֶל יְהוּדָה מֵעַל אַדְמָתוֹ *exulavit Juda e terra sua*. עַם־אֲרָם *Populus Aram* i. e Syri. קִירָה *Kiram*, „nomen regionis in solis occurrens scriptoribus Hiskiae coaevis, quae eo tempore Assyriis paruisse videtur: in eam enim deducunt victos Damascenos 2 Reg. 16, 9., populusque *Kir* in exercitu Assyriorum est Jes. 22, 6. Mihi quidem verisimillima ac prope certa eorum sententia, qui regionem ad Cyrum fluvium, Araxi mixtum, inque

mare Caspium illabentem, intelligunt, id vero est, Iberiam. In hunc usque diem nomen suum *Kur*, *Kura*, *Kiir*, retinet, de quo vide *Büschings Magazin* T. X. p 420.“ J. D. Michaelis *Supplemm.* p. 2191. Cf. libr. nostr. modo citat. Vol. I. P. II. p. 102. אָמַר יְהוָה Hoc *dicit*, minatur, *Jova*, a quo quid decretum est, certissime eveniet; Vs. 8. 15. 2, 3. cf. Jes. 1, 20. Ezech. 11, 8.

6. עַל־שְׁלֹשָׁה פִּשְׁעֵי Vid. not. ad Vs. 3. עַזָּה *Gazae*, urbis maritimae Philistaeorum, cujus mentio facta Jos. 10, 41. 11, 22. A Judaeis expugnata legitur Jud. 1, 18., et diu post a Pharaone, Jerem. 47, 1. 5., tandem ab Alexandro Magno eversa, ut docet Strabo *Geograph.* L. XVI. Hinc ἔρημος dicta Act 8, 26. Instaurata postmodum et munita hodienum superstes; vid. Büsching's *Erdbeschreib.* T. XI. Vol. I. p. 451. edit. tert. et libr. nostr. supra citat. Vol. II. P. II. p. 384. seqq. Ponitur autem hic et Vs. 7. per synecdochen pro omnibus *Philistaeis*, in quorum civitatibus facile principem tenebat locum, coll. Vs. 8. Cf. Jer. 47, 1. Zeph. 2, 4. 5. Zach. 9, 5. לֹא אֲשִׁיבֶנּוּ *Non avertam illud*, vid. not. ad Vs. 3. עַל־הַגְלוֹתָם Videlicet (quod quarta et praecipua ipsorum praevaricatio est) *quod captivam* ex patria sua *abduxerunt*, occupatis abductorum sedibus. Factum hoc est inprimis sub Ahaso, cujus tempestate Philistaei cum Edomitis urbes Judaicas invaserunt, 2 Paral. 28, 17. 18., et graviter adflixerunt, Jes. 9, 11. 14, 29. ibidemque not., quamvis et antehac, tempore Jorami, qui cum Edomitis itidem bello implicitus fuit (2 Reg. 8, 20. seqq.), simile quid fecisse potuerint, coll. 2 Paral. 21, 16. 17. *Excitavit Jova adversus Joramum animos Philistaeorum et Arabum, qui facta impressione in Judaeam, praeter omnes in domo regis inventas facultates, etiam ejus filios et uxores abduxerunt.* גְּלוּת שְׁלֵמָה *Captivitatem* (h. l. captivam Israelitarum turbam) *integram*, Vs. 9., i. e. ingenti et pleno quasi numero, nullo aetatis vel sexus discrimine habito, quemadmodum Jeremias 13, 19. תָּגְלָה יְהוּדָה כֻּלָּהּ תָּגְלָה שְׁלֵמִים *deportabitur Juda integra, deportabitur perfecte*, integre. Sic Deut. 25, 15. אֶבֶן שְׁלֵמָה est *pondus integrum*. Jarchi גְּלוּת שְׁלֵמָה recte deportationem talem esse ait, qua nullus evadit. Grotius שְׁלֵמָה *pacificam* vertit, coll. Gen. 34, 21. הָאֲנָשִׁים הָאֵלֶּה שְׁלֵמִים הֵם אִתָּנוּ *viri illi pacato erga nos animo sunt*, quasi hoc dicat vates, Judaeos, qui nihil Philistaeis nocuerant, ab ipsis venditos esse Idumaeis, quasi bello captos. לְהַסְגִּיר *Ad tradendum* eos *conclusos*, sive ad necem, sive ad servitutem, Ps. 31, 9. et ibi not., 1 Sam. 23, 11. 12., infra 6, 8., sicut et Graecis iidem Philistaei captivos Judaeos vilissima mercede venumdederunt, Joel 6, 4. coll. ibid. Vs. 3. 6. לֶאֱדוֹם *Idumaeis*, Judaeorum infestissimis hostibus, coll. Vs. 9., maxime vero Vs. 11. Auget crimen a proposito ac fine Gazaeorum, sive Philistaeorum. Ideo, inquit, transtulistis Judaeos s. Israelitas, ut eos Idumaeis, hostibus maxime infensis, proderetis.

Crudele est, aliquem e solo patrio transferre; crudelius, quem transtuleris, hostibus quos infestissimos habet, tradere.

7. וְשִׁלַּחְתִּי אֵשׁ Vid. not. ad Vs. 4. בְּחוֹמַת עַזָּה *Intra murum Gazae*, ut Jerem. 49, 27. וְהִצַּתִּי אֵשׁ בְּחוֹמַת דַּמֶּשֶׂק *accendam ignem intra muros Damasci.* וְאָכְלָה אַרְמְנוֹתֶיהָ *Et devorabit palatia ejus.*

8. וְהִכְרַתִּי *Insuper exscindam*, Vs. 5. Propheta, ne Vs. 6. de solius Gazae, sed universorum Philistaeorum peccatis egisse videatur, distributive nunc singulis et potioribus urbibus eorum excidium denuntiat, Vs. 7. et 8., quinta tamen, Gath (1 Sam. 6, 17.) omissa: causam reddit Kimchi, quod illa regum Judae esset, Philistaeis a Davide erepta, 1 Paral. 18, 1. coll. 2 Sam. 8, 1. יוֹשֵׁב מֵאַשְׁדּוֹד *Habitatores ex Aschdod*, urbe Philistaeorum munita (Jos. 11, 22.), in ultimis Palaestinae et Judaeae finibus Aegyptum versus, prope mare sita, Jos. 15, 46. 47. Vide de hac urbe et ceteris, quae hic memorantur, Philistaeorum urbibus, *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 373. seqq. et p. 369. seqq. וְתוֹמֵךְ שִׁבֶט Vid. not. ad Vs. 5. מֵאַשְׁקְלוֹן *Ex Ascalone*, urbe regia Philistaeorum (Jos. 13, 3.), in regione tribus Judae sita, Jos. 15, 45. Sed Jud. 1, 18. legitur, tribum Juda cepisse Askalonem, Gazam et Ekronem. Memoratur et Judith. 3, 2. et 1 Maccab. 11, 60. וַהֲשִׁיבוֹתִי *Et convertam*, vid. not. ad Jes. 1, 25. Coccejus: „*itentidem inferam.*“ Jarchi: „iteratis vicibus percutiam.“ Cf. Jerem. 6, 9., ubi hosti aeclamatur post factam in Israelitis racemationem: הָשֵׁב יָדְךָ *reverti fac manum tuam*, i. e. iterum iterumque refer manum tuam, refectis botris plenam. יָדִי *Manum meam*, i. e., Chaldaeo vertente, *plagam potentiae meae*, ut Jes. 1, 25. עַל־עֶקְרוֹן *Super Ekron*, una e quinque Philistaeorum urbibus, Judae attributa, 1 Sam. 6, 17. Jos. 15, 45. וְאָבְדוּ שְׁאֵרִית פְּלִשְׁתִּים *Et peribunt reliquiae Philistaeorum*, qui ex pristinis hostium incursionibus reliqui fuerint, cf. not. ad Ezech. 25, 16., nec non Jer. 25, 20. 47, 4. Sed Hieronymus: „*Et peribunt reliqui Philistim*, quos aut Geth civitatem, aut omnes vicos, qui supradictis urbibus subjacent, debemus intelligere.“

9. עַל־שְׁלֹשָׁה פִּשְׁעֵי־צֹר *Propter tria peccata Tyri*, de qua vid. not. ad Ezech. 26, 2. Junguntur autem Tyrii Philistaeis in comminatione poenae, ceu foederatis, culpaeque sociis et mutuis administris, ut Jerem. 47, 4. Joel 4, 4. לֹא אֲשִׁיבֶנּוּ Vid. not. ad Vs. 3. עַל־הַסְגִּירָם *Propterea quod* vinctam *tradiderunt*, Vs. 6. Deut. 23, 16. Ceterum in libris V. T. historicis hoc momentum diserte quidem non memoratur; dubitari tamen vix potest, quin ad idem tempus, quo Philistaeorum, referenda sit etiam Tyriorum erga Judaeos immanitas, non modo propter vaticinii ordinem, quo Tyrii Philistaeis proxime subjunguntur, verum etiam propter parallelismum Joel 4, 4., ubi simile inhumanitatis exem-

plum utrique genti una exprobratur. גְּלוּת שְׁלֵמָה לֶאֱדוֹם Vid. not. ad Vs. 6. וְלֹא זָכְרוּ *Adeoque* (alii cum Aben-Esra praeter necessitatem relative accipiunt: *qui*, scil. Idumaei) *non recordati sunt*, nullam rationem habuerunt, בְּרִית אַחִים *foederis fratrum*, seu fraterni. „Quaerimus, quomodo Tyrii fratres sint Judaeorum? *Fratres* hic amicos vocat, et necessitudine copulatos, eo quod Hiram, princeps Tyri, cum David et Salomone habuerit amicitias, intantum ut et ille in aedificationem templi atque palatii ligna cedrina ratibus Joppen usque perduceret; et hi frumentum et oleum Tyriis largirentur, et viginti urbes in Basan ei dono darent, quas ille quia gramine plenae erunt, suscipere noluit.“ Haec HIERONYMUS, cui plane consentanea tradit Jarchi. Cf. 2 Sam. 5, 11. 1 Reg. 5, 26. ibidemque Vs. 15., et 9, 13., ubi Salomonem Hiramus diserte *fratrem* nominat. Ita Arabes quoque ﺃَﺥٌ vocant non modo *fratrem* aut *cognatum*, sed quemlibet *fraterno amore junctum.*

10. וְשִׁלַּחְתִּי אֵשׁ וגו׳ Vid. Vs. 7. et ibid. not.

11. עַל־שְׁלֹשָׁה פִּשְׁעֵי אֱדוֹם *Propter tria peccata Edomi*, i. e. populi Idumaici, cujus auctor, Esavus, infesto contra Jacobum animo fuit, Gen. 28, 41. 42., odiumque velut hereditarium ac perpetuum ad posteros propagavit (Ezech. 35, 5.), quippe erga Judaeos et Israelitas tanta aestuantes ira, ut tempore excidii misere adflictis non modo non fuerint compassi, sed insultaverint quoque ἐπιχαιρεκακοί (Ezech. 25, 12. 35, 15. Obad. Vs. 12. 13.), contra Jovam et populum ipsius blasphemi (Ezech. 35, 23), profanis et impiis compotationibus templum contaminantes (Obad. Vs. 16.), hostilis atrociae socii ac administri, Vs. 11. 14. Ps. 137, 7., sanguinarii crudelesque, Joel 4, 19. Obad. Vs. 10. Jerem. 49, 11., ac terram utriusque gentis, Israeliticae ac Judaicae, injuste sibi arrogantes, Ezech. 35, 10., sicut Ammonitae, Jer. 49, 1. לֹא אֲשִׁיבֶנּוּ Vid. not. ad Vs. 3. עַל־רָדְפוֹ בַחֶרֶב אָחִיו *Propterea quod gladio persequutus est fratrem suum*, s. fratres suos, Jacobi posteros, Obad. Vs. 10., ab Isaaco et Rebecca, aeque ac Idumaeos, oriundos, Gen. 25, 25. 26., adeoque cognatos et *fratres*, unde Deut. 23, 8. legitur: *ab Idumaeo ne abhorreas*, כִּי אָחִיךָ הוּא *quia frater tuus est.* וְשִׁחֵת רַחֲמָיו *Et* quod *perdidit miserationes suas*, hoc est, adeo saevus fuit, quasi omnem omnino humanitatem exuisset, ac viscera ad commiserandum adflictis nulla haberet amplius. Similis loquendi formula Ezech. 28, 17. שִׁחַתָּ חָכְמָתְךָ *corrupisti sapientiam tuam.* LXX: *καὶ ἐλυμήνατο μήτραν ἐπὶ γῆς.* Ceperunt רֶחֶם *uteri* significatione, ut Gen. 20, 18. Exod. 13, 2. 12. al. Spectavit interpres Graecus a posteris Esavi persequutione Israelis quasi violatum uterum maternum, qui patribus eorum eodem tempore communis fuerat. Sed plurale רַחֲמִים, quod hic exstat, de interioribus hominis

visceribus, in affectu vehementiori aestuantibus usurpatur Gen. 43, 30. 1 Reg. 3, 26. Et Proverb. 12, 10. רַחֲמֵי רְשָׁעִים אַכְזָרִי *miserationes impiorum sunt crudeles.* Cf. *σπλάγχνα ἔλεους* et *οἰκτιρμῶν* Luc. 1, 78. Coloss. 3, 12., imo et *σπλάγχνα* absolute de *misericordia* 2 Cor. 6, 12. 7, 15. Phil. 1, 8. Sunt, quibus *viscera Edomi* hic notent populum Israeliticum, antea *fratrem ejus* dictum, tanquam ex eodem secum sanguine ortum, quem ille tamen omni modo *perdere* studuerit. Ita Paulus Philem. Vs. 12. Onesimum vocat *τὰ ἐμὰ σπλάγχνα*. Et Latini *in propria viscera saevire* dicunt cives, qui bellis intestinis sese disciduntur. וַיִּטְרֹף אַפּוֹ *Et laniavit*, discerpsit, *ira ejus*, ut Job. 16, 9. טָרַף אַפּוֹ *ira ejus discerpsit* me. Et ibid. 18, 4. טֹרֵף נַפְשׁוֹ בְּאַפּוֹ *discerpens animam suam in ira sua.* Indicatur saevitia ferina, qua in Hebraeos saevierint Idumaei. Ita Ps. 17, 12. דְּמוּנוֹ כְּאַרְיֵה יִכְסֹף לִטְרֹף *similis est* hostis meus *leoni, qui cupit discerpere.* לָעַד *In perpetuum*, ut Mich. 7, 18. לֹא־הֶחֱזִיק לָעַד אַפּוֹ *non retinet in perpetuum iram suam.* Alii, subaudita ante אַפּוֹ particula ב, vertunt: *rapuit in ira sua.* Minime tamen id necesse, estque sensus planus, si *irae* Edomi in Nominativo, id est, Edomo irato, tribuatur, *rapere*, instar crudelis ferae, *in perpetuum*, absque intermissione et fine. Ita Chaldaeus: *et occidit occisione seculorum furor ejus.* Addit vates: וְעֶבְרָתוֹ שָׁמְרָה נֶצַח *et excandescentiam suam servat in perpetuum.* Ita verbum שָׁמַר et Jerem. 3, 5. de ira dicitur: הֲיִנְטֹר לְעוֹלָם אִם־יִשְׁמֹר לָנֶצַח *num retinebit* iram *in aeternum? num servabit* odium *perpetuo.* Et contra de *servanda gratia* et *fide* 1 Reg. 3, 6. 8, 23. Jes. 26, 2. Est autem שָׁמְרָה ipsa radix eum ה paragogico, ut infra 4, 3. וְהִשְׁלַכְתֶּנָה, Jerem. 48, 19. וְנִמְלָטָה, Hos. 7, 4. בֹּעֵרָה, et Deut. 33, 23. יְרָשָׁה. Alii, ut praecedens אַפּוֹ, ita et עֶבְרָתוֹ in Nominativo sumendum putant, et שָׁמְרָה pro feminino habent (quod tamen שָׁמְרָה esset, vid. Job. 10, 12. 24, 15.), ut ita sit vertendum: *et excandescentia ejus observat* scil. rapiendi occasionem, sive insidiatur, coll. Jer. 5, 6. *Caedit eos leo sylvestris, vastat lupus agrestis, vigilat pardus in eorum oppida, ita ut quisquis ex iis prodeat, rapiatur.* Et Hos. 13, 7. *Ero eis sicut leo, sicut pardus ad viam speculator.* Exseruit sese Idumaeorum adversus Hebraeos odium jam ab antiquissimis inde temporibus, eratque pertinacissimum, et nulla temporum serie mitigandum. Quorsum facit historia rei ab Amalekitis, ejusdem cum Idumaeis stirpis, in deserto gestae tempore exitus Hebraeorum ex Aegypto, Exod. 17, 8. sqq. Deut. 25, 17. 18., coll. Exod. 15, 15., et ab omni Edom Num. 20, 18. 20. 21. Jud. 11, 17., sed magis adhue eorum impetus in Hebraeorum ditionem tam tempore Saulis, Davidis et Amaziae, qui eos pereusserunt, 1 Sam. 14, 47. 2 Sam. 8, 13. 14. 2 Chron. 25, 11. seqq., quam tempore Salomonis per Hadad, 1 Reg. 11, 14. 22., tum Josaphato regnante una cum Ammonitis et Moabitis, 2 Chron. 20, 10., sub Joramo,

2 Chron. 21, 8. 2 Reg. 8, 20., sub Ahaso 2 Chron. 28, 16., imo tempore Babylonicae etiam vastationis, Ps. 137, 7. Ezech. 25, 12. 35, 5. Thren. 4, 21.

12. וְשִׁלַּחְתִּי אֵשׁ Vid. Vs. 3. בְּתֵימָן *In Themanem*, „quae," inquit HIERONYMUS, „Idumaeorum regio est, et vergit ad australem partem, quod interpretatur *Theman* [Arabibus تَيْمَن, et Syrus ܬܝܡܢ est *auster*, *meridies*, *terra australis*, proprie *dextrorsum sita*, faciem videliect ad orientem converso]; quae provincia non solum Theman, sed et *Daron* [דָּרוֹם] et *Nageb* [נֶגֶב] dicitur, eo quod Eurum, et Austrum Africumque respiciat." Memoratur Theman, Esavi nepos, Gen. 36, 11. 15. 34., ponitur-que id nomen synecdochice pro tota Idumaea Jerem. 49, 7. 20. Obad. Vs. 8. 9. וְאָכְלָה אַרְמְנוֹת בָּצְרָה *Et devorabit*, consumet, *palatia Bozrae*, urbis Idumaeae, cujus et Jes. 34, 6. 63, 1. Jer. 49, 23. mentio fit. Cf. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 23. Alia Bozra, Moabitica, Jer. 48, 24.

13. בְּנֵי־עַמּוֹן *Ammonitae*, alias una cum Moabitis dicti *Lothi posteri*, qui sedem habuerunt ad orientem septentrionem terrae Canaanis trans Jordanem, pulsis inde gigantibus, *Samsummim* dictis (Deut. 2, 20.), Hebraeorum, a quibus tamen nihil quicquam laesi fuerunt (Deut. 2, 19.), omni aevo infensissimi hostes, Ps. 83, 8. 9., cf. 1 Sam. 11, 1. seqq. וְעַל־אַרְבָּעָה לֹא אֲשִׁיבֶנּוּ Vid. not. Vs. 3. עַל־בְּקָעָם *Propterea quod disciderunt*, similis forma Infinitivi, מְכָרָם, infra 2, 6. הָרוֹת *Gravidas*, quibus sexus et status atque foetus nascituri respectu fuisset parcendum. Factum hoc fuerat regnante Hasaele, 2 Reg. 8, 12. coll. 2 Reg. 15, 16. Hos. 14, 1. הַגִּלְעָד *Gileaditidis*, vid. supra Vs. 3., quae regio Ammonitis finitima erat, unde illius incolis prae aliis Israelitis nocuerunt. לְמַעַן הַרְחִיב אֶת־גְּבוּלָם *Ut terminum suum dilataret* (cf. phrasin Exod. 34, 24.), q. d. horrendo immanitatis genere usi sunt, nullis quidem lacessiti injuriis, sed sola finium proferendorum πλεονεξίᾳ instimulati. Ceterum Ammonitae Gileadem, scu Gaditarum regionem, jure quodam repetundarum, jam olim Jephtae temporibus postulaverant, vid. Jud. 11, 13. seqq.

14. וְהִצַּתִּי אֵשׁ *Ego vero incendam ignem*, Jerem. 11, 16. 21, 14. Thren. 4, 11. בְּחוֹמַת רַבָּה *In muro*, intra muros (Vs. 7. 10.) *Rabbah*, quae Ammonitarum metropolis, 2 Sam. 12, 26. seqq. Jerem. 49, 2. Theodoretus: Ῥαββὰθ δὲ καλεῖ πᾶν Ἀμμὰν τὴν μητρόπολιν, ἣ νῦν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ Φιλαδέλφα μὲν τῇ Ἑλλάδι φωνῇ, Ἀμμὰν δὲ τῇ Σύρων προσαγορεύεται. וְאָכְלָה אַרְמְנוֹתֶיהָ Vid. Vs. 4. בִּתְרוּעָה *In* vel *cum barritu*, vid. Jerem. 4, 19. 49, 2. תְּרוּעַת מִלְחָמָה dictus. Cf. Jos. 6, 20., ubi in historia expugnationis Hierichuntis: *quum audiret populus tubarum so-*

num, וַיָּרִיעוּ הָעָם תְּרוּעָה גְּדוֹלָה *ingenti clamore fremebant.* Et Ezech. 21, 22. de Babyloniis urbem Hierosolymitanam oppugnantibus: לְהָרִים קוֹל בְּתְרוּעָה *edendo sonitum cum fremitu.* בְּיוֹם מִלְחָמָה *in die belli*, ut Hos. 10, 14., cf. Zach. 14, 3. בְּיוֹם קְרָב *die conflictus.* בְּסַעַר בְּיוֹם סוּפָה *In turbine die tempestatis*, i. e. in horrendo hostium urbes expugnantium atque diruentium tumultu.

13. וְהָלַךְ מַלְכָּם *Ibit rex eorum*, Ammonitarum. Alii *Molochum*, Deum, *eorum*, quem *regem* vocare solerent, intelligunt; vel simpliciter *Malcam* nomen idoli Ammonitici fuisse existimant, coll. Jerem. 49, 1. 3., quorum locorum posteriore legitur: מַלְכָּם בַּגּוֹלָה יֵלֵךְ כֹּהֲנָיו וְשָׂרָיו יַחְדָּיו, quod vertunt: *Malcam in exsilium ibit una cum sacerdotibus et principibus suis*, quemadmodum 48, 7. de Camoscho, Moabitarum idolo, eadem phrasi dicitur: וְיָצָא כְּמוֹשׁ בַּגּוֹלָה כֹּהֲנָיו וְשָׂרָיו יַחְדָּו *exibit Camosch in exsilium, una cum sacerdotibus et principibus suis.* Cf. Zeph. 1, 5. הַמִּשְׁתַּחֲוִים לַיהוָה וְהַנִּשְׁבָּעִים בְּמַלְכָּם *qui per Jovam jurant, et qui* simul *per regem*, vel deum suum, *jurant.* Idem illud idolum vocatur 1 Reg. 11, 5. מִלְכֹּם שִׁקּוּץ עַמֹּנִים *Milcom, abominandum Ammonitarum idolum*, et paulo post Vs. 7. מֹלֶךְ שִׁקּוּץ עַמּוֹן, nec non מַלְכָּם, addito suffixo secundae pluralis personae, apud Nostrum, infra 5, 26. Ita notabitur et gentis Ammoniticae culpa, idololatria, et ejusdem poena, quod ipsorum supremum confugium non posset vel eripere eos, vel ipsum evadere, coll. Hos. 10, 5. 6. Jes. 46, 1. Verum quum nostro loco nihil deprehendatur in textu, quod ad restrictam illam *idoli* notionem nos ducat, neque de idolorum cultu, sed de populi sui afflictione Deus queratur, et *regi* huic jungantur non *sacerdotes*, sed *principes*, *rex* vero heic respondeat *sceptrifero*, Vs. 5. 8, atque *judici* 2, 3.; videtur potius intelligi homo apud Ammonitas supremae potestatis, in Rabbah residens, qualis memoratur Nahasch, 1 Sam. 12, 2., Chanun, 2 Sam. 10, 1, 2., et Balis, Jerem. 40, 14. בַּגּוֹלָה *In exsilium*, ut Ezech. 25, 3. *Quoniam tu*, gens Ammonitica, *insultasti generi Judaeorum*, כִּי הָלְכוּ בַּגּוֹלָה *quod ivissent in exsilium.* וְשָׂרָיו יַחְדָּו *Et principes ejus* regis, regni proceres, *pariter*, una cum illo. Quibus מַלְכָּם est idolum Moloch, ii *principes Ammoniticos* dictos observant *principes Molochi*, quod ejus cultores essent; collatis locis Jer. 48, 7. 49, 3., quos supra attulimus. HIERONYMUS: „Idolum Ammonitarum, quod vocatur Melchom, id est, *rex eorum*, feretur in Assyrios, et *principes ejus*, id est, sacerdotes ejus, pariter abducentur.“

CAP. II.

Argumentum.

Post denuntiatas Moabitis poenas (Vs. 1—3.), vates ad suos populares oratione conversa primo Judae comminatur supplicia (Vs. 4. 5.), tum vero praecipue Israelitis, sive decem tribuum regno, in quo quidem argumento ita versatur, ut prius peccata ab eis commissa exponat, et ingrati erga Jovam animi crimen eis exprobret (Vs. 6—12.), deinde poenas propterea merito iis infligendas, et nullo modo effugiendas denuntiet (Vs. 13—16.).

1. עַל־שְׁלֹשָׁה — לֹא אֲשִׁיבֶנּוּ Vid. not. ad 1, 3. De Moabitis vid. Argumentum vaticinii Jesajani C. 15. 16. עַל־שָׂרְפּוֹ עַצְמוֹת מֶלֶךְ אֱדוֹם לַשִּׂיד *Propterea quod combussit ossa regis Edom in calcem*, cremavit illa sicut crematur ea materia, e qua fit calx. Ita Jes. 33, 12. וְהָיוּ עַמִּים מִשְׂרְפוֹת שִׂיד *Erunt populi* quasi *in calcem cremati.* Alii cogitarunt de usu calcis ad struendas atque exornandas aedes, ad quam rem cineres combusti regis volunt adhibitos. Ita Chaldaeus: *combussit ossa regis Edom, et oblevit illa sicut calcem in domo.* Sed in phrasi Hebraea nihil est, quod istum combussorum ossium abusum innuat, quem ad crimen Moabitarum exaggerandum excogitasse videntur. HIERONYMUS: „Tradunt Hebraei, „ossa regis Idumaeae jam sepulti, qui cum Joram rege Israel, et Josaphat, rege Juda, adscenderat adversum Moab, in ultionem doloris a Moabitis postea convulsa ac succensa.“ Sunt, qui nostro loco respici existiment ad illud, quod 2 Reg. 3, 26. 27. factum narratur a Mesa, Moabitarum rege, qui, Joramo et Josaphato regnantibus, a junctis Judaeorum, Israelitarum, et Idumaeorum viribus ad extremam angustiam redactus, cum viris septingentis gladio stricto perrumpere ad regem Idumaeae conatus sit; quod quum non posset, acceperit filium ejus (אֶת־בְּנוֹ) primogenitum, qui post eum regnaturus erat, eumque super moenibus immolavit. Hoc igitur interpretantur de filio regis Idumaei, quem vates hic *regem* appellet, quod regni heres destinatus esset. Alii vero cum JOSEPHO (*Antiqq.* 9, 3.) laudato libri Regum loco intelligendum existimant proprium regis Moabitici filium a patre Molocho immolatum. Sane quod Noster *ossa* tantum regis Idumaei a Moabitis cremata memorat, magis illud commendat, quod ab Hebraeis traditum refert Hieronymus, cujus cf. quoque verba ad Vs. 4. adducenda.

2. וְשִׁלַּחְתִּי אֵשׁ *Ideo missurus sum ignem*, Vs. 5., cf. not. ad 1, 4. בְּמוֹאָב *In Moab*, „vel metropolim,“ inquit Hieronymus, „Moabitarum, a qua tota est appellata provincia, vel universam provinciam.“ Cf. infra Vs. 5., ubi Deus *in Judam* ignem se missurum esse minatur. וְאָכְלָה אַרְמְנוֹת Vs. 5. 1, 4. הַקְּרִיוֹת LXX vertunt appellative (καὶ καταφάγεται τὰ θεμέλια) τῶν

πόλεων αὐτῶν, nam singulare קְרִיָּה *urbem* significat, Deut. 2, 36. 3, 4. Chaldaeus vertit בִּרְבָא *arx* s. *munitio;* haud constat, num collective intellexerit, an vero de una aliqua arce cogitaverit. HIERONYMUS scribit *Carioth*, notatque, „esse nomen urbis." EUSEBIUS in libro *de Locis Hebraicis:* „*Carioth* in regione Moabitarum, sicut Jeremias scribit." Sane memoratur Jer. 48, 24. inter alias Moabi urbes et קְרִיּוֹת. KIMCHI eam pro terrae Moabiticae metropoli habet, id quod inde fortasse collegit, quod nostro loco urbs illa in terra Moabitica sola memoratur, et *judex* et *principes* in ea constituuntur Vs. 3. (ubi tamen cf. not. ad מִקִּרְבָּהּ). Nomen ipsum quoque *urbis* κατ' ἐξοχήν, imo *urbium*, terminatione plurali, illius amplitudinem innuere videtur, quae una plures quasi urbes complecteretur, in quas etiam ob situm varium diversarum partium divisa esse potuit, ut plures aliae veteres et hodiernae civitates. Sunt, qui urbem hoc loco memoratam haud diversam existiment a קִיר־מוֹאָב, Jes. 15, 1. וּמֵת בְּשָׁאוֹן *Et moriens* erit, peribit, *in tumultu* bellico, de quo idem nomen Jerem. 46, 17. Hos. 10, 14. dicitur. מוֹאָב *Moabus*, i. e. populus Moabitarum. בִּתְרוּעָה *In barritu*, inquam, vid. not. ad 1, 14. בְּקוֹל שׁוֹפָר *Cum voce tubae* bellicae, cf. infra 3, 6. Jerem. 4, 19. Similiter Aeneas in narratione de urbis Trojanae excidio apud VIRGILIUM *Aeneid.* 2, 313. *Exoritur clamorque virûm clangorque tubarum.*

3. וְהִכְרַתִּי שׁוֹפֵט *Et excidam judicem*, quod quidam collective sumunt, q. d. judicem superioris et inferioris ordinis, regem et principes. Verum quum *principum* in altero hemistichio seorsim fiat mentio, praestat, simpliciter *illum* intelligere, *apud quem summa* erat inter *Moabitas judicandi potestas*, summum judicem, *Suffetem* voce Punica Carthaginiensibus dictum. Cf. תּוֹמֵךְ שְׁבָט 1, 5. et Jes. 33, 22. יְהוָה שׁוֹפְטֵנוּ יְהוָה מְחֹקְקֵנוּ יְהוָה מַלְכֵּנוּ *Jova judex noster, Jova imperator et rex noster.* Hoc igitur vult vates: desinet suis legibus vivere Moabitis, parcet in posterum exteris regibus. מִקִּרְבָּהּ *E medio ejus*, urbis scil. קְרִיּוֹת Vs. 2., metropoleos, ut nonnulli volunt, vid. not. ad Vs. praecedentem. Sed nihil obstat, quo minus suffixum ad nomen מוֹאָב refertur, quod modo ut masculinum, modo ut femininum construitur, prout respectus fuerit vel ad populum, vel ad regionem; vel ad terminationem, vel ad significationem. וְכָל־שָׂרֶיהָ אַהֲרֹג *Et omnes principes ejus*, Moabi, *occidam*, quemadmodum Jova Idumaeis minatur apud Jesajam 34, 12. וְכָל־שָׂרֶיהָ יִהְיוּ אָפֶס *et omnes ejus optimates existere desinent.* עִמּוֹ *Cum eo*, populo Moabitico, vel *judice* supremo, s. rege.

4. עַל־שְׁלֹשָׁה פִּשְׁעֵי יְהוּדָה *Propter tria peccata Judae*, i. e. regni duarum tribuum, quod a tribu praecipua et regia denominabatur, cujus metropolis Hierosolyma, Vs. 5. Et Judaeos igitur tangit propheta, ut adeo Israelitae, contra quos vaticinatur

potissimum, objicere non potuerint, quasi ipsis tantummodo asper esset, popularibus vero suis blandiretur. Cf. 6, 1. עַל־מְאָסָם אֶת־תּוֹרַת יְהוָה *Propterea quod repudiarunt legem Jovae*, ut de Judacis 2 Reg. 17, 15. וַיִּמְאָסוּ אֶת־חֻקָּיו *repudiarunt statuta ejus*, Jovae. Jes. 5, 24. Judaeorum reipublicae interitus denuntiatur, כִּי מָאֲסוּ אֵת תּוֹרַת יְהוָה *quod repudiarunt legem Jovae.* Cf. et Hos. 4, 6. וְחֻקָּיו לֹא שָׁמַרְתָּ *Et statuta ejus non servarunt*, ut 2 Reg. 17, 19. גַּם־יְהוּדָה לֹא שָׁמַר אֶת־מִצְוֹת יְהוָה *Juda quoque non observavit praecepta Jovae, Dei sui.* וַיַּתְעוּם *Et seduxerunt eos*, ita verbi תָּעָה *erravit*, forma Hiphil Jerem. 23, 13. de falsis prophetis: וַיַּתְעוּ אֶת־עַמִּי *seduxerunt populum meum;* et ibid. Vs. 32. eadem verba repetuntur. כְּזִבְיָהֶם *Mendacia sua*, i. e. idola, ut recte Hieronymus vertit, simulacra conficta, eorumque cultus superstitiosus atque flagitiosus, quo sese a veri Dei cultu ac pietate abduci passi sunt. Decretis atque statutis Jovanis, quae ejus cultores observant, opponitur *mendacium*, quod illi sequuntur, qui spreto Jova alios Deos colunt; ita Ps. 119, 163. שֶׁקֶר שָׂנֵאתִי וָאֲתַעֵבָה תּוֹרָתְךָ אָהָבְתִּי *mendacium*, falsum, *odi et aversor, legem tuam amo.* אֲשֶׁר־הָלְכוּ אֲבוֹתָם אַחֲרֵיהֶם *Post quae iverunt patres eorum*, i. e. quae vana et mendacia numina majores sui olim coluerunt, non tantum Abrahami tempore in Chaldaea, verum et in Aegypto, de quibus plura infra 5, 25. 26. הָלַךְ אַחֲרֵי *Ire post aliquem*, i. e. sequi, dicitur de cultu religioso tam Jovae, ut Deut. 13, 5., quam simulacrorum, ut Deut. 4, 3.

5. וְאָכְלָה אַרְמְנוֹת יְרוּשָׁלָם Vid. Vs. 2. 1, 4. 7. וְשִׁלַּחְתִּי אֵשׁ *Consumetque palatia Hierosolymae*, id quod etiam Hoseas praedixit 8, 14.

6. Praeparatis hactenus ad attentionem *Israelitarum*, sive regni decem tribuum incolarum, animis, jam demum ad praecipuum hujus libri argumentum descendit propheta. Hieronymus: „Idcirco ponit levissimum Israel, id est, decem tribus, quoniam prope omnia, quae sequuntur, ad ipsum scripta praediximus, ut sub uno textu sermo propheticus libri ordinem contineret.“ עַל־מְכָרָם *Propterea quod vendunt*, acceptis contra innocentes muneribus, vid. infra 5, 12. Infinitivi cum suffixo forma eadem, quae supra 1, 13. בְּקָעָם. בַּכֶּסֶף *Pro argento*, ita ב *propter*, *pro* et Joel 4, 3., ut infra in loco parallelo 8, 6. צַדִּיק *Justum*, qui justam in foro habet causam, ut Exod. 23, 7. נָקִי וְצַדִּיק אַל־תַּהֲרֹג *insontem et justum ne interficito.* כִּי לֹא־אַצְדִּיק רָשָׁע *nam ego iniquum non absolvam*, Jes. 5, 23. *Qui sontes absolvunt ob munera*, וְצִדְקַת צַדִּיקִים יָסִירוּ מִמֶּנּוּ *et insontibus jus suum eripiunt.* Cf. Prov. 17, 15. 24, 23. 24. Ceterum *justum* collective capiendum patet, ut mox *pauperem* pro *pauperes*. Q. d. pauperes, justam in judicio causam habentes, calumnia opprimunt, pro accepto argento, iniqua eis et falsa crimina impingentes, quo sibi,

vel ditioribus, quibus favent, corum agros et praedia vindicent. Vel: pro divitibus, a quibus munera accipiunt, adversum pauperes judicium ferunt. וְאֶבְיוֹן *Et* quod *pauperem* insontem vendunt, cf. infra 4, 1. בַּעֲבוּר נַעֲלָיִם *Pro pari calceorum*, i. e. vilissimo quovis pretio, proverbialis loquutio, ut infra 8, 6. et Ezech. 13, 19. *pro pugillo hordei et frusto panis*, aut *pro vino*, Joel 4, 3. Exiguo munusculo se corrumpi patiuntur, ut pauperem in judicio opprimant et condemnent. Memores non erant illius sententiae, quae Deut. 16, 19. legitur: *Ne pervertas judicium*, *nec habeas personarum rationem*, וְלֹא־תִקַּח שֹׁחַד *nec munus accipias; siquidem munus oculos sapientum excaecat*, *et orationem justorum pervertit.* Quidam Hebraeorum *calcei* mentionem referunt ad plenam possessionem indicandam, quae exuto calceo, et tradito ei, cui aliquid vendebatur, solebat confirmari, vid. Ruth 4, 7. 8. Quo KIMCHI existimat, respexisse Chaldaeum interpretem, qui pro בַּעֲבוּר נַעֲלָיִם posuit בְּדִיל דְּיַחְסִינוּן *ut possideant.* Verum videtur Chaldaeus simpliciter significasse, illos pauperem opprimere, ut quoquomodo, et undecunque rem faciant, et vel ob vile lucellum, ut vel calceos suae possessioni adficiant. Sed praestat sensus, quem supra attulimus, cetera sunt argutiora.

7. Ad verba הַשֹּׁאֲפִים עַל־עֲפַר־אֶרֶץ בְּרֹאשׁ דַּלִּים explicanda observandum est, שָׁאַף proprie *anhelare*, *aërem attrahere* significare, ut Jerem. 2, 24. 14, 6. de onagris dicitur שָׁאֲפוּ רוּחַ *attrahunt ventum;* tum per metaphoram designat, *rei alicui inhiare*, omni conatu ad obtinendum sive rapiendum quid adspirare, vid. Job. 5, 5. Ezech. 36, 3. et ad ea loca not. nec non infra 8, 4. Et his quidem locis verbum sequitur nomen illud quod rem indicat, quam quis anhelat, in Accusativo positum, nostro loco autem nomini praefixa particula עַל, qua tendentia (sit venia verbo!) anhelitus *ad* rem desideratam exprimitur. Nec sic tamen in sensu verborum hebraeorum explicando plane consentiunt interpretes. Sunt, qui hoc modo exponant: *et qui anhelant pulverem terrae pro capite tenuium*, i. e. pro consequendo agello non dubitant ad necem venumdare pauperem. Observant, עֲפַר־ אֶרֶץ dici quoque terram, quatenus colitur et fruges gignit, ut Job. 8, 19 וּמֵעָפָר אַחֵר יִצְמָחוּ *et ex humo alia germinant.* Et ibid. 14, 19. תִּשְׁטֹף סְפִיחֶיהָ עֲפַר־אֶרֶץ *exundat eluvio ejus* (aquae) *humum.* Alii, ut Vater: *inhiant pulveri terrae in capite tenuium*, q. d. ita alienorum bonorum cupiditate incensi sunt, ut et ipsi inhient pulveris pugillo, quod suo egenus capiti inspersit, luctus significandi causa, vid. Job. 2, 12. Thren. 2, 10. Ezech. 27, 30. Ego malim: *qui in id anhelant*, et toti in hoc incumbunt, *ut sit pulvis* (לִהְיוֹת עָפָר pro עַל־עָפָר) *in capite tenuium*, i. e. ut humi eos raptent et distrahant; ut eorum capita pulvere terrae, quam calcant suis pedibus, aspergant et compleant, ut oppressione sua vexatos in luctum conjiciant. Ita duo praestan-

tissimi inter Hebraeos interpretes, JARCHI et KIMCHI, qui posterior nostrum locum ita declarat: „Dictio הַשֹּׁאֲפִים *absorbendi* notionem obtinet, per hyperbolen, estque cognata significatio *spectare, intentum esse in rem aliquam*, ut infra 8, 4. הַשֹּׁאֲפִים אֶבְיוֹן *qui deglutiunt*, s. absorbere cupiunt *pauperem.* Sensus est: judices existunt, qui in in inhient, spectent, et intenti sint, ut sit pulvis terrae in capite egenorum, dum utuntur ministris, qui nisi dent pauperes ex ipsorum praescripto, quod ipsi postulant, eos arreptis capillis ad terram dejiciunt, conculcantque, ut hoc modo capita eorum pulvere oppleantur.“ וְדֶרֶךְ עֲנָוִים יַטּוּ *Et viam mansuetorum*, modestorum, summisse de se sentientium, *declinare faciunt*, i. e. pervertunt, causam bonam technis suis et strophis ita intricant, ut exitum inde nullum inveniant miseri, et tandem causa cadant. Cf. infra 5, 12. עֲנָוִים *Mansueti*, et עֲנִיִּים *afflicti*, non multum differunt, quum ii, qui modeste de se sentiunt, qui sunt proprie עֲנָוִים, fiant improborum fere et potentiorum elatorumque injuriis opportuni et expositi, ab omni scilicet aculeo et vindictae studio alieni, unde fere sunt עֲנִיִּים revera pauperes *afflicti*, qui ad rem non sunt attenti, sed satis illis est, habere unde hanc vitam tueantur quoquo modo; et rursum qui hujusmodi sunt, fere modesti, עֲנָוִים, esse soleant. Hinc ubi עֲנִיִּים in contextu scribitur, ferente sensu, videas Masorethas in margine notasse legendum עֲנָוִים, et contra, ubi scribitur עֲנָוִים, legendum עֲנִיִּים, id magis postulante sententia. Sic Masora magna ad Ps. 9, 13. notat, *quinque* locis (Ps. 9, 13. 10, 12. Prov. 3, 34. 14, 21. 16, 19.) in textu scribi עֲנִיִּים, pro quo in margine עֲנָוִים legi jussum; contra *bis* (Jes. 32, 7. Ps. 9, 19.) in textu עֲנָוִים scribi, pro quo in margine עֲנִיִּים legendum praecipitur. Ad nostrum vero locum Masora parva hanc notam habet: ה׳ סבי׳ ענים *quinque putantur* (סְבִירִין) עֲנִיִּים, id est, quinque locis ab aliquo existimari posse, ferente ita sensu, legendum esse in textu עֲנִיִּים, sed nihil mutandum esse, quum עֲנָוִים illis locis sit genuinum. דֶּרֶךְ *Viam*, i. e. judicium, quod *viae* comparatur quoque Prov. 17, 23. *Munus e sinu profertur* לְהַטּוֹת אָרְחוֹת מִשְׁפָּט *ad pervertendum semitas judicii.* Ita et Exod. 18, 20. Hinc Chaldaeus nostra verba vertit: *et judicium*, causam, *obscurorum pervertunt.* Alii *viam* ut sonat accipiunt, et dictionem: *viam mansuetorum declinant*, sic exponunt: cogunt eos de via cedere, quasi metu illorum vel in publico apparere non audeant, vel certe prae fastu eos cogunt sibi in itinere et ubique cedere, nullum usquam pauperibus aut modestis hominibus locum relinquentes. In quam sententiam de improbis dicitur Job. 24, 4. יַטּוּ אֶבְיוֹנִים מִדֶּרֶךְ *ab itinere declinare faciunt*, dimovent, *inopes.* Alii: *declinant viam pauperum*, id est, illos dedignantur prae fastu, sublimius de se sentientes. Sed retinendus est sensus primo loco expositus, ut simplicior. Addit, illos etiam incestum committere: וְאִישׁ וְאָבִיו יֵלְכוּ אֶל־הַנַּעֲרָה *Et vir*, i. e. quispiam,

et pater ejus, filius simul et pater, *eunt ad*, adeunt *puellam* eandem, ut recte LXX: εἰσεπορεύοντο πρὸς τὴν αὐτὴν παιδίσκην, *cum eadem puella rem habent*, quod inter illicitos alios concubitus a Deo prohibitum esse, scire poterant e Levit. 18, 18. יֵלְכוּ אֶל *Eunt ad* puellam, i. e. cum ea concumbunt, ut Prov. 6, 29. הַבָּא אֶל־אֵשֶׁת רֵעֵהוּ *qui ingreditur ad uxorem socii sui.* Cf. Gen. 38, 16. PROPERTIUS ita loquitur de meretricula *Eleg.* L. II. 21. *Nec sinit esse moram si quis adire velit.* Nomine נַעֲרָה intelligitur vel lasciva *puella*, unde fictum apud Poetae *Neaerae* nomen pro *amica*, seu *pellice;* vel *serva*, ut Ruth 2, 8. 22. 23., quam duci ab hero, vel heri filio conveniebat, Exod. 21, 8. 9., ita ut vel noverca filio esset, vel patri nurus, ac adeo alterutri illicita. Eundem incestum Judaeis exprobrat Ezechiel 22, 11. *In te et vir cum alterius uxore flagitium commisit, et socer nurum incestu polluit* [וְאִישׁ אֶת־בַּלָּתוֹ טִמֵּא בְּזִמָּה] *et sororem frater eodem patre natam compressit.* לְמַעַן *Propterea ut*, seu, quasi hoc data opera intenderent, *ut* etc. Particula haec *finem* et *propositum* notat, ut Jer. 7, 19.: *quasi vero me aegritudine adficerent, inquit Jova, et non potius se ipsos*, לְמַעַן בֹּשֶׁת פְּנֵיהֶם *ut* hac re *fronti suae pudorem concilient.* Cf. 44, 8. Ita et hic: לְחַלֵּל אֶת־שֵׁם קָדְשִׁי *ut profanent nomen meum sanctum*, ut Levit. 20, 3.: *eum ergo hominem exscindam e suorum numero, ut qui de sua sobole Molocho dederit, et ita sacrarium meum polluerit*, וּלְחַלֵּל אֶת־שֵׁם קָדְשִׁי *et sanctum meum nomen profanaverit.* Cf. Lev. 22, 32. Ezech. 20, 39. Mal. 1, 12. Incesto illo concubitu profanabant nomen Dei, quod *sanctum* est, ut et ipse *sanctus* vocatur, et vult, ut sui etiam sancti sint. Levit. 19, 2. *Sancti estote, quoniam sanctus ego Dominus Deus vester sum.* Quemadmodum Deus honoratur, cum vivitur ex ejus lege, ita ut homines propter vitam nostram sanctam illum honorent et sanctum praedicent; sic violatur illius nomen, cum talia committuntur tam enormia flagitia, quae quum a Dei populo, qui appellatur, vident externi committi, nomen Jovae dedecorant, dicendo: si talis tantusque esset illorum Deus, ejus cultores talia ab honestate naturali aliena non commissuros. GROTIUS: „Ostendit, quid inde sit consequutum. Dicebant gentes profanae: en populum Dei! 2 Petr. 2, 2.“ Ita Ezechiel 36, 20. *Illi vero, ut ventum est in nationes, in quas venerunt*, וַיְחַלְּלוּ אֶת־שֵׁם קָדְשִׁי *profanarunt nomen meum sanctum, dum diceretur eis: isti* sunt *Jovae populus, et* tamen *ex ejus terra migrarunt.*

8. וְעַל־בְּגָדִים *Et super vestibus*, seu *stragulis.* Chaldaeus: *super lectis.* Nam בֶּגֶד notat etiam quod insternitur vel substernitur cubanti, ut שִׂמְלָה, velum quadratum satis magnum, reliquis vestibus, totique corpori circumdatum, cui se pauperes noctu involvebant dormituri, vid. not. ad Exod. 22, 25. De involucro dormitorio בֶּגֶד accipiendum 1 Reg. 1, 1.: *quum David,*

rex, senex esset, וַיְכַסֻּהוּ בַּבְּגָדִים *contexerunt eum vestibus,* involucris. Hinc Num. 4, 6. 7. 8. 9. 11. 12. 13. de velo ponitur, quo res sacrae, candelabrum, altare et alia involvuntur. Et 1 Sam. 19, 13. dicitur de stragula, qua imagines Theraphim lecto impositas Michlal texit. Latine quoque *vestis* nomen etiam quae pulvinis ad mensam et aliis lectis insternuntur, quaeque *stragulae vestis* nomine veniunt, complectitur. חֲבָלִים *Pignoratitiis,* pignoris loco acceptis, quas ante solis occasum pauperibus reddi lex postulabat Exod. 22, 25. 26. *Si alterius vestem* (שַׂלְמַת רֵעֶךָ) *in pignus acceperitis, ante solis occasum reddito, nam id unum habet operimentum, eum cuticulae amictum, in quo recubet.* יַטּוּ *Inclinant* se s. corpora sua, ex discumbendi more veteribus usitato, quo epulantes ad mensam non, ut hodie, sederunt, sed accubuerunt, reclinata supera parte corporis in cubitum sinistrum, infera in longum porrecta et jacente, capite leviter erecto. Ab ista igitur reclinatione corporis ita occumbentes hic *reclinare se* dicuntur, ut Graece similiter *κατακλίνειν*, uti docent interpretes ad illud Horatii *Od.* L. I. 27, 8.: *Et cubito remanete presso,* i. e. sinistro cubito pulvillis innixo. Latine quoque *reclinari* dicuntur. Horatius *Od.* L. II. 3, 7. 8. *Seu te in remoto gramine per dies festos reclinatum bearis.* Hinc lectus epulantium discubitorius dicitur מִטָּה, a נָטָה *inclinavit, reclinavit se.* Vid. Ezech. 23, 41. Esth. 1, 6. et praesertim 7, 8., ex quo loco disces, antiquam hanc accumbendi consuetudinem fuisse: *Rex ex hortis in coenationem reversus Hamanem* נֹפֵל עַל־הַמִּטָּה *jacentem ad lectum, in quo erat Esther, conspicatus* etc. Addit Judith 12, 15. *Stravit ancilla e regione Holofernis pelles humi, quas a Bagoa in ejus quotidianum usum acceperat, super quibus accumbens illa cibum caperet.* Cf. Joh. 13, 23. 28. Exaggerat illorum culpam, hisce additis verbis: אֵצֶל־כָּל־מִזְבֵּחַ *juxta omne altare,* quum ad unum duntaxat altare adorare liceat in templo Hierosolymitano, illi eo relicto ad omnes passim aras sua idola colunt, idololatriae insuper oppressionem pauperum adjungentes, dum palam vestes pignoratitias pauperum in ea loca afferunt, ubi idolis suis serviunt. Multitudinem altarium Israelitis decem tribuum exprobrat Hoseas 8, 11.: הִרְבָּה אֶפְרַיִם מִזְבְּחוֹת *facit Ephraim multas aras ad peccandum; arae sunt ei causa peccati.* וְיֵין עֲנוּשִׁים *Et vinum mulctatorum,* i. e. eorum, quos ipsi injuste mulctarunt, seu innocentibus per calumniam extortum. Chaldaeus recte: *vinum rapinae,* seu *violentiae,* id est, inique partum et comparatum e facultatibus eorum, quibus injustam mulctam irrogarunt, de qua עָנוּשׁ Prov. 17, 26. dictum. Vinum igitur inique partum יִשְׁתּוּ *bibunt,* et quidem בֵּית אֱלֹהֵיהֶם (pro בְּבֵית) *in domo deorum suorum.* Veteres intra ipsum templum solebant solennia sacrificiorum convivia agitare, ut apparet ex historia, quam refert Herodotus (I, 31.) de Cleobe et Bitone, qui in fano post sacrificium epulati et somno se dedisse narrantur.

De conviviis, quae post sacrificia peracta celebrari solebant, ad quae et 1 Cor. 8, 10. 10, 21. respicitur, vid. plura in J. P. PFEIFFERI *Antiquitt. Graecc.* p. 55. seq.

9. Quo gravior apparcat culpa illorum, jam commemorat aliquot beneficia a Deo in eos collata, quorum illi memores sollicite cavere debuerant, ne se a Jova abduci ulla ratione paterentur, aut ejus cultum relinquerent, a quo tot tantaque beneficia accepissent. Ceterum haec beneficia in omnes tribus, id est, in totum Hebraeum populum collata fuerant; verum quia decem tribus, utpote major populi numerus, Israelitarum nomine vocabantur et gloriabantur, ideo ipsis haec exprobrat, q. d. ego eos summis affeci et plurimis beneficiis, quum ipsi me in dies irritent et offendant. וְאָנֹכִי הִשְׁמַדְתִּי *Quum tamen ego exsciderim*, idem verbum de gentibus Cananaeis, quas exscindi jusserat Deus, usurpatur Deut. 2, 12. 22. 31, 4. 2 Reg. 21, 9. אֶת־הָאֱמֹרִי *Amoraeum*, populum, quem synecdochice pro omnibus Cananaeis ponit, ut Vs. 10. et Deut. 1, 20., quod is inter omnes maxime potens et formidabilis fuerit. Ita 2 Reg. 7, 6. מַלְכֵי הַחִתִּים *reges Chittaeorum* synecdochice pro omnibus Canaaniticis regibus ponuntur. לִפְנֵיהֶם *Ad conspectum eorum*, i. e. ad eorum adventum, ut ante illos comparere non sint ausi, sed statim ad auditum nominis Israelitici sese in fugam proripuerint, aut certe statim ab illis caesi sint, non valentes eis resistere, ut promittit eis Deus Exod. 23, 27.: *mei formidinem tibi praemittam, et exanimabo omnes, ad quos adibis, populos.* אֲשֶׁר כְּגֹבַהּ אֲרָזִים גָּבְהוֹ *Cujus altitudo* erat *secundum altitudinem cedrorum*, i. e. homines erant insolitae staturae. Simili hyperbole Num. 13, 33. exploratores in Cananaeam missi narrabant, se cum gigantibus collatos sibi *locustas* visos esse. וְחָסֹן הוּא *Et robustus erat*, hoc adjectivum praeter hunc locum semel tantummodo, Jes. 1, 31., occurrit, ejusdem significationis cum חָסִין, quod de Jova Ps. 79, 9. dicitur. כָּאֲלוֹנִים *Sicut terebinthi*, vid. not. ad Genes. 12, 6. Jes. 2, 13. Jarchi exponit vernacule *chenes*, ut et LXX δρῦς. Kimchi in Etymologico scribit, nonnullos putare, אַלּוֹן esse *pinum*, sed mox subdit, eam esse proprie, quae Chaldaice et Arabice dicatur בְּלוּט, بَلُّوط, quae arbor est e genere glandiferarum. וְאַשְׁמִיד פִּרְיוֹ מִמַּעַל וְשָׁרָשָׁיו מִתָּחַת *Et delevi fructum ejus* (Amoraei) *superne, et radices ejus desubtus*, quasi ex fundamentis filios acque ac parentes radicitus exscidi, ita ut recrescere non potuerint. Similitudo ab arboribus desumta, ut Ezech. 17, 9. de familia regia Judaeorum exstirpanda a Chaldaeis: *nonne aquila ejus et radices exstirpabit, et fructum decerpet?* Et Hos. 9, 16. *Caesi Ephraimitae arefacta eorum radice fructum non ferent.* Job. 18, 16. *Ejus* (impii) *et inferae radices arent, et superne amputantur rami.* Innuit Deus, Amoraeos, seu potius Cananaeos,

delectos fuisse sua virtute et potentia, non bello aut arcu, seu viribus Israelitarum.

10. וְאָנֹכִי הֶעֱלֵיתִי אֶתְכֶם מֵאֶרֶץ מִצְרַיִם *Et ego ascendere feci*, i. e. eduxi *vos e terra Aegypti*, quae vobis durae servitutis pistrinum fuerat, dicta hinc בֵּית עֲבָדִים *domus servorum*, Exod. 12, 3. 14. 20, 2. Deut. 5, 6. 6, 12. Qui ex Aegypto in Cananaeam iter faciunt, *ascendere*, ut contra qui ex Cananaea in Aegyptum tendunt, *descendere* dicuntur, loquutione in V. T. frequentissima, vid. e. c. Gen. 12, 10. 26, 2. 44, 17. 45, 25. 46, 3. Ratio est, quia illi versus aquilonem, hi vero austrum versus tendunt; *borealia* autem non Hebraeis solum, verum et exteris gentibus erant *supera*, *australia*, *infera*, id quod pluribus ostendit C. B. Michaelis in Dissertat. *Notiones Superi et Inferi indeque Adscensus et Descensus in chorographiis sacris evolvente.* Hal. 1735. (repetita in *Commentatt. Theologg.* Vol. V. p. 397. seqq.) §. 10. 11. Ceterum in commemorandis beneficiis, a Deo in Israelitas collatis, non servari temporis ordinem, jam observavit Hieronymus: „Neque vero," inquit, „ubi de laudibus dicitur Dei, historiae ordo servandus est; sed frequenter evenit, ut quae prima facta sunt, extrema dicantur, et quae novissima, referantur ad prima. — — Itaque et Amorrhaeus novissimus exterminatus est, sive deletus, quod nunc primo refertur; et quod ascendere eos fecit de terra Aegypti, et reduxit in eremum per quadraginta annos, in principio factum legimus, quae hic ultima dicuntur ordine commutato." וָאוֹלֵךְ אֶתְכֶם בַּמִּדְבָּר אַרְבָּעִים שָׁנָה *Et deduxi vos per desertum quadraginta annis.* Quod commemorat, ut summam ostendat suam potentiam, qui tanto tempore tantam turbam populi in loco sterili, ubi rerum omnium penuria sit, aluerit, ut neque victus, neque amictus eis defuerit. Deut. 29, 5. *Ego vos quadraginta annos per solitudinem duxi, quum neque vestimenta vobis obsoleverunt, neque pedum calceamenta inveterata sunt; neque panem comedistis, neque vinum aut temetum bibistis*, sed fame adfectos *manna pavit*, ut dicitur Deut. 8, 4. Et tamen hodie ingratos se exhibent, tantorum beneficiorum immemores. Quod ipsum Judaeis exprobrat Jeremias 2, 6. *Non cogitant, ubi esset Jova,* הַמַּעֲלֶה אֹתָנוּ מֵאֶרֶץ מִצְרַיִם הַמּוֹלִיךְ אֹתָנוּ בַּמִּדְבָּר *qui eduxit nos ex Aegypto*, et *per desertum nos duxit.* לָרֶשֶׁת אֶת־אֶרֶץ הָאֱמֹרִי *Ad possidendum*, sive, *donec* tandem *hereditario jure possideretis terram Amoraei.* Quod Aben-Esra et Kimchi ita accipiunt, quasi propterea dicat se eos per deserta annis quadraginta circumduxisse, nec statim, ut poterat, in Cananaeam intromisisse, ut paulatim interea statutis Jovanis assuescerent, quo aptiores redderentur ad terram illam possidendam, ex qua pellebantur illi populi, quod eam abominandis suis moribus et ritibus contaminarent, uti dicitur Levit. 18, 27. 28. Sec rectius לָרֶשֶׁת, quod per accentus cohaeret cum proxime praecedente וָאוֹלֵךְ אֶתְכֶם, jungitur cum tota superiore

sententia hoc sensu: ideo *vos ex Aegypto eduxi*, et tot anfractibus *per deserta annis quadraginta deduxi, ut* tandem *Amoraeorum regionem occuparetis*, atque intelligeretis, quanti esset, terram illam optimam ingredi. Cf. Deut. 9, 1. *Vos jam, Israelitae, trajecturi estis Jordanem,* לָבֹא לָרֶשֶׁת גּוֹיִם גְּדֹלִים וַעֲצֻמִים מִמֶּךָּ *ut veniatis et occupetis gentes vobis majores et potentiores.* Et Vs. 4. *Noli cogitare te ob justitiam tuam* אֲחָדָה בָּא לָרֶשֶׁת אֶת־אַרְצָם *eo venisse, ut occupes terram illorum. Terra Amoraei* hic iterum, ut supra Vs. 9., per synecdochen ponitur pro terra septem istorum populorum Canaaniticorum, quos Hebraei expulerunt.

11. וָאָקִים מִבְּנֵיכֶם לִנְבִיאִים *Et constitui*, suscitavi (ut Jud. 2, 16. וַיָּקֶם יְהוָה שֹׁפְטִים *suscitavit Jova judices, qui eos a tyrannorum injuria defenderent*) *de filiis vestris in prophetas*, aliquos ex filiis vestris, ut essent prophetae, quos spiritu prophetico donavi, quod magnum utique beneficium ac magnus honor fuit, et grate a vobis acceptari debuit. Promiserat jam Moses Deut. 18, 15.: נָבִיא מִקִּרְבְּךָ מֵאַחֶיךָ כָּמֹנִי יָקִים לְךָ יְהוָה *prophetam*, seu collective, *prophetas de medio tui, de fratribus tuis, mihi similem*, sive *similes, suscitabit Jova, Deus tuus, ei obtemperetis.* Et inter aureae aetatis bona commemorat Deus Joel 3, 1. (al. 2, 28.) etiam hoc: *perfundam omne genus hominum meo spiritu; vaticinabunturque vestri filii et filiae; vestri et senes somnia somniabunt, et juvenes visiones videbunt.* וּמִבַּחוּרֵיכֶם לִנְזִרִים *Et ex juvenibus vestris* suscitavi aliquot *in Naziraeos*, ut essent Naziraei, i. e. qui sese separarent a vulgo, deoque sese consecrarent (cf. verbum נָזַר Hos. 9, 10, nec non נָזָה, נָזוּ, *separavit se*). Leges Naziraeatus erant, ut sibi caverent ab omni quod a vite proficiscitur, nec non a tonsura omnique immunditie, vid. Num. 6, 2. seqq. et ad eum loc. not. Vates pro summo et haud vulgari documento sanctitatis et praestantiae populi Israelitici haberi vult, quod illc talis esset, in quo Deus et viros eximios spiritu divino tactos, vates, constitueret, et inter juvenes, qui addicti esse solent voluptatibus, eos tamen eligeret, qui voto solenni obligati ab illis abstinerent. הֲאַף אֵין־זֹאת בְּנֵי יִשְׂרָאֵל נְאֻם־יְהוָה *An etiam non est hoc, filii Israel! inquit Dominus.* Tale illud: *Nunquid et hoc, fallax Creta, negare potes?* Nostro loco *etiam* proprie refertur ad hoc posterius beneficium de prophetia et Naziraeis. Illa quidem prima, deletos Amoraeos, vos eductos et ereptos ex Aegypto, et per desertum circumductos annis quadraginta, negare non potestis. Neque vero haec postrema negare poterant; sed urgere voluit, demonstrandae eorum ingratitudinis causa.

12. וַתַּשְׁקוּ אֶת־הַנְּזִרִים יָיִן *Ac propinastis Nazaraeis vinum*, q. d. illa eximia a Deo accepta beneficia sprevistis et floccipendistis. Quum enim scirctis, expressum esse mandatum Dei,

ut Naziraei a vino, imo a reliquis etiam vini, ut vappa aut ejusmodi, et omnibus, quae inebriare possunt, abstinent (Num. 6, 3.), contra eorum institutum et mandatum meum dedistis illis vinum bibere, et ita auctores exstitistis, ut vestris illectamentis abducti vinum biberent, vel etiam eos coegistis. הַשְׁקָה *Facere bibere*, potare aliquem potione aliqua, sive suadendo, ut Gen. 19, 32. 34., ubi de Lothi filiabus patrem inebriantibus dicitur, sive cogendo, ut Num. 5, 24. 29., de mulicre, quae aquam amaram bibere cogitur. Reperitur in codice Hebraeo in Hiphil tantum et Piel, nunquam in Kal. וְעַל־הַנְּבִיאִים תְּצַוִּיתֶם לֵאמֹר לֹא תִנָּבְאוּ *Et prophetis mandastis dicentes: non vaticinabimini*, interdixistis ne vaticinarentur, scilicet nomine meo, et vobis adversa; nam alioqui sibi grata libenter audiebant (Jes. 30, 15.). Sic infra 7, 13. legimus Amaziam, sacerdotem Bethelicum nostro prophetae prohibuisse in regno decem tribuum vaticinari. Cf. Jerem. 11, 21. Mich. 2, 6. Verbum צִוָּה ubi, ut h. l., cum עַל construitur, significat *vetare*, poena proposita, ni pareatur; vid. Gen. 2, 16. I Reg. 2, 43. Jes. 5, 6. Nah. 1, 14.

13. Jam ad finem usque Capitis poenas addit tantae ingratitudinis. הִנֵּה LXX: *διὰ τοῦτο ἰδού*. Eadem particula comminationibus praemittitur Jes. 3, 1. 17, 1. attentionis excitandae causa. אָנֹכִי מֵעִיק *Ego arctans*, aretaturus, pressurus sum. עוּק, Chaldaeis et Syris frequentius, pro Hebraico צוּק, *arctatus*, *coarctatus fuit*. Qualia sunt רָבַע pro רָבַץ *cubuit*, עָר pro צָר *inimicus*, רָעַע pro רָצַץ *fregit*. Ab eodem verbo עוּק est Ps. 55, 4. nomen עֲקָת *angor*, *angustia*, et Ps. 66, 11. מוּעָקָה *pressura*. תַּחְתֵּיכֶם *Sub vobis*, id est, in loco vestro, vobis angustiam afferam, vos angustabo, et eo ipso loco, ubi estis, ibi vos in arctum redigam, ut elabi e manu hostium non possitis. Ita תַּחַת Exod. 16, 29. שְׁבוּ אִישׁ תַּחְתָּיו *manete quisque sub se*, i. e. in loco suo. Hinc Chaldaeus subaudito pronomine *vos* nostra verba sic reddidit: *ecce! ego adducam super vos tribulationem, quae coarctabit vos in loco vestro.* Alii תַּחְתֵּיכֶם velut abstractum sumunt, quasi: *inferioritates vestras*, i. e. vos ipsos, mihi substernendos et succubituros, haud aliter premam (ut sequitur), ac plaustrum, frumenti manipulis bene onustum, rem quamlibet subjacentem premit. Sic אַחֲרֵי *post*, pro *postica parte*, 2 Sam. 2, 23., בֵּין *in inter*, pro *in medio*, Jes. 44, 4. Adeoque situs non agentis, sed patientis exprimitur. Aliis magis placet, particulam cum suffixo significare *vergentiam* ad *objectum*, q. d. *premam* vergendo *deorsum* (ut gravia solent), ad *vos*. Atque ut gravissimam angustiam exprimat et ineluctabile supplicium, addit elegantem similitudinem, quae duriuscula videri possit non attendenti: כַּאֲשֶׁר תָּעִיק הָעֲגָלָה הַמְלֵאָה לָהּ עָמִיר *sicut arctat se plaustrum plenum sibi manipulo*, quod figurate dictum apparet; neque enim plaustrum sensu praeditum est, ut

in illud cadat angustia, cum nimium oneratur. Sensus ergo est: ut plaustrum maxime onustum et undiquaque plenum spicarum manipulis, velut sub onere ingemiscit ac stridet, sic ego efficiam, ut ita ab hostibus vos obsidentibus arctemini, et tanto oneris pondere premamini, ut sub illo velut strideatis et ingematis. Ita et HIERONYMUS: „Sicut plaustrum stipulae vel foeni onere praegravatum stridore et sonitu longe exululat, sic ego peccata vestra non sustinens etc.“ Verbum תָּעִיק, recte monente Kimchio in Lexico, quod antea transitive adcrat, nunc passive sive neutraliter sumitur: *arctat se*, arctatur, affligitur. Quomodo et Chaldaeus vertit, qui עָקָא posuit. עֲגָלָה *Plaustrum*, Jes. 5, 18. 28, 27., nomen inde nactum videtur, quod rotis rotundis volvatur; nam עָגוֹל *rotundum* significat. הַמְלֵאָה לָהּ *Plenum sibi*, pleonasmus pronominis, q. d. bene onustum. עֳמִיר *Manipulo*, collective sumendum pro *manipulis* spicarum, ut Jerem. 9, 21. Mich. 4, 12. Oneris manipulorum, juxta sententiam Kimchii, potius meminit, quam cujusquam alterius oneris, quod vento insufflante difficillime possit plaustrum manipulis onustum consistere. Sunt, qui verbum עוק utrobique intransitive accipiant, hoc modo: *ego sub vobis*, id est, onere vestrorum peccatorum ita praegravor, ut sub illo ingemam et strideam, non secus ac plaustrum undique manipulis oppletum; itaque jam oneris istius gravitatem ferre non possum, quin vos excutiam, id est, de vobis poenas meritas sumam. Sed prior sententia haud dubie genuina, ut מֵעִיק sit comminantis, se angustiam illis maximam invecturum, quemadmodum Versibus sequentibus copiosius exponitur. LIVELEUS sensum Versus hunc facit: ut plaustrum segete demessâ onustum in locis aretis ita haerere solet, ut neque progredi, nec regredi possit, ita vos in eas angustias adducam, unde vos ipsos nequaquam expedire valeatis. Quae interpretatio imaginem a vatis mente alienam videtur inferre; neque enim de loco arcto, in quem venerit plaustrum, hic dicitur.

14. Postquam Versu superiore imminentis mali gravitatem exposuisset, jam docet, inevitabile fore illud supplicium ob peccata eis irrogandum; Jovae nihil obsistere posse, quum ille perdere voluerit, nec robur aut fortitudinem, nec pedum celeritatem, nec equum aut equitatum, nec si quis sese animosius obfirmare in hostem conetur. וְאָבַד מָנוֹס מִקָּל *Et peribit effugium a levi*, veloce, *celeri*, i. e. nullum quantumvis veloci patebit effugium, nullus fugiendi locus relinquetur, fugere non poterit, comprehensus enim ab hoste tenebitur. Similiter Jerem. 25, 35. וְאָבַד מָנוֹס מִן־הָרֹעִים *peribit refugium a pastoribus*, וּפְלֵיטָה *et evasio ab ovium magistris*. Et 46, 6. אַל־יָנוּס הַקַּל *ne effugiat celer*, *nec fortis evadat*. וְהֶחָזָק לֹא־יַאֲמֵץ כֹּחוֹ *Et robustus*, valens viribus corporis, *non firmabit*, validum praestabit, *robur suum*, non intendere poterit, ut hosti resistat, sed ita remollescet

animo, quasi nullus valeret viribus. Cf. Prov. 24, 5. *Vir intelligens* מְאַמֵּץ־כֹּחַ *firmat robur*, viribus pollet. וְגִבּוֹר לֹא־יְמַלֵּט *Et fortis*, strenuus, et animi virtute et corporis praestans, *non eripiet animam suam*, i. e. vitam non servabit sua virtute, non evadet.

15. וְתֹפֵשׂ הַקָּשֶׁת *Et tenens*, peritus tractandi *arcum*, sagittarius, ut Jerem. 46, 9. *Cuschaei et Phutaei* תֹּפְשֵׂי מָגֵן *tractantes clypeum*, i. e. tractandorum clypeorum peritia celebres, וְלוּדִים תֹּפְשֵׂי דֹרְכִי קָשֶׁת *et Lydii tractantes et tendentes arcum.* לֹא יַעֲמֹד *Non consistet*, sed vel peribit (coll. Ps. 102, 27. הֵמָּה יֹאבֵדוּ וְאַתָּה תַּעֲמֹד *illi peribunt, tu vero permanebis*), impar futurus hosti (Dan. 11, 6. לֹא יַעֲמֹד *non stabit*, resistet hosti, sed ei tradetur. Contra Vs. 8. *aliquot annos* יַעֲמֹד מִמֶּלֶךְ הַצָּפוֹן *stabit a rege septentrionali*, ei resistet), vel fugam protinus capesset, Jer. 46, 21. *Versi fugiunt simul*, לֹא עָמָדוּ *non stant*, *quippe quibus perniciosus supplicii dies advenerit.* Nah. 2, 9. *Illi fugiunt*, etiamsi eis clametur: עִמְדוּ עֲמֹדוּ *state, resistite!* וְקַל בְּרַגְלָיו *Et* qui *velox pedibus suis* est, Vs. 14. 2 Sam. 2, 18. לֹא יְמַלֵּט *Non eripiet* scil. נַפְשׁוֹ *animam suam*, e Versu superiore, et Versus hujus hemistichio altero subaudiendum. Nihil ei pedum celeritas, qua alias valet, profuerit ad effugiendum hostem. וְרֹכֵב הַסּוּס *Et insidens equo*, ut Jes. 31, 1. Zach. 10, 5. לֹא יְמַלֵּט נַפְשׁוֹ *Non salvabit animam*, vitam, *suam*, cf. 9, 1. Aben-Esra putat, קַל בְּרַגְלָיו pro *equo* sumi, ut Jes. 30, 16, ubi post mentionem equi subjicitur mentio *levis*, animantis videlicet, ut cameli dromedarii, aut muli, et id genus, quibus ad expeditum iter conficiendum utebantur, ut hodie utimur equis veredariis. Sed praestat de homine accipere uti et cetera. Integer hic Versus omissus in duobus Kennicottianis codicibus, nec non in tribus De-Rossianis a prima manu. Neque exprimitur ab Arabico interprete, qui tamen, quum e LXX verteret, per *ὁμοιοτέλευτον* Versus hujus et superioris deceptus videtur.

16. וְאַמִּיץ לִבּוֹ *Et* qui alias *firmus corde suo*, seu impavidus est, ut Job. 9, 4. אַמִּיץ כֹּחַ, et Vs 19. לְכֹחַ אַמִּיץ. בַּגִּבּוֹרִים *Inter* viros *fortes*, ut 1 Paral. 12, 1. הֵמָּה בַּגִּבּוֹרִים עֹזְרֵי הַמִּלְחָמָה *illi inter fortissimos adjutores belli.* Si quis inter viros strenuos animosior inventus fuerit, qui prae ceteris fortissime statuerit apud se hostem aggredi aut repellere, עָרוֹם יָנוּס *nudus aufugiet*, id est, abjecto clypeo, armis et vestibus, ut expeditius et celerius fugiat, ne quicquam ei sit oneri. Chaldaeus: *nudus inermis.* „*Nudus* saepe dicitur, cui desunt instrumenta ad rem praesentem necessaria. Sic *nudus* lugere dicitur, qui non habet vestes lugubres. Et Saul 1 Sam. 19, 24. *nudus* prophetat, id est, sine pallio prophetico. Interdum *nudus* vocatur, qui non ita bene vestitus est. Vid. Jac. 2, 15. et 1 Cor. 4, 11.“ Drusius. Cf. Jes. 20, 3. Mich. 1, 8. בַּיּוֹם־הַהוּא *Die illo*, supplicii divini,

Vates futurum supplicium divinitus immittendum ineluctabile profert in omnes Israelitas, qualescunque sint, sive principes, sive de plebe, ut nihil quemquam de potestate hostis possit liberare eorum, quos Jova perdere, aut tradere in eorum manum voluerit.

CAP. III.

Argumentum.

Post compellatos Israelitas, quibus severam animadversionem minatur, quia tot tantisque a Deo acceptis beneficiis ingrati et infidi animi injuriam retribuerint (Vs. 1. 2.), ostendit variis adhibitis similitudinibus, et esse muneris prophetici, divinitus sibi injuncti, quae Deus Israelitis immittere decrevit mala, praenuntiare, et praenuntiata divino jussu, certissime eventura (Vs. 3 — 8.). Tum commemorata malitia et violentia Israelitarum (Vs. 9. 10.) gravem eis denuntiat ruinam, e qua pauci tantummodo sint elapsuri (Vs. 11. seqq.).

1. שִׁמְעוּ הַדָּבָר הַזֶּה אֲשֶׁר דִּבֶּר יְהוָה עֲלֵיכֶם *Audite sermonem hunc, quem loquitur,* quem habet *Jova super vos*, in, contra vos; est enim contra illos haec velut sententia, quae a Jova profertur. Unde Chaldaeus vertit: *audite verbum hoc, quod decrevit Jova contra vos.* Ceterum compellatio haec nostro solennis est, attentionem ad audiendam rem magni momenti excitans, vid. Vs. 13. 4, 1. 5, 1. 8, 4. Pendet autem hujus Capitis initium ex superioribus. Supra enim, ultima Capitis praecedentis particula, supplicium divinitus in Israelitas immittendum praedixerat, hic vero docet, illud aequum esse. בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *O filii Israelis!* LXX: οἶκος Ἰσραήλ, quasi בֵּית יִשְׂרָאֵל legissent, quod ipsum hodienum in codicibus quamplurimis, a Kennicotto et De-Rossio indicatis, legitur. In Notis criticis Bibliorum Halensium cura J. H. Michaelis editorum, notatur, pro בְּנֵי codicem primum Erfurtensem in margine habere בֵּית, idemque in codice Erfurtensi secundo legi a prima manu; sed בני requirere Masoram codicis primi ad h. l., nec non Masoram impressam finalem fol. 37. col. 5., idemque probare Criticum Hebraeum in margine codicis primi ex duobus Masorae exemplaribus. Appellatione *Israelitarum* Noster universas quidem alloquitur tribus Judaici et Israelitici regni, sequitur enim per appositionem et declarationem: עַל כָּל־הַמִּשְׁפָּחָה אֲשֶׁר הֶעֱלִיתִי מֵאֶרֶץ מִצְרָיִם *contra omnem familiam, quam eduxi e terra Aegypti;* sed paulo post, missis Judaeis, ad Israeliticum regnum se peculiariter convertit, Vs. 9. 12. 14. מִשְׁפָּחָה, proprie *cognatio*, hic pro tota *natione*, gente, sumitur, ut mox Vs. 2. Eductio ex Aegypto et hic, ut supra 2, 10. et saepius inculcatur tanquam maximum beneficium.

In הֶעֱלִיתִי *eduxi* est personae enallage, pro *duxit;* nam Jovae verba demum Vs. 2. adducuntur, quibus נְאֻם־ in fine hujus Vs. praemittitur.

2. רַק אֶתְכֶם „*Tantummodo*, sive, ut Symmachus interpretatus est, *solos vos*." Hieronymus. Nulli, inquit, omnino gentium ita, ut vobis, feci. Ita Davides 2 Sam. 7, 23. et 1 Paral. 17, 21.: *ecquae omnino gens est cum tuis Israelitis in orbe terrarum conferenda? quam dii redemtum iverint, ut eam pro sua haberent:* etc. Cf. Deut. 4, 8. 20. Psalm. 147, 20. יְדַעְתִּי *Agnovi*, gratiose elegi, ut de Jeremia Deus 1, 5.: *antequam formarem te* יְדַעְתִּיךָ *agnovi te* velut meum, et prophetam mihi elegi. Sic verbum יָדַע passim sumitur pro *rationem habere, curare, providere, et acceptum habere*, ut Ps. 1, 6. יוֹדֵעַ יְהוָה דֶּרֶךְ צַדִּיקִים *novit Deus viam justorum*, ad quem loc. vid. not. Chaldaeus h. l.: *in vobis complacitum mihi fuit.* Vos tantum gratos habui, et in populum mihi peculiarem elegi, quibus mea oracula committerem, qui meus populus diceremini, et quos singulari favore meo prosequerer, ac beneficiis exornarem. מִכֹּל מִשְׁפְּחוֹת הָאֲדָמָה *Ex omnibus terrae populis* tanquam peculium, ut dicit Jova Exod. 19, 5. וְהְיִיתֶם לִי סְגֻלָּה מִכָּל־הָעַמִּים *eritis mihi peculium ex omnibus populis.* Et Deut. 14, 2. *Elegit te Jova*, לִהְיוֹת לוֹ לְעַם סְגֻלָּה מִכֹּל הָעַמִּים אֲשֶׁר עַל־פְּנֵי הָאֲדָמָה *ut ei esses peculiaris populus prae ceteris omnibus totius orbis terrarum nationibus.* Cf. Ps. 130, 4. עַל־כֵּן אֶפְקֹד עֲלֵיכֶם אֵת כָּל־עֲוֹנֹתֵיכֶם *Propterea* multo magis etiam *visitabo*, animadvertam *super vos*, in *vos omnes iniquitates vestras;* peccatorum vestrorum ita in meo judicio memor ero, ut poenas eorum omnium in caput vestrum refundam, Vs. 14. Quo magis beneficiorum pondus, eo gravior erit supplicii magnitudo. Ante posterius hemistichium quicquam subaudiendum, ut hic sit sensus: vos solos mihi peculiares elegi, et singulari favore sum prosequutus; at vos ingrati meum cultum abjecistis, assumto idolorum cultu meos spernitis prophetas; propterea non jam id feram, tantum mei contemtum in vobis puniam. Ita Jarchi; Aben-Esra vero et Kimchi utrumque hemistichium hoc modo inter se connectunt: „Ne miremini, quod ita vobis interminer; vos enim prae ceteris populis delegi, itaque vel levissimas offensas a vobis exigere soleo, ut rex domesticis suis, quos assidue ob oculos habet, et qui ejus voluntatem cognoscunt, gravius succenset, quam externis. Sic Levit. 10, 3. quum Nadab et Abihu consumti fuissent a Deo, quod ignem externum in tabernaculum intulissent ad sacrificia, Jova dicit: בִּקְרֹבַי אֶקָּדֵשׁ *in propinquis meis sanctus habebor.* Et Ezech. 9, 6. מִמִּקְדָּשִׁי תָּחֵלּוּ *a sanctuario meo*, ab illis, qui in templo sunt, *incipite* puniendi munus."

3. Sequuntur jam aliquot parabolicae interrogationes, quae sunt instar enthymematum, in quibus alia semper propositio vel

conclusio latet. Earum applicatio brevis sequitur Vs. 7. 8., unde quo illae spectent intelligitur. Quia dixerat supra (2, 12.), Israelitas interdixisse prophetis, ne vaticinarentur; nuno vult corum auctoritatem et consensum cum Deo asserere, demonstrando 1) se aliosque prophetas non sua, sed divina auctoritate et jussu, Israelitis mala annuntiare Vs. 3. 8. 2) Hoc vero non temere, sed gravissimis fieri de causis, nimirum propter peccata populi Vs. 4. 3) Neque haec vana et in cassum futura esse auguria, sed certissime implenda, ni populus resipiscat, Vs. 5. 4) Subesse tamen sub his ipsis poenarum comminationibus gratiam Dei, qui populo suo consultum cupiat, ut poenas praenuntiatas seria conversione antevertat, Vs. 6. 8. Haec volunt, ut in progressu disces, quae sequuntur similitudines, quarum prima haec est: הֲיֵלְכוּ שְׁנַיִם יַחְדָּו בִּלְתִּי אִם־נוֹעָדוּ *Num ibunt*, iter facient, *duo, nisi ex condicto convenerint*, vel *convenerit eis?* (ita verbum נוֹעַד Jos. 11, 5. Job. 2, 11. Nehem. 6, 2. 10.), scilicet de certo loco, quo ituri sint. Quemadmodum igitur fieri non solet, ut duo homines fortuito concurrant ad idem iter suscipiendum aliquo, ob aliquod negotium, ni prius de eo inter illos conventum fuerit; sic haudquaquam credendum, prophetas aliquid praedicere, nisi eis prius cum Deo convenerit, ut hoc aut illud praenuntiarent; in idem Deum cum prophetis incumbere consilium. Alii aliter accommodant, ut quod Deus ante cum Israelitis ambularit, id est, illis faverit, quia illis cum Deo belle conveniebat, quum ejus instituta sequerentur. Jam vero statuisse Deum non ultra cum iis iter facere, id est, eos adjuvare ac protegere, quod illis secum non conveniat, sed cultum suum contemnant. Grotius: „Non possunt esse *σύν τε δυ' ἐρχομένω*, nisi concordes sint. Vestri mores cum meis non congruunt; ideo non potest durare nostra societas.“ Finis hujus loci (Vs. 8.) indicat, eo hanc similitudinem pertinere, quo dictum est. Securos nostri prophetae tempore multos fuisse constat ex 6, 1. 3. Quidam putabant, Deum prophetam non misisse ad mala denuntianda. Quales fuerunt olim Achab et Zedekia, 1 Reg. 22, 18. 24. 27.; et Azaria Jerem. 43, 2. dicit: *falsum loqueris, non misit te Jova, sed Baruch te incitat contra me.* Contra hoc igitur genus hominum suam et aliorum verorum prophetarum auctoritatem vindicat similitudine: ut homines simul ire de eadem re non solent, nisi ante inter eos convenerit; ita prophetae a se nihil, sed a Deo duntaxat accepta loqui possunt, quum cum ad omnia, quae loquuntur, quasi praesentem habeant comitem, qui res etiam suo jussu praedictas re ipsa tandem perficiat. Quod inter Deum et prophetas summum consensum arguit.

4. Contra illos, qui de certitudine malorum denuntiatorum dubitarent (vid. 6, 3.), Noster disputat tribus similitudinibus, leonis, cujus rugitum, et aucupis, cujus insidias certa praeda

consequi solet; deniquc (Vs. 6.) tubicinis, clangore tubae populum adventantis periculi non vano metu perterrefacientis. Hinc intelligi vult, prophetarum praedictiones de malis futuris non temere fieri putandas esse. הֲיִשְׁאַג אַרְיֵה בַּיַּעַר וְטֶרֶף אֵין לוֹ *Num rugiet*, rugire solet, *leo in sylva, et praeda non est ei?* quin praeda, animal laniandum, ei praesto sit? „In rugitu leonis (inquit BOCHARTUS *Hieroz.* P. I. L. III. C. 2. T. II. p. 26. edit. Lips.) hoc maxime terribile est, quod hac quasi clarigatione, aut hoc classico, si mavis, bellum indicit. Et post rugitum statim sequitur strages et dilaceratio. Neque enim acri illo et contento rugitu rugire solet, nisi cum videt praedam, in quam protinus irruat.“ Id confirmat Sparrmann, qui nostra aetate Africae australis oras adiit, cujus verba attulimus in nota ad illum Bocharti locum. Unde Ps. 104, 21. הַכְּפִירִים שֹׁאֲגִים לַטָּרֶף *leunculi rugiunt ad praedam.* Et Jes. 5, 29.: *Rugitus ei ut leaenae, et rugiet ut leunculus, et fremet, et capiet, et salvam praedam auferet, nec erit, qui eripiat.* Cf. 31, 4. Jer. 2, 15. Ezech. 22, 25. Noster vero eandem sententiam in altero hemistichio commutatis verbis repetit pro more: הֲיִתֵּן כְּפִיר קוֹלוֹ מִמְּעוֹנָתוֹ בִּלְתִּי אִם־לָכַד *Num dabit*, edet, emittere solet, *leunculus vocem suam ex habitaculo suo, nisi ceperit* praedam? Non solet haud dubie. Leonum varia habent Hebraei nomina, pro variis aetatibus. גּוּר est *leonis catulus*, כְּפִיר *leo juvenis*, major catulo, qui praedari incipit (vid. Ezech. 19, 2. 3.), אַרְיֵה jam grandior et provectior, etsi nomen est nonnunquam generale, vid. Bochartum l. c. p. 4. 5. מִמְּעוֹנָתוֹ *Ex habitaculo*, i. e. lustro *suo*, de lustris leonum מְעֹנוֹת dicitur quoque Ps. 104, 22. Cant. 4, 8. Nah. 2, 14. בִּלְתִּי אִם *Nisi*, *praeterquam si*, ut Vs. 3. Jud. 7, 14. לָכַד *Ceperit* quid, vel, nisi in eo sit, ut capiat quid. Verbum venatorium est, coll. Vs. 5., Jud. 15, 4. Jes. 24, 18. Thren. 4, 20. Ceterum haec similitudo facile ad institutum accommodatur. Leoni rugienti comparatur Deus, qui per prophetas stragem peccatoribus minatur, certissime sequuturam, nisi voce illius exterriti protinus resipiscant.

5. Tertia similitudo, ex ave in laqueum incidente petita, eodem fere pertinens. הֲתִפּוֹל צִפּוֹר עַל־פַּח הָאָרֶץ וּמוֹקֵשׁ אֵין לָהּ *Numquid cadit*, illaqueari solet *avicula super laqueum humi* tensum vel occultatum, *et*, ubi, *tendicula ei*, aviculae, non est? Haud multum quidem inter se differunt פַּח et מוֹקֵשׁ; posterius tamen h. l. magis exprimit laquei dispositionem, qua ita aptatur ab aucupe, ut illabentes aviculas constringere possit; sicut prius laqueum etiam tum significare potest, cum actu ad capiendum dispositus non est. Cf. Ps. 140, 6.: *Abscondunt mihi superbi laqueos et funes* (פַּח וַחֲבָלִים), *tendunt secundum semitam retia; offendicula* (מוֹקְשִׁים) *mihi ponunt.* Et 141, 1.: *Tutare me ab injuria laquei, quum in me tendunt* (פַּח הָקְשׁוּ לִי), *et a tendi-*

culis (מוֹקְשׁוֹת) *maleficorum.* Pro וּמוֹקֵשׁ אַיִן לָהּ LXX posuere ἄνευ ἰξευτοῦ; Quod sequutus Hieronymus: *absque aucupe.* Sed *auceps* est יוֹקֵשׁ, vid. Ps. 124, 7. In altero hemistichio, quemadmodum in superiore Versu factum, eandem sententiam aliis verbis repetit: הֲיַעֲלֶה *Num ascendere faciet?* i. e. auferet, tollet quis? Num eximi solet a prudente aucupe? Docte LXX: σχασθήσεται; *solvetur?* uti et Chaldaeus, הֲישׁוֹר *num solvet?* pro הֲיִשָּׁרֵי, ut שׁוּר et שָׁרָא idem valeant; nam verba mediae et ultimae radicalis quiescentis significationes inter se commutant. Verbum *ascendendi* Hebraeis haud raro pro *recedere*, *tolli* usurpari, notum; ita dicitur de rore absumto Exod. 16, 14., de visione evanescente Ezech. 11, 24, et Hiphil pro *auferre morte* Ps. 102, 25. Igitur *num*, inquit Noster, *aufertur* פַּח מִן־הָאֲדָמָה וָלָכוֹד לֹא יִלְכּוֹד *laqueus e terra*, ubi tensus fuerit, *et capiendo non capiet?* si nihil prorsus ceperit? Haud sane id moris est, ut auceps tensum laqueum de terra auferat, ni prius aliquid ceperit. Ita Deus, ubi aliquid per prophetas praedixit, et per hostes aut alia flagella decrevit puniendos homines, non prius hostes aut flagella sua retrahet, quam ea impleverint, ad quae destinata fuerant, i. e. donec eos perdiderint aut punierint, quos ipse volebat; ut non subducitur laqueus nisi ave capta. Ita Jerem. 50, 24. וָאֶלְכְּדֵךְ וְגַם־נִלְכַּדְתְּ בָּבֶל נוֹקַשְׁתִּי לָךְ *irretivi te*, *captaque es*, *Babylon*, *et quidem insciens deprehensa captaque es.* Cf. Hos. 7, 12. Prov. 5, 22.

6. אִם־יִתָּקַע *Num clangetur?* clangi solet? LXX: Εἰ φωνήσει; legerunt in Cal יִתְקַע, num *clanget* aliquis? שׁוֹפָר pro בְּשׁוֹפָר *buccinâ*, supra 2, 1. Joel 2, 1. Agitur de excubitore in specula constituto, qui si hostem viderit adventare, populum tuba commonefacit, ut vel fugiendo protinus evadant, vel ad resistendum hosti concurrant. Cf. Ezech. 33, 3. 4. 5. בָּעִיר *In urbe* aliqua; neque enim certam et novam civitatem designat, quam si indicare voluisset, בָּעִיר ei dicendum erat. וְעַם לֹא יֶחֱרָדוּ *Et populus*, cives et incolae urbis, *non trepident?* seu trepide celeriterque concurrant? Hos. 11, 10. 11. 1 Sam. 16, 4. Chaldaeus bene: *An clangetur tuba in urbe* בְּלָא זִמְנֵיהּ *extra suum tempus*, *quin populus trepidet?* Nam cum in majoribus et solennioribus festis tuba clangi, laetitiae causa, solebat, populus non cohorrescebat. Belli vero tempore constitutus speculator in specula ad prospiciendum adventum hostium, iis appropinquantibus tuba vel buccina clangit, ut populum admoneat imminentis periculi, ut se praeparet ad arma. Tunc ergo quis non commovcatur et expavescat, nisi prorsus amens et stupidus? Sic sane ad vocem prophetarum, qui tanquam speculatores erant constituti a Deo (vid. Ezech. 3, 17. seqq. 33, 2. 5.), ad praemonendum populum de impendentibus ei poenis, ni resipiscat, oportuit Israelitas contremiscere, et vitam emendare, quo poenas denuntiatas

effugerent. Tandem ergo docens, quo superiores similitudines propositae pertinerent, subjungit velut uno contextu: אִם־תִּהְיֶה רָעָה בְּעִיר וַיהוָה לֹא עָשָׂה *num erit malum in civitate* aliqua, *et*, quod *Jova non fecerit?* Apparet, de malo poenae, i. c. calamitate (de qua רָעָה et Jerem. 1, 14. 18, 8. coll. Jes. 45, 7. dicitur), non de malo culpae, ut appellant, hic agi. Estne quicquam, inquit, in urbe quapiam mali et calamitatis, cujus non sit auctor Deus? quod ille non immiserit? ob peccata videlicet civium. Debuerat ad similitudinem postremam subdere *παράδοσιν*. Num a propheta praenuntiabitur nomine Dei quicquam mali alicui civitati, et non contremisceet populus? Annon mala praenuntiante propheta a Deo, populum par est pertimescere? Sed quia mala non praenuntiat propheta nisi a Deo, et cum praenuntiata per prophetam mala accidunt, accidunt a Deo, propterea id memorat, quod ex priori consequebatur: num vero fortuito quicquam mali in civitate accidit, quin potius auctor ejus est Deus?

7. כִּי לֹא יַעֲשֶׂה אֲדֹנָי יְהוִה דָּבָר כִּי אִם־גָּלָה סוֹדוֹ אֶל־עֲבָדָיו הַנְּבִיאִים *Neque enim Dominus Deus facit quicquam* mali in terris (Vs. 6.), *nisi revelaverit arcanum suum servis suis, prophetis.* Haec ratio accommodatur ad primam *παράδοσιν* similitudinis, quod malum non accidat, nisi praedictum a speculatore, id est, propheta. סוֹדוֹ *Arcanum suum* vocat, quod Deus decrevit consilium ejus, ut Jerem. 23, 18. 22. Prov. 3, 32., quia priusquam Deus prophetae annuntiaret malum eventurum, arcanum erat apud Deum, nec id quisquam sciebat. Non sine causa prophetas vocat אֶת־עֲבָדָיו *servos suos*, Dei, quod eorum ad supplicia praenuntianda utatur opera, et illi injunctum sibi munus detrectare nec ausint nec possint. Propterea Versu proximo subdit, velut epiphonemate totum locum claudens, de necessitate imposita prophetis, ubi illis quicquam praedicendum committit Deus.

8. אַרְיֵה שָׁאָג מִי לֹא יִירָא *Leo rugit, quis non timebit?* Leo rugiente quis non pertimescat? Cf. *das alte u. neue Morgenl.* P. IV. p. 379. Et homines et ceterae animantes, ubi primum ejus vocem audiunt, non possunt non timere. Imo Deus ipse, quovis leone infinitis modis terribilior, *rugiit*, peccatoribus iram ac supplicia horrenda per me aliosque prophetas comminatus Cap. 1. 2. Vid. supra Vs. 4., incipit enim hic subsumere ad sensum magis proprium, quae figurate illic et parabolice dixerat: אֲדֹנָי יְהוִה דִּבֶּר מִי לֹא יִנָּבֵא *Dominus Deus loquutus est, quis non vaticinabitur?* ex iis scilicet, quibus ille prophetiam committit, quos spiritu suo prophetico afflat. Fieri non potest, quin ad Dei vocem contremiscat propheta, ubi ille ipsi quicquam injungit, nec omnino potest imperata detrectare. Vel: Jova loquente quisnam ita se gerat, ac si nihil ei esset ab illo patefactum? Quomodo ergo prophetis interdicitis, ne vaticinarentur (2, 12.),

id illis mandante Deo? Haec apparent maxime et ex scopo proposito ad prophetas pertinere, etsi ad populum quoque referri possint, quem timere oporteat, audito Deo, id est, propheta, per quem ille rugit. Chaldaeus: *quis non suscipiet prophetiam?* Quis non admittet et suscipiet munus prophetiae, sibi a Deo demandatum?

9. Invitantur alienigenae, ut cognoscant aequitatem suppliciorum divinitus immittendorum in Israelitas, atque per prophetas praedictorum. Eorum corruptissimos mores et scelera illi si viderint in urbe eorum praecipua, Samaria, sine dubio ea horreant, et eos sint damnaturi. Propterea nihil hoc loco de idololatria Israelitarum dicit, quae illis cum aliis gentibus communis erat; sed de aliis sceleribus, ob quae illos damnent, utpote rapina et pauperum oppressione. Quodsi exteri ea, quae ab iis patrabantur, exhorreant, quid ipsos facere oportuit, qui appellatione populi Dei gloriabantur? הַשְׁמִיעוּ *Audire facite*, scil. vocem vestram, id est, nuntiate, significate, divulgate, עַל־ אַרְמְנוֹת בְּאַשְׁדּוֹד *super palatia in Aschdod*, urbis regiae Philistaeorum, vid. ad 1, 8., in aulis principum Palaestinae, וְעַל־ אַרְמְנוֹת בְּאֶרֶץ מִצְרָיִם *et super palatia in terra Aegypti*, et in aulis regum Aegypti, quae loca sunt celeberrima, quo magna hominum turba confluit, et quod in aulis divulgatur, latere non potest. Hoc autem imperium, seu Imperativus, non est proprie ad Israelitas, nec ad externos, sed indefinite ad quosvis, quasi dicat: annuntientur haec et promulgentur in Palaestina et Aegypto inter gentes a cultu Jovae alienas. Nisi mavis, verba Dei esse ad prophetas suos, coll. Vs. 10. Masora magna notat, verbum שָׁמַע cum אֶל construi solere, duodecim locis exceptis, in quibus habet post se עַל, ut hic, et עַל idem valet, quod אֶל. Hieronymus: „Dicite, inquit, ut congregentur omnes gentes, quae in vicino sunt, et videant scelera Israel, ne iniquum putent Dei esse judicium. Quomodo si diceret: prius videte, quae faciant, et tunc meam sententiam comprobate.“ וְאִמְרוּ הֵאָסְפוּ עַל־ הָרֵי שֹׁמְרוֹן *Et dicite* aperta voce, palam: *congregemini*, congregate vos, convenite *super montes Samariae*, vel, *ad montes Samariae*, ut עַל iterum idem valeat, quod אֶל; notat enim Masora, verbum אָסַף ubique post se habere אֶל; tribus locis exceptis, in quibus cum עַל construitur, hoc nostro videlicet loco, et 2 Sam. 17, 11. הֵאָסֵף יֵאָסֵף עָלֶיךָ כָּל־ יִשְׂרָאֵל *congregetur ad te universus Israel;* atque 2 Reg. 22, 20. אֶסִּיפְךָ עַל־ אֲבֹתֶיךָ *congregabo te ad patres tuos.* Ceterum Samariam montosam fuisse constat: nam et mons erat hoc nomine, priusquam in eo urbs conderetur, quem quum a quodam viro nomine Semer emisset rex Omri, in eo urbem excitatam de nomine venditoris Somron appellavit, vid. 1 Reg. 16, 24. LXX singulari numero ὄρος verterunt; sed verisimile est, uni monti plures fuisse colliculos. Est autem hoc proprie urbis nomen, metropolis tum decem tri-

buum; etsi nomen urbis ad totam regionem illam transferri possit, ut saepius. HIERONYMUS: „Pulchreque intulit: *super montes Samariae*, vel civitatis, quae nunc Sebaste, tunc Samaria vocabatur, vel universae provinciae, quae in montuosis sita est.“ Sed hoc loco praestet, שֹׁמְרוֹן pro urbis ipsius nomine capere, ut invitentur externi ad visendum eam, et scelera ejus civium, quum in magnis urbibus majora scelera patrari soleant. Addit: וּרְאוּ מְהוּמֹת רַבּוֹת בְּתוֹכָהּ *et videte conturbationes magnas intra eam.* A verbo הוּם *perturbare* (vid. Deut. 7, 23.), מְהוּמָה est *conturbatio*, cum omnia sursum deorsum miscentur. Ita 2 Paral. 15, 4. *Per illa tempora pace carebant, qui ultro citroque commeabant*, כִּי מְהוּמוֹת רַבּוֹת עַל כָּל־יֹשְׁבֵי הָאֲרָצוֹת *nam multae perturbationes super omnes incolas terrarum.* Jes. 22, 5. יוֹם מְהוּמָה וּמְבוּסָה וּמְבוּכָה *dies tumultus, conculcationis et confusionis.* Nostro loco apparet significari tam turbas concitatas a potentioribus, pauperes insolentioribus motibus agitantibus et vexantibus, quam strepitum eorum, qui affliguntur et conteruntur. Subjicit enim: וַעֲשׁוּקִים בְּקִרְבָּהּ *et* adspiciatis *oppressos* a potentioribus *in medio ejus*, civitatis Samariae. Cf. infra 4, 1. Jerem. 50, 33.

10. וְלֹא יָדְעוּ עֲשׂוֹת־נְכֹחָה *Nec scierunt agere rectum.* Quid dico? inquit, et vos invito, ut in montes congregati visatis, quantus in ea urbe sit afflictorum strepitus et ejulatus, et quot hominum millia in ea opprimantur? Imo vero nullum intra eam videbitis, qui vel unam rem rectam sciat facere, id est, qui possit aut velit, aut cui placeat quicquam recti agere. Femininum נְכֹחָה loco neutrius positum. נֹכַח proprie significat, quod directe ante oculos est, ut Proverb. 4, 25. עֵינֶיךָ לְנֹכַח יַבִּיטוּ *oculi tui antrorsum prospiciant*, in viam rectam, κατὰ σκοπόν, וְעַפְעַפֶּיךָ יְיַשִּׁירוּ נֶגְדֶּךָ *et palpebrae tuae recta prospiciant ante te.* Jes. 57, 2. הֹלֵךְ נְכֹחוֹ *ambulans viam rectam suam.* Hinc sensu morali dicitur de recte, bene factis, quae aliena sunt a fraudibus et strophis, ut 2 Sam. 15, 3. *Verba tua sunt* טוֹבִים וּנְכֹחִים *bona et recta.* Jes. 59, 14. אֱמֶת וְנֹכֹחָה *veritas et rectitudo.* הָאֹצְרִים חָמָס וָשֹׁד בְּאַרְמְנוֹתֵיכֶם *Qui thesauri* instar *colligunt* cumulantque *violentiam et devastationem* (ut Jer. 6, 7. 20, 8.), active, opes vi et vastatione pauperum partas, rapina quaesitas, *in palatiis suis.* Cf. supra 2, 6. 7. et infra 5, 11. 12. Invidiose addit *in palatiis suis*, quasi superbas et magnificas aedes ex pauperum sanguine et bonis rapto partis excitarint. LXX שֹׁד docte ταλαιπωρίαν, *miseriam*, aerumnam pauperum, verterunt, i. e. divitias coacervatas ex pauperibus, quos fortunis everterunt, et ad miseriam, summamque egestatem et inopiam redegerunt. Sunt, qui hisce duobus Versibus juberi existiment, ut haec inter ceteros divulgentur, ut veniant adversus Israelitas congregati, eadem illis illaturi, quae ipsi pauperibus apud se intulerint, eadem inhumanitate et truculentia illos tractaturi, qua

ipsi suos tractarunt: ideo invitari, ut videant, quae apud illos patrantur. Sed ille, quem supra ad Vs. 9. attulimus, sensus simplicissimus est, et loco maxime accommodatus, ut Israelitae vel aliarum gentium judicio damnentur, et agnoscantur ab omnibus justa Dei in illos supplicia.

11. Subditur poena talibus sceleribus digna. לָכֵן *Propterea* quod thesauros congesserunt inique partos, et infirmiores oppresserunt et vexarunt, Vs. 9. 10. כֹּה אָמַר אֲדֹנָי יְהוִה *Sic dicit Dominus Deus.* Utitur autem oratione concisa, more iratorum comminantium, quibus ex affectu, quo ardent, frequens est aposiopesis. Ut in illo Neptuni ad ventos (*Aeneid.* 1, 135.): *Quos ego!* צַר *Adversarius*, hostis, subaudi יָבֹא *adveniet*, *aderit*, omnia illa, quae inique congessistis, direpturus, et palatia vestra, ex pauperum rapina constructa et ornata, diruturus. צַר nunc pro *hoste* dicitur, quasi *arctator*, ut Thren. 2, 4. 4, 12. Job. 16, 9., nunc *arctum* seu *angustum* significat, id est, substantive, *angustiam*, *arctationem*, ut 1 Sam. 2, 32. צַר מָעוֹן *angustia habitaculi.* Eadem significatione nomen צַר h. l. ceperunt Chaldaeus, Syrus, Hieronymi Hebraeus praeceptor, et Symmachus, quorum verba mox afferamus. וְסָבִיב הָאָרֶץ *Et quidem circuitu*, ambitu, *terrae*, scil. יִהְיֶה צַר *erit hostis*, vel *angustia*, vestram regionem undiquaque circumdabit, ut nemo possit evadere. ו per *et quidem* reddendum quoque Jerem. 15, 13. *Tuas facultates et opes praedae exponam*, וּבְכָל־חַטֹּאתֶיךָ *et quidem ob tua peccata.* Cf. et Ezech. 13, 7. 22. וְהוֹרִיד מִמְּךָ *Et dejiciet*, hostis, sive, ut alii volunt, Dominus, *detrahet ex te* (cf. eandem phrasin Jes. 63, 6. Obad. Vs. 3.). Mutat numerum et personam, Samariam, vel gentem Israelitarum, compellans genere femineo. In paucis quibusdam De-Rossii codicibus legitur Hophal, הוּרַד (vid. *Scholia critt.* ad h. l.), nullo sensus discrimine. עֻזֶּךָ *Robur tuum*, potentiam tuam, Ezech. 26, 11. 30, 6. 18. Dejiciet te de robore tuo, vel opibus istis et thesauris, in quibus robur tuum et fiduciam collocasti, ut mox subjungit, Kimchio observante, declarans: וְנָבְזוּ אַרְמְנוֹתָיִךְ *et diripientur palatia tua*, Samariae (Vs. 9.), illa videlicet magnifica, in quibus tues reposuisti thesauros ex rapina congestos, Vs. 10. 6, 8. עֹז quidam h. l. *munitiones* intelligunt. Generale autem est nomen *roboris* ad omne id, in quo praesidium collocant; et, plane ut nomina כָּבוֹד et חַיִל, praeter corporis robur animique fortitudinem, complectitur *omnia quibus quis valet*, quibus efficere quis facile et quidvis consequi potest, nominatim *opes* et *facultates*, de quibus Euripides in *Phoenissis* Vs. 449. seqq.: *Τὰ χρήματ' ἀνθρώποισι τιμιώτατα, Δύναμιν τε πλείστην τῶν ἐν ἀνθρώποις ἔχει.* Hinc Prov. 10, 15. *opes divitibus urbi robustae* esse dicuntur.

12. Paucitatem ostendit Israelitarum de manu hostis liberandorum, idque apposita et eleganti similitudine, sumta ex vita

pastoritia. כַּאֲשֶׁר יַצִּיל הָרֹעֶה מִפִּי הָאַרְיֵה שְׁתֵּי כְרָעַיִם אוֹ בְּדַל־אֹזֶן *Sicut eripit pastor*, i. e. quomodo si eripiat *ex ore*, e faucibus *leonis*, ovem lacerantis, *duo crura*, *vel extremum auris*, q. d. exiguum quippiam, quod et quantum potest devorante leone, vel ubi devoravit, si non multum potest cripere, saltem parum. בְּדַל־אֹזֶן idem in ove est, quod in homine תְּנוּךְ־אֹזֶן *lobus auris*, Exod. 19, 20. Nomen prius videtur proprie *portionem* notare, a בָּדַל, in Hiphil *dividere*, q. d. segmentum et particulam auriculae *un bout d'oreille;* adeoque ב radicale est, non servile, ut Kimchi vult, qui דַּל significare existimat *tenue*, et *minutum* ac molle, quod est in aure, id est, infimam auris particulam. Cf. Bocharti *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 45. T. I. p. 555. edit. Lips. כֵּן יִנָּצְלוּ בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *Ita eripientur filii Israel*, qui sunt ex decem tribubus, propterea subdit: הַיֹּשְׁבִים בְּשֹׁמְרוֹן *qui habitant in Samaria*, metropoli, q. d. quam paucissimi manus hostium evadent, ut minimum quid leoni ovem discerpenti eripit pastor. Sic igitur, inquit, evadent paucissimi ex Israelitis, qui habitant in Samaria, בִּפְאַת מִטָּה *in angulo lecti*, i. e. quae (Samaria) est illis tanquam angulus lecti, ubi suaviter et molliter quiescunt. Dictio Hebraea utroque modo, et pro *latere* et *extremitate lecti* accipi potest. Exteriores etiam lecti partes sunt ejus latera, quae Horatius ob eam causam *extremam spondam* dixit *Epod.* III. Vs. 22. *Manum puella suavio opponat tuo, extrema et in sponda cubet.* Otiosos igitur hic et seeuros notat, qui ad latera et exteriores partes lecti interdiu dormiturientes secure quiescere solebant, quales Noster et infra 6, 1. 4. describit. וּבְדַמֶּשֶׂק עָרֶשׂ *Et in serico spondae.* In codicibus longe plerisque legitur וּבְדַמֶּשֶׂק, quod ipsum poscit Masora, probatque Criticus Hebraeus in margine codicis primi Erfurtensis ex pluribus. Quod vero vocis דַּמֶּשֶׂק, hoc tantummodo loco obviae, interpretationem attinet, ea petenda erit ab Arabico دمساق, quod Lexica haud differre testantur a دمقس, aut دمصق, quorum nominum prius a Golio et Castello e fontibus Arabicis ita exponitur: 1) Sericum, *peculiariter* album, *inprimis* genus illud, quod ex ruptis bombycum telis loculisve in fila attenuatum; 2) et ipsa bombycis tela in ovi formam neta; 3) pannus sericus (Jes. 3, 24. 2 Sam. 6, 14.), quin et linum, 1 Sam. 2, 18. (pro hebraeo בַּד)." Alterum vero vocabulum, cum دمساق conveniens, دمصق sive دمصاق, Lexica interpretantur: *tela e bombyce neta, et ex ejus fragmentis deductum in fila sericum.* Hac igitur cognati Arabici دمسق significatione adoptata, verba nostra, וּבְדַמֶּשֶׂק עָרֶשׂ, sic vertenda erunt: *et* qui *in serico spondae* seu *lecti*, i. e. in lecto sericeis pannis instrato, molliter quiescunt. Veteres tamen omnes pro וּבְדַמֶּשֶׂק legerunt וּבְדַרְמֶשֶׂק (cum *Sin*), *et in Damasco*, quod ipsum hodienum reperitur in codicibus haud paucis, a Kennicotto et

De-Rossio tam in *Varr. Lectt.*, quam in *Scholl. Critt.* ad h. l. enumeratis, inter quos sunt antiquissimi et correctissimi. Erit autem וּבְדַמֶּשֶׂק עָרֶשׂ intelligendum, ut sit: *et in Damasco in strato*, i. e. tanquam in strato, ut quemadmodum prius dixerat: בְּשֹׁמְרוֹן בְּפְאַת מִטָּה *Samariae in angulo lecti*, nunc intelligas: *et Damasci in strato*, i. e. velut in strato. Vel, subaudito ex antecedente nomine בְּפְאַת, *Damasci in angulo strati*, seu *spondae*. Docte Hieronymus dixit non habita ratione constructionis Hebraicae: *et Damasci grabato*, rectius, quam: *in Damasco grabati*, quia nomen proprium non solet poni in regimine, nisi דַּמֶּשֶׂק velut pro nomine gentili sumtum vis, *in Damasceno grabato*, ut דַּמֶּשֶׂק אֱלִיעֶזֶר Gen. 15, 2. est *Eliezer Damascenus*. Jam vero quod sensum hujus loci, adoptato וּבְדַמֶּשֶׂק, attinet, Chaldaeus duas has dictiones, בְּפְאַת מִטָּה, וּבְדַמֶּשֶׂק עָרֶשׂ, ita explicavit: *in fortitudine potestatis, et in Damasco innitentes*. Retulit igitur haec verba, exponente Jarchio, ad fiduciam potentiae Israelitarum, qua valebant sub Jeroboamo, filio Joas, qui bellicosissimus rex fuit, et egregias retulit victorias, vid. 2 Reg. 14, 25. 28., item ad fiduciam, quam in Damascum collocaturi erant posterioribus temporibus, sub Pecacho, qui sese Rezino, Syriae regi, junxit. Nos quidem nihil hic praedici arbitramur de eo, quod futuro tempore Damascenis Israelitae sint innixuri, et foedus cum illis inituri; sed haec referri ad tempora Jeroboami, sub quo Noster est vaticinatus (vid. I, 1.), qui multas urbes amissas Israelitis restituit, et Judaeis etiam Damascum et Hamath, i. e. Epiphaniam, ut habetur 2 Reg. 14, 28. Itaque tunc, quum Damascus in ditione Judaeorum esset, licuit Israelitis in illa amoenissima regione assidue versari, et ibi deliciis indulgere, ac molliter et delicate vivere. Sensus ergo erit: *sic evadent Israelitae, qui habitant in Samaria in angulo lecti*, i. e. quae est illis tanquam angulus lecti, ubi suaviter et molliter quiescunt, *et in Damasco in strato*, qui, inquam, *in Damasco* agunt non secus, ac *in* quodam *strato*, summa mollitie et suavitate, omni voluptati indulgentes. Hi, inquit, hodie ita molliter, et effoeminate ac deliciose viventes tum Samariae, tum Damasci, et imminentem sibi calamitatem non curant (cf. infra 6, 4.), in tantam hostium angustiam adigentur, ut quam paucissimi evadant. Loco ejus, quod nunc in codicibus longe plerisque legitur, וּבְדַמֶּשֶׂק, reponendum וּבְדַמֶּשֶׂק censuit quoque Doederlein, qui in Additamentis ad notas Grotianas, post Vogelium a se editas, nostrum locum ita exponit: „בְּפְאַת מִטָּה *Angulus lecti*, vel *strati*, in quo sedere consuescunt Orientales, locus est maxime honorificus [vid. Harmari *Observatt. super Oriente* P. II. p. 67. sqq. vers. germ.]. עָרֶשׂ *Sponda, decubitorium* (*Sopha* hodie dicunt) sternitur בְּדַמֶּשֶׂק, i. e. stragulis *Damascenis*. Saepe fit, ut nomen urbis tribuatur quoque mercibus inde deductis. Damasceni lincis atque sericeis vestibus mercaturam agebant, Ezech. 27, 18. [sed eo loco *vinum*

duntaxat et *lana* ut merces Damascenae commemorantur], et Arabibus adhuc *Dameschek* [imo دمشاق, vid. supra p. 260. sqq.] est *linum*. His stragulis exoticis utuntur opulentiores. Itaque sic expono: *vix elabetur quisquam eorum, qui in angulo lecti* sedent, i. e. primum locum occupant, *et in stragulis Damascenis*, nullus procerum luxui deditorum.“ Eandem interpretationem Dathe et Vater sequuti sunt. Sensus quidem satis aptus, sed quem si propheta exprimere voluisset, scribendum ei erat בְּעֶרֶשׂ דַּמֶּשֶׂק *in sponda*, sive *stragulo Damasceni* panni.

13. Repetuntur jam, quae antea dicta fuerant, ob scelera sua, et maxime ob idolorum cultum, puniendos Israelitas, sed aliis verbis, et nova orationis forma; unde et velut novae concionis initium proponitur, quo jubentur prophetae, aut sacerdotes, aut quicunque tandem erant, quorum intererat, populum admonere, jubentur, inquam, sententiam Jovae, quam in idololatras Israelitas ferat, *audire* primum, inde eam ipsis exponere, et eam in illos *contestari*, ac velut testibus adhibitis et advocatis de ea populum praemonere; id enim significat verbum הָעֵד sequente ב, ut Exod. 19, 21. שִׁמְעוּ וְהָעִידוּ בְּבֵית יַעֲקֹב *Audite*, inquit, *et contestemini in domum* (rectius, quam: *in domo*, ut alii) *Jacob*, i. e. in decem tribus, id scilicet, quod sequitur. Potest sine praepositione verti cum LXX: ἐπιμαρτύρασθε τῷ οἴκῳ Ἰακώβ, *contestamini*, seu *obtestamini domum Jacob*, i. e. testificando eos commonete, de hac re videlicet, et poenis, quae illis inferendae sunt, ni resipiscant. נְאֻם־אֲדֹנָי יְהוִה אֱלֹהֵי הַצְּבָאוֹת *Dictum Domini, Dei exercituum.* Hic plura congeruntur Dei nomina, ut major metus incutiatur, et major auctoritas Jovae sententiae concilietur, cujus tanta sit et tam formidabilis potentia. אֱלֹהֵי הַצְּבָאוֹת LXX bene expresserunt ὁ παντοκράτωρ, significatur enim nomine hebraco Deus cui parent omnia, ut exercitus imperatori suo, cujus imperium et dominationem omnia agnoscunt. Quum ergo tantus sit qui loquitur et hoc decernit, plane audiendus est, nec contemnendus ejus sermo, nisi gravissima in culpa esse velis. Ceterum in appellatione Dei hic usurpata observa plenam constructionem, ut infra 5, 14. 6, 14. Cf. not. ad Jes. 1, 9. 24. Hos. 12, 6.

14. כִּי *Nam*, ut distinctius constet, quid facturus sim. Alii: *quod*, ut oratio a Versu superiore pendeat, hoc modo: audite et contestamini hac de re domum Jacobaeorum, *quod* scilicet בְּיוֹם פָּקְדִי פִשְׁעֵי־יִשְׂרָאֵל *in die visitationis meae* (ut Exod. 32, 34.), i. e. qua visitabo *scelera Israelitarum*, quos modo *Jacobitas* appellabat, עָלָיו *super eum*, i. e. in eum. וּפָקַדְתִּי *Visitabo*, ו Latine abundat, tantum convertit Praeteritum in Futurum. Tum, inquit, quum Israelitas ob sua scelera puniam, simul etiam animadvertam עַל־מִזְבְּחוֹת בֵּית־אֵל *super altaria Bethel*, vitulis

exstructa a Jeroboamo, vid. 1 Reg, 12, 28 — 31. 13, 1. 2. Cf. Hos. 10, 1. 2. 8. 4, 15. 10, 15. Chaldaeus: *animadvertam in eos* דְּפָלְחִין לֶאֱגוֹרַיָּא *qui colunt ad altaria Bethel.* וְנִגְדְּעוּ קַרְנוֹת הַמִּזְבֵּחַ *Ut succidantur*, truncentur, *cornua altaris*, i. e. prominentiae, cornuum instar in altum porrectae, quae vel ab *eminendo* sic dicuntur, vel a situ in quatuor *angulis* altarium, coll. Exod. 27, 2. *(facies* קַרְנֹתָיו *cornua ejus*, altaris, עַל אַרְבַּע פִּנֹּתָיו *super quatuor angulis ejus)*, et Syriaco ܩܪܢܐ *angulus* (v. g. Actor. 10, 11. ܒܐܪܒܥ ܩܪܢܐ ex Graeco *τέσσαρσιν ἀρχαῖς*). Primo meminit *altarium*, numero multitudinis, deinde *altaris unius*. Invidiose sane et odiose plurium meminit altarium Betheli, quum unicum esset ibi altare in honorem vituli erectum, vid. 1 Reg. 12, 32. Aut certe potuit unicum esse altare, ubi colebatur vitulus, et alia altaria, ubi alia idola, ut diversitate idolorum illi capiebantur. Cum ergo הַמִּזְבֵּחַ dicit, insigne et praecipuum altare, vituli scilicet Bethelini significat. *Cornua* memorat *altaris*, ut sanctiora, quae sanguine victimarum adspergi solebant, et totius altaris firmamenta, ut anguli domus, quibus corruentibus necesse habeat et altare totum subrucre, unde addit וְנָפְלוּ לָאָרֶץ *et cadent in terram.* Cf. Jes. 21, 9. In haec etiam ad idololatriam comparata desaevit Deus, non in idololatras tantum, ut iram suam in ejusmodi abominandas superstitiones ostendat, omnia etiam diruens et tollens, quae idolis serviebant, et in usum idololatriae destinata erant.

15. וְהִכֵּיתִי בֵית־הַחֹרֶף עַל־בֵּית הַקָּיִץ *Et percutiam domum hyemis* s. hybernam *super domo aestatis*, i. e. domos hyemales pariter et aestivas, quas pro commoditate distinctas habebant opulentiores. Hieronymus: „*Et percutiam*, inquit, *domum hyemalem cum domo aestiva*, quod simpliciter juxta literam accipere possumus: tantarum eos fuisse opum, ut duplices haberent domos, hyemales et aestivas, quorum aliae versae essent ad aquilonem, aliae ad austrum, ut pro varietate temporum, frigoris et caloris, coelique temperiem providerent. Pro *domo hyemali* οἶκον τὸν περίπτερον Septuaginta transtulerunt, quod nos interpretati sumus *pinnatam*, eo quod ostiola habeat per fenestras, et quasi pinnas, ad magnitudinem frigoris repellendam.“ *Coenaculi refrigerii* (עֲלִיַּת הַמְּקֵרָה), i. e. aestivi, fit mentio Jud. 3, 20., hyemalis vero Jerem. 36, 22. Xenophon in *Oeconomico: Coenacula ei exornata monstravi*, τοῦ μὲν θέρους ψυχεινὰ, τοῦ δὲ χειμῶνος ἀλεεινά. Palladius *de Re Rust.* L. I. C. 9. *Forma aedificii sit ejusmodi, ut ad habitationem aestati et hyemi praebeat mansiones. Mansiones hyemales totus propemodum cursus hyberni solis hilaret; aestivae orientem solstitialem et partem septentrionis adspiciant.* Cf. *das alte u. neue Morgenl.* P. IV. p. 383. עַל h. l. *una cum* notat, ut Gen. 32, 12.

Ne trucidet me אֵם עַל־בָּנִים *matrem una cum liberis.* Alii retenta usitatiore illius particulae notione *super*, significari putant, tanto impetu magnificas quasque aedes hostem dejecturum, ut velut unius domus lapides ferantur in lapides alterius, et se invicem geminae aedes collidant. וְאָבְדוּ בָתֵּי־הַשֵּׁן *Et peribunt domus dentis*, elephanti scilicet, s. *eboris*, i. e. domus eburneae, non quae totae eburneae essent, sed ebore caelatae et tesselatae. Bene Chaldaeus: *domus quae stratae sunt ebore.* Ejusmodi domus ab Achabo constructae fit mentio 1 Reg. 20, 39. Cf. Ps. 45, 9. et quae ad eum locum annotavimus. וְסָפוּ *Et finem habebunt*, abolebuntur; a verbo סוּף, Jes. 66, 17., vel סָפָה Jerem. 12, 4. בָּתִּים רַבִּים *Domus multae;* cf. infra 6, 11. Jes. 5, 8. Kimchi monet, רַבִּים etiam *magnas* seu *magnificas* notare posse. Malumus ad numerum referri. Videtur propheta respicere ad statum regni Israelitici tempore Jeroboami secundi, ac postea Pecahi, sub quorum florenti regimine Israelitae, ac potentiores maxime, pompam in struendis multis magnificisque aedibus sectati sunt.

CAP. IV.

Argumentum.

Primo notat rapacitatem, inexplebilem avaritiam et saevitiam primorum et potentiorum inter Israelitas (Vs. 1. 2. 3.), tum contra Israelitas universos declamat, quibus nefandam superstitionem et in peccatis pertinaciam exprobrat, utrisque poenas comminatus (Vs. 4—11.). Denique ad poenitentiam illos admonet (Vs. 12. 13.).

1. שִׁמְעוּ הַדָּבָר הַזֶּה *Audite sermonem hunc*, sententiam hanc Dei in vos. Supra initio Capitis praecedentis, et infra initio sequentis scribitur שִׁמְעוּ אֶת־הַדָּבָר הַזֶּה, at hic אֵת omissum, quod non alias fieri notat Masora. פָּרוֹת הַבָּשָׁן *Vaccae Basanitidos*, i. e. pingues ac ferocientes, quales propter opima pascua Basanitis alebat; cf. Ezech. 39, 18. Ps. 22, 13. Deut. 32, 14. et ad ea loca notata. Vid. et libr. nostr. *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 128. Talibus vaccis hoc loco Hebraeorum plerique significari existimant heroinas et principes feminas, quia in fine Versus subjicitur: *dicunt dominis*, i. e. maritis *suis: affer, ut potemus.* Sed nobis cum Chaldaeo (qui *abundantes opibus* vertit) et Hieronymo (cujus verba mox afferemus) magis placuerit potentiores et primores compellari, rege inferiores, et regni negotia sub eo administrantes, qui accepta ab eo potestate ita abuntantur, ut inhumanissime cives tractent, et quoquo jure et quaque injuria ditescere et domos suas augere

studeant. *Vaccas* autem appellat, mollitiem et effoeminatos eorum mores taxans, et *vaccas Basaniticas*, quod toti deliciis diffluant, et in id tantum incumbant, ut cutem curent, itaque belle sese pascunt, de pauperum sudore molliter vivunt et suaviter. Atque ideo verbum masculeum שִׁמְעוּ junxit cum femineo פָּרוֹת. Et quae sequuntur satis arguunt, ad omnes utriusque sexus Israelitas sermonem dirigi. אֲשֶׁר בְּהַר שֹׁמְרוֹן *Quae* estis s. agitis *in monte Samariae*, i. e. in Samaria, sede regia, quae monti superstructa erat, cf. supra 3, 9. et 1 Reg. 16, 24. הָעֹשְׁקוֹת דַּלִּים *Quae opprimitis tenues*, cf. 2, 7. 8, 6. הָרֹצְצוֹת אֶבְיוֹנִים *Concutientes*, quassantes, *inopes*. Differt quodammodo praecedens verbum עָשַׁק, quod latius est, *injuriam et oppressionem quamlibet*, sive apertam, sive fraudibus occultam notans, contra רָצַץ, quod proprie est ita *concutere* quid, ut erectum stare non possit (Jes. 42, 3.), significat *manifestam vim inferre*, vid. 1 Sam. 12, 3. 4. Hos. 5, 11. Jud. 10, 8. הָאֹמְרוֹת לַאֲדֹנֵיהֶם *Quae dicunt domino suo*, regi. Male vulgo: *dominis suis*, nam אֲדֹנִי, אֲדֹנָי, et cum pronominibus affixis, אֲדֹנֶיךָ, אֲדֹנָיו etc. semper est pluralis excellentiae, significatione singulari *domini*, ut recte observavit Gesenius in *Lexico Hebraeo-Teutonico* p. 11. Ita Gen. 40, 1. לַאֲדֹנֵיהֶם לְמֶלֶךְ מִצְרַיִם *Domino suo*, *regi Aegypti*. 2 Sam. 10, 3. *Dixerunt principes Ammonitarum* אֶל־חָנוּן אֲדֹנֵיהֶם *ad Chanunem*, *dominum eorum*. הָבִיאָה וְנִשְׁתֶּה *Affer!* cedo! *ut bibamus*. Quod proprie nonnulli cum Hieronymo intelligunt de principum regisque mutua gulositate, coll. infra 7, 4—8. et Hos. 7, 5. Alii vero figurate hoc dictum putant de siti avaritiae, q. d. fac nobis potestatem in hos aut illos; haec vel illa nobis committe negotia, ut inde ditescere possimus, et rem facere, ac suavem lautamque vitam degere. Ita Chaldaeus: אַשְׁלְטוּנָא וְנֵבַז *facite nobis potestatem*, *ut diripiamus*. Hieronymus: „Loquitur autem ad principes Israel, et optimates quosque decem tribuum, qui deliciis ac rapinis vacabant, ut audiant sermonem Dei, et non aratores boves, sed vaccas pingues de armento se esse noverint, sive quae nutriantur in pascuis Basan, quae sunt loca herbarum fertilissima; ac per hoc significat, eos non agriculturae, sed immolationi et esui praeparatos. Vos vaccae pingues estis in monte Samariae, et humiles quosque confringitis, et dicitis dominis vestris, id est pastoribus, per quos reges intelligimus: *Date nobis*, *et bibemus*, id est, jubete tantum, et nos cuncta vastabimus. Ex eo autem, quod posuit: *date nobis et bibemus*, et non dixit: *date et comedemus*, ebrietatem eorum significat in vino atque luxuria, quae statum mentis evertunt.“

2. Subdit poenae comminationem: נִשְׁבַּע אֲדֹנָי יְהוִה בְּקָדְשׁוֹ *juravit Dominus Deus per sanctitatem suam*, per sacrosanctam majestatem suam, i. e. per sese; ideo Chaldaeus addit: בְּמֵימְרֵיהּ *per verbum suum*; quod non est aliud ab ipsomet Deo. Jusju-

randum Dei est invariabile ejus decretum. כִּי הִנֵּה *Quod ecce!* sive: *profecto ecce!* asseverationis formula, ut 2, 10. Jer. 31, 8. יָמִים בָּאִים עֲלֵיכֶם *Dies veniunt super vos*, i. e. supervenient vobis, impendent vobis tempora. וְנָשָׂא אֶתְכֶם *Et tollet vos*, i. e. quibus tollet, tollens scilicet, s. hostis, quod Latine passivo exprimi potest: *quibus tollemini*, vel activo plurali tertiae personae, *quibus vos tollent.* Ita LXX: λήψονται ὑμᾶς. Hieronymus: *levabunt vos.* Chaldaeus: *tollent vos populi.* Dicit אֶתְכֶם, cum pronomine suffixo masculino, sed mox וְאַחֲרִיתְכֶן, cum suffixo feminino, respiciens nunc ad פָּרוֹת *vaccas*, nunc ad eos, qui per vaccas intelliguntur. בְּצִנּוֹת *Aculeis*, *sentibus* (ut צִנִּים Prov. 22, 5.), id est *hamis;* nam spinarum acumina in piscatione usurpata olim pro hamis fuisse, quibus transfigerentur capita piscium, patet quoque ex Job. 40, 26., ubi de Leviathane dicitur: בְּחוֹחַ תִּקֹּב לֶחְיוֹ *num spina?* hamo spineo, *maxillam ejus perforabis?* Cf. Ezech. 29, 4. Miscentur igitur duo tropi, et sensus est, Israelitas ab hostibus ex urbibus sedibusque extrahendos, ut ex aqua a piscatore piscis hamo extrahitur. וְאַחֲרִיתְכֶן *Et postremum vestri*, o principes (Vs. 1.), i. e. quicquid inde reliquum adhuc et superstes est, quo sensu אַחֲרִית infra 9, 1. et Ezech. 23, 25. usurpatur. Alii vertunt: *posteritatem vestram*, i. e. liberos vestros, ut Dan. 11, 4. אַחֲרִית de posteritate Alexandri dicitur, quod non sit ei successurus filius, ex eo susceptus et natus, sed externi. Pro בְּצִנּוֹת in codicum Erfurtensium uno, et in libris nonnullis typis exaratis legitur בַּצְנוֹת, quod quum olim in pluribus codicibus exstiterit, in causa videtur, cur Masora notaret, בְּצִנּוֹת hoc solo loco cum Schva scribi, qua observatione innuit, בַּצְנוֹת cum Patach haud esse genuinum. בְּסִירוֹת דוּגָה *Cum spinis* (ut סִירִים Hos. 2, 5. al. 8.) *piscationis*, i. e. piscatoriis; vide ad צִנּוֹת dicta. Facilitatem indicat, qua hostes Israelitas, non aliter ac pisciculos solent piscatores, sint capturi et abducturi. Sic Habac. 1, 15. dicitur hostis Chaldaeus velut hamo omnia in rete suum et sagenam congregare; quo significatur, minimo negotio eum multas sibi subjicere nationes. Et Jerem. 16, 16. dicit Jova: הִנְנִי שֹׁלֵחַ לְדַוָּגִים רַבִּים וְדִיגוּם *en ego piscatores accersam multos*, *qui eos piscentur.*

3. וּפִרְצִים תֵּצֶאנָה אִשָּׁה נֶגְדָּהּ *Et* per *rupturas* (pro וּבְפִרְצִים, saepe enim hujusmodi praefigendas particulas omitti notum), per rupturas murorum, s. lacerarum urbium vestrarum, ab hoste factas, *exibitis*, o vaccae (Vs. 1.), captivae abducendae (quomodo verbum יָצָא et Ezech. 36, 20. usurpatur), *mulier*, i. e. unaquaeque (cf. Exod. 3, 22.) vacca, *ex adverso sui*, i. e. unaquaeque per rupturam, quam ante se habebit, quae primum ei occurret, vel, in omnes partes, quaqua respectum fuerit. Cf. אִישׁ נֶגְדּוֹ Jos. 6, 5. 20., itemque Jes. 47, 15. אִישׁ לְעִבְרוֹ *unusquisque secundum transitum suum*, i. e. quo quisque abire potuit. Et Jerem. 49, 5.

אִישׁ לְפָנֶיהָ *unusquisque ante se*, i. e. qua via patet. Nihil, inquit, necesse habebitis, per portas exire, tam multae enim in muris rupturae ab hostibus civitatem obsidentibus, factae fuerint, ut per eas exire possitis. Alii intelligunt, quod ipsi sibi rupturas in moenibus urbis facturi sint, quibus elabantur. Utrumque locum habere potest: exibitis invitae et coactae ab hostibus, vel hostium metu. וְהִשְׁלַכְתֶּנָה הַהַרְמוֹנָה *Et projicietis*, proripitis vos ipsos *ad palatium*, i. e. arcem regiam, quae urbis pars munitissima, hostium irruentium metu, ut illâ per posticum, vel portam, quae muro respondet, elabamini, ut Sedekias fecisse legitur cum aliis, 2 Reg. 25, 4. Jerem. 39, 4. 52, 7. הַרְמוֹן pro אַרְמוֹן, ex frequenti literarum ה et א permutatione. Vocis וְהִשְׁלַכְתֶּנָה ultima ה est paragogica, etsi haec in Praeteritis rarior sit, vid. tamen נָחָה a נח *recubuit* Jes. 7, 2., et נִפְלָאתָה pro נִפְלָאָה *mira fuit*, 1 Sam. 1, 26., ut sit pro הִשְׁלַכְתֶּן. Alias hujus loci lectionis et interpretationis varietates vid. in Scholiis uberioribus.

4. Amarulenta ironia eos ridet, jubens ut suae vacent idololatriae, sicut faciunt diligentissime, ut tantum videant, quid illis inde commodi proventurum sit. Quasi dicat: quum tantae poenae vos maneant, jam sane pergite vitulorum vestrorum et idolorum cultum urgere, si forte ea vos adverso tempore ab hoste servare poterunt. Hanc figuram, qualis et Jerem. 7, 21. usurpatur, vocant Hebraei, ut Kimchi ad h. l., גְּדוּם *comminationem.* בֹּאוּ בֵית־אֵל וּפִשְׁעוּ *Venite in Bethel*, ubi erectus unus ex vitulis (vid. supra 3, 14. et Hos. 5, 8. nec non infra 5, 5.), *et praevaricamini*, Jes. 1, 2. Ezech. 14, 11. הַגִּלְגָּל *Gilgalem*, repete בֹּאוּ *venite*, הַרְבּוּ לְפַשֵּׁעַ *et multiplicate praevaricari*, q. d. non contenti in Bethel vitulum coluisse, insuper alia idola, ut Baal, in Gilgal colite, scelus sceleri, impietatem impietati adjungentes. Gilgale non minus ac in Dan et Bethel nefarium cultum institutum fuisse, quamvis historia taceat, prophetae tamen loquuntur, vid. Hos. 12, 12. 4, 15. Imo Hoseas 9, 15. arguit, universae Israelitarum malitiae summam hoc uno in loco veluti coactam exhiberi. Fuerat Gilgale aliquamdiu arca foederis, ubi primum Jordanem trajecissent Israelitae, ibidemque facta olim circumcisio eorum, qui in deserto non fuerant circumcisi, Jos. 5, 9.; qui forte religionis, aut superstitionis potius praetextus fuit, sicuti et Bethel delegerant, quod ibi quondam Jacobus Deo aram erexisset (Gen. 28, 19.), loca quondam sanctitatis nomine celebria in cultum idolorum transferentes. וְהָבִיאוּ לַבֹּקֶר זִבְחֵיכֶם *Et afferte mane*, i. e. quotidie mane (sumto ל distributive, ut in proximo לַשְּׁלִשֶׁת, itemque in לַיּוֹם Jerem. 37, 21., et ipsum לַבֹּקֶר eodem modo obvium 1 Paral. 16, 40.) *victimas vestras*, summa nimirum diligentia idolis exhibentes, quae Deo sunt exhibenda, ut sacrificium juge agni anniculi, quod quotidie mane Jovae fieri Lex jubet (Num. 28, 3. 4.), idolis et vitulis vestris faciatis.

Imitabantur enim fere rationem sacrificiorum lege Mosaica praescriptam, unde et ternas statas ferias retinuerunt, Paschac, Pentecostes et Tabernaculorum, et eadem paene, quae Lex jubet, offerebant, nisi quod nonnulla interdum immutarunt, ut mox dicetur. Sed quae leges Mosaicae jubent Jovae offerri Hierosolymis, illi vitulis aliisque idolis offerebant. לִשְׁלֹשֶׁת יָמִים מַעְשְׂרֹתֵיכֶם *Ad triduum decimas vestras* afferte. Kimchi *dies* pro *annis* sumit, ut hic locus accipiatur de decimis, quas tertio quoque anno Moses praeceperat (praeter usitatas et ordinarias decimas) dari Levitis, pupillis, viduis, peregrinis et pauperibus terrae alendis, Deut. 14, 28. 26, 12., quas illi sacrificulis idolorum dabant. Et יָמִים quidem numero plurali non inficior pro *anno* sumi, ut Levit. 25, 29., ubi traditur, domum intra oppidum muro cinctum venditam *intra dies* (יָמִים), i. e. annum posse redimi. Cf. Jud. 17, 10. Verum si additur nomini יָמִים numerus, ut hoc loco, intelliguntur proprie *dies*. Alii לִשְׁלֹשֶׁת, *ad triduum*, intelligunt, ad ternas statas ferias, quibus Lex praeceperat omnes Israelitas comparere in loco sacro, Exod. 23, 14. 17. Sed nos cum Aben-Esra hoc ad augendam irrisionem dictam existimamus. Quum Lex jubeat post tres annos demum afferri decimas extraordinarias, vos, ut diligentiores et ardentiores in cultu idolorum vos ostendatis, non tertio quoque anno, sed *tertio quoque die illas afferte*, in idola vestra et eorum ministros impendentes, quae Jovae et ejus ministris erant exhibenda.

5. וְקַטֵּר *Et adolendo* scil. adolete. Est autem קִטֵּר *incendere* non solum odoris causa, sed sacrificii quoque, ut h. l. et Levit. 2, 2. 14. 4, 35. al. מֻחְמָץ תּוֹדָה *De fermentato gratiarum actionem*, i. e. sacrificium gratulatorium, quod solum offerebatur Jovae, ad ei gratias agendas ob acceptum aliquod beneficium, cujus rationem habes expositam Levit. 7, 12 seqq., simul cum sacrificio שְׁלָמִים *pacificorum*; quod idem paene erat. Sunt, qui existiment, hoc illos ex Lege quidem fecisse (quia fermentum sacrificio gratulatorio admisceri poterat ex lege Levit. 7, 13., quod in nullis aliis sacrificiis licebat, vid. Levit. 2, 11.); sed quod erat faciendum Deo, hoc illos fecisse idolis, ut et superiora. Alii putant eos hoc contra Legem fecisse, quod potius sequerer, ut non solum commemoret, eos quae Deo exhiberi debent, idolis exhibuisse, in eo simpliciter peccantes; sed et eos praeter Legem commisisse, dum ex fermento incensum adolebant, dupliciter jam peccantes, quod et contra Legem facerent, et id idolis facerent. Nec frustra videtur adjectum illud מֵחָמֵץ *ex fermento*. Nam etsi super panes fermentatos jubet Lex offerri oblationem תּוֹדָה Levit. 7, 13., haud tamen propterea permittit ex ipso fermento adoleri adipes; imo hoc in universum vetatur Levit. 2, 11., ne in ullo sacrificio ex fermento aut melle fiat אִשֶּׁה, i. e. ignitum incensum, etsi alioqui sacrificio תּוֹדָה fermentum

adhiberi posset. Vult ergo: et in sacrificio gratulatorio ex fermento (quod ei adhibetur) incensum facite contra Legem, adolentes adipes, quae Deo ex aliis sacrificiis relinquebantur, ut totae cremarentur pro ejus portione. וְקִרְאוּ *Et proclamate*, publice ac solenni ritu significate, ut Joel 2, 15. נְדָבוֹת *Spontaneas oblationes*, Exod. 35, 29. Lev. 22, 18. 21. Deut 12, 6. הַשְׁמִיעוּ *Audire*, inquam, *facite*, promulgate, si qui scilicet sint, qui ἐθελοθρησκείας, spontaneas oblationes, quae plurimi fiebant, velint idolis afferre, ut afferant. Alii jactationem Israelitarum de muneribus spontaneis vero Deo oblatis hisce verbis notari existimant, hoc modo: *proclamate*, ut in notitiam perveniant, ac praedicentur, *spontanea vestra*, *promulgate* ea, ostentationis causa significate, adhibito tubicinum aliorumve instrumentorum musicorum cantu (de quo הַשְׁמִיעַ 1 Paral. 15, 16. 28.), ut tempore Christi faciebant Pharisaei. Huc tetendisse Chaldaeum putant, qui verba nostra sic interpretatur: *et adducunt illud cum cantico, dicentes: hoc est in beneplacitum.* Altero Versus hemistichio declarat propheta, se haec omnia ironice dixisse, illis concedendo, ut haec omnia, quae tanto studio agebant, et unde avocari non poterant, sane pergerent agere in suum exitium. כִּי כֵן אֲהַבְתֶּם בְּנֵי יִשְׂרָאֵל נְאֻם אֲדֹנָי יֱהוִה *Sic enim amastis, filii Israel, inquit Dominus Deus*, q. d. placent enim summopere et cordi sunt talia, quare pergite vestro animo obsequi; sed animadvertite tamen, ut jam ob haec coeperitis mihi poenas dare (Vs. 6. seqq.). Quamquam nullis omnino poenis vel tantillum emendati estis, imo deteriores evasistis. Itaque deinceps eorum summam obstinationem et indurationem commemorat, aliquot enumerans flagella illis immissa, ob quae tamen non resipuerint, in singulis repetens illud: *nec ad me rediistis*, ut incredibilem obstinationem ostendat.

6. וְגַם אֲנִי וגו׳ *Et ego etiam* etc. Videri possit in his, quae jam sequuntur, consequentia superiorum contineri, ut poena cum culpa comparetur, quasi dicat: *itaque etiam ego* justissima talione *dedi* etc., ut Jes. 31, 2. Sed pertinaciae culpam h. l. exaggerat potius, causamque simul severi illius decreti de abolendo penitus regno Israelitico (Vs. 2. 3.) explicat, videlicet quod praeteriti temporis castigationibus, fame, ariditate, insectis, peste, stragibus, nihil quicquam se passi fuerint emendari (Vs. 6 —12.), quamobrem Vs. 12. 13. decretum illud repetit et continuat. Itaque sic exponendum: nam praeter alia castigationum genera, quibus hucusque ad poenitentiam vos ducere intendi, *etiam ego dedi* etc. — *sed non conversi estis.* Cujus apodoseos aeque ac protaseos emphatica in sequentibus repetitio hanc utique explicationem poscit. נָתַתִּי לָכֶם נְקִיוֹן שִׁנַּיִם *Dedi vobis munditiem dentium;* famem intelligit, qua dentes puri sunt et vacui, cum ex cibo nihil inter dentes haeret, ut alioqui, maxime cum carnes eduntur,

haercre solet. HIERONYMUS: „*Quapropter et ego dedi vobis stuporem dentium*, ut LXX transtulerunt, quos in hoc loco propter simplicitatem verbi sequuti sumus: sive *munditiem dentium*, ut interpretati sunt Aquila et Symmachus, ut per mundos dentes famis magnitudinem demonstrarent.“ בְּכָל־עָרֵיכֶם *In omnibus urbibus vestris*, non in uno loco, ne forsan putarctis fortuitum esse, sed in universum per omnia oppida vestra. וְחֹסֶר לֶחֶם *Et defectum panis.* Declarat quod dixerat *munditiem dentium*, ubi consequens sumebatur pro antecedente, id est, penuriam et egestatem panum. וְלֹא שַׁבְתֶּם *Nec* tamen *vos convertistis* a prava, quam ingressi estis, via. עָדַי *usque ad me*, pro אֵלַי, ut Thren. 3, 40. וְנָשׁוּבָה עַד־יְהוָה *et revertamur ad Jovam.* Quidam emphatice dictum volunt: *usque ad me*, q. d. etsi aliquando conversi fueritis, non tamen rediistis ad me, quia resipiscentia non seria fuit, non ex animo, et toto ad me pectore rediistis. Cf. Hos. 7, 10. 14, 2. Chaldaeus hoc Versu et iis qui proxime sequuntur pro עָדַי posuit לְפוּלְחָנִי *ad cultum meum.*

7. Superiore Versu flagellum famis commemoravit, hoc et proximo flagellum aridítatis summae, id est, penuriam pluviae, unde geminum malum ortum, agrorum sterilitas, et sitis. Cf. quae statim ex Hieronymo afferemus. וְגַם אָנֹכִי מָנַעְתִּי מִכֶּם אֶת־הַגֶּשֶׁם בְּעוֹד שְׁלֹשָׁה חֳדָשִׁים לַקָּצִיר *Atque ego quoque*, sicut vos in me ingrati fuistis, sic et ego *prohibui a vobis*, denegavi vobis (cf. Gen. 30, 2.) *pluviam*, *dum adhuc essent tres menses ad messem*, i. e. quum superessent ad messem usque tres menses, toto trimestri ante messem, quo tempore messis maxime indiget pluvia, quae Hebraeis מַלְקוֹשׁ dicitur, *pluvia sera*, id est, verna, qua posterius fruges rigantur; quae si non decidat, segetem penitus exarescere necesse est, ita ut certa fames immineat. HIERONYMUS: „*Prohibui a vobis imbrem*, *quum adhuc superessent tres menses usque ad messem*, quae appellatur pluvia serotina, et agris Palaestinae arvisque sitientibus vel maxime necessaria est, ut quando herba turgeret in messem, et triticum parturiret, nimia siccitate aresceret. Significat autem vernum tempus extremi mensis Aprilis, a quo usque ad messem frumenti tres menses supersunt, Majus, Junius, Julius. — — Prohibuit autem imbrem, ut non solum indigentiam panum, sed et sitis ardorem et bibendi penuriam sustinerent. In his enim locis, in quibus nunc degimus, praeter parvos fontes, omnes cisternarum aquae sunt, et si imbres divina ira suspenderit, majus sitis quam famis periculum est, quod et in diebus Eliae prophetis tribus annis et sex mensibus factum Scriptura commemorat [1 Reg. 17, 1. seqq.].“ וְהִמְטַרְתִּי עַל־עִיר אֶחָת וְעַל־עִיר אַחַת לֹא אַמְטִיר Ita *ut pluere* quidem *fecerim super urbem unam, sed super urbem alteram non pluere fecerim*, atque adeo ariditas, si non universalis fuit, ingens tamen et per totam terram sparsa fuerit.

וְהִמְטַרְתִּי proprie est in Futuro vertendum: *pluere faciam*, nam accentus ultimae syllabae appositus, praepositum ו non copulam esse arguit, sed conversivum Praeteriti in Futurum (quod et Chaldaeus et LXX exprimunt), vid. N. G. SCHROEDERI *Institt. Ling. Hebr.* Reg. 151. Sed apparet, Futurum in hoc et sequentibus verbis (תִּמָּטֵר, אַמְטִיר חַמְטִיר) esse loco Praeteriti, quia sequitur Vs. 8.: *nec vos convertistis.* Alii Futurum pro Praesenti usurpatum existimant, ut id quod solet fieri indicetur, quemadmodum alias Futura actionem continuam, h. e. Praeteritum cum continuatione sive Praesentis, sive Futuri, indicare solent. Majus addit prodigium: חֶלְקָה אַחַת *pars*, portio, *una*, id est, fundus unus; sic חֶלְקָה pro *portione agri* sumi solet, id est, praedio vel fundo, qui alicui pro hereditatis aut patrimonii portione obtigit, veluti 2 Sam. 2, 16. 14, 30., unde et Chaldaeus vertit אֲחָסַנְתָּא *hereditatem*, possessionem. תִּמָּטֵר *Compluta* quidem *fuit*, imbre perfusa est; Niphal hoc solo loco obvium. De temporis enallage vide, quae antea ad הִמְטַרְתִּי notata sunt. וְחֶלְקָה אֲשֶׁר־לֹא־חַמְטִיר עָלֶיהָ תִּיבָשׁ *Sed fundus super quem non pluit*, *exaruit.* Compendii causa dicit pro ea quod plene erat dicendum: sed fundus alius imbre non est perfusus, ac propterea exaruit sterilisque redditus, ut nihil eo anno tulerit. Veteres Hebraeorum doctores, uti observat JARCHI, utrumque in malum interpretantur, ut etiam fundus complutus pessime habeat, quia totus in pluvias abeat, et aquis oppletus putrescat; propterea putant in Niphal dictum תִּמָּטֵר, quasi pluviis submergatur. Nos vero hoc potius beneficii loco accipimus, ut quod sequitur de pluviae defectu ei contrarium, a Deo constet castigandi causa inflictum esse; adeoque תִּמָּטֵר significet: non velut extima facie leviter pluvia tingitur, sed *imbibitur* ac foecundatur; propterea in opposito dixit תִּיבָשׁ *exaruit.* חַמְטִיר *Pluit*, vel impersonaliter hic ponitur, vel refertur ad subaudiendum nomen עָב *nubes*, quod Hebraeis quoque femininum est; vid. 1 Reg. 18, 44. עָב קְטַנָּה *nubes parva.* Vertendum igitur: *super quem non pluit*, nubes scilicet, vel: *facit pluere.* Nam et Deus et nubes pluere dicitur Hebraice, sed diverso modo: Deus, ut auctor pluviae primus, et tum, ut KIMCHI monet, הִמְטִיר dupliciter transitivum est, ut dicatur Deus מַמְטִיר, quasi: faciens nubem pluere pluviam; nubes vero dicitur pluere, id est, מַמְטֶרֶת, ut tantum simpliciter transitivum sit, quasi: faciens pluere, id est, demittens pluviam in terram. Unde Deus Jes. 5, 6. dicit: וְעַל הֶעָבִים אֲצַוֶּה מֵהַמְטִיר עָלָיו מָטָר *nubibus mandabo*, *ne demittant pluviam super eam* (vineam). HIERONYMUS: „Et ne forsitan putarent, hoc lege naturae, et astrorum cursu, ac varietate temporum urbibus et populis accidisse, super unam urbem et agros ejus pluere se dicit, et ab altera imbrem suspendere.“

8. וְנָעוּ שְׁתַּיִם שָׁלֹשׁ עָרִים אֶל־עִיר אַחַת לִשְׁתּוֹת מַיִם וְלֹא יִשְׂבָּעוּ *Et moverunt se*, profectae sunt, *duae* vel *tres urbes in*

unam urbem, quae beneficio pluviae non fraudata fuerit, *ad bibendum aquam*, quia, ut ad Versum superiorem ex Hieronymo observatum, fere aquis pluviis ad bibendum utebantur, *nec satiatae sunt*, vel quod aqua quam collegerant non sufficeret tot civitatibus, vel quod bibendo satiari non potuerint, vi dirarum divinitus immissarum, ut Haggai 1, 6. minatur: *comedetis, sed non saturabimini, bibetis, et non restinguetis sitim.* נָעוּ *Moverunt*, abierunt, discesserunt, uti Latini etiam *movere* pro *discedere* dicunt. Cicero in *Epistolis ad Attic.* L. VIII. epist. 11. *Postquam ille Canusio moverat*, i. e. abierat aut discesserat. שְׁתַּיִם שְׁלֹשָׁה *Duae tres*, i. e. aliquot, ut 2 Reg. 9, 32. שְׁנַיִם שְׁלִשִׁים סָרִיסִים *duo tres eunuchi.* Asyndeton est conjunctionis disjunctivae in utroque loco, quomodo Latini etiam aliquando loquuntur. Cicero in *Epistolis ad Atticum* L. X. ep. 8. *Quippe qui florentissimus, ac novus, sex septem diebus ipsi illi egenti ac perditae multitudini in odium acerbissimum venit*, pro *vel septem.* וְלֹא־שַׁבְתֶּם עָדַי Vid. not. ad Vs. 6.

9. Tertium flagellum, percussio frugum. הִכֵּיתִי אֶתְכֶם בַּשְּׁדָפוֹן *Percussi vos*, affeci fruges vestras *uredine*, i. e. ut recte Hieronymus vertit, *vento urente*, et, uti Arabs, بِٱلسَّمُومِ *vento venenoso*, qui segetem exurit, ut ante maturitatem exarescat, quod Euro, Hebraeis קָדִים dicto, effici solet, vid. not. ad Jes. 27, 8. et Ezech. 17, 10. Cf. 2 Reg. 19, 26. וּבְיֵרָקוֹן *Et aurugine*, quod nomen cum praecedenti fere jungitur, notatque vitium segetis, quo ante tempus marcescit ac *flavescit* (coll. יָרַקְרַק *flavus*, Levit. 13, 49.), Deut. 28, 22. Arabibus quoque يَرَقَان et de *ictero*, arquatu, morbo regio, et de simili segetis morbo dicitur. Forskalius a Judaeo quodam Mochensi accepit, effici illud vitium vento quodam leni, mense Marchesvan flante, segetibus pernicioso, quo aristae flavae et inanes reddantur. Vid. Niebuhrii *Descript. Arab.* Praef. p. XLVI. Hieronymus: „*Auruginem* omnes ἴκτερον similiter transtulerunt absque Theodotione, qui solus ὠχρίασιν, quae *pallorem* significat, interpretatus est.“ הַרְבוֹת גַּנּוֹתֵיכֶם *To multiplicare hortos vestros*, i. e. plurimos hortos vestros, quantum vobis est hortorum; prior harum vocum est Infinitivus Hiphil, qui hic pro substantivo usurpatur, ut infinita passim pro nominibus videas poni. וְהַאֲנִיכֶם וְזֵיתֵיכֶם יֹאכַל הַגָּזָם *Et ficus vestras et oleas vestras*, ficeta et oliveta vestra, *devoravit bruchus;* hanc enim locustarum speciem nomine גָּזָם notari verisimile esse, observavimus ad Joel. 1, 3. Sunt, qui nomina וְתְאֵנֵיכֶם וְזֵיתֵיכֶם a superiore הַרְבוֹת pendere existiment, ut vertendum sit: *multitudinem hortorum, vinearum, ficetorum et olivetorum comedit bruchus.* Sed quum voci וְכַרְמֵיכֶם accentus distinctivus *Tbhir* appositus sit, ita potius interpretandum est: *multitudinem*

hortorum vestrorum et vinearum vestrarum, et ficus vestras et oleas vestras comedit bruchus; quomodo et Hieronymus accepit, edoctus haud dubie a magistro suo Hebraeo. Alioqui si voluissent qui accentus apposuerunt duo illa posteriora nomina genitivos esse pendentes ex regimine superioris הַרְבוֹת, ad וְכַרְמֵיכֶם non posuissent regem, seu distinctivum accentum, sed ministrum, seu conjungentem, qui continuasset cum sequentibus, nec sensum abrupisset.

10. Quartum flagellum, pestis. שִׁלַּחְתִּי בָכֶם דֶּבֶר בְּדֶרֶךְ מִצְרָיִם *Misi in vos*, immisi vobis *pestem in via*, i. e. more *Aegypti*, qualem Aegyptiis quondam, vel potius pecoribus eorum, immisi, quum majores vestri illic agerent, Exod. 9, 3. seqq. De phrasi בְּדֶרֶךְ מִצְרַיִם vid. not. ad Jes. 10, 24. 26. Cf. Ezech 20, 30. בְּדֶרֶךְ אֲבוֹתֵיכֶם *more patrum vestrorum.* הָרַגְתִּי בַחֶרֶב בַּחוּרֵיכֶם *Occidi gladio juvenes vestros*, lectissima aetate florentes et ad militiam pro patria obeundam delectos. Jerem. 11, 22. 18, 21. 2 Chron. 36, 17. Factum hoc fuerat per Hazaelem et Benhadadum, Syriae reges, 2 Reg. 8, 12. 13, 3. 7., quum Israelitico regno praeesset Joachas, avus Jeroboami, sub quo Noster vaticinatus est, vid. supra 1, 1. עִם שְׁבִי סוּסֵיכֶם *Cum captivitate*, abactu, *equorum vestrorum*, i. e. ut simul etiam capti abducerentur equi vestri ab hostibus, quibus scilicet illi juvenes vehebantur, ut occisis equitibus equi in hostis potestatem devenirent. שְׁבִי *Homines captivos* alias denotat, vid. e. c. Num. 31, 12., attamen de jumentis quoque raptu abactis commode dicitur, coll. Exod. 22, 9., ubi נִשְׁבָּה de *pecore abacto* usurpatur. וָאַעֲלֶה בְּאַשׁ מַחֲנֵיכֶם *Et adscendere feci*, excitavi, *foetorem castrorum vestrorum*, i. e. exercituum vestrorum, quum caesi ab hostibus insepulti sub dio relicti essent, וּבְאַפְּכֶם *et*, s. idque quidem *in nares vestras*, quo significat, illos exercitus intra regni Israelitici fines caesos fuisse.

11. הָפַכְתִּי בָכֶם *Subverti in vobis* s. *inter vos*, i. e. aliquas urbium vestrarum pagorumque, sive partem aliquam terrae vestrae, ut recte Kimchi vim particulae ב exponit. כְּמַהְפֵּכַת אֱלֹהִים אֶת־סְדֹם וְאֶת־עֲמֹרָה *Secundum subversionem Dei*, qua evertit *Sodomam et Gomorrham.* Gen. 19, 24. 25., quae urbes et veteribus Arabibus الْمُؤْتَفِكَاتُ *subversae* dictae (vid. *Coran.* Sur. 9, 72.), Participio Conjugationis 8. verbi أَفْكَ *invertit*, significatione et sono cum Hebraico הָפַךְ convenientis, atque de illarum urbium subversione Gen. 19, 25. usurpatae (וַיַּהֲפֹךְ הֶעָרִים הָאֵל), Eadem quae hic adhibetur phrasis, reperitur Jes. 13, 19., ubi gravis Babyloniae ruina praedicitur, quae dicitur evertenda sicut Sodoma et Gomorrha. Quod quum sit hyperbolice dictum neque enim Babylon igne coelitus demisso eversa legitur), eodem modo et hunc locum haud pauci capiendum arbitrantur, quum in mo-

numentis historicis V. T. urbium in regno Israelitico co quo Pentapolis modo vastatarum mentio exstet nulla. Verum quemadmodum in calamitatibus quatuor superioribus, quibus Israelitas ad frugem revocare studuit Deus, verba communi interpretum consensu, uti sonant, sunt accipienda, ita sensus proprius et hoc loco retinendus. Vix dubium mihi, quin respiciatur ad magnum aliquem terrae motum, quo isto tempore nonnullae regni Israelitici regiones sunt vastatae. Ingentis terrae motus, quo Usiae tempore Palaestina est conquassata, diserte mentio facta supra 1, 1., ad quem loc. cf. not. nostr. p. 15. 16. Qualem et tempore pugnae Actiacae, septimo Herodis anno, experta est Judaea, de quo Josephus *Archaeol.* L. XV. C. 5. §. 2. וַתִּהְיוּ כְּאוּד מֻצָּל מִשְּׂרֵפָה *Et evasistis sicut torris ex incendio ereptus*, ita deploratae res vestrae, ut titioni ex incendio erepto similes videamini, et vix vestris rebus possitis consulere. Metaphora ad magnas hominum diu afflictorum calamitates significandum, quibus quasi igne quodam longo tempore exusti fuerint, ut titioni obusto similes videantur. Eadem phrasis occurrit Zach. 3, 2. de Josua sacerdote exilii afflictione obtrito, et illorum malorum quasi flammis semiusto. וְלֹא שַׁבְתֶּם עָדַי *Ac ne* sic quidem, post tanta flagella, quum nihil non molirer, ut vos ad frugem revocarem, *ad me rediistis*, prorsus contumaces, vid. Vs. 6.

12. לָכֵן כֹּה אֶעֱשֶׂה־לְּךָ יִשְׂרָאֵל *Propterea*, quia nullis nec levioribus, nec gravioribus flagellis emendari potuisti, *sic faciam tibi*, *o Israel!* i. e. haec tibi mala inferam, has poenas irrogabo, quas scilicet supra sum comminatus, quum initio Capitis (Vs. 2. 3.) minaretur hostem illos velut hamis pisciculos abducturum. Vel: poenas omnes jam memoratas pergam tibi inferre, et graviores. Sunt, qui putent, haec non ad praecedentia referri, sed comminari hoc loco Deum, quod tamen quid sit non exprimatur, iratorum more. Ita Hieronymus: „Idcirco haec faciam tibi, o Israel, ut qui praeterita contemsisti, saltem ad ea quae illaturus sum, corrigaris. Quumque dixerit: *haec faciam tibi*, quid facturus sit tacet, ut dum ad singula poenarum genera Israel pendet incertus (quae ideo terribiliora sunt, quia omnia suspicantur), agat poenitentiam, ne Deus inferat, quae minatur.“ Nos simplicius arbitramur, ut ad superiora referatur. Inde vero subjungit adhortationem clementiae plenam, qua ad poenitentiam invitat. Sic enim solent passim prophetae, ubi gravissima quaeque sunt comminati, ut populus desperet malorum gravitate, quae praedicantur, aliquid consolationis subjungere, quo ad resipiscentiam invitentur, ut, quae imminent, effugiant. עֵקֶב כִּי־זֹאת אֶעֱשֶׂה־לָּךְ *Propterea quod faciam tibi*, quia tecum ita sum acturus, ni resipiscas. עֵקֶב כִּי (proprie *compensatio quod*) denotat *eo quod*, *quia*, ut 2 Sam. 12, 10. עֵקֶב כִּי בָזִתָנִי *quia sprevisti me, et sumsisti uxorem Uriae.* Pro quo עֵקֶב אֲשֶׁר dicitur

2 Sam. 12, 6. Gen. 26, 5. Chaldaeus: *propterea quod nequaquam conversus es ad legem, hoc tibi faciam.* Sed jungenda sunt verba עֲקֶב וגו׳ iis quae sequuntur, הֵכוֹן לִקְרַאת־אֱלֹהֶיךָ יִשְׂרָאֵל, hoc modo: *propterea quod haec tibi facturus sum, praeparare*, compara, *compone te in occursum Dei tui, o Israel!* i. e. haec quae comminatus sum tibi, ante quam accidant, emendatione vitae, abjectione idolorum tuorum, et resumendo sincerum Dei cultum occurre ei, ut a te impendentia supplicia et tam severam ejus sententiam avertas. Chaldaeus: *adorna te, ut suscipias doctrinam legis Dei tui, Israel.*

13. Hic Versus cum superiore ita est conjungendus: compara te in occursum Dei tui, quemadmodum ille ipse te invitat, ut ejus a te severam sententiam amoliare, et mala, quae comminatur; quae sane dubitandum tibi non est, quin inferre possit, et ea, quae dicit, efficere, quum longe majora possit et in coelo et in terra. כִּי הִנֵּה יוֹצֵר הָרִים *Nam ecce!* ille quocum negotium tibi, est *formator montium*, qui solidissimi sunt et validissimi in hac mundi compage, et firmissime subsistentes. וּבֹרֵא רוּחַ *Et creator venti*, rei montibus plane contrariae, qui quum sit tenuissimus et rarae substantiae ac levissimus, mirae tamen et incomparabilis potentiae ac efficaciae, ut robustissima quaeque et alioqui firmissima dejiciat ac prosternat. וּמַגִּיד לָאָדָם מַה־שֵּׂחוֹ *Et annuntiat*, indicat, *homini quae* sit *cogitatio ejus*, hominis, per prophetas videlicet, per quos quamlibet occulta hominum instituta, quae illi forsan putarent ignota esse, ipsis indicat, ea carpens, et poenas eo nomine, ni resipiscant, praenuntians. שִׂיחַ nomen est generale, ut Hebraei monent, significans non solum quidquid homo agit, opus, negotia, et totum ipsius institutum, verum et quicquid ille occulte animo versat et tractat. Sic 1 Reg. 18, 27. Elias de Baal illudens dicit: *est ei* שִׂיחַ *negotii aliquid*, quod cogitet et tractet. Cf. Prov. 23, 29. et verbum שׂוּחַ Ps. 77, 4. 7. 13. Ceterum שֵׂחוֹ hic contracte scriptum est pro שִׂיחוֹ, quod 2 Reg. 9, 11. et Ps. 102, 1. exstat, quorum locorum priore eodem, quo hic, sensu sumitur: *hominem nostis* וְאֶת־שִׂיחוֹ *et ejus institutum*, inquit ibi Jehu, ridens prophetam, a quo unctus fuerat in regem. Nostro loco sunt, qui pronomen affixum ad Deum referant, hoc sensu: *indicat* homini *mentem suam*, exponit per prophetas mentem suam et voluntatem, sua decreta, quid sit facturus, nisi resipuerint, ad commonefaciendum eos, coll. 3, 7. Sed prior sensus huic loco accommodatior, ut omnipotentia Dei ostendatur in tectis et cogitatis hominum detegendis; vid. quae supra initio notae ad hunc Versum monuimus. Hieronymus: „*Annuntiat hominibus eloquium suum*, sive: *annuntiat homini eloquium ejus*, qui cogitationum secreta cognoscit, et quid latens animus tacito sermone tractet intelligit, juxta illud quod in Jeremia juxta Hebraicum legimus [17, 9. 10.]:

parvum est cor hominis et inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes.“ Addit propheta pergens in describenda Jovae omnipotentia: עֹשֵׂה שַׁחַר עֵיפָה *facit auroram tenebras*, i. e. auroram, lucem scilicet splendidam, et quae subinde ornatior, splendidior et illustrior progressu redditur, ubi splendidissima mane orta fuerit et lucidissima, quumque ita duratura putatur, repente tenebris et nebulis contegit, et obducit nubibus. Intelligit generaliter lucis in tenebras repentinam mutationem, ut solis eclipsin, et alia ejusmodi. Cf. infra 5, 8. Sed *auroram* delegit ob jam dictam causam. עֵיפָה *densiorem caliginem* et *obscuritatem* significat, cf. Job. 10, 22. 11, 17. Sunt, qui subaudita ante עֵיפָה copula ו, vertant: *facit auroram et tenebras*, duo contraria. Ita LXX: *ποιῶν ὄρθρον καὶ ὁμίχλην*. Alii figurate hoc dictum existimant, hoc sensu: potest refloresentem regni statum, qualem sub Jeroboamo II. vobis indulsit (2 Reg. 14, 25. 26. 27.), in spississimam malorum caliginem convertere, ni resipiscatis. Allegorice intellexit quoque Chaldaeus, qui sic interpretatus est: *et ut praeparet lumen justis quasi lumen matutinum.* Verum sensus simplex, quem exposuimus, rei satis est accommodatus. וְרֹכֵב עַל־בָּמֳתֵי אָרֶץ *Et graditur super excelsa terrae*, loca hominibus inaccessa et invia calcat et pervia habet. Et haec allegorice exponit Chaldaeus: *qui incedit et praeparat adducere tenebras impiis, ut conterat impios terrae.* Verum et ad literam sensus egregius est ad significandam Dei potentiam, qua sibi omnia quantumvis sublimia subjicit, etiam terrae fastigia alias inaccessa. Desumtum hoc ex Deut. 32, 13. 33, 29., cf. Mich. 1, 3. Inde rem exaggerat subjuncto ejus nomine: יְהוָה אֱלֹהֵי־צְבָאוֹת שְׁמוֹ *Jova, Deus exercituum* est *nomen ejus*, cui parent omnes et superni et inferni exercitus, cui omnia obtemperant, cujus agnoscunt imperium, non secus ac imperatoris et ducis sui milites. Hujus ergo considerata tanta potentia et magnitudine, aequum sane est, ut ei occurratis poenitentes, ut Versu superiore dictum.

CAP. V.

Argumentum.

Praedicit iterum propheta quae jamjam imminent Israelitico populo casus et incommoda, sed moerens et dolens, cum lugubri et quasi parentali planctu (Vs. 1. 2). Deinde Dei verbis admonet, ut si salvi esse velint, Bethel obliviscantur et Gilgal, et si quae alia sunt impiae religionis destinata sacraria, et se ad verum Deum aliquando convertant, qui et omnia potest, et animo est ad benefaciendum prono (Vs. 4—14.). Commendat iterum

ac saepius, ut a peccatis abstineant, et virtutem atque officium ament et colant, si quae jam parata sunt incommoda declinare studeant (Vs. 15 — 20.). Neque enim sacrificia et victimae, quae nunc offeruntur, avertent plagam, quia grata non sunt, neque est, cur parentum meritis confidant, quos oblivionis et violatae religionis reos accusat (Vs. 21 – 27.).

1. Initium hujus Capitis KIMCHI jungit superioribus hoc modo: quia omnino resipiscere nolitis, audite lamentationem, quam de vobis instituo. Verum aptius, nostro judicio, novi sermonis principium hic statuere. *Audite*, inquit, *sermonem hunc*, אֲשֶׁר אָנֹכִי נֹשֵׂא עֲלֵיכֶם *quem ego attollo*, i. e. edo, instituo, *super vos*, de vobis. Cf. verbum נָשָׂא eodem modo usurpatum Num. 23, 7. Jes. 14, 4. קִינָה *Lamentationem*, per appositionem, i. e. prophetiam de exitio vestro lamentabilem, ut Ezech. 32, 2.: שָׂא קִינָה עַל־פַּרְעֹה *tolle lamentationem contra Pharaonem, regem Aegypti.* Hoc autem lugubre elegidion Versu sequenti continetur, quo deflet futuram ruinam eorum, rebus adhuc integris, perinde ac si jam advenisset, more prophetarum, qui res futuras tanquam praesentes intuentur. Postrema hujus Versus verba, בֵּית יִשְׂרָאֵל *o domus Israel!* LXX et Hieronymus retulerunt ad sequentis versiculi initium, ut sit: *domus Israel cecidit* etc.

2. נָפְלָה לֹא תוֹסִיף קוּם בְּתוּלַת יִשְׂרָאֵל *Cecidit, non addet surgere*, non ultra resurget, *virgo Israel*, i. e. ita collapsum est et eversum regnum Israeliticum decem tribuum, ut jam ultra pristino splendori et statui restitui non possit. בְּתוּלַת יִשְׂרָאֵל *Virgo Israelis*, i. e. populus Israeliticus, nota prosopopoeia, de coetu hominum, quaecunque se ratione habeat, vid. GLASSII *Philol. S.* p. 1022 seq. Quare Chaldaeus et hoc loco et aliis hebraeam dictionem reddit *coetus Israel.* נִטְּשָׁה עַל־אַדְמָתָהּ *Derelicta est*, projecta et prostrata *super terram suam*, i. e. humi. Verbum נָטַשׁ JARCHI de *re projecta* et *humi dispersa* usurpari observat. Sane eo significatur *cum quid humi projectum relinquitur.* Sic Num. 11, 31.: *ventus coturnices* וַיִּטַּשׁ עַל־הַמַּחֲנֶה *stravit, projecit ad castra.* Et 1 Sam. 30, 16. נְטֻשִׁים *strati super terra* dicuntur, qui genio indulgentes humi diffusi jacuere. עַל־אַדְמָתָהּ sunt qui intelligant *in regione sua*, et ante deportationem. Sed simpliciter intelligendum *super terram suam*, i. e. humi, quo projecta est et derelicta. אֵין מְקִימָהּ *Nullus* est, qui *eriget*, allevet, *eam*, qui restituet eam in integrum.

3. Superioris lamentationis rationem subjungit, et eam confirmat ex Jovae sententia, quam in regnum Israeliticum ferat. כִּי כֹה אָמַר אֲדֹנָי יְהוִה *Sic enim ait Dominus Deus:* הָעִיר הַיֹּצֵאת אֶלֶף *urbs exiens mille*, i. e. ex qua exire solebant ad pugnam et bello apti viri mille, תַּשְׁאִיר מֵאָה *residuos faciet centum*, reliquis gladio, peste, fame absumtis, וְהַיּוֹצֵאת מֵאָה

הַיּוֹצֵאת הַמֵּאָה תַּשְׁאִיר עֲשָׂרָה לְבֵית יִשְׂרָאֵל *et exiens centum*, quae centenos emittere potuit, *reliquos faciet decem domui Israel.* Significat tantam futuram stragem, ut ex magna multitudine supersint quam paucissimi, ut ex decem vix unus; quae certe ruina non potest esse nisi maxima et irreparabilis, id quod hic innuit. הַיּוֹצֵאת hic non est transitivum, ut Jarchi et Aben-Esra sentire videntur, quasi idem sit quod הַמּוֹצִיאָה, sed intransitivum, ut urbi tribuatur, quod civibus tribuendum erat. „Hebraismus," inquit LIVELEUS, „quo per metonymiam subjecto tribuitur quod adjuncti est. Sic Jerem. 9, 18.: *Descendant oculi nostri lacrymis*, pro *lacrymae ex oculis.* Joel 4, 18.: *Valles ibunt lacte*, pro *lac vallibus. Ex urbe* vero *mille egredi* dicuntur quae mille cives vel habitatores continet, qui a communi omnium exitu dicuntur *egredientes porta urbis.* Gen. 34, 24.: *Auscultabant ei omnes porta urbis illius egredientes*, h. e. cives. Simili periphrasi etiam *ingredientes portam* dicuntur Gen. 23, 20."

4. Hortatur ad resipiscentiam, si quo modo etiam jam latam sententiam avertere queant. דִּרְשׁוּנִי וִחְיוּ *Quaerite me* (Chaldaeus דַּחֲלָתִי *timorem meum*) *et vivite*, i. e. vivetis, salvi eritis. Posterior Imperativus loco Futuri positus, ut Ezech. 18, 32. וְהָשִׁיבוּ וִחְיוּ *revertimini et vivite!* Prov. 4, 4. שְׁמֹר מִצְוֹתַי וְחְיֵה *observa praecepta mea et vive!* Vid. et Prov. 9, 6. Jer. 25, 5. *Quaerere Deum* est eum solum implorare, et soli niti et fidere, nec alios ejus colendi ritus admittere, quam qui ab ipso praescripti sunt. Ideo praecepto de quaerendo et invocando Jova, Versu proximo subjungit monitum de non quaerendis et colendis idolis. Cohaeret autem haec ratio cum superioribus hoc modo, quasi velit docere, quam ob causam tanta clades sit eventura: propterea hoc dico, quia si me quaesieritis, hoc vitabitis; alias impietas vestra tantum hoc vobis malum conciliabit.

5. וְאַל־תִּדְרְשׁוּ בֵּית־אֵל *Nec*, ut hucusque fecistis, *quaeratis Bethelem*, ad vitulos adorandos, 4, 4. וְהַגִּלְגָּל לֹא תָבֹאוּ *Nec adeatis Gilgalem*, in tribu Ephraim in Benjaminitarum confiniis, ubi Josua cum arca foederis quondam mansit; Jos. 4, 20. 5, 10. Cf. not. supra 4, 4. וּבְאֵר שֶׁבַע *Et ad Bersebam*, oppidum tribus Judae, Jos. 15, 28. 1 Reg. 19, 3., Simeonitis delegatum, Jos. 19, 2. sedes superstitionis, quam a decem tribubus ipsi quoque adoptaverunt Judaei, cf. infra 8, 14. Videntur autem hanc urbem delegisse ob loci sanctitatem ac religionem, quod Abrahamus (Gen. 21, 31. 32.) et Isaacus (26, 24.) illic habitassent aliquamdiu, quodque Jacobus item sacrificia mactasset ibidem Deo Isaaci, 46, 1. לֹא תַעֲבֹרוּ *Ne transeatis* ex vestro in Judaicum regnum. „Intantum autem," inquit HIERONYMUS, „simulacrorum cultu furebat Israel, ut nequaquam contentus idolis suis ad aliena transiret." כִּי *Nam*, ut ex consequente sciatis, quam ego detester cultum nefarium illis in locis institutum, הַגִּלְגָּל גָּלֹה יִגְלֶה

Gilgal migrando migrabit, i. e. plane exulabunt cives ejus, Gilgalaei; ut nomine et omine ista urbs fiat גִּלְגָּל *migratoria.* Paronomasia in גִּלְגָּל et גָּלָה, etsi urbs גִּלְגָּל a גָּלַל, *devolvendo*, nomen nacta dicitur Jos. 5, 9. Sed in paronomasiis non requiritur *ἀκρίβεια* etymologica; sufficit qualiscunque soni cognatio. Cf. מִשְׁפָּט et מִשְׁפָּח, צְדָקָה et צְעָקָה Jes. 5, 7. Nec non שׁוֹד et שַׁדַּי ibid. 13, 6. Drusius: „Ut si Gallus dicat: *Paris perira*, aut Belga: *Leyden sal te lyden hebben*, aut Latinus: *Florentia florebit.* Sic alibi [Zeph. 2, 4]: וְעֶקְרוֹן תֵּעָקֵר *Accaron eradicabitur.*“ וּבֵית אֵל יִהְיֶה לָאָוֶן *Et Bethel fiet*, redigetur, *in vanitatem*, in nihilum, evertetur et desolabitur. Sunt, qui לָאָוֶן exponant *in* domum *iniquitatis* et peccati, q. d. fiet nefaria et ut talis tractabitur, propter horrenda crimina pessum dabitur; cf. Hos. 4, 15. Sed praestat prius, ut simplicius, et praecedenti גִּלְגָּל יִגְלֶה magis conveniens. אָוֶן h. l. idem propemodum est quod אַיִן *nihilum*, vel *nullus*, ut Jes. 41, 29., ubi cum אֶפֶס *defectus*, *nihilum* jungitur. Hunc sensum et veteres exprimunt. LXX: ἔσται ὡς οὐχ ὑπάρχουσα. Hieronymus: „*Et Bethel erit inutilis*, sive penitus non subsistens, quum idola in ea subversa fuerint.“ „De *Bersabee*,“ inquit idem, „omnino tacuit, quia victis decem tribubus urbs nomine Bersabee, quae erat in tribu Juda illo tempore, nec capta nec destructa est.“ Crediderim potius, vatem de Bersaba ideo nihil dixisse, quod in eo nomine nihil paronomasiae aptum invenerit.

6. דִּרְשׁוּ יְהוָה וְחְיוּ *Quaerite Jovam et vivite*, ut salvi sitis. Quae adhortatio Vs. 4. sub Dei persona proposita erat, eandem jam propheta repetit, et suam facit, ut eo magis inculcet. פֶּן־יִצְלַח כָּאֵשׁ בֵּית יוֹסֵף *Ne pervadat*, seu *invadat* Deus sicut ignis, *domum Josephi*, i. e. regnum Israeliticum, cujus regia fere et princeps tribus fuit Ephraimitica, Ephraim autem fuit Josephi filius, unde regnum decem tribuum Josephi nomine appellatur quoque infra Vs. 15. Obad. Vs. 18. Zach. 10, 6. Verbum יָצַלַח hic obvium significatione diversum ab eo, quod Jerem. 13, 7. 10. Ezech. 15, 4. aliisque locis occurrit et *prodesse* denotat. Nostrum vero idem haud dubie est, quod 2 Sam. 19, 18. de militibus Jordanem pervadentibus dicitur (וְיַצְלְחוּ הַיַּרְדֵּן), et Jud. 14, 6. 19. 15, 14. 1 Sam. 10, 6. 10. de spiritu divino aliquem invadente; ex quo loquendi usu probabili conjectura colligitur, verbum צָלַח *pervadendi*, *invadendi* significatum obtinuisse, qui et huic loco unice est aptus. LXX verbum intransitive et בֵּית יוֹסֵף in Nominativo ceperunt: ὅπως μὴ ἀναλάμψῃ ὡς πῦρ οἶκος Ἰωσήφ. Quod secutus Hieronymus: *ne forte comburatur ut ignis domus Joseph.* Sed melius convenit, יִצְלַח transitive capere et ad Deum referre, qui igni consumenti comparatur Deut. 4, 24. כִּי יְהוָה אֱלֹהֶיךָ אֵשׁ אֹכְלָה הוּא *nam Jova Deus tuus est ignis devorans.* Cf. et Jes. 33, 14. וְאָכְלָה *Et devoret* ignis ille

(cf. Thren. 2, 3.), ira Dei; אֵשׁ enim plerumque ut nomen feminei generis tractatur. וְאֵין־מְכַבֶּה לְבֵית־אֵל *Nec*, s. *ita ut non sit exstinguens* incendium *Betheli.* Alii intelligunt: *nec sit qui exstinguat Bethelem*, ut לְ sit Accusativi nota. Sed malo in Dativo: ne sit Betheli, qui ignem Dei semel accensum, id est, ejus iram, immissis hostibus, restingere possit et sedare. Cf. Jer. 4, 4. *Ne exeat sicut ignis ira mea ardeatque*, וְאֵין מְכַבֶּה *nec sit qui exstinguat.* Bethelis significanter, uti et supra Vs. 5, mentionem facit, quod loeus esset totius regni celeberrimus, et regia Jeroboami, ut vult Aben-Esra. Ideo infra 7, 13. vetabit Amazias nostro prophetae, ne in Bethel ultra vaticinetur, quod sit regis sanctuarium.

7. Docet, quos potissimum compellet, ac rursus eorum scelera, oppressionem pauperum, et judiciorum perversionem commemorat. הַהֹפְכִים Inprimis *qui convertunt*, sive, *qui convertitis.* Dependet hoc Participium a nominibus בֵּית יוֹסֵף et בֵּית־אֵל Vs. 6. Atque sic sensim propheta ab universo populo (Vs. 4.) devenit speciatim ad judices et praefectos populi Vs. 10. 11. 12. 16. Alii eum exclamatione intelligunt הַהֹפְכִים *o qui convertitis!* quod non displicet, sed ita, ut ad superiora referatur. לַלַּעֲנָה מִשְׁפָּט *In absinthium judicium*, judicium, quod suavissimum ac jucundissimum esse oportuerat omnibus, in rem amarissimam, i. e. acerbissimam injuriam commutatis, dum pro jure reddendo summa pauperes injuria opprimitis. Idem iisdem fere verbis eis exprobrat infra 6, 12. Hieronymus: „et converterunt duleedinem judicii in absinthii amaritudinem, quod genus est herbae amarissimae, assumentes iniquitatem, et justitiam relinquentes.“ וּצְדָקָה לָאָרֶץ הִנִּיחוּ *Et justitiam ad terram dejiciunt*, enallage personae, humi prosternitis et deseritis, nihil eam curantes, imo spernentes. *Jacent enim ea semper, quae apud quosque improbantur*, ait Cicero *Tusc. Quaestt.* L. I. c. 2. Sic Daniel, 8, 12. veritas contemta et spreta *in terram dejecta* esse dicitur (וַתַּשְׁלֵךְ אֱמֶת אַרְצָה).

8. Verba עֹשֵׂה כִימָה וּכְסִיל *facientem Plejadas et Orionem* sunt qui referant ad id quod superiore Versu dictum fuerat, *qui spernitis justitiam*, quam intelligunt Deum ipsum, quem jam deseribat vates, et ejus potentiam ac magnitudinem, uti supra 4, 13. et infra 9, 6., ubi nonnulla repetet eorum, quae leguntur hoc loco, nempe quae de aquis dicuntur. Ita Hieronymus: „Quae sit autem justitia, sequens Versus ostendit: *facientem Arcturum et Orionem* etc. De quo supra [4, 13.] dixerat: *formans montes* et *creans ventum* etc.“ Sed malumus haec conjungere cum Vs. 6., ut ratio hic sit illius adhortationis: *quaerite Dominum*, a mirabili illius potentia, qua hominibus reverendus est. De sideribus כְּסִיל et כִּימָה vid. not. ad Job. 9, 9. וְהֹפֵךְ צַלְמָוֶת לַבֹּקֶר *Et qui convertit in matutinum*, in lucem splendi-

dam, *umbram mortis*, i. e. tenebras densissimas et ferales. Vid. de nomine צַלְמָוֶת not. ad Ps. 23, 4. וְיוֹם לַיְלָה הֶחְשִׁיךְ *Et diem in noctem* (pro לַלַּיְלָה) *obtenebrat*, i. e. diem convertit in noctem obtenebrando, diem nocte obtenebrat. Hoc Hebraei referunt ad contractiores dies aut noctes, aestate vel hyeme, quod admirabile est Dei opus in hac mundi machinâ et rerum natura, hybernas tenebras ampliore et copiosiore luce aestiva commutare. Sed malumus haec simpliciter de diei noctisque per dies singulos vicissitudine intelligere. Cf. supra 4, 3. הַקֹּרֵא לְמֵי־הַיָּם וַיִּשְׁפְּכֵם עַל־פְּנֵי הָאָרֶץ *Qui vocat*, evocat, velut vocando in sublime attollit, *aquas maris*, vapores ex illis veluti eliquatos, *et effundit eas super faciem terrae*, i. e. ac rursum vapores illos resolvit in aquas, quas in terram refundit in hominum usum. Ostendit pluviae generationem, quam KIMCHI sub voce אִיד *ferventis ollae* similitudine illustrat, ex qua vapores et fumi ad operculum frigidius ascendentes in aquas vertuntur; coll. Gen. 2, 6.: *vapor ascendit, et irrigavit superficiem terrae universam.* Quod Noster de pluvia dicit e maris aquis oriunda illustratur loco parallelo 1 Reg. 18, 44., ubi Elias audito *nubem parvam e mari ascendere, junge equos*, inquit, *et abi, ne te pluvia intercludat. Interea coelo nubibus obscurato magna pluvia erat.* LUCRETIUS *de Rer. Nat.* L. VI. 628. seqq.: *Praeterea docui multum quoque tollere nubeis humorem magno conceptum ex aequore ponti.* Sicut vero supra 4, 13. quisnam ille esset rerum tantarum auctor subjunxerat, quum diceret: יְהוָה אֱלֹהֵי־צְבָאוֹת שְׁמוֹ, sic hoc loco ad extremum subnectit, יְהוָה שְׁמוֹ, subaudito אֲשֶׁר, *cujus nomen est Jova*, quod nomen substantiam et essentiam Dei significat, quod cum re ulla alia commune non habet.

9. Adjungit et aliud, in quo mira Dei potentia agnoscitur, et quod ex superioribus facile consequitur. Si enim rerum vices et temporum in natura et in hac orbis machina, coelo, aëre, mari et terra, ita temperat, ut dictum est, quomodo non inter homines efficiet, ut imbecillior, quum voluerit, fortiorem superet, a quo victus fuerat, aut alioqui vinci posse juxta communem morem videbatur? הַמַּבְלִיג שֹׁד עַל־עָז *Qui effulgere facit vastationem adversus* et *supra potentem*, i. e. subito ei immittens, imagine petita ab aurora velociter se diffundente; cf. Jes. 47, 11.: *veniet super te malum, cujus auroram nescis.* Joel 2, 2.: *aurorae instar super montes panditur.* Ὅσον τ' ἐπιχίδνατ' Ἠώς, uti Homerus canit, ut nec opinatum adventum cum incredibili velocitate conjunctum describat. Cf. verbum צָמַח *efflorait, progerminavit*, de rebus inopinato accidentibus Jes. 42, 9. 58, 8. usurpatum. וְשֹׁד עַל־מִבְצָר יָבוֹא *Ita ut vastitas super munitionem veniat*, ut loca quantumvis munita et valida vasta reddantur. Cf. Hos. 10, 14.

10. Pergit eorum delicta commemorare, quasi dicat: verum quid hortor illos? שָׂנְאוּ בַשַּׁעַר מוֹכִיחַ *Oderunt*, nec pati volunt

meliora monentes, *in porta*, in loco judicii, ubi tamen quam maxime debebat veritatis justitiaeque sedes esse, *corripientem*. *Porta* urbis olim locus judicii erat, unde factum, ut *porta* ponatur pro *curia*. Deut. 22, 15.: *educent eam ad seniores urbis in portam*. Zach. 8, 16.: *judicium pacis judicate in portis vestris*. Cf. infra Vs. 12. 15. Hieronymus: „*In porta* autem juxta veterem Judaici morem populi fuisse judicia, et saepe legimus, et crebro interpretati sumus, ut nec agricola ad causam veniens frequentia civitatis et novo terreretur adspectu, nec urbis habitator longe ab urbe properaret, et subvectionem quaereret jumentorum.“ מוֹכִיחַ *Corripientem*, redarguentem, plerique intelligunt judicem aut magistratum, reprehendentem in judicio cos, qui aliquid commiserunt reprehensione dignum. Ita Chaldaeus: *oderunt eum, qui corripit eos in portis domorum judicii verbis legis*. Non male autem Grotius sic reddit: *oderunt* qui *in porta* sunt, i. e. judices, *recte monentem*. Nam בַּשַּׁעַר secundum accentus referendum est ad praecedens שָׂנְאוּ, non ad sequens מוֹכִיחַ. Sive igitur propheta, sive quis magistratus integer, sive alius aliquis judicem in judicio injuste agentem coargueret, is odio habebatur. Ita Jes. 29, 21.: *peccati reum peragunt propter verbum*, וְלַמּוֹכִיחַ בַּשַּׁעַר יָקֹשׁוּן *et corripienti in porta tendiculam ponunt*. וְדֹבֵר תָּמִים יְתָעֵבוּ *Et loquentem integre abominantur*. תָּמִים per ellipsin praepositionis ב adverbialeseit, sive Accusativus adverbialiter capiendus, ut Ps. 15, 2. Prov. 28, 18. הוֹלֵךְ תָּמִים *qui ambulat integre*. Jos. 24, 14.: וְעִבְדוּ אוֹתוֹ בְּתָמִים וּבֶאֱמֶת *et servite ei integre et sincere*. Jud. 9, 16.: אִם־בֶּאֱמֶת וּבְתָמִים עֲשִׂיתֶם *quodsi sincere et integre agitis*. Alii, תָּמִים neutraliter et substantive sumto: *qui loquitur integrum*, i. e. ingenuam veritatem. Coll. Jes. 33, 15. הֹלֵךְ מֵישָׁרִים *qui loquitur recta*. Quidam תָּמִים ut nomen adjectivum capiunt: *qui loquitur* tanquam *integer*, ut decet virum integrum. Sed quod primo loco positum praestat.

11. Post exposita eorum scelera rursus poenam subdit, sed ita ut simul mala commemoret, ob quae sint puniendi. לָכֵן *Propterea*, q. d. quoniam igitur, ut Vs. 10. dictum, salutaria monita non admittitis, itaque decretam in vos sententiam audite. יַעַן בּוֹשַׁסְכֶם עַל־דָּל *Quod conculcatis super tenuem*, id est, tenues calcatis et opprimitis, ut et supra 2, 7. dixerat, הַשֹּׁאֲפִים עַל־עֲפַר־אֶרֶץ בְּרֹאשׁ דַּלִּים *qui anhelant, ut sit pulvis in capite pauperum*. בּוֹשַׁסְכֶם pro בּוֹסַסְכֶם, Infinitivus Piel verbi בּוּס *calcare* (unde בִּסְסוּ Jes. 63, 18. Jer. 12, 10.), שׁ posito pro ס, sicut סְרִיוֹן Jer. 51, 3. 46, 4. scribitur pro שְׁרִיוֹן *lorica*, 1 Sam. 17, 5. 38. Cf. quae infra 7, 14. ad בּוּלֹס dicenda. וּמַשְׂאַת־בַּר תִּקְחוּ מִמֶּנּוּ *Et munus frumenti accipitis ab eo*, muncra pauperibus extorquetis, et frumentum quidem, ad miseram vitam sustentandam ipsis maxime necessarium. מַשְׂאֵת a נָשָׂא *tulit*,

attulit, *obtulit*, denotat *quicquid* quis *offert* alteri, aut afferre tenetur. Sic de donis Benjamino a Josepho datis dicitur Gen. 43, 34., et de muneribus Deo offerendis Ezech. 20, 4. 2 Paral. 24, 9. Alii capiunt h. l. significatione *oneris*, quam illud nomen a *portandi* notione obtinet Jes. 30, 27.: כֹּבֶד מַשָּׂאֵהּ *gravitas oneris* (i. q. מַשָּׂא). hoc sensu: *et onus*, sarcinam *frumenti accipitis ab illo*, q. d. quod ille labore suo et sudore comparavit, et domum humeris portavit, id ei cripitis, unde se victitaturum sperabat, plus etiam ab eo exigentes, quam solvere possit. JARCHI videtur מַשַּׂאת־בַּר (cum *Schin*) legisse, *mutuum*, *debitum* (Deut. 24, 10. Prov. 22, 16.) *frumenti* (quamquam et מַשָּׂאֵהּ *debitum* significare possit, quod oneri sit debitori). Ita enim ille verba nostra exponit: *et debitum frumenti accipitis ab eo*, quum videlicet tempore caritatis annonae pauperibus frumentum mutuo datis cum foenore, ut postea perceptionis tempore amplius et cum foenore mutuo datum frumentum vobis reddant; qua in re eorum facultates exhauritis, dum quicquid habent ejus debiti aut usurarum nomine exigitis. בַּר h. l. est *frumentum*, ut infra 8, 5. 6. Gen. 41, 35. 49., inde fortasse nomen nactum, quod sit expurgatum a paleis. Sensum HIERONYMUS recte declarat hoc modo: „ne forsitan putaret Israel, quod propter solam idololatriam hostibus traderetur ad poenam, jungit et cetera, quae, amissa veritatis religione, commiserit. Diripiebatis, inquit, pauperem, ut ab eo tolleretis, qui [al. quae] victui necessaria vix habebat, et quicquid pretiosum videbatis et pulchrum, vestris usibus tradebatis.“ Sequitur ergo poena pro hac tanta injuria, et usqueadeo iniqua pauperum oppressione. בָּתֵּי גָזִית Ideo *domos caesionis*, i. e. lapidibus excisis, dolatis, quadris, coll. 1 Reg. 5, 31. Jes. 9, 9. Docte LXX: *οἴκους ξυστούς*, *domos rasiles*, politas, id est, polito lapide constructas. Vide quae supra 3, 15. de luxu Israelitarum in aedificiis dicuntur. בְּנִיתֶם *Aedificaveritis* quidem; est instar *Paulo post Futuri*, ut Jes. 7, 16. תֵּעָזֵב non *deseretur*, sed *deserta erit* vertendum. Sic et mox נְטַעְתֶּם *plantaveritis*. Etsi igitur, inquit, domos quadrato lapide sumtuosas et magnificas aedificaveritis, וְלֹא־תֵשְׁבוּ בָם *non tamen in illis habitabitis*, non licebit illis uti, frui. כַּרְמֵי־חֶמֶד נְטַעְתֶּם *Vineas desiderii*, desideratissimas, pulcherrimas (ut שְׂרֵי־חֶמֶד *agri praestantissimi* Jes. 32, 12., בַּחוּרֵי־חֶמֶד *juvenes optimi* Ezech. 23, 6.), *plantaveritis*, וְלֹא־תִשְׁתּוּ אֶת־יֵינָם *nec* tamen *earum vinum bibetis*, quippe brevi perimendi, vel hinc alio demigraturi, et pellendi regione vestra ab hostibus. Eadem in Lege comminatus erat Deus Deut. 28, 30. כֶּרֶם תִּטַּע וְלֹא תְחַלְּלֶנּוּ *vineas conseretis*, *et eas non profanabitis*, i. e. uvas ex iis colligetis. Et infra Vs. 39. כְּרָמִים תִּטַּע וְעָבַדְתָּ וְיַיִן לֹא תִשְׁתֶּה וְלֹא תֶאֱגֹר *vineas conseretis coletisque*, *sed vinum non bibetis*. Nostri vatis verba repetiit Zeph. 1, 13.

12. Ratio alia, cur de illis tales poenas sit sumturus. כִּי יָדַעְתִּי *Nam*, ne putetis, latere me scelera vestra, ac proin

impunita fore, *novi*, רַבִּים פִּשְׁעֵיכֶם quod *multae* sint *praevaricationes vestrae;* per Accusativum, novi *praevaricationes vestras*, vertere non licet propter ordinem constructionis, quae verbum substantivum subaudiri jubet. Alioquin Adjectivum sequeretur substantivum suum, non anteccderet. Recte igitur Chaldaeus: *nam revelatum est coram me, quod multae sint vestrae praevaricationes.* וַעֲצֻמִים חַטֹּאתֵיכֶם *Et* quod *valida*, numerosa sint *peccata vestra*, quorum iterum nonnulla enumerat. צֹרְרֵי צַדִּיק *Angustantes justum*, eum qui justam causam habet; innocentes affligitis et opprimitis. Hieronymus: *hostes justi*, q. d. infesti justo et insonti. לֹקְחֵי כֹפֶר *Accipientes lytrum*, pretium, quo injustam causam tuens sese a vestra sententia redimit. כֹּפֶר est proprie λύτρον, *rançon*, pretium quo quis aut vitam suam redimit, aut periculum praesens alioqui ac certum vitat, atque velut a se abstergit et amolitur. Vid. Proverb. 6, 35. Chaldaeus: *pecunia iniquitatis* s. *mendacii* (μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας Luc. 16, 9.), quomodo et 1 Sam. 12, 3. Chaldaeus כֹּפֶר interpretatus est. וְאֶבְיוֹנִים בַּשַּׁעַר הִטּוּ *Et inopes in porta*, in judicio (vid. supra ad Vs. 10.) *pervertunt*, enallage personae, pro *pervertitis*, justam inopum causam pervertitis, iniqua in eos scntentia lata, ob munus a potentiori acceptum. *Declinare facere* s. *pervertere inopes* hic dicitur pro eo quod est, jus inopum et causam pervertere corruptela et iniquo judicio, ut Mal. 3, 5. וְהַמַּטֵּי־גֵר *et pervertentes peregrinum*, i. e. jus peregrini. Chaldaeus: *et judicium miserorum in domo congregationis ipsorum pervertunt.* Cf. supra 2, 6. infra Vs. 15. Jes. 10, 2. 29, 21. Prov. 18, 5.

13. לָכֵן הַמַּשְׂכִּיל בָּעֵת הַהִיא יִדֹּם *Propterea intelligens*, prudens, is qui sapit, *hoc tempore tacebit*, tali scilicet tam periculoso tempore, quo tam iniqui sunt et corrupti judices, et alii primarii viri tam perditis et deploratis moribus, ut nullam correptionem ferant, tali, quale istud est, ut subdit, כִּי עֵת רָעָה הִיא *quia tempus malum est*, id est, periculosum propter homines sceleratos et iniquos, qui in eo vivunt; quos si quis velit reprehendere, aut sui officii admonere, probrum ab eis ferat, aut etiam in vitae discrimen incidat. Hieronymus: „Ideo qui pauper et prudens est, cum redemtum judicem viderit, taecbit in tempore illo, quia tempus malum est. Vel certe ita intelligendum: quid prodest nunc vicina captivitate vestra enumerare peccata, quum jam nullum remedium sit, et muros urbium vestrarum hostilis cingat exercitus?“ Sed magis placet prior sententia, pro qua et Chaldaeus stat, dum hunc Versum sic expressit: *propterea doctores tunc temporis propter impios tacent.* Cepit הַמַּשְׂכִּיל non pro *intelligente*, seu eo, qui intellectu praeditus est, sed active pro eo qui alios docet et erudit. Nec tamen hoc propterea dicit propheta, quod ideo a suo muncre sit doctoribus et prophetis desistendum, sed quod improborum et furiosorum audaciae

nonnihil sit cedendum ab iis, qui alioqui pii erant et probi; verum non tanta spiritus vehementia praediti, ut tanquam prophetae divinitus incitati aperte illos arguerent. Et Noster quidem jam ad repetitam cohortationem redit, ut plane sint inexcusabiles, omni ratione nitens eos ad bonam frugem, si fieri possit, revocare.

14. דִּרְשׁוּ־טוֹב וְאַל־רָע *Quaerite bonum*, ut faciatis, *et non malum*, studete bono, et desistite a malefaciendo. Ac quemadmodum male agentibus poenas est comminatus, sic rursum bene agentibus promissionem addit: לְמַעַן תִּחְיוּ *ut vivatis*, et vitetis mala tanta, quae vobis impendent. Cf. וְחִיוּ supra Vs. 4. 6. Addit et aliam promissionem: וְיִהְיֹ־כֵן יְהוָה אֱלֹהֵי־צְבָאוֹת אִתְּכֶם *et erit sic*, hac ratione, *Dominus Deus exercituum*, ille omnipotens, *vobiscum*, בְּסַעְדְכוֹן *in auxilium vestrum*, recte Chaldaeus vertit, כַּאֲשֶׁר אֲמַרְתֶּם *quemadmodum* et nunc quidem *dicitis*, ut vos jactitare soletis, vos esse Dei populum. Quasi dicat: facite digna hac tanta appellatione, ut vobis Deus adsit et opem ferat, sicut vobis ipsi pollicemini, quum vos ejus jactatis populum. Alii *ut dixistis* exponunt, apud vos scilicet, id est, ut petistis, ut desiderastis. Sed malo priorem sensum. Ita enim assidue hoc nomine gloriari solebant, secum Deum esse, illius se esse hereditatem et peculium. Vid. e. c. Jer. 7, 10. Mich. 3, 11.

15. שִׂנְאוּ־רָע וְאֶהֱבוּ טוֹב *Odio habete malum*, *et diligite bonum*. Repetit adhortationem jam positam. Hoc enim idem est cum eo quod dixerat Vs. 14.: *quaerite bonum et non malum*, nisi quod nunc dicit ἐμφατικωτέρως. Intelligendum autem טוֹב et רָע in genere neutro, ut Versu praecedente, *bonum* et *malum*, non, ut vult Aben-Esra, *hominem bonum* et probum, qui scilicet argnit vos, et sincera loquitur, ut supra Vs. 10. dixerat, et *hominem malum*. Consulto autem non solum dicit: *odio habete malum*, sed statim addit: *et amate bonum*, quia non satis est malum odisse, nisi et bonum diligas, et ex animo facias. וְהַצִּיגוּ בַשַּׁעַר מִשְׁפָּט Speciatim vero *statuite*, constituite, *in porta*, in foro (Vs. 10. 11.) *judicium*, jus; facite, ut jus firmam ac stabilem sedem in foro habeat; ad aequitatem et jus vestra judicia componite; contrarium ei, quod Vs. 12. illis exprobravit. אוּלַי יֶחֱנַן יְהוָה אֱלֹהֵי־צְבָאוֹת שְׁאֵרִית יוֹסֵף *Si forte gratia prosequetur Dominus Deus exercituum*, ille scilicet omnipotens rerum omnium moderator, *reliquias Josephi*, i. e. regni Israelitici, vid. supra ad Vs. 6. *Reliquias* dicit, quia regnum decem tribuum ante Jeroboami tempora nimium jam accisum erat, vid. supra ad 1, 3. 8., cf. 9, 12. יֶחֱנַן active exposuimus, ut שְׁאֵרִית sit accusandi casus, sicut et alia forma activum reperitur Exod. 33, 19. חָנֹתִי אֶת־אֲשֶׁר אָחֹן *gratia prosequar quemcunque libuerit*. Nam verba secunda radicali geminata nunc perfecte, expressis omnibus litteris, nunc imperfecte flectuntur. Kimchi videtur intransitive

sumere, ut subaudiatur עַל ante שְׁאֵרִית *si forte misereatur Deus reliquiarum* Josephi, ut et Chaldaeus vertit. Sed verbum חָנַן fere in Cal transitivum reperitur, pro *gratia* seu *beneficentia prosequi*, gratiam in aliquem conferre, uti docent Lexica.

16. Redit ad minas, futurum ubique planctum et luctum praedicens. לָכֵן *Propterea*, quod non ad proximum referendum, ubi eos ad resipiscentiam cohortabatur, sed ad totam sententiam, maxime ad supra dicta (Vss. 7. 10—12.), ubi eorum scelera enumerat, ob quae poenas essent daturi. Quasi dicat: hortor vos quidem ac sedulo commoneo, ut resipiscatis, ita bene vobiscum actum iri; verum si pergatis meas contemnere admonitiones, omnino praedico vobis fore, ut tantae ubique vobis accidant calamitates, ut inde ubique maximus oriatur planctus et luctus. בְּכָל־רְחֹבוֹת מִסְפֵּד *In omnibus plateis planctus* scil. יִהְיֶה *erit.* וּבְכָל־חוּצוֹת *Et in omnibus vicis*, in iis locis, quae sunt extra domos, unde Hieronymus vertit: *in omnibus quae foris sunt.* LXX: *ἐν πάσαις ὁδοῖς.* יֹאמְרוּ הוֹ־הוֹ *Dicent*, clamabunt, *heu! heu!* הוֹ, quod alias in V. T. non reperitur, dolentis interjectio est, convenitque cum הוֹי Jerem. 22, 18. et הַי Ezech. 2, 10. Ubique, inquit, ejulabitur, non intus tantum domi, sed maxime per plateas et vicos, ut magis planctus audiatur, et doloris magnitudo ostendatur. וְקָרְאוּ אִכָּר אֶל־אֵבֶל *Et vocabunt*, accersent, invitabunt *agricolam*, urbani scilicet, de quibus praecedentia dicebantur, *ad luctum.* Ab urbium habitatoribus invitabuntur etiam agricolae ad luctum agendum ob agros vastatos ab hostibus, vel etiam quod exspectationi non responderint, utpote vitiis a Deo in fruges immissis, unde fames. וּמִסְפֵּד אֶל־ יוֹדְעֵי נָהִי *Et planctum* acclamabunt ad *peritos lamenti* (ut Jes. 40, 2. וְקִרְאוּ אֵלֶיהָ *acclamate ei*), i. e. ad planctum publice invitabunt, quotquot lamentabili gestu vel threnis pathethicis affectus movere sciunt. Vel *planctus* erit *apud peritos lamenti.* Alti hypallagen in his verbis statuunt (cf. not. ad Ezech. 24, 17.), ut inverso ordine sint posita pro eo, qui proxime praecedentibus magis convenit: וְקָרְאוּ יוֹדְעֵי נְהִי אֶל־מִסְפֵּד *et vocabunt scientes lamenti ad planctum.* Ita Hieronymus: *et ad planctum* vocabunt *eos qui sciunt plangere.* Syrus: *et ad luctum eos qui norunt lamentationes.* Quicquid horum eligas, sensus idem erit: tum offerctur undique amplissima lamentandi materia iis, qui carmina lugubria ex arte canunt; ita undiquaque accersentur hujuscemodi praefici et praeficae, qui alios ad lacrymas concitent. Hieronymus: „Et qui sciunt more provinciae praecinere ad concitandas lacrymas vocabuntur.“ Sic in sepultura olim cantores ad luctum flebili cantu excitandum adhiberi solitos esse, declarat Homerus de Hectore sepulto loquens *Iliad.* 24, 720. seqq. Horatius *de Arte poet.* Vs. 433. sqq. commemorat eos, qui conducti plorant in funere. Cf. Jerem. 9, 17. 18. 19. Eundem morem

etiamnum in illis regionibus vigere testantur qui eas adiere, vid. c. c. NIEBUHRII *Itinerar.* T. I. p. 188. JARCHI קָרְאוּ exponit *occurrent*, quasi קָרָא sit pro קָרָה, ut Gen. 22, 38. וְקָרָאָהוּ *et obvenerit ipsi;* vid. et Genes. 42, 4. Jerem. 13, 22.; אֹבֵר vero collective sumit, ut haec prodeat sententia: *agricolae*, catervae agricolarum, undique *occurrent luctui*, i. e. lugentibus et ejulantibus. Porro וּמִסְפֵּד in Nominativo intelligit, ut sit: *et planctus*, i. e. agens planctum occurret *peritis lamentandi*, undique sibi invicem occurrent qui plangant et lamententur, singuli ob damna sua.

17. וּבְכָל־כְּרָמִים מִסְפֵּד *Et in omnibus vineis planctus* erit, et ubi quondam materia erat laetitiae, et laeta sonabant carmina (cf. Jes. 16, 10.), jam sit moeroris argumentum, dum non agricolae tantum ob fruges deperditas, sed et vinitores ob vini inopiam luctum agunt; sicut supra Vs. 11. comminatus fuerat fore, ut quas consevissent vineas, earum vinum non biberent. Et rationem addit ex persona Dei: כִּי־אֶעֱבֹר בְּקִרְבֶּךָ אָמַר יְהוָה *quia transibo per medium tui, inquit Jova*, q. d. per tuos agros, vineas, omnia denique tua transibo, et pervastans et perdens, ut nihil integrum remaneat.

18. Incipit hic altera Capitis pars, non solum contra Israelitas, verum et contra Judaeos directa; cf. not. ad Vs. 21. HIERONYMUS: „Ne de tribu Juda Thecuites propheta omnino homines tribus suae negligere videretur, et ad decem tantum tribus conferre sermonem; ad utrumque regnum, hoc est, Judam et Israel, nunc dirigit sermonem vaticinii, quod ex multis quidem aliis, sed praecipue ex eo, quod sequitur [6, 1.]: *Vae! qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariae*, intelligi potest.“ Et primum quidem in eos invehitur, qui prophetas contemnebant et ridebant. הוֹי הַמִּתְאַוִּים אֶת־יוֹם יְהוָה *Vae* vobis *qui desiderastis diem Domini*, diem vindictae a prophetis praenuntiatum proterve ridetis, et adeo procul abesse putatis (vid. 6, 3.), ut nec dicere vereamini: Quid? isti prophetae nihil aliud nobis, quam Diem Domini ogganniunt: veniat modo ille dies! vehementer illum videre cupimus: numquam vero eventurum persuasi sumus, laetiora potius quaelibet nobis ominantes. Ita Judaeos loquentes inducit Jesajas 5, 9.: *acceleret Deus opus suum! adveniat consilium ejus, ut sciamus!* Jer. 17, 15.: *dicunt mihi: ubi est verbum Jovae? adveniat jam!* Ezech. 12, 22.: *prolongantur dies, et irrita erit omnis visio*, prophetia. Ironice igitur hunc diem optarunt, ut suam injuriam ostenderent. Interea perditissime vivebant, nihil de moribus suis, vita sceleratissima et impietate, mutantes aut emendantes. לָמָּה־זֶּה לָכֶם *Cur hunc vobis* optatis ridentes? Aut ut זֶה in neutro sumatur: *cur hoc vobis* scil. in mentem venit? unde vobis haec libido incessit? Si quam horrendus ille dies sit exstiturus, sciretis, non tam

temere eum optaretis. Unde statim qualis sit describit: יוֹם יְהוָה הוּא־חֹשֶׁךְ וְלֹא־אוֹר atqui *dies Domini est tenebrae, et non lux*, miseriarum et calamitatum plenus, quae per *tenebras* significantur, non laetus et prosper, quod *luce* designatur. Cf. Jes. 45, 7. Thren. 3, 2.

19. Jam illius diei multiplicem calamitatem et ineluctabile fatum eleganti et apposita similitudine exponit. Talis ille dies, cujus tanto desiderio tenemini, est futurus, כַּאֲשֶׁר יָנוּס אִישׁ מִפְּנֵי הָאַרְיֵה וּפָגָעוֹ הַדֹּב *quomodo* si *quis fugit a conspectu leonis*, metu leonis, *et occurrat ei ursus*, aeque truculenta bestia; ubi se putet, leonem cum effugerit, evasisse et in tuto esse, in ursum incidat, id est, uno vitato periculo in aliud incidat, ut dici solet: *incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim.* Similia ex Arabibus attulit Bochartus *Hieroz.* L. III. C. 9. T. II. p. 136. seq. edit. Lips. וּבָא הַבַּיִת וְסָמַךְ יָדוֹ עַל־הַקִּיר וּנְשָׁכוֹ הַנָּחָשׁ *Et veniat domum*, ubi evaserit ursum, putans se jam extra periculum. domum sese recipiat, *et manum suam admoveat*, applicet, *parieti, et mordeat eum serpens*, i. e. ubi domum se receperit, manu parieti admota ut innitatur, ibi offendat colubrum, a quo mordeatur. Describit varias calamitates, quae undique occurrant, ut qui unam putet se evasisse, alia comprehendatur, vixque ullum locum adire possit, ubi non sit in periculo summo et vitae discrimine.

20. Inde tanquam re aperte ostensa et illius diei conditione, ἐπιφωνηματικῶς subjungit: הֲלֹא־חֹשֶׁךְ יוֹם יְהוָה *annon tenebrae*, tenebricosus est *dies Domini?* quum talis sit, וְלֹא־אוֹר *et non lux*, minime lucidus. Idem in altero hemistichio repetit verbis commutatis, pro more: וְאָפֵל *et caliginosus;* adjectivum ad יוֹם referendum, hoc solo loco obvium. Alii substantive capiunt: *caligo*, vel, *dies caliginis.* וְלֹא־נֹגַהּ לוֹ *Nec est splendor ei*, ut Jes. 50, 10., i. e. et omnis splendoris expers, plane teter, tristis et calamitosus.

21. Ne vero putetis, inquit Jova, me propter sacrificia vestra vobis parciturum, שָׂנֵאתִי מָאַסְתִּי חַגֵּיכֶם *odi, abominor festa vestra*, hostias vestrorum festorum, quas offertis manibus multis sceleribus inquinatis. חַגִּים *festa* pro hostiis diebus festis oblatis, ut Exod, 23, 18. Jes. 29, 1. Mal. 2, 3. Ps. 118, 27., ad quem loc. vid. not. וְלֹא אָרִיחַ בְּעַצְרֹתֵיכֶם *Nec odorabor coetus vestros* solennes, i. e. suffitum, quem in coetibus vestris festis adoletis, et sacrificiorum, quae in illis offerre soletis, nidorem, nolo olfacere, minime illis delector. Si me his externis, inquit, placatum iri putatis, quum alioqui vitam non emendetis, sed in vestra pergatis impietate, fallimini. Non moror ista, nisi adjuncta sit pietas et vitae integritas. Verbum *odorandi*, הָרִיחַ, mox cum Accusativo nudo construitur, ut Gen. 8, 21., mox intercedente particula ב, ut Levit. 26, 31. De עֲצָרָה vid. not. ad

Joel. 1, 14. coll. ad Jes. 1, 13. Ceterum quae hic et Versibus proximis leguntur, nonnulli speciatim in Judaeos dicta existimant, veluti Hieronymus. Sed possunt haec ad utrumque regnum commode referri, non exclusis decem tribubus, quae eadem fere festa a Mose instituta celebrabant, et in illis aut alioqui alias victimas immolabant, sed in honorem vitulorum, in quibus se Jovam colere opinati sunt.

22. כִּי אִם־תַּעֲלוּ־לִי עוֹלוֹת *Nam quantumvis offeratis mihi holocausta.* In vocibus תַּעֲלוּ et עוֹלוֹת est paronomasia, Hebraeis elegantia, quam Latine assequi non possumus: *si feceritis ascendere ascendentia*, ita enim *holocausta* dicta sunt, quod tota in fumum et auras abirent, et in solitum cremarentur. וּמִנְחֹתֵיכֶם לֹא אֶרְצֶה *Et ferta* (proprie *munera*, cf. not. ad Lev. 2, 1.) *vestra* scil. mihi obtuleritis, *non* tamen *grata* et accepta *habebo* ea. וְשֶׁלֶם מְרִיאֵיכֶם לֹא אַבִּיט *Et pacificum*, pacifica, *saginatorum vestrorum non adspiciam*, vultu scilicet placido et benigno (cf. Jes. 66, 2.), mihi grata non erunt, minime illis apud me vobis favorem et gratiam conciliabitis. שְׁלָמִים (singulare שֶׁלֶם hic tantum obvium) sunt sacrificia, quae pro *pace*, i. e. salute et prosperitate obtinenda a Deo vel obtenta, offerebantur, vid. Levit, 3, 1. seqq. De מְרִיאִים vid. not. ad Jes. 1, 11.

23. Ut sacrificiis, sic canticis, quae vel ore, vel instrumentis musicis in templo canebantur a Levitis, quorum magna erat multitudo, ut habes 1 Paral. 23. 24. 25. (ubi quatuor millia cantorum fuisse narratur Davidis tempore, et eos quidem a Davide in XXIV classes distributos), canticis, inquam, se non placari dicit, ubi vitam et mores non emendent. הָסֵר מֵעָלַי *Aufer a super me*, emphasis in particularum compositione, quasi dicat: a me, cui molesta sunt vestra cantica, velut onus graviter incumbens. Cf. Jes. 1, 14.: *novilunia et festa vestra* הָיוּ עָלַי *sunt mihi oneri.* הָמוֹן שִׁירֶיךָ *Tumultum*, strepitum, *canticorum*, ut Ezech. 26, 13.: *cessare faciam* הָמוֹן שִׁירַיִךְ *strepitum canticorum tuorum.* Alii: *multitudinem*, quod הָמוֹן etiam significat *copiam*, *turbam*, ut ad Levitarum frequentiam alludatur. At malim *strepitum*, invidiose, quasi nihil aliud sit quam strepitus Deo molestus. HIERONYMUS: „Pulchre cantica Levitarum, quibus laudabant Deum, *tumultum* vocat, sonitumque confusum; quia non est pulchra laudatio in ore peccatoris, et haec eadem idolis offerre quoque consueverant.“ וְזִמְרַת נְבָלֶיךָ לֹא אֶשְׁמָע *Et concentum nabliorum tuorum*, organorum tuorum musicorum, specie pro genere posita, *non audiam.*

24. Apagesis a me ista cantica, וְיִגַּל כַּמַּיִם מִשְׁפָּט *at volvatur*, fluat, abundet ac diffundatur *sicut aqua* apud te *jus.* *Volvi* per metaphoram dicitur pro *fluere*, quia aquae, praesertim quae concitatiore cursu feruntur, volvi videntur. Sic VIRGILIUS *Georg.* 3, 522. loquitur: — *Non qui per saxa volutus purior*

electro campum petit amnis. Ovidius *Trist.* 1. Eleg. 2. Vs. 19. *Me miserum! quanti montes volvuntur aquarum!* Hinc *fluctus* Hebraice גַּלִּים a *volvendo* dicuntur Jes. 48, 18. Zach. 10, 11., et *scatebrae* (גַּלּוּת, Hos. 15, 19. Jud. 1, 15.), quod ebullientes affatim *provolvuntur.* Profluat, optat, aquae scaturientis more, ut latissime sese diffundat et ad multos permanet, *jus* tuum, non ut illud opprimas, ut supra aliquoties eis objecit, et hoc eodem Capite Vs. 7. Quam sententiam verbis mutatis repetit hemistichio altero: וּצְדָקָה כְּנַחַל אֵיתָן *et justitia* tua profluat *instar torrentis validi.* Simile loquendi genus habes Jes. 48, 18 : *o si ad praecepta mea attendisses,* וַיְהִי כַנָּהָר שְׁלוֹמֶךָ וְצִדְקָתְךָ כְּגַלֵּי הַיָּם *fuisses pax tua ut flumen, et justitia tua ut fluxus aquarum,* abundasset fluxu perpetuo, aquae decurrentis more. Sic et hoc loco vult eorum studium multum esse, et summam in jure reddendo et aequitate tuenda erga omnem diligentiam, quae numquam cesset, ut aqua perennis.

25. הַזְּבָחִים וּמִנְחָה הִגַּשְׁתֶּם־לִי בַּמִּדְבָּר אַרְבָּעִים שָׁנָה בֵּית יִשְׂרָאֵל *Num victimas et fertum obtulistis mihi in deserto annis quadraginta, domus Israel?* o Israelitae? nam ad omnes hoc dicitur. Est vero hic versiculus cum proximo admodum difficilis. Quod enim ex hac interrogatione colligitur, Israelitas totis quadraginta annis in deserto sacrificia non fecisse, aliud sane Pentateuchi libros tres medios percurrenti apparebit, quum et eo tempore sacrificia fecerint, quo Jova cum illis foedus iniit, in monte Sinai, Exod. 24, 4. sqq., et in consecratione tabernaculi oblatae sint victimae a singulis principibus tribuum, Num. Cap. 7., itemque in celebratione Paschatos, altero post exitum Aegyptiacum anno, Num. 9, 1. seqq. Quem nodum varii vario modo solvere tentarunt. Quidam sacrificia in deserto oblata fuisse negari hoc loco ideo existimant, quod leges de sacrificiis eorumque ordine et modo Israelitis eo fine praescriptae fuerint, ut non tam in deserto, quam in Canaane observarentur, adeoque in deserto fere fuisse neglectas. Alii rationem deserti non permisisse censent, ut hostiae omnes in Lege praescriptae Deo sisterentur, dum illic haerebant Israelitae; neque enim tantum in deserto fuisse animalium proventum, ut sacrificiorum legibus commode satisfacere possint. Verum enimvero qui hoc afferunt non videntur cogitare, Israelitas pastores cum armentis gregibusque, Arabum Nomadum more deserta illa pererrasse. Sed satis verisimilis est Lightfooti *Hor. Hebr.* ad Actor. 7, 42. sententia, intelligendum hunc locum esse de *sacrificiis spontaneis*, aut plane non, aut raro ad tabernaculum Jovae allatis, post primum dimidiumque annum ab exitu ex Aegypto. Nec mirum fuisse, sacrificia illa, quae ipsorum arbitrio magis relicta fuissent, Israelitas idolis potius, quam Deo obtulisse, quippe jam ante promulgatas leges ita facere consueverant (vid. Lev. 17, 7.), et Moses

Deut. 12, 8. eosdem arguit, in deserto pro lubitu sacrificasse, ac prout visum ipsis fuisset. Negat igitur Deus sacrificia sibi oblata fuisse, quia et animi pietate vacua, et cum idolorum cultu mixta erant, ut proximus Versus docet. Similis locus Jes. 43, 23.: *non obtulisti mihi pecudes holocaustorum tuorum, nec me sacrificiis tuis honoravisti, quin iniquitatibus et peccatis tuis me fatigasti.* Quod vero nexum attinet cum iis quae praecesserunt, animadvertendum est, Deum Versibus 22. 23. renuntiasse sacrificiis sine sincera pietate oblatis. Jam igitur ad tempora illa prisca provocans, quibus Arabiae deserta peragrarunt, innuit, se quidem hujusmodi sacrificiis facile carere posse, sicut jam olim caruerit, nec tam victimas, quam obsequium et pietatem a se requiri. Cf. Jer. 7, 22. 23.: *nec enim dixi aut praecepi majoribus vestris tum quum eos ex Aegypto eduxi, de re holocausti aut sacrificii. Quin eis hanc rem sic praecepi: obtemperate mihi, et ego vobis Deus, et vos mihi populus eritis.* Steudel in *dem Archiv für die Theologie* a Bengelio ed. Vol. II. p. 240. ה interrogativum ante הֲזְבָחִים idem quod הֲלֹא *nonne* valere adeoque affirmare censet, ut Gen. 27, 38. Ezech. 20, 30., ut hic Versus una cum proximo hoc dicat: sane obtulistis mihi in deserto per quadraginta annos victimas et ferta, sed praeterea et idola coluistis. Verum nec locis indicatis, nec iis quos Noldius in *Concordantt. Particular.* p 214. ed. Tymp. attulit, הֲ pro הֲלֹא poni, idoneis argumentis probari poterit. Alias interpretationes vide in Scholiis uberioribus. Quicquid vero de hujus loci sensu statuas, nonnisi qui admodum temere judicet ex hoc loco colliget, Amosi tempore cultus Levitici notitiam nondum exstitisse, sed illius cultus leges post Amosum demum confictas fuisse. Eodem jure ex Jeremiae et auctoris tertiae Jesajanorum vaticiniorum partis, quos attulimus locis colligendum esset, nec illorum vatum tempore innotuisse, Hebraeorum majores Jovae sacrificia obtulisse.

26. וּנְשָׂאתֶם סִכּוּת מַלְכְּכֶם *Atqui gestastis tugurium regis vestri*, i. e. ea vobiscum circumduxistis, quomodo verbum נָשָׂא de tabernaculo circumducto dicitur Num 1, 50., atque de idolis, quae abducenda jumentis gestanda imponuntur Jes. 46, 1. 2. Jer. 10, 5. Nonnunquam verbum hoc *sublime ferre, elevare, in humeros sublatum ferre* (Job. 31, 36.), significat. Hinc a LXX h. l. ἀνελάβετε redditur, id est, *sursum tulistis*, cum pompa quadam gestastis. Nos quidem hoc in loco sensum utrumque verbo נָשָׂא tribuendum censemus; constat enim, veteres aliquando deos suos in loco secretiori positos, tanquam genios quosdam tutelares, secum asportasse, quandoque vero simulacra eorum in humeros susccpisse, vel in thensis aut lecticis multa cum pompa et processionis ritu circumtulisse. סִכּוּת veteres, Chaldaeum si excipias, haud diversum significatu a סֻכָּה, סֹךְ *tentorium, tugurium*, מַלְכְּכֶם de idolo Moloch capiunt. Ita LXX: καὶ ἀνελάβετε

τὴν σκηνὴν τοῦ Μολόχ. Quam hujus loci interpretationem, quamque, praeter Hieronymum et Syrum, et Stephanus, protomartyr, sequutus est Actor. 7, 43., tuentur interpretes longe plerique, illustrantque ex more veterum, deorum suorum simulacra in aediculis, *ναΐσκοις*, cujusmodi *σκηνῆς ἱερᾶς* in castris Carthaginensium mentionem facit Diodorus Siculus L. XX. c. 65. מֶלֶךְ h. l. fere eundem, qui alias מוֹלֶךְ *Molochus*, vocatur, Ammonitarum deus (de quo vid. ad Levit. 18, 21.), existimant. Sed quo minus pro nomine proprio habeamus, vetat Suffixum pronomen. Est igitur hic nomen appellativum idolum denotans, quod cultores *suum regem* vocare solebant, vid. Jes. 8, 21. Zeph. 1, 5. וְאֵת כִּיּוּן צַלְמֵיכֶם *Et* gestastis *Kijunem*, *simulacra vestra*, i. e. simulacra idolorum vestrorum, de quibus צְלָמִים *idolis* dicitur Num. 33, 52. 2Reg. 11, 18. Pluralis hic מַלְכְּכֶם et כִּיּוּן comprehendit. Id vero convenit cum Syriaco ܟܐܘܢ et Arabico كَيْوَانُ, Saturnum planetam denotante, cui, uti reliquis sex planetis, tanquam diis, apud priscos Arabes fana dedicata erant, vid. Ed. Pocockii *Specim. Hist. Arab.* p. 117. 390. edit. veteris, sive p. 103. et 120. edit. novae, quae Oxonii 1806. prodiit. Pro Saturni nomine nostrum כִּיּוּן inter Hebraeos interpretes habet et Aben-Esra, Arabicum illud cum eo comparans, eademque sententia a recentioribus fere post Ludovicum de Dieu, qui eam in *Notis ad Act.* 7, 34. commendavit, pro certissima recepta est, a Gesenio quoque in *Commentario in Jesajam* P. II. p. 327., quippe quae et Alexandrini interpretis atque Stephani martyris auctoritate firmata est. Nam in Graeca interpretatione verbis hebraicis respondent, trajectis membris, haec graeca: *καὶ τι ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν, Ῥαιφὰν τοὺς τύπους αὐτῶν*, ita ut כִּיּוּן Graeco *Ῥαιφὰν* (in Complut. *Ῥομφᾶ*) expressum sit. Nomen vero *Ῥαιφὰν*, *Ῥεμφὰ* vel *Ῥεμφὰν* in Scala magna Arabico-Coptica, referente Athan. Kirchero in *Lingua Aegyptiaca restituta* p. 49., *Saturnus* exponitur, itemque in Commentario manuscripto Coptico in Actus Apostolorum, qui in Bibliotheca Vaticana asservatur, et a Kirchero p. 527. operis commemorati laudatur. Huic sententiae quae opposuit P. E. Jablonskius in peculiari Dissertatione *de nomine Remphan* §. 10. (*Opuscc.* T. II.) diluerunt et refutarunt J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1227. sqq. atque Ignatius Rossius in *Etymologiis Aegyptiacis* (Romae, 1808. in quat.) p. 176. Quorum argumentis moti quam antehac in Scholiis uberioribus proposuimus sententiam, כִּיּוּן nomen esse formae צִיּוּן *monumentum*, a כּוּן *aptare*, *efformare*, unde Ezech. 43, 11. תְּכוּנָה cum צוּרָה *forma*, *simulacrum* conjungitur, repudiavimus. Illam tamen nominis כִּיּוּן significationem expressit Hieronymus: *et imaginem idolorum vestrorum.*

27. וְהִגְלֵיתִי אֶתְכֶם *Ideo*, propter vestra et majorum vestrorum peccata, *migrare faciam*, deportabo *vos*, ut jam olim in

deserto comminatus sum vobis, Ezech. 20, 23.: *juravi eis in solitudine, me eos disjecturum per gentes, et dispersurum esse per terras.* Tales comminationes exstant Levit. 21, 33. Deut. 30, 1. מֵהֲלְאָה לְדַמָּשֶׂק *Ultra Damascum*, quae Israelitis formidolosa erat e nupera clade et vexatione, vid. supra 1, 3. 2 Reg. 13, 3. 7. Pro eo in oratione Stephani Actor. 7, 43., ubi hic Versus cum superiore adducitur, exstat *ἐπέκεινα Βαβυλῶνος.* „Nec putandus est," inquit HIERONYMUS, „primus martyr errasse, qui pro eo, quod in propheta scriptum est: *trans Damascum*, dixerit *trans Babylonem.* Magis enim intelligentiam quam verbum posuit, quia trans Damascum ducti sunt in Babylonem, sive trans Babylonem. Et hoc in omnibus Scripturis Sanctis observandum est, Apostolas et Apostolicos viros in ponendis testimoniis de veteri Testamento non verba considerare, sed sensum, nec eadem sermonum calcare vestigia, dummodo a sententiis non recedant." Videlicet uti per Syriam irruptio Chaldaeorum in Judaeam fiebat, sic per eandem deportatio Israelitarum in Babyloniam. Particulam מֵהֲלְאָה remotiorem terminum notat, ut Gen. 35, 21. Jerem. 23, 19., ac proin deportationem exaggerat a distantia loci, quo deportandi erant. Jerem. 8, 19.: *ecce! querulam vocem puellae populi* מֵאֶרֶץ מַרְחַקִּים *e terra longinqua.* Ne vero putent auditores prophetae, se haec somniare, addit: אָמַר יְהוָה אֱלֹהֵי־צְבָאוֹת *inquit Jova Deus exercituum*, qui moderator est illorum exercituum coelestium, quos vos adoratis, et rerum omnium, qui omnia sibi subjecta habet, ut exercitus imperatori suo subsunt.

CAP. VI.

Argumentum.

Pergit vates invehi in primores utriusque regni, tam Israelitici, quam Judaici, et varia eorum peccata, securitatem summam et ingratitudinem (Vs. 1. 2. 3.), luxum et delicias, quibus cum rapacitate et pauperum oppressione vitam traducant (Vs. 4. sqq.), et temerariam fiduciam (Vs. 13.) redarguit, justasque poenas iisdem denuntiat (Vs. 8—12. et 14.).

1. הוֹי הַשַּׁאֲנַנִּים *Vae tranquillis!* i. e. securis, ut שַׁאֲנַנּוֹת Jes. 32, 9. de urbibus *securis* et confidentibus dicitur. Securitas enim ex tranquillo et pacato rerum statu nascitur. בְּצִיּוֹן *In Sion*, i. e. regno Juda, cujus metropolis Hierosolyma, ubi arx Sion. Hieronymus: *vae! qui opulenti estis in Sion. Tranquillis* intellexit otio, desidia et deliciis diffluentes. Sed LXX: *οὐαὶ τοῖς ἐξουθενοῦσι Σιών*, quod sequutus Syrus: *vae spernentibus Sionem.* Placuit hoc Dathio, qui cum Graeco interprete הַשָּׁאטִים

legendum ratus, sic reddidit: *vae iis, qui Zionem contemnunt*, quod vatis oratio contra solos Israelitas sit directa. Verum quid impedit, quo minus Noster in utrinsque regni scelera invehatur? Verissime HIERONYMUS: „ad Sion, ut supra [ad 5, 18.] diximus, et ad montem Samariae, id est, ad duas tribus, quae appellabantur Juda, et ad decem, quae Israelis nomine vocabantur, prophetae sermo confertur, maxime ad eos, qui in utroque populo optimates sunt et principes.“ Verba quae sequuntur, וְהַבֹּטְחִים בְּהַר שֹׁמְרוֹן, haud pauci sic intelligunt: *et qui confidunt in monte Samariae*, in munitionibus ejus, q. d. non metuunt futurum hostium accessum, quum illos muniant et loci natura, et propugnacula hominum artificio comparata. Ita LXX: *καὶ τοῖς πεποιθόσιν ἐπὶ τὸ ὄρος Σαμαρείας* Et Chaldaeus: *et qui confidunt in arce Samariae.* Sensus vero hic potius est: *confidentibus qui in monte Samariae habitant. Confidentes* hic securos appellat, ut Jesajas similiter 32, 11. חָרְדוּ שַׁאֲנַנּוֹת רְגָזָה בְּטָחוֹת *trepidate tranquillae, commovemini confidentes. Securi* et *confidentes* dicuntur, quod supplicia a prophetis praenuntiata a se putarent quam longissime abesse (Vs. 3), strenue interim commissantes ac compotantes, nec reipublicae ruinam curantes. הַר שֹׁמְרוֹן *Mons Samariae*, est Samaria, urbs regia regni Israelitici, in monte exstructa, vid. supra 4, 1. נְקֻבֵי רֵאשִׁית הַגּוֹיִם *Nominatis primitiarum*, seu *in primitiis gentium*, h. e. principibus populi Israelitici. *Proceres* dicuntur נְקוּבִים vel quod *nominari* generatim sit *clarum esse*, unde Num. 1, 16. קְרוּאֵי הָעֵדָה *nominati coetus* sunt primores, coll. Gen. 6, 4. אַנְשֵׁי הַשֵּׁם *viri nominis*, i. e. celebres. Vel, quod principes *nominatim* e populo essent electi, Num. 1, 17.: *sumsit Moses viros illos* (נְשִׂיאֵי מַטּוֹת *principes tribuum* Vs. 16., qui ipsi רָאשֵׁי אַלְפֵי יִשְׂרָאֵל *capita millium Israelis* ibidem appellantur), אֲשֶׁר נִקְבוּ בְּשֵׁמוֹת *qui expresse nominibus appellati erant.* Similiter 1 Chron. 12, 31. אֲשֶׁר נִקְבוּ בְּשֵׁמוֹת *qui nominibus sunt designati* iidem sunt, qui Vs. 30. אַנְשֵׁי שֵׁמוֹת *viri celebres* vocabantur. Arabibus نَقِيبٌ est *dux*, *tribunus*, *princeps populi*, a نَقَبَ (Fut. *O*) *dux, tribunus exstitit.* רֵאשִׁית הַגּוֹיִם *Primitiae gentium*, i. e. gentium omnium celeberrima et maxime insignis, vocatur populus Israeliticus, qui se prae ceteris delectum a Deo in populum sibi peculiarem habuit. רֵאשִׁית ut *principium* significat, ita etiam quod in suo genere *praecipuum*, *primarium* et *praestantissimum* est. Sic infra Vs. 6. רֵאשִׁית שְׁמָנִים *primitiae unguentorum* sunt optima et praecipua unguenta. Jer. 49, 35. רֵאשִׁית גְּבוּרָתָם *principium fortitudinis ipsorum*, i. e. praecipuum illud armorum genus, quo valent. Igitur רֵאשִׁית הַגּוֹיִם *primitiae gentium* dicuntur primariae et praecipuae gentes, ut Num. 24, 20. רֵאשִׁית גּוֹיִם עֲמָלֵק *principium gentium Amalek*, propter robur et potentiam, qua

ceteris tum temporis praecelluerunt. Verba quae sequuntur, וּבֹאוּ לָהֶם בֵּית יִשְׂרָאֵל, nonnulli, לָהֶם ad גּוֹיִם relato, sic intelligunt: *et venerunt ad illas*, gentes, *domus Israel*, i. e. *et ad quas*, subaudito אֲשֶׁר *venerunt*, quas et quarum regiones occuparunt *Israelitae*, illis inde pulsis, septem videlicet populis, qui Cananaeorum nomine comprehendi solent, de quorum expulsione Noster et supra 2, 9. Sed malumus לָהֶם ad *montes* referre antea memoratos, quibus per synecdochen utrumque regnum intelligitur, Judaicum, cujus caput erat Hierosolyma cum arce regia in Sione, et Israeliticum, cujus urbs primaria Samaria. Ad eos igitur montes, in hanc terram venerunt Israelitae, expulsis Cananaeis, eorumque ditiones occuparunt. Sunt, qui לָהֶם referant quidem ad montes Sion et Samariae, sed hoc sensu: *ad quos* montes *veniunt*, undique, *domus Israel*, i. e. quo conveniunt Israelitae vel sacrorum causa, vel judiciorum, nam in monte Sion non solum sedes regia erat supremumque judicium, quod de ortis in regno controversiis disceptabat, verum et templum in colle Moria, qui Sionis pars erat. Sic in monte Samaria et aula erat, et, uti credibile, senatus summus illarum tribuum. Nos tamen praeferendum haud dubitamus sensum a nobis adoptatum, quod Versu proximo amplificat vates ingrati populi scelus intolerabile, qui quum sedes a Deo accepisset omnium optimas, ab illo tamen recessit beneficii immemor. Nam ut montium illorum praestantiam commendet, jubet, ut regiones alias adeant, explorentque, an illarum sit aliqua, quae cum illa praeclara possessione conferri possit. A sensu nobis probato proxime abest KIMCHI, nisi quod is et נְקֻבִי ad montes Sion et Samariam referat, quasi vates hoc velit, hos montes nominatissimos fuisse etiam tum quum a prioribus illis populis incolebantur, qui quidem populi terrae ubertate et potentia essent primitiae gentium (vid. Num. 24, 20. quem locum supra adduximus), et in hos montes venisse Israelitas, non sua fortitudine et armis, sed Dei auxilio et voluntate, quod illi ingratissimi non agnoscant.

2. Ut magis et apertius illorum ingratitudinem ostendat, qui terrae a Deo ipsis concessae bonis ad luxum et voluptatem abuterentur, et secure contemnerent prophetarum monita, invitat illos, ut vicinas urbes celebratissimas imperii et ubertatis potentiaeque nomine adeant et perlustent, considerentque num ab illis superentur. עִבְרוּ *Transite*, i. e. trajecto (fluvio Euphrate, ultra quem *Calne* sita erat) pergite, ut Jerem. 41, 10. de Israele, qui multos ex Judaeis captivos abduxit, וַיֵּלֶךְ לַעֲבֹר אֶל־בְּנֵי עַמּוֹן *et ivit ut transiret* trajecto Jordane *ad Ammonitas*. כַּלְנֵה eadem quae כַּלְנֹה Jes. 10, 9., sita in Babylonia Gen. 10, 10., ubi a Jonathane et in Targum Hierosolymitano redditur *Ctesiphon*, tertio milliari a Seleucia Babyloniae, caput Chalonitidis, ut habet PLINIUS *Hist. Nat.* L. VI. Cap. 26. Cf. libr. nostr. *Handb. d. bibl.*

Alterthumsk. Vol. I. P. II. p. 27. sqq. וּרְאוּ *Et videte*, diligenter considerate ejus praestantiam. Eadem apostrophe Jerem. 2, 10.: עִבְרוּ אִיֵּי כִתִּיִּים וּרְאוּ *transite ad insulas Chittaeorum, et videte.* וְלֵכוּ מִשָּׁם חֲמַת רַבָּה *Et ite inde*, Calne s. Ctesiphonte, *Hamatham magnam*, quae erat magna olim regis sedes, amici Davidis, terminus borealis regni Israelitici, Num. 34, 8. Jos. 13, 5. 2 Sam. 8, 9. 10. 1 Paral. 18, 9. 10., non alia, quam Hamatha ad Orontem, nomen adhuc servans, حماة *Hamath* Arabibus dicta. Eadem est, quae paulo ante Hiskiae tempora ab Assyriis subacta dicitur, 2 Reg. 18, 34. 19, 13. Jes. 10, 9. 36, 19. Vid. libr. nostr. modo laudat. Vol. I. P. II. p. 271. Quod Noster Hamatham vocat רַבָּה *magnam*, ideo quidem facere potuit, ut eam ab aliis urbibus eodem Hamathae nomine nuncupatis discerneret; pluribus enim urbibus illud nomen, proprie *urbem munitam* denotans (ab Arabico حمى *custodire, praesidio munire, defendere*), commune fuisse, observat Michaelis *Spicileg.* P. II. p. 57. Alias tamen *magnae* dicuntur urbes citra comparationem, fere ut Romanorum *Augustae*, quaecunque amplitudine ac magnificentia aedificiorum excellebant, ut Jos. 11, 8. צִידוֹן רַבָּה *Sidon magna.* וּרְדוּ גַּת־פְּלִשְׁתִּים *Et descendite* ad *Gath*, urbem primariam *Philistaeorum*, quae inter quinque Philistaeorum satrapias potissima fuit, ut eo nomine dicatur 2 Sam. 8, 1. מֶתֶג הָאַמָּה *frenum cubiti* s. *ulnae*, quod imperio suo velut freno alias coerceret. Sensus igitur hic est: conferte vos ad praestantissimas circumquaque urbes, Ctesiphontem ad *Orientem*, inde Hamatham ad *Aquilonem*, postea ad Gatham, Philistaeorum urbem, partim ad *Occidentem*, partim ad *Meridiem* sitam; experientia discetis, regionem vestram excellere; id enim volunt verba, quae adduntur: הֲטוֹבִים מִן־הַמְמָלְכוֹת הָאֵלֶּה *num meliores sint* Chaloniticae, Hamathaei ac Philistaei, *quam regna haec*, Judaicum et Israeliticum (Vs. 1.)? אִם־רַב גְּבוּלָם מִגְּבוּלְכֶם *Num major*, amplior sit *terminus eorum termino vestro?* Sunt, qui haec verba contrario sensu capiant: *num meliores* vos sitis *regnis istis? annon major sit terminus eorum termino vestro?* Ut haec sint comminantis, quasi dicat: exemplo harum regionum, quae supplicia mea effugere non potuerunt, licet majores et potentiores quam vestra essent, discite, quid in vobis ac terra vestra statuere possim, ni resipiscatis. Similis sententia Nah. 3, 8. הֲהֵיטֵבִי מִנָּא אָמוֹן *num* tu *melior es quam No Amon?* Jud. 11, 25. הֲטוֹב טוֹב אַתָּה מִבָּלָק *num tu melior es Balako?* Verum אִם post ה interrogativum semper est *an?* nuspiam *annon?* vel *anne?* nisi adjecto לֹא. Sensus igitur nostro loco est negativus, quasi dicat: sunt quidem isti populi non mediocriter felices, et fines eorum satis ampli, non tamen feliciores sunt vobis, nec fines eorum ampliores vestris, quos meo beneficio possidetis, imo et felicitate et terminorum amplitudine vobis utrique cedunt; quoniam vero

hisce meis beneficiis per summam ingratitudinem ad turpem securitatem et luxum abutimini (Vs. 3—6.), ideo, subtractis meis beneficiis, vos puniam, Vs. 7. sqq. Cf. infra 9, 7. Similis beneficiorum erga ingratos exprobratio Jerem. 2, 5. 6. 7.

3. הַמְנַדִּים לְיוֹם רָע *O procul removentes diem malum.* Dependet hic Vocativus vel a Vs. 2., vel ab interjectione הוֹי Vs. 1. Vae vobis, qui putatis procul abesse annuntiatum a prophetis diem vobis fatalem. Securitatem eorum arguit, quos Versu primo appellarat, ex eo quod mala denuntiata ad se minime tam cito perventura credebant, sed in tempora longinqua trajectum iri, ut illi, qui Ezech. 12, 27. loquentes inducuntur: הֶחָזוֹן אֲשֶׁר הוּא חֹזֶה לְיָמִים רַבִּים *visio, quam ille videt, in dies multos* protrahenda est, evenict demum post longioris temporis intervallum; וְלְעִתִּים רְחוֹקוֹת הוּא נִבָּא *et ad tempora remota ille vaticinatur.* Hinc factum est, ut se iniquitati et violentae oppressioni tenuiorum dederent, et omne genus voluptatibus secure indulgerent. Vox הַמְנַדִּים legitur quoque Jes. 66, 5. (שַׂנְאֵיכֶם מְנַדֵּיכֶם), ubi est pro *detestabili habere, abominari* (LXX ibi *βδελυσσεσθαι*). Convenit significatione proprie cum nomine נִדָּה *foeditas*, Lev. 20, 21., quod est a cognato נָדַד *recedere, fugere*, speciatim *a re foeda*, Nah. 3, 7. Adeoque Noster gestum significat eorum, qui indignatione moti rem exsecrandam aut exosam cum detestatione a se amoliuntur, quasi dicat: *removetis a vobis diem mali* cum gestu quodam atque fastidio, quasi id longe absit a meritis vestris, aut ab ipso minarum eventu. Nomini יוֹם praefixum לְ Accusativo inservit, ut Jer. 40, 2. Job. 5, 2., Syrorum more. Nisi ita concipere velis: remotum terminum statuentes *diei malo*, vel: *mali.* וַתַּגִּשׁוּן שֶׁבֶת חָמָס *Et facitis appropinquare*, prope vobis adducitis, familiarem vobis facitis, *consessum violentiae*, id est, ejusmodi judicia, in quibus justa causa succumbit, vis vero et injustitia dominatur. Haec enim in primores potissimum et judices dicuntur; cf. not. ad Vs. 1. Observanda antithesis: diem malum *procul rejicitis*, et *admovetis* sedem injustitiae, ac si hoc dicat Deus: removetis a vobis indictum per prophetas supplicium, quasi aut numquam futurum, aut certe post multos annos, posterorum aetate; et tamen non removetis id, unde paratum est vobis id malum, sed adhuc exercetis iniqua judicia, quibus miserorum justam causam evertitis. Vel: quia procul abesse putatis et numquam eventura, quae vobis minantur prophetae; ideo vitam non emendatis, imo vero indies deteriores reddimini, judicia pervertentes et injuria afficientes pauperes. Saepius Nostrum vidimus proceribus exprobrare tenuiorum in judiciis oppressionem, quam hic שֶׁבֶת חָמָס, *sedem violentiae*, vocat. JARCHI hanc loquutionem *habitationem iniquam* explicat, quod rapina vicinorum pauperum praedia suis adjungant, ut supra 2, 6. intelligebat illud בַּעֲבוּר נַעֲלָיִם, ad quem loc. vid. not.

Sed praestat, שֶׁבֶת de judicum consessu capere; cf. Ps. 122, 5. יָשְׁבוּ כִסְאוֹת לְמִשְׁפָּט *insident sellis* judicii *ad judicandum.* Et Ps. 74, 20. judicia iniqua vocantur נְאוֹת חָמָס *habitationes violentiae.*

4. הַשֹּׁכְבִים עַל־מִטּוֹת שֵׁן Vae *cubantibus*, qui recumbunt, *super lectis*, i. e. tricliniis, sive lectis triclinariis (uti Plinius vocat *Hist. Nat.* L. 37. c. 21.) *eburneis.* Veteres enim in lautioribus conviviis ad mensam accumbentes fere cibum capiebant, vid. not. supra ad 2, 8., et cf. STUCKII *Antiquitt. Convivall.* L. II. C. 34. p. 409. sqq. ed. Amstel. 1695. fol. שֵׁן *Dentis* scil. elephantini, eboris, i. e. eburneis, sive ebore ornatis. Chaldaeus: *super lectis ebore stratis* (cf. supra 3, 15.), obductis. Eam enim in lectis ornandis olim consuetudinem fuisse, illud PLAUTI in *Sticho* Act. II. Scen. 2. Vs. 54. arguit: *Lectos eboratos, auratos* advexit. VARRO in *Quinquatribus: Cum in eborato lecto cubare videas aegrotum.* וּסְרוּחִים עַל־עַרְשֹׂתָם *Et profusi super stratis suis.* JARCHI exponit: *qui sese distendunt* et porrigunt voluptatis causa et pandiculantur in cubilibus suis. סָרַח in genere notat *redundantiam*, quod Kimchi refert ad aulaea ampla et undiquaque redundantia, quibus lectos insternunt. Aulaeorum enim pulchritudo est, ut undiquaque luxurient et redundent, late longeque diffusa. Ita סְרוּחִים erit substantive sumendum: *et extensiones*, i. e. extensi et diffusi circumquaque tapetes *super grabatis eorum.* Sane סָרַח cum עֹדֶף conjunctum dicitur Exod. 26, 12. de partibus redundantibus aulaeorum tabernaculi. Nostro tamen loco ad ipsosmet, quos perstringit propheta, referendum videtur, ad הַשֹּׁכְבִים et וְאֹכְלִים, ut satis commode vertatur: *profusi* s. *effusi super strata sua* sunt, ut de deliciis, quas capiunt immodice sese in lecto continendo, ibique lasciviendo et sese porrigendo, intelligas. Bene LXX: *κατασπαταλῶντες.* Ceterum סְרוּחִים non est Participium Paul, quum a neutris Participia passiva non soleant formari, sed nomen adjectivum. וְאֹכְלִים כָּרִים מִצֹּאן *Et comedunt agnos de grege*, i. e. lectissimos ovium ex toto grege. Sic enim saepe nomen absolute positum, sed junctum cum alio nomine, quod sui generis plures comprehendit, intercedente particula מִן, ut hic מִצֹּאן, significat id, quod insigne est et eximium. כָּרִים primo *pascua* significat, ut Jes. 30, 23. Ps. 65, 14., hinc *agnos pascuales*, ut hic et Deut. 32, 14. 1 Sam. 15, 9. 2 Reg. 3, 4. Ps. 37, 20. וַעֲגָלִים מִתּוֹךְ מַרְבֵּק *Et vitulos e medio saginarii* eductos, i. e. altiles et bene saginatos. מַרְבֵּק, praeter hunc locum ter obvium, semper cum עֵגֶל ut h. l. conjunctum, 1 Sam. 28, 24. Jer. 46, 21. Mal. 2, 20. (al. 4, 2.), locum significat, ubi includuntur vituli et alligantur, ut saginentur, coll. Arabico رَبَقَ *fune alligavit colle pecus*, unde رِبْقَة *colli vinculum*, primo in bove, deinde *καταχρηστικῶς* in quovis animante. Unde Bochartus l. c. p. 305. sqq. עֶגְלֵי־מַרְבֵּק *vitulos*

intelligendos existimat tales, qui in vinculis ad areae palum alligati grana triturant, et eorum esu pinguescunt.

5. הַפֹּרְטִים עַל־פִּי הַנָּבֶל *Vae* illis, *qui modulantur*, canunt, *juxta os*, i. e. juxta vocem, juxta rationem *nablii*. Verbum פָּרַט videtur proprie significare *speciatim*, *sigillatim* et *particulatim distinguere* (coll. פֶּרֶט Levit. 19, 10., quod de *granis singulis uvarum* dicitur, quae post vindemiam remanent, et doctoribus Hebraeis פֶּרֶט passim est *particulare*, *singulare*, contrarium כְּלָל *universale*, *generale*), estque cognatum verbo פָּרַד, quod item *dividere*, *distinguere*, *separare* denotat. Hic vero de *canendo* usurpatur, propterea quod in cantu vocis sonus multis modis variatur, multas habet diversorum tonorum, modulorum, numerorum distinctiones. Similem vim habet Latinorum *modulari*; *cantare* enim significat, ab ea quae inter canendum adhibetur distinctiorum modulorum in discrepantibus sonis varietate. Hinc Horatius *Carm.* L. I. Od. 15, 14. 15. *dividere* usurpat pro *canere*: — *Grataque feminis imbecilli citharа carmina divides.* Quae verba TURNEBUS sic interpretatur: „Videtur carmina per citharae nervos partiri, quod citharoedi faciunt, dum modulantur; nunc enim hanc, nunc illam chordam carpunt, et de cantilena huic et illi chordae aliquid impertiunt.“ GESENIUS in *Lex.*: *garriunt*, inepta cantant *ad modos nablii*, ex Arab. فَرَطَ velox *sparsit*, *effutivit*, cui Abulvalides confert synonym. نَثَرَ *sparsit*, unde نَثْرٌ *homo garrulus*. Sed illi, quam nos supra dedimus, explicationi non dubitamus plerosque calculum addituros. Bene Hieronymus: *qui canitis ad vocem psalterii.* Et Chaldaeus הַפֹּרְטִים recte per דְּמְנַגְּנִין, *qui modulos concinunt*, expressit. עַל־פִּי, quod proprie *ad os* sonat, hic idem est quod *ad praescriptum*, ad rationem et modum nablii, vel simpliciter id quod *secundum*, *juxta*, ut Gen. 43, 7. Exod. 34, 27. עַל־פִּי הַדְּבָרִים הָאֵלֶּה *juxta verba haec*; et Lev. 27, 18. עַל־פִּי הַשָּׁנִים הַנּוֹתָרוֹת *juxta annos reliquos*. נֵבֶל *Nablium*, instrumentum musicum, chordis intensum, ut כִּנּוֹר *cithara*, a qua tamen non solum chordarum numero, verum et in eo differt, quod *nablium* digitis, *cithara* plectro pulsatur. JOSEPHUS *Antiqq.* 7, 12. 13. Ἡ μεν κινύρα, δέκα χόρδαις ἐξημμένη, τύπτεται πλήκτρῳ· ἡ δὲ νάβλα, δώδεκα φθέγγους ἔχουσα, τοῖς δακτύλοις κρούεται. Suidas sub Ψαλτήριον: ὄργανον μουσικόν, ὅπερ καὶ ναῦλα καλεῖται. Ceterum quum proxime antea delicatorum ciborum mentio facta esset, nostra verba nonnulli ad musicam epularem referunt, nec incommode. Frequenter enim et paene legitime musica adhibebatur in conviviis lautioribus. HOMERUS *Odyss.* 21, 430. μολπὴν καὶ φόρμιγγα, *cantum et citharam*, vocat ἀναθήματα δαιτός, *ornamenta convivii.* Ecclesiastes 49, 2. Josiae memoriam *musicae* comparat *in convivio vini.* Exprobrat igitur Noster proceribus

non satis illis esse jam dictas delicias, sed et insuper aurium voluptatem eos adjungere, ut nullam voluptatis in vivendo genus praetermittant. Addit: כְּדָוִיד חָשְׁבוּ לָהֶם כְּלֵי־שִׁיר *Sicut Davides excogitarunt sibi instrumenta cantici*, i. e. musica, ut 1 Paral. 16, 42. Davidis in comminiscendis instrumentis musicis solertiam imitantur. Davidem constat musicam templi ordinasse, apparatis etiam instrumentis, ut voce et organis musicis laudaretur Deus; vid. 2 Paral. 7, 6. 29, 26. 27. חָשְׁבוּ לָהֶם *Excogitarunt sibi*, i. e. invenerunt et ingeniose adornarunt, ut Exod. 26, 1. 2 Paral. 2, 13. חָשַׁב de *artifice polymitario* dicitur. Chaldaeus: *praepararunt sibi.* Hieronymus Versus hujus sensum bene ita declarat: „Quibus non sufficit libido penis et gutturis, et aestuantis cibis aqualiculi [i. e. ventris], nisi et tibiarum et psalterii et lyrae canticis aures vestras mulciatis, ut quod David fecit in cultum Dei, Levitarum ordines et organorum reperiens varietates, vos ad voluptatem et luxuriam conferatis."

6. הַשֹּׁתִים בְּמִזְרְקֵי יָיִן *Qui bibunt*, potant, *in phialis vini*, i. e. qui vinum non in scyphis, cyathis aut calcibus (ut moris est) bibunt, sed in vasis magnis, ut phialis vel pelvibus, quales illae erant, quibus victimarum sanguis adspergebatur (Exod. 17, 3. Zach. 14, 20.). Ita Zach. 12, 2. סַף־רַעַל *pelvis potu inebriante repleta.* Aben-Esra ellipsin substantivi alius esse arbitratur, quasi verba concise dicta essent pro: הַשֹּׁתִים בְּמִזְרְקֵי כֶסֶף אוֹ זָהָב יָיִן *qui bibunt e crateribus argenteis vel aureis vinum.* Sic Chaldaeus: *bibunt in phialis argenteis vinum.* Ut Ps. 74, 19. אַל־תִּתֵּן לְחַיַּת נֶפֶשׁ תּוֹרֶךָ Aben-Esra post לְחַיַּת subaudiendum vult הַשְׂדֵה *ne tradas bestiae agri animam turturis tuae.* Ita vates reprehenderet in illis non tantum *capacitatem*, quod grandiuscula essent, ad opprimendum potius animum, quam ad modice bibendum comparata, verum et pretii magnitudinem, quo nihil illis ad delicias et genialem vitam deesset. וְרֵאשִׁית שְׁמָנִים יִמְשָׁחוּ *Et praestantiâ unguentorum*, i. e. lectissimis et praestantissimis unguentis (cf. de hac phrasi not. ad Vs. 1.), *ungunt* scil. sese; non ad necessitatem, sed voluptatis et luxus causa. Alioqui enim unctio ad membra refocillanda et consolidandos artus crebra erat in illis regionibus calidis. Hieronymus: „Et ungimini, non ad labores corporis mitigandos, oleo purissimo, sed unguentis pretiosissimis." וְלֹא נֶחְלוּ עַל־שֵׁבֶר יוֹסֵף *Neque dolore afficiuntur*, dolent, compatiuntur, *super fractione*, propter calamitatem *Josephi*, regni Israelitici. Verbum חֳלִי *aegritudinem* utramque, et corporis et animi significat, ut 1 Sam. 22, 8. cum Saul expostularet cum suis: וְאֵין־חֹלֶה מִכֶּם עָלָי *nec est inter vos, cui doleat mei causa*, i. e. neminem esse, qui aegre ferret, quod proderetur a Davide. שֵׁבֶר *Fractura* de re publica labante et pessum eunte dicitur quoque Jerem. 8, 11. 21. Nostro loco intelliguntur mala Israelitis partim illata jam (cf. supra ad 5, 15.

שְׁאֵרִית יוֹסֵף), partim adhuc inferenda, de quibus prophetae praedixerant. Hoc nomen quinque punctis vocalibus instructum, i. e. Zere et Segol, ter reperiri, hic notat Masora, quorum locorum symbola memoriae juvandae causa ita tradit: נבלא דיוסף רוחא, ubi נבלא locum significat Jes. 30, 14., ubi fit mentio שֶׁבֶר נֵבֶל *confractionis lagenae*, דיוסף hunc locum, ubi propheta meminit confractionis Josephi, רוחא locum Jes. 65, 14., ubi שֶׁבֶר רוּחַ *confractionis venti* meminit. יוֹסֵף hic *regnum Israeliticum* indicat, ut supra 5, 6. בֵּית יוֹסֵף, ubi vid. not. Incipit igitur hic propheta, uti solet, missis Judaeis, ad decem tribus separatim disserere. Vid. et infra Vs. 14. Proceres, quum totius regni saluti ac libertati providere debuissent, usque adeo tamen illius erant immemores, ut quo tempore aut patiebantur aut metuebant ab hostibus, ipsi tamen epulabantur splendide, et genio ac voluptati quam poterant effusissime serviebant.

7. לָכֵן עַתָּה יִגְלוּ בְרֹאשׁ גֹּלִים *Propterea*, propter istam luxuriam et secordiam, *nunc*, brevi, *migrabunt* e patria *in principio*, in fronte (Gallice *à la tête*) *migrantium*, i. e. inter primos exules captivi abducentur, primi exulum deportabuntur. Sunt, qui vertant: *in coetu migrantium*, רֹאשׁ significatione *summae congregationis* sumentes, ut Exod. 30, 12. כִּי תִשָּׂא אֶת־רֹאשׁ בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *cum acceperis caput*, i. e. cum summam computaveris *Israelitarum*. Et Jer. 31, 7. וְצַהֲלוּ בְּרֹאשׁ הַגּוֹיִם sunt qui vertant: *jubilabunt in congregatione gentium*. Sed praestat nostro loco בְּרֹאשׁ *in capite*, i. e. in fronte vertere, ut Deut. 20, 9. *Praeficient duces exercitus* בְּרֹאשׁ הָעָם *in fronte populi*. 1 Sam. 9, 22. *Dedit eis locum* בְּרֹאשׁ הַקְּרוּאִים *in capite* i. e. summum locum *inter invitatos*. Micha 2, 23. *Jova ibat* בְּרֹאשָׁם *in capite eorum*, i. e. praeivit eos, ut dux. Alludit autem Noster aperte ad רֵאשִׁית שְׁמָנִים Versu 6., ut sensus sit: ut luxuriosi isti primi sunt in populo, et primariis unguentis delibuti, sic primi exulabunt. Hieronymus: „Vos, qui primi estis divitiis, primi captivitatis sustinebitis jugum.“ עַתָּה *Nunc*, i. e. propediem, jamjam, ut Jes. 43, 19. Mich. 7, 10. Hieronymus: „Nequaquam in futurum poena differtur, nec de longis post seculis prophetatur; quod nunc ingruit, nunc venturum est.“ Attamen inter mortem Jeroboami II., quo regnante vaticinatus est Amos, et deportationem decem tribuum plusquam quadraginta anni interfuerunt. וְסָר מִרְזַח סָרוּחִים *Et recedet jubilum profusorum*, tunc cessabunt gaudia, et praesertim laetae illae luxuriosorum comessationes, de quibus Vs. 4. sqq. De סָרוּחִים vid. not. ad Vs. 4. Nominis מִרְזַח propriam significationem Josephus Kimchi recte repetendam docet e lingua Arabica, in qua verbum רזח dicitur de *elevatione vocis*, sive *ad laetitiam*, sive *ad fletum*, unde Jer. 16, 5. מַרְזֵחַ *planctum* notat. Convenit igitur cum רָנַן, quod item *vocem attollere* vel ob luctum, vel ob lacti-

tiam significat. Posset etiam רָצַח *vociferari* conferri, per antistoechon et metathesin radicalium. JARCHI nostrum מִזְרַח exponit מִשְׁתָּאוֹת *convivia*, adducitque locum e Commentario antiquissimo in Numeros ad Deuteronomium, *Siphre* dicto, quo illud de conviviis in honorem deorum institutis dicitur. Nec incommode epulae a significatione verbi Arabici, quam indicavimus, potuerunt מְרֻזָּחִים dici, ob comessantium strepitum laetosque clamores. Sunt, qui מִזְרַח *epulationem funebrem* significare putent, ut cognatum מַרְזֵחַ Jerem. 16, 5. Hieronymus intellexit de epulis lugubribus in mortuorum honorem factis. Tum vates hoc diceret: epularum funebrium celebritatem amotum iri, cum mortui fuerint; deportatos in terra aliena ita morituros, ut funebri pompa et parentalium honore sint carituri. Solet enim hoc improbis quandoque pro gravissimo malo denuntiari; veluti Jer. 22, 18. 19.: *non plangent eum; sepultura asini sepelietur.* Verum מִזְרַח *epulationem funebrem* significare, sine idonea ratione sumitur.

8. נִשְׁבַּע אֲדֹנָי יְהוִה בְּנַפְשׁוֹ *Juravit Dominus Deus per animam suam*, i. e. vel, per vitam suam, sicut anima hominis est id, in quo vita ejus est, unde alias, ut Num. 14, 28. *per vitam suam* jurat. Vel: *per se ipsum*, quia non habet majorem, per quem jurat, ut Gen. 22, 16. בִּי נִשְׁבַּעְתִּי *per me juravi.* Hebr. 6, 13. ἐπεὶ κατ᾽ οὐδενὸς εἶχε μείζονος ὀμόσαι, ὤμοσε καθ᾽ ἑαυτοῦ. Praepositio ב post *jurandi* verbum fere est *per.* Sic *per se* (בִּי) jurat Deus Gen. 22, 16. Exod. 32, 13.; בִּגְאוֹן יַעֲקֹב *per majestatem Jacobi*, infra 8, 7. בְּקָדְשׁוֹ *per sanctitatem suam*, supra 4, 2 Duobus tantummodo locis ב cum נִשְׁבַּע conjunctum *in* vertendum est, Ps. 95, 11. נִשְׁבַּעְתִּי בְאַפִּי *juravi in ira mea*, ut 2 Chron. 15, 15. בְּכָל־לְבָבָם נִשְׁבָּעוּ *in s. ex toto corde suo jurarunt;* sed sensu hunc significatum manifeste poscente. מְתָאֵב אָנֹכִי אֶת־גְּאוֹן יַעֲקֹב *Abominor fastum Jacobi*, i. e. tam Judaeorum, quam Israelitarum, quorum communis pater erat Jacobus. Verbum תְּאַב significat in Cal *desiderare*, ut Ps. 119, 40. תָּאַבְתִּי לְפִקּוּדֶיךָ *desideravi praecepta tua.* Hinc STORR in *Observatt. ad Anal. et Syntax. Hebr.* p 416. nostrum locum sic interpretatur: *desiderare faciam* desiderantem, i. e. desiderari faciam, *id, quo superbiunt Jacobi posteri*, „per metonymiam," addit, „consequentis pro antecedente *desiderari faciam* ponitur pro *amovebo*, *auferam*, quemadmodum Jud. 21, 3. *desiderari* est pro *deletum esse.*" Verum simplicius est, cum Jarchio מְתָאֵב capere pro תָּעַב, cui jungitur Ps. 119, 163. שֶׁקֶר שָׂנֵאתִי וָאֲתַעֵבָה *mendacium odi et abominor.* Ita Mal. 1, 7. לֶחֶם מְגֹאָל est *panis pollutus*, pro מְגֹעָל, et ibidem גְּאַלְנוּךָ pro גְּעַלְנוּךָ *polluimus te.* Sic Chaldaeis גְּמָא et גְּמַע est *sorbere* Nostram interpretationem tuentur veteres omnes. גְּאוֹן *Fastum*, ut Jer. 13, 9. גְּאוֹן יְהוּדָה, Hos. 5, 5. 7, 10. גְּאוֹן יִשְׂרָאֵל. Vel metonymice: *id quod gloriatur Jacob*, quo superbivit, ejusmodi sunt templum (Chaldaeus:

domum Sanctuarii familiae Jacob), palatia, urbes, arces, et in genere florens rerum status, quemadmodum Ps. 47, 5. גְּאוֹן יַעֲקֹב sensu bono sumitur; vid. not. ad eum loc., quin et Deum ipsum notat infra 8, 7. וְאַרְמְנֹתָיו שָׂנֵאתִי *et palatia ejus*, Jacobi, Jacobitarum, quibus gloriantur, *odi*, quippe e bonis pauperum injuste direptis exstructa. Cf. 3, 11. וְהִסְגַּרְתִּי עִיר וּמְלֹאָהּ *Itaque concludam* in manus hostium, tradam hostibus (cf. 1, 6. 9.) *urbem* Samariam, reliquarum caput, *et plenitudinem ejus*, i. e. incolas, et omnia quibus repletur.

9. וְהָיָה אִם־יִוָּתְרוּ עֲשָׂרָה אֲנָשִׁים בְּבַיִת אֶחָד *Fietque, si reliqui fuerint decem viri*, homines, i. e. aliquot ex magna multitudine, *in domo una*, וָמֵתוּ *ut moriantur* et hi. Significat gravissimam interneccionem illis inferendam, ut qui ex praecedentibus calamitatibus superfuerint, vel ab hostibus sint caedendi, vel peste et fame sint absumendi. Et pestem quidem proximus versiculus innuere videtur. Cf. supra 5, 3. GROTIUS: „Si post vastatam terram in aviam villam aliquam confugerint, ibi pestilentia cos comprehendet tam saeva, ut nemini parcat. Vastitatem sequi solet pestilentia, *λιμὸν λοιμός*. Vid. Jer. 24, 10. 44, 13. De villis quod dixi bene convenit cum loco Ezech. 30, 27.“ Jarchi quod hoc Versu legitur eo refert, quod in urbis expugnatione hostes incensuri sint domos, ita ut flamma simul cum domibus et eos, qui in illis habitent, consumat.

10. וְנָשָׂא דּוֹדוֹ *Et tollet eum*, i. e. eos, seu unumquemque ex illis decem, in una domo mortuis (Vs. 9), *patruus ejus*, i. e. aliquis ex propinquis aut cognatis deforis. In tantam paucitatem et solitudinem redacta fuerit domus illa, ut vix quisquam ex ea supersit, qui inde ejus mortuos seu cadavera efferat, utque prae aliorum defectu vel patruus ipse aliusve cognatus hoc genus officii praestare mortuo cogatur. Similis sententia est apud SENECAM in *Oedipo*, ubi is pestem describit Vs. 53. seqq.: *Sed omnis aetas pariter et sexus ruit, juvenesque senibus jungit et gnatis patres funesta pestis. — — — Portat hunc aeger parens supremum ad ignem, mater hunc amens gerit, properatque ut alium regerat in eundem rogum.* דּוֹד *patruum* propr. (ut Syris ܕܳܕ) denotat, vid. 1 Sam. 10, 14. 15. 16., hic vero synecdochice de quocunque *cognato* superstite intelligendum, cujus propter cognationem est, mortuis isthoc officium praestare. וּמְסָרְפוֹ *Et combustor ejus*, qui mortui funus curat, corpusque comburit, ut idem sit cum מְשָׂרְפוֹ, quod habent XXIII codices Kennicottiani, multique alii praeterea, ut testatur De-Rossi, quos ipse possidet aut consuluit. Funus curare quia cognatorum erat, Syrus מְסָרְפוֹ interpretatur *aut qui propinquus*, cognatus est *ei*. Olim Hebraei humabant tantum, serius, inde a Saulo, uti videtur, et comburere corpora mortuorum, praesertim divitum et procerum,

coeperunt, sed sub dominatione Persarum vetitum. Vid. J. D. MICHAELIS Commentat. *de combustione et humatione mortuorum apud Hebraeos*, nona earum, quae in parte prima *Syntagmatis Commentationum* 1759. Goettingae prodierunt. לְהוֹצִיא *Ad exportandum*, sepulturae causa, ut Luc. 7, 12. ἐξεκομίζετο τεθνηκώς. עֲצָמִים *Ossa*, i. c. cadaver defuncti, quemadmodum Exod. 13, 19. עַצְמוֹת יוֹסֵף *ossa Josephi* indicat ejus cadaver, quod integrum conditum et in Cananaeam deportatum est, Gen. 50, 2. 26. וְאָמַר לַאֲשֶׁר בְּיַרְכְּתֵי הַבַּיִת *Et dixerit* ei, *qui in lateribus*, interioribus, angulis, *domus* decumbit. יַרְכָתַיִם *Latera* de recessibus, interioribus, penetralibus dici solent, veluti speluncae, 1 Sam. 24, 4., orci, Jes. 14, 15. Ezech. 32, 23., domus, ut hoc loco, ita et Ps. 128, 3. הָעוֹד עִמָּךְ *Estne adhuc tecum* aliquis? scil. vel vivus, vel humandus, quasi dicat: suntne etiamnum apud te cadavera, quae domo efferam? וְאָמַר אָפֵס *Tunc dicet*, respondebit, ita videlicet, qui intus est, *nequaquam*. וְאָמַר הָס *Et dicet*, subjiciet, is qui foris est: *sile!* Alii hoc de eo etiam, qui intus est, intelligunt, ut postquam dixerit, nullum domi superesse cadaver, silentium indicet ei, qui foris est, qui veniebat elatum cadavera, ne, si intenta voce clamet, consternet alia ob pestis saevitiam. Sed ob praemissum voci הָס verbum אָמַר, quo alius personae verba innuuntur, praestat prior expositio, qua eum, qui interioribus domi relictus negaverat, quemquam praeterea esse, jubet cognatus aut vicinus tacere, et patienter hanc poenam ferre. כִּי לֹא לְהַזְכִּיר בְּשֵׁם יְהוָה *Non enim* vacat aut licet *commemorare* verba *in nomine Jovae*, precibus eum invocando; desperantis meliorem fortunam verba sunt, animumque malorum gravitate despondentis, quasi dicat: frustra essent preces, nam et nobis moriendum est. Alii haec verba referunt ad preces et cantica, quae in sepultura recitare Judaeis sicut hodienum, ita et olim forsan solenne fuerit. Vid. BUXTORFII *Synag. Judaic.* Cap. 49. Alii: ne commemores nomen Jovae cum laude (ut Ps. 20, 8. haec phrasis sumitur), ne eum praedices, qualis praedicari solet, mitem et clementem, quum nunc longe aliud experiamur, eum in nos saevissimum, qui tanta nos peste affligat. Alias interpretationes vid. in Scholiis ubcrioribus.

11. כִּי *Quoniam*, ut exponam ulterius imminentia divinitus mala. *Explicativum* est כִּי, ut supra 3, 14., non causale. מְצַוֶּה וְהִכָּה *Praecepturus est et percutiet*, i. e. decernet vel curabit percutiendam (cf. similem loquutionem infra 9, 9). הַבַּיִת הַגָּדוֹל רְסִיסִים וְהַבַּיִת הַקָּטֹן בְּקִעִים *Domum magnam rupturis, et domum parvam fissuris*, i. e. nec potentioribus parcet, nec tenuioribus, sed utrorumque domos, et magnificas ac sumtuosas, et humiliores evertendas curabit per hostes. *Domus magna et parva* distributive intelligendum est; significatur, hanc calamitatem omnibus communem fore. Alii, ut Hieronymus, *domo majori*

intelligunt decem tribuum regnum, sive Israeliticum, et *domo minori* duarum tribuum regnum, sive Judaicum. Quod parum probabile. Verbum רָסַס, a quo רְסִיסִים, Ezech. 46, 14. est *conspergere*, unde *guttas* notat haec ipsa vox Cant. 5, 2. Nostro vero loco illa *scissuras*, *rupturas* domus significari, postulat res ipsa. Sunt, qui diversas illas unius ejusdemque vocabuli significationes ita concilient, quod *ruptura* domorum sequatur *perstillationem* vel *conspersionem* ex imbre. Verum sic lentam potius ac successivam rupturam intenderet, quum vero hic locus violentam, celerem, ingentemque requirat. Magis probabile est, verbum רָסַס apud Hebraeos, sicut apud Chaldaeos, non solum *conspersionis*, verum et *rupturae*, seu *confractionis* vim habuisse, quo posteriori respectu convenit cum רָצַץ (cui item τῷ כָּתַת in Targumim respondet), sicut עָלַס et עָלַץ utrumque *exsultavit* denotat, et Ezech. 17, 9. יְקוֹסֵס *decerpet*, *succidet*, dicitur pro יְקוֹצֵץ. Congruit Graecorum ῥήσσειν, et Germanicum *reissen*, *Risse*. Talmudicis quoque מְרוֹסָס est *ruptum*, *confractum*. בְּקָעִים *Fissuris* (ut Jes. 22, 9. בְּקָעֵי עִיר־דָּוִד *fissuris urbis David*), videtur minus significari, quam רְסִיסִים, erga quod perinde se habet, ac *parva* domus erga *magnam*. Atqui sic innuitur simul supplicii proportio.

12. Adhibet duas similitudines elegantes ad ostendendum perversissimos eorum mores esse. הֲיָרֻצוּן בַּסֶּלַע סוּסִים *Num current in rupe equi?* minime. Quod si quis per petrosa saxosaque loca equum ad cursum incitarit, praeter naturae et consuetum ordinem fecerit. אִם יֶחֱרוֹשׁ בַּבְּקָרִים *Num arabit* aliquis, i. e. num arabitur *cum bobus?* repete in rupe; minime, et qui id fecerit, absurde egerit. Verba activa tertiae personae impersonaliter usurpantur. Mich. 2, 4. יִשָּׂא עֲלֵיכֶם מָשָׁל *sumet de vobis parabolam*, i. e. sumetur. כִּי־הֲפַכְתֶּם לְרֹאשׁ מִשְׁפָּט וּפְרִי צְדָקָה לַלַּעֲנָה *Quod verteritis in lolium* s. *cicutam* (vid. not. ad Hos. 10, 4.) *judicium et fructum justitiae in absinthium*, i. e. rem, quam dulcissimam et jucundissimam oportet esse omnibus, in summam perverteritis amaritudinem, i. e. in injuriam, oppressionem et crudelitatem, quae quum sit amara et exitialis, recte venenatae herbae et absinthio confertur. Eodem modo dictum ab Hosea 10, 4.: *Floret judicium sicut lolium per porcas agri.* Cf. et supra 5, 7. Sensus igitur nostri Versus est, eos, dum jus et justitiam in injuriam ac oppressionem vertunt, perinde facere, ac si in rupe bobus araretur, vel equis ibi curreretur, i. e. praepostere, perverse et absurde. Tale fere illud Maronis ad facti absurdi perversitatem notandam, *Eclog.* 3. Vs. 90.: *Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi! Atqui idem jungat vulpes, et mulgeat hircos.* Alii aliter accommodant, quasi nihil eorum quae acturi sunt, sit illis successurum, ut si quis per rupes equum concitet, aut aret in rupe bobus, quod frustra et sine fructu fecerit.

13. הַשְּׂמֵחִים *O vos qui laetamini!* prospero rerum successu insolentes. Est ה vocativum, ut in הַמְנַדִּים supra Vs. 3. לְלֹא־דָבָר *Super*, *de* (ut Prov. 17, 5. שָׂמֵחַ לְאֵיד *qui de exitio alterius laetatur*) *non-re*, i. e. re nihili, in suis opibus et potentia sibi placentes, quasi sint illis perduratura, quum brevi sint amissuri. Eodem modo quo לֹא־דָבָר compositae sunt dictiones לֹא־עַמִּי et לֹא־רֻחָמָה Hos. 2, 25., לֹא אֱלוֹהַּ Deut. 32, 17., et לֹא־אֵל ibid. Vs. 21. הָאֹמְרִים *Qui* gloriose et per jactantiam *dicitis*. Est declaratio praecedentis. הֲלֹא בְחָזְקֵנוּ לָקַחְנוּ לָנוּ קַרְנָיִם *Annon robore nostro*, viribus nostris, *assumsimus nobis cornua?* i. e. imperium, hanc potentiam, opes, et rerum fastigium annon nobis nostra comparavimus industria? *Cornua* per translationem a bestiis desumtam, quarum vis est in cornibus, notare vires, opes, potentiam constat, vid. Deut. 33, 17. 1 Reg. 22, 11. Ps. 75, 10. 89, 18. Ita HORATIUS *Od.* 3, 21. ad vini amphoram: *Tu spem reducis mentibus anxiis, viresque, et addis cornua pauperi.* Chaldaeus: *comparavimus nobis divitias.* Recurrendum hic iterum est ad historiam Jeroboami II., cujus prosperi successus, florensque eo regnante rerum status ansam hujusmodi gloriationibus dederunt; vid. Prooem. p. 1.

14. כִּי הִנְנִי *Nam ecce ego.* Haec ratio vel ad totam sententiam pertinet, vel ad id quod proxime dixerat Vs. 13.: *qui laetamini de nihilo* etc., qui vobis placetis in victoriis illis insignibus, quas Jeroboamus de Syris retulit, quibus multa amissa antea restituit Israeliticis finibus, 2 Reg. 14, 25. Frustra, inquit, lactamini, nam ego מֵקִים עֲלֵיכֶם בֵּית יִשְׂרָאֵל גּוֹי *suscito adversum vos* (cf. Hab. 1, 6.), *o domus Israel, gentem*, scil. potentem, ferocem et saevam; quum absolute dicit, atrocia cogitanda relinquit. Propterea subdit: וְלָחֲצוּ אֶתְכֶם *qui prement*, arctabunt, affligent *vos*, sive, *ut premant eos*, Jud. 1, 34. 2, 18. מִלְּבוֹא חֲמָת *Inde ubi venitur Hamatham*, quae urbs ad terminum borealem terrae Israeliticae sita fuit, vid. not. supra ad Vs. 2. עַד־נַחַל הָעֲרָבָה *Usque ad fluvium planitiei*, quo non est intelligendus *fluvius Aegypti*, qui totius Palaestinae terminum meridionalem constituit (2 Paral. 7, 8. מִלְּבוֹא חֲמָת עַד נַחַל־מִצְרַיִם), sed Kidron, qui in borealem sinum lacus Asphaltici infra Hierichuntem infunditur, regnumque Israeliticum ibi a Judaico sejungit. Nam Hierichus, cujus viciniae nomen הָעֲרָבָה *planitiei*, *campestris regionis*, velut proprium est (Jos. 11, 2. 16.), in limite utriusque regni fuit, unde Judaei captivi ab Israelitis remissi ad suos perducuntur ab his usque ad Jerichuntem, unde Israelitae Samariam redierunt, 2 Chron. 28, 15., et ad decem tribus eam urbem pertinuisse apparet ex eo, quod Ahabus, Israelitarum rex, eam instaurasse narratur 1 Reg. 16, 34. Sic 2 Reg. 14, 25. Jeroboamus II., sub quo Noster vaticinatur, terminos Israelitici regni Judaicum versus dicitur restituisse מִלְּבוֹא חֲמָת עַד־יָם הָעֲרָבָה

inde ubi venitur Hamatham usque ad mare planitiei, i. e. mortuum, huic loco convenienter. Cf. Relandi *Palaest.* p. 240. 882. Loquitur igitur, ut supra Vs. 6. notatum, vates potissimum ad Israelitas, sive regni Ephraimitici incolas.

CAP. VII.

Argumentum.

Hoc Capite incipit altera pars nostri libri, comminationes continens figuratas, sive emblematicas (vid. Prooem. p. 3. 4.). Et hoc quidem Caput duas complectitur partes: I. *propheticam* (Vs. 1 — 9.), qua imminentes Israelitis divinitus poenas proponit primo locustarum (Vs. 1 — 3.), tum ignis (Vs. 4 — 6.), denique perpendiculi (Vs. 7 — 9.) emblemate; II. *historicam*, qua narrantur acta cum Amazia sacerdote s. pontifice Israelitarum super hac ipsa prophetia Vs. 10. sqq.

1. כֹּה הִרְאַנִי *Sic*, hoc *ostendit mihi* Deus, sc. in visione, oculis mentis, quomodo eadem vox Jer. 24, 1. et infra Vs. 4. 7. 8, 1. usurpatur. יוֹצֵר גֹּבַי *Formabat locustas*, videbatur mihi pro eo momento temporis de novo inducere locustas, et condere quae non erant. גּוֹב et forma plurali גֹּבַי *locustarum* nomen, praeter hunc locum solum Nah. 3, 17. obvium. Convenit cum Arabico جَابٍ et جَابِى itidem *locustam* significante, a جبا *e terra emergere*, quod locustarum proprium, Bocharto observante (*Hieroz.* P. II. L. IV. C. 1. T. III. p. 252. edit. Lips.) ex Aristotele *Hist. Animal.* L. V. c. 28.: *Ὅταν τέκωσιν (αἱ ἀκρίδες) ἐνταῦθα γίνονται σκώληκες ᾠοιδεῖς, οἱ περιλαμβάνονται ὑπό τινος γῆς λεπτῆς, ὥσπερ ὑφ' ὑμένος ἐν ταύτῃ δὲ ἐκπέτονται. Cum locustae pepererunt, ibi fiunt vermes ovorum specie, qui terra quadam praetenui, tanquam membranula, ambiuntur, unde evolant.* Plinius *Hist. Nat.* L. XI. cap. 29.: *Hae pariunt in terram demisso spinae caule ova condensa autumni tempore. Ea durant hyeme sub terra; subsequente autem exitu veris, emittunt parvas.* Eodem referendum, quod ab Aethiopibus locustae vocantur انبط *anbat*; Arabibus vero نبط est *scaturire*, atque *e terra emanare* ac *emergere*. Ceterum גֹּבַי est forma pluralis, ut הָרַי Zach. 14, 5., pro quo mox ponitur usitatior forma הָרִים, ut יָדַי *manus*, Ezech. 13, 18., חַלּוֹנַי *fenestrae*, Jerem. 22, 14., שָׂרַי *principes*, Jud. 5, 15. Syri hanc formam in statu constructo praeferunt, in qua etiam Jes. 20, 4. occurrit חֲשׁוּפַי *retecti*, nudati. Addit vates tempus, quo locustas hasce viderit: בִּתְחִלַּת עֲלוֹת הַלֶּקֶשׁ *initio ascensus* herbae *serae*, seu

posterioris, Latini *cordum* appellant, i. e. quum succrevisset, sive repullulare herba resecta coepisset. Ut מַלְקוֹשׁ *pluviam seram*, seu *posteriorem*, i. e. qua posterius rigantur fruges, paulo ante quam maturescant, significat (coll. Syriaco ܡܨ *tardavit*, *serotinus fuit*); sic לֶקֶשׁ *herbam seram* seu *secundam*, quae renascitur et repullulat, postquam jam semel resecta est, vel falce, vel detonsa et depasta ab animantibus. J. D. Michaeli *Supplemm.* p. 1461. לֶקֶשׁ est *gramen vernum*, Martii, forte et jam Februarii mensis. Sed communis sententia vera videtur, cui et Hieronymus patrocinatur. Vertit enim: *in principio germinantium serotini imbris*, „quando," inquit in Commentario, „cuncta virent, et parturit omnis ager, et diversarum arborum flores in sui generis poma rumpuntur." Aben-Esra לֶקֶשׁ non intelligit de foeno cordo, sed de herba tritici, quae primum excrescit in gramen luxurians, et multis in regionibus resecari solet, ut sit pabulum bestiis, vel certe in eam immitti solent bestiae, ut eam depascant, postea vero renascitur, et in culmum succrescit, priusquam maturescat. Imminebat autem tunc maximum periculum frugibus: si quo tempore repullulant, consumtae fuissent a locustis; certa erat exspectanda fames; ideo eo tempore locustas adduci videt a Deo in fruges eas. Et hoc apertius declarat: וְהִנֵּה לֶקֶשׁ *et ecce herba corda* scil. הָיָה *erat*, vel pullulabat, q. d. herba corda, quam mihi videre videbar, ea erat, quae renascebatur; videbar mihi videre herbam repullulantem. Chaldaeus: *et ecce germinatio minima erat.* אַחַר גִּזֵּי הַמֶּלֶךְ *Post detonsiones regis*, id est, postquam herba prima detonsa et rescissa fuisset in usum et esum jumentorum regiorum. גִּזֵּי potes dicere *herbisecia*, ut Latini dicunt *foenisecia*. Ps. 72, 6. גֵּז significat herbam, quae ubi resecta est, renascitur (cf. not. ad eum loc.), hic vero ipsam ejus herbae resectionem. Chaldaeus utitur nomine שִׁרְחָא, quod indicat *pabulum recens detonsum*, vel *resectum demessum pro jumentis*. LXX: *Καὶ ἰδοὺ, βροῦχος εἷς, Γὼγ ὁ βασιλεύς.* Ceterum non sine arcana significatione est, quod herbam videt in usu jumentorum *regiorum* resectam repullulare, ut innuatur, tum temporis, beneficio Jeroboami, filii Joas (ut ad 6, 14. monitum est), coepisse renasci res Israeliticas, gravissime ante a regibus Syrorum accisas, *et attritas in morem pulveris*, ut dicitur 2 Reg. 13, 7. Itaque tum meliuscule esse coepisse Israelitico populo, quum fines Israeliticos restituisset rex Jeroboam, partis insignioribus victoriis, 2 Reg. 14, 25. Quum ergo tum aliquid melioris spei affulsisset, et resurgere inciperet collapsus populus, si rursum in eum immitterentur hostes, qui per locustas designantur, videbat propheta actum esse de illo. Similiter Grotius, qui verba אַחַר גִּזֵּי הַמֶּלֶךְ vertit: *post tonsionem regis*, additque: „postquam detonsi agri fuerant a Benhadado, 2 Reg. 13, 3. Post clades tunc acceptas reflorescere status Israelis coeperat, regnante Jeroboamo, ut videmus 2 Reg. 14, 25."

2. Intelligens propheta arcanum visionis sensum, ad preces pro populo convertitur; id quod eo attinet, ut ostendat ejus ingratitudinem, quod quum pro eo oravit, postea tamen tam indigne exceptus fuerit, ut accusaretur apud regem proditionis et seditionis ab Amasia, infra Vs. 10. sqq. וְהָיָה אִם־כִּלָּה לֶאֱכוֹל אֶת־עֶשֶׂב הָאָרֶץ *Et factum est quum consumsisset*, absolvisset locusta *comedere*, depascere *herbam terrae*, i. e. quum viderem omnes paene renascentes fruges a locustis consumtas. אִם hic non conditionis, sed temporis est, pro כַּאֲשֶׁר, ut Jes. 24, 13. אִם־כָּלָה בָּצִיר *quum absoluta esset vindemia.* Ita et Gen. 38, 9. אִם־בָּא אֶל־אֵשֶׁת אָחִיו *quum veniret ad uxorem fratris sui.* וָאֹמַר *Et dixi*, factum est, ut dicerem, haec omnia autem in visione. Aben-Esra אִם in usitatiore significatione sumit, ut וְהָיָה sit Futurum, et ad cogitationem prophetae referatur: *et fiet si absolverit depascere* locusta *herbam terrae*, ut sit nobis fame percundum, *propterea dixi.* Sed prior sensus rei accommodatior. אֲדֹנָי יְהוִה *Domine Deus.* Chaldaeus: *suscipe deprecationem meam, Domine Deus.* סְלַח־נָא *Condona*, remitte, ignosce, *quaeso*, ut Num. 14, 19. סְלַח־נָא לַעֲוֹן הָעָם הַזֶּה *condona*, *quaeso*, *culpam hujus populi.* Chaldaeus: דְּיַעֲקֹב *remitte nunc*, ignosce *peccatis reliquiarum Jacobi.* מִי יָקוּם יַעֲקֹב *Quis*, i. e. qualis, cujusmodi *surget Jacob?* quasi dicat: considera, Domine, *quis*, id est, in quo statu sit *Jacob*, qui nunc primum ex tantis cladibus vix resurgere, et sese erigere incipiat aliquantum, et quomodo fieri poterit, si nunc in eum hostes immittas, ut hac visione comminaris, ut resurgat? Breviter dixit מִי יָקוּם pro מִי וְאֵיךְ יָקוּם *quis* est *et quomodo surget.* Ita מִי pro אֵיךְ obvium Jes. 51, 19. מִי אֲנַחֲמֵךְ *quomodo consolabor te?* Ruth 3, 16. מִי־אַתְּ בִּתִּי *quomodo tu filia mea?* Latini Hebraismum feliciter imitantur, quibus *qui* haud raro est pro *quomodo?* ut *qui fit?* Sunt qui vertant: *quomodo stabit*, consistet *Jacobus*, coll. Ps. 20, 9. *Illi cadunt*, *nos vero* קַמְנוּ *stamus et erecte persistimus*, q. d. nisi tu volueris condonare, actum est de Jacobo penitus, neque poterit ullo modo persistere, quia etc. Alii: *quis stabit* superstes *Jacobo*, subaudito לְ ante יַעֲקֹב. Chaldaeus ante יַעֲקֹב subaudit עַל *quis surget*, stabit, intercedet pro *Jacobo?* Vertit enim: *quis consurget et veniam exorabit pro peccatis eorum?* כִּי קָטֹן הוּא *Quia parvus est* Jacobus, i. e. jam admodum imminutus, et ejus res accisae, ut levi clade jam de eo actum sit. Erat regnum Israeliticum crebris ingentibus malis, bellorum inprimis intestinorum, attritum, 2 Reg. 15, 10—16., et recentissima Phulis, regis Assyrii, invasione paene extenuatum, 2 Reg. 15, 17. sqq.

3. נִחַם יְהוָה עַל־זֹאת *Poenituit Jova super hoc*, i. e. hujus rei, hujus sententiae. Loquutio anthropopatica, quae et 1 Sam. 15, 11. 2 Sam. 24, 16. Jer. 42, 10. legitur. Chaldaeus: *avertit Dominus iram suam ob id.* Syrus: *averte hoc*, *Domine.* לֹא

תִּהְיֶה אָמַר יְהוָה *Non erit*, non fiet, *inquit Jova*, quod visione significabatur, quod destinaveram, regni Israelitici excidium. Etenim Phul, a quo illud imminebat, pecunia placatus e terra Israelitica discessit, 2 Reg. 15, 20.

4. Secunda visio, eodem pertinens, quo superior, nisi quod aliter res spectanda proponitur. Supra videbat locustas corrodentes herbam frugum; nunc videt Deum ministros suos, et executores judicii sui accersere ad poenas sumendas et ultionem de Israelitis, per ignem; quo significatur supplicium gravissimum et ineluctabile, cui non magis resisti potest, quam igni omnia devoranti et depopulanti. Ac videt eum ignem magnam illam aquarum voraginem, qua terra rigatur, absumere, ac Israeliticum agrum. Propheta ergo, quum tantum periculum impendens videret, quod per visionem designaretur, orat ut supra et exauditur. כֹּה הֶרְאַנִי אֲדֹנָי יְהוִה *Sic*, i. s. talia, hujusmodi quippiam *ostendit mihi Dominus Deus*, vid. Vs. 1. וְהִנֵּה קֹרֵא לָרִיב בָּאֵשׁ *Et ecce! vocabat ad contendendum cum igne* scil. ministros suos. Metaphora a re forensi. Deus enim cum aversatur populo suo vindicta et supplicio, quasi adversarius causam suam agere videtur. Jes. 66, 16. בָּאֵשׁ יְהוָה נִשְׁפָּט *Jova igne disceptat et gladio contra omnem carnem.* Ezech. 38, 22. וְנִשְׁפַּטְתִּי אִתּוֹ בְּדֶבֶר וּבְדָם *disceptabo cum eo peste et sanguine.* Post לָרִיב subaudiendum אֶת־יִשְׂרָאֵל *cum Israele.* רִיב non est nomen, ut nonnulli volunt, sed Infinitivus, loco לָהָרִיב, ut Jes. 3, 13. נִצָּב רִיב יְהוָה וְעֹמֵד לָדִין עַמִּים *stitit se ad litigandum Dominus, stat ad judicandum populos;* ubi similiter לָדִין est pro לָהָדִין, quodsi enim nomen esset, dicendum fuisset לָדִין לַעַמִּים. Praeterea nostro loco accentus distinctivus *Tbhir*, voci קֹרֵא appositus, significat, eam non esse cum לָרִיב arctius jungendam, sed potius cum אֲדֹנָי יְהוִה longius distante. *Igne* quo puniendus h. l. dicitur Israel, quidam, ut Lightfoot *Chronol. V. T.* in *Opp.* T. I. p. 92., intelligunt maximam siccitatem, cum qua commixtae fuerint terribiles flammae de coelo lapsae, uti in Aegypto Exod. 9, 23. coll. Joel 1, 19., unde aliquae etiam civitates subversae ad instar Sodomae (cf. supra 4, 11.), rivi aquarum exsiccati, Joel 1, 20, imo, ut hic diserte dicitur, abyssus magna aestu absorpta, et pars ejus consumta. Verum symbolico sensu, ut priorem visionem, ita et hanc, accipiendam esse, manifeste arguit quae sequitur visio Vs. 7. sqq. Hieronymus putat priorem visionem ad decem tribus pertinere, ab Assyriis delendas, hanc vero ad duas evertendas, sive regnum Judaicum delendum igne Nebucadnezaris et Chaldaeorum. Ad decem tribus malumus utramque visionem pertinere, quasi significaret Deus, se plane et funditus decrevisse eas perdere, quod ne faciat prophetae precibus avertitur. Sunt, qui hac secunda visione Tiglathpileserem existiment significari, qui ingenti ardore et ferocia Israelitas invaserit, ingentemque

multitudinem trans Jordanem abduxerit, 2 Reg. 15, 29., et totum populum abduxisset, nisi Deus iterum piorum supplicationibus flexus ardorem ejus inhibuisset, Vs. 5. 6. וַתֹּאכַל אֶת־תְּהוֹם רַבָּה *Et devoraturus erat* ille ignis *abyssum magnam*, i. e. mare, ut Jes. 51, 10. הַמַּחֲרֶבֶת יָם מֵי תְּהוֹם רַבָּה *exsiccavit mare, aquas abyssi magnae.* His verbis amplificat ignis illius vim. Cf. et Joel 1, 20. Est vero וַתֹּאכַל *devoraturus erat* reddendum, quum subjungatur, jam consumsisse ignem illum portionem terrae. Alii *abysso magna* intelligunt magnam illam voraginem aquarum subterrancarum, qua terra haec exterior rigatur desubter et foecundatur, ut haec visio adumbret florentem rerum Israeliticarum statum magna ex parte perditum. וְאָכְלָה אֶת־הַחֵלֶק *Et voravit*, voraverat etiam *portionem* scil. agri. (cf. חֶלְקָה supra 4, 7.), s. agrum illum, scil. Israeliticum, vel regium, cujus mentio facta Vs. 1., ut KIMCHI interpretatur verisimiliter, propter articulum praefixum, qui ad rem certam, notam, et ante memoratam solet referri. Alii intelligunt agrum, qui prophetae in viso apparebat.

5. וָאֹמַר *Tunc dixi.* Convertitur ad preces propheta, agnoscens praesens discrimen, et severum Dei judicium. Hic eadem fere verba usurpat, quae supra Vs. 2. חֲדַל־נָא *desine*, desiste, *quaeso*, ab hac plaga inferenda. מִי יָקוּם יַעֲקֹב כִּי קָטֹן הוּא *Qualis* s. *qui exsurget Jacobus, quia parvus est*, admodum imminutus. Itaque si ei rursum tantam hanc plagam inferas, qualis et quo pacto emergere possit, qui nunc tantillus sit? oneri haud dubie succumbet, et calamitatis pondere opprimetur.

6. נִחַם יְהוָה עַל־זֹאת *Poenituit Jovam hujus mali* et decreti sui. גַּם־הִוא לֹא תִהְיֶה אָמַר אֲדֹנָי יֱהוִה *Ne id quidem fiet, inquit Dominus Deus*, nec illud malum, quod ea visione significabatur, eveniet, non funditus Israeliticum populum exscindam.

7. Tandem vero, postquam extremum excidium semel iterumque distulisset (Vs. 3. 6.), poenitentiam populi frustra exspectans, כֹּה הֶרְאָנִי *ita me videre fecit*, hujusmodi visionem mihi objecit, Vs. 1. 4. אֲדֹנָי נִצָּב עַל־חוֹמַת אָנָךְ *Dominus stabat super murum perpendiculi*, i. e. constructum ad perpendiculum et ad amussim, ad normam seu regulam latomi; murum perpendicularem seu regularem potes dicere. אָנָךְ propric *stannum*, ut Syriacum ܐܢܟܐ, vel *plumbum* denotat, coll. Arab. أَنْكٌ *plumbum* sive *nigrum* sive *album*, *puriusque plumbum et stannum.* Verum hic *stannum* sive *plumbum* sumitur pro *libella* seu *perpendiculo*, sicut *lapides* Jes. 34, 11. Utraque enim materia propter gravitatem suam perpendiculo commoda. Sic אֶבֶן הַבְּדִיל *lapis* vel *pondus stanni* pro *perpendiculo* (German. *Bleywage*) Zach. 4, 10.

8. וַיֹּאמֶר יְהוָה אֵלַי מָה־אַתָּה רֹאֶה עָמוֹס *Et dixit Jova ad me: quid vides, Amos?* Interrogat Deus, ut occasionem sibi

faciat explicandi prophetae, quid visio isthaec significaret. Ita et Jerem. 1, 11. 13. 24, 3. הִנְנִי שָׂם אָנֹכִי בְּקֶרֶב עַמִּי יִשְׂרָאֵל *ecce positurus sum libellam*, s. *perpendiculum in medium populi mei Israel*, scil. ad destructionem, ut accurata mensuratione demoliar, atque regni destructionem ad libellam exigam. Sic Thren. 2, 8. Deus cogitans muros Sionis corrumpere נָטָה קָו *extendit lineam* vel *regulam*. Jes. 34, 11. וְנָטָה עָלֶיהָ קַו־תֹהוּ וְאַבְנֵי־בֹהוּ *extendet super eam urbem lineam vacuitatis, et lapides* i. c. perpendiculum *vastitatis*. לֹא־אוֹסִיף עוֹד עֲבוֹר לוֹ *Non addam*, pergam, *ultra transire ei*, i. e. ignoscere, condonare, impunita transmittere ei peccata. Metaphora ab hominibus ea quae negligunt et levia ducunt praetereuntibus, quasi non satis digna quae ad rationem et calculum revocentur. Hinc עָבַר cum verbo *condonandi* jungitur Mich. 7, 18. נֹשֵׂא עָוֹן וְעֹבֵר עַל־פֶּשַׁע *condonans iniquitatem, et praeteriens desertionem*. Et Prov. 19, 11. decori homini esse dicitur עָבַר עַל־פֶּשַׁע *praeterire*, remittere *delictum*.

9. וְנָשַׁמּוּ בָּמוֹת *Vastabuntur ergo excelsa*, i. e. arae idolis dicatae et in sublime exstructae, vid. not. ad Jes. 16, 12.; cf. Hos. 10, 8. Ezech. 6, 3. 4., ubi eaedem minae. יִשְׂחָק *Isaaci*, i. e. decem tribuum, quas antea Vs. 2. et 5. etiam *Jacobi* nomine designabat, ut Jes. 17, 4. Tam Judaei quam Israelitae ex Isaaco originem traxerunt; verum tamen per synecdochen hic soli Israelitae hoc nomine intelliguntur, ut infra Vs. 16. Eodem modo *Israelis* nomen, quod universis duodecim tribubus commune erat, aliquando *decem* solis, aliquando *duabus* tribuitur, ut cum Josaphat *rex Israelis* dicitur 2 Paral. 21, 2. Erat enim Judaeorum rex, sub quibus etiam Benjaminitae continebantur. Hac ratione *Heber* pro *Israelitis* dicitur Num. 24, 24., et pro *Ephraimo Josephus* Apocal. 7, 8. Ceterum observandum est, יִשְׂחָק h. l. per *Sin* scribi, quum alias pro nomine proprio filii Abrahami per *Zade* scribi soleat (יִצְחָק), quod ob eandem utriusque radicis צָחַק et שָׂחַק *risit* significationem factum est, sed quater duntaxat in codice Hebraeo, ut notarunt Masorethae, bis hoc Capite, item Ps. 105, 9. et Jer. 33, 26. LXX nomen יִשְׂחָק hic appellativum putarunt, verterunt enim *βωμοὶ τοῦ γέλωτος*, *arae risus* (quod sequutus est Syrus), arae ridiculae, ut sic appellet aras erectas vitulis et idolis, unde Hieronymus *excelsa idoli* posuit. Ac forsan propheta nomen יִשְׂחָק delegit, ut nomine proprio eos eluderet, ut quum *excelsa* vel *aras Isaaci* dicat, simul innuat aras ridiculas, quod non per Zade praesertim, more solito, sed per Sin, quod insolitum est, extulerit: quamquam id ceteris tribus locis, quibus יִשְׂחָק scriptum reperitur, perinde dici non possit, nec alii causae tribui, quam quod צָחַק et שָׂחַק communem significationem habeant. וּמִקְדְּשֵׁי יִשְׂרָאֵל יֶחֱרָבוּ *Et sanctuaria*, sacraria *Israelis vastabuntur*, loca videlicet et templa, quae illi ut sancta habebant, suis vitulis aliisque idolis consecrata in Dan (1 Reg.

12, 29.) et Bethel, Vs. 13. supra 3, 14., itemque Galgalis, 4, 4. וְקָמְתִּי עַל־בֵּית יָרָבְעָם בֶּחָרֶב *et insurgam adversus domum Jeroboam gladio*, quod Chaldaeus bene sic reddidit, *et suscitabo contra domum Jeroboam* eos *qui trucident gladio.* Zacharias, Jeroboami II. filius, occisus est a Sallumo, 2 Reg. 15, 12., sed longo antequam tempore fana idolorum ab Assyriis eversa sunt, et decem tribus Assyriam deportatae.

10. Hinc ad finem Capitis subjungit propheta, quid sibi acciderit, et quomodo exceptus fuerit ab Amazia, sacerdote Bethelensi, quum haec vaticinia tam aperta edidisset palam, idque in loco regni celeberrimo Bethel, regia, et ubi fanum religionis nomine celeberrimum erat, ob vitulum qui illic colebatur. Amazias igitur, offensus, uti videtur, *παῤῥησίᾳ* Amosi contra fana idolis dedicata, quorum ille uti sacerdos, sic vindex jure sibi videbatur esse, et metuens plurimum sibi quaestus decessurum, si veritas a plebe cognoscatur, seditionis et proditionis apud regem accusat nostrum prophetam. וַיִּשְׁלַח אֲמַצְיָה כֹהֵן בֵּית־אֵל *Misit autem Amazias, sacerdos Bethel*, idololatricus videlicet, et is quidem procul dubio primarius; cf. not. Hos. 4, 6. Chaldaeus vertit: *primarius vir Bethelis*, erant enim primi in populo sacerdotes. אֶל־יָרָבְעָם מֶלֶךְ־יִשְׂרָאֵל לֵאמֹר *Ad Jeroboamum regem Israelis dicendo*, i. e. misit literas vel nuntios cum his mandatis ad regem, qui tum forte abfuit a Bethele. קָשַׁר עָלֶיךָ עָמוֹס *Conjuravit adversus te Amosus.* קָשַׁר est proprie *ligare*, unde ad colligationem (ut sic dicam) animorum refertur, nos conjurationem seu conspirationem appellamus *(ligue)*. Ita 1 Sam. 22, 8. 13. 2 Reg. 16, 9. 20. Et id quidem facit בְּקֶרֶב בֵּית יִשְׂרָאֵל *in medio domus Israel*, q. d. non clam, aut extra regnum tuum, sed palam, in regno tuo, inter Israelitas. Cf. Prov. 5, 14.: *ferme versor in omni malo* בְּתוֹךְ קָהָל וְעֵדָה *in medio coetus et congregationis*, i. e. palam. לֹא־תוּכַל הָאָרֶץ לְהָכִיל אֶת־כָּל־דְּבָרָיו *Non possit terra sustinere omnia verba ejus.* Fere synecdochice intelligunt: non possit regio, id est, homines regionis, ferre quae in se et de se ille verba fecit. Quasi dicat: tu quidem vide, quid cum eo acturus sis, qui palam in te conspirat. Quod ad Israeliticum populum attinet, tam dura et atrocia illis ominatur, et eventura praedicit, ut ferre non possint. Itaque nisi mature in eum animadvertetis, verendum est, ne propria auctoritate saeviat in eum populus. Malim hyperbolice dictum: *non possit terra ejus verba ferre*, tantopere sunt atrocia.

11. כִּי־כֹה אָמַר עָמוֹס בַּחֶרֶב יָמוּת יָרָבְעָם וְיִשְׂרָאֵל גָּלֹה יִגְלֶה מֵעַל אַדְמָתוֹ *Sic enim ait Amos: gladio morietur Jeroboam, et Israel migrabit e terra sua*, id est, plane exulabit, relegabitur e patria. Et tuam et populi majestatem offendit. Mos est eorum, qui adstruere volunt mendacium, quo facilius se insinuent, et illud persuadeant, ut aliquid veri immisceant. Posterius illud,

quod de populo extra patriam deportando Amosum denuntiasse ait Amazia, verum erat, etsi non proximis visionibus a propheta dictum, saepe tamen supra, et diserte supra 5, 27. At falsum, quod de ipso rege dixisset, eum ipsum gladio periturum. De ejus quidem domo dixerat, surrecturum in eam gladio Deum; verum sacrificulus, ut majus odium et invidiam prophetae apud regem conflaret, graviusque cum in illum concitaret, quod de regis domo dixerat contorsit, quasi de rege ipso dictum esset, credens de se ipso gravius laturum, quam de domo sua regem.

12. Non legimus Jeroboamum quidquam respondisse mandatis Amaziae, quae forsan vel contemsit, vel pro frivolis habens et vanissimis, respondere non est dignatus. KIMCHI putat, Amaziam exspectasse, donec ad regem perlata essent mandata sua, num illis responderet. Alii, quod probabilius est, non exspectato regis responso, interea dum ad eum misisset, propria auctoritate, velut sacerdotalis fastigii, prophetae suasisse, ut in regnum Judaicum fugeret, quo iram regis vitaret, et vitae suae consuleret; velut amice monens, et consilium dans, quum interim eum apud regem seditionis accusasset. וַיֹּאמֶר אֲמַצְיָה אֶל־עָמוֹס *Et dixit*, insuper dixit *Amazias ad Amosum*, interim scilicet dum a rege responsum exspectat. חֹזֶה *Videns!* i. e. o propheta! Sic enim prophetae olim *videntes* appellati sunt, ob visiones, quae eis a Deo objiciebantur, vid. 2 Sam. 24, 11. 2 Reg. 17, 13. cf. 1 Sam. 9, 9. et not. ad Jes. 1, 1. Hoc autem per contemtum videtur dicere, quasi ejus visiones et prophetas pro nihil habeat (ac si *fatidicum* appellet), interim honesto eum nomine appellans suae artis. לֵךְ בְּרַח־לְךָ אֶל־אֶרֶץ יְהוּדָה *Abi, fuge tibi*, fuga te recipe *in terram Juda*, ne si hic diutius haeseris, in discrimen vitae venias, et te rex capite plectat, qui tam aperte in eum adversa omineris et praedicas. וְאֻכַל־שָׁם לֶחֶם וְשָׁם תִּנָּבֵא *Et vescere ibi pane*, i. e. illic vive, illic victum quaerita, *et illic vaticinare*, q. d. illic tuto vaticinari poteris in regnum Israel, regnum nostrum, qui ab illis religione dissentimus; imo vero illic cum applausu excipieris nobis infelicia praedicens, et aleris. Hic tantum abest, ut alaris, ut in periculum vitae adducaris talia vaticinans. Alludit ad falsorum prophetarum morem, qui buccellis panis acceptis, uti est Ezech. 13, 19., laeta annuntiabunt.

13. וּבֵית־אֵל לֹא־תוֹסִיף עוֹד לְהִנָּבֵא *Et* in *Bethele*, in Bethele autem *ne addas ultra vaticinari*, ne ultra vaticineris. In toto quidem regno Israelitico tibi, ut coepisti, vaticinari tutum non fuerit, sed multo minus in Bethel, et subjungit causam: כִּי מִקְדַּשׁ־מֶלֶךְ הוּא *quia sanctuarium*, sacrarium *regis est*, q. d. locus, quem sibi rex consecravit, quem sanctum habet, in quo ut sanctiore vitulum colit. Nam etsi tam in Dan, quam in Bethel vituli colerentur, ubi Jeroboam, Nebati filius, vitulos duos erexerat colendos toti populo Israelitico, 1 Reg. 12, 28. 29.;

cultus tamen vituli Bethelini celebrior et sanctius est habitus, quod ibi quondam adorasset Jacobus, atque adeo eo nomine instituisset ut appellaretur בֵּית־אֵל *domus Dei*, Gen. 30, 7. 28, 18. 19. Itaque locum illum vel aeque celebrem, aptum et sacrosanctum habuerunt ut Hierosolymam, ubi duae tribus Deum colebant, vel etiam sanctiorem, ob vetustatem, quod ibi antequam ulla esset Hierosolymae mentio, et longe ante templum Hierosolymitanum constructum, coluisset Deum patriarcha Jacobus. Praeterea Dan longius aberat a Samaria, quae sedes erat regum Israel, utpote quum esset in uno extremorum finium terrae Israeliticae, ad septentrionem (vid. not. ad 8, 14.), Bethel vero propinquior erat Samariae; ideo hic locus ad adorandum celebrior et augustior est semper habitus, jam inde a Jeroboamo primo, ut is ibi ferias instituerit, ad quas eo conveniretur Hierosolymam, et ubi holocausta et sacrificia offerrentur perinde ac Hierosolymae, ut est 1 Reg. 12, 32. וּבֵית מַמְלָכָה הוּא *Et domus regni*, seu sedes regia est, ut עִיר הַמַּמְלָכָה *urbs regia*, caput regni, 1 Sam. 27, 5. Etsi enim regum Israeliticorum sedes ordinaria Samaria esset, tamen et Bethele videntur suam habuisse domum, in quam diverterent, quoties religionis causa ad colendum vitulum illuc venirent. Amosum igitur Amazias a Bethele exulare jubet, quod vaticiniis ipsius neque cum religione loci, neque cum aula regia illic saepius commorante conveniat.

14 וַיַּעַן עָמוֹס *Respondit autem Amos* intrepide et constanter, *et dixit Amaziae*, qui quum illum sacerdotii sui fastigio ac minis regiis deterrere, et a munere prophetiae avocare conaretur, tantum abest, ut revocetur aut desistat propheta, ut longe alacrior et constantior in suo munere perseverans, et jam dicta confirmet, et alia insuper addat, poenas ipsi Amaziae praedicens. לֹא־נָבִיא אָנֹכִי וְלֹא בֶן־נָבִיא אָנֹכִי *Non propheta ego* fui (הָיִיתִי) ab initio, *nec filius prophetae ego* sum, q. d. nec natura, vel institutione, vel ortu sum propheta. Priora hujus commatis verba, לֹא־נָבִיא אָנֹכִי, si in Praesenti converti velles, ut Vulgatus et Chaldaeus, *non sum propheta*, adversarentur Nostri ipsius verbis quae sequuntur Vs. 15.: *dixit ad me Jova: abi, vaticinare ad populum meum Israelem.* Recte vero LXX: *οὐκ ἤμην προφήτης ἐγώ*, quos sequutus est Syrus. Fuerat enim inter armentarios olim, ut sequitur, cf. 1, 1.; q. d. ego quidem ipse nihil minus cogitavi, quam me fore prophetam, quum vero vaticinari Deus expresse me jusserit, ego quidem parere debui, tu vero impie agis, quod vaticinari vetas. Emphasin habet, quod Noster se non solum *prophetam* antehac fuisse, sed et *filium prophetae* negat. Est loquutio, qualis illa Talmudicorum ex *Aboda sara* adducta a Buxtorfio *Lexic. Chald.* p. 1300. אנא לא נגר ולא בר נגר *ego non sum artifex, neque filius artificis.* Convenitque illa Paulina (etsi sensu opposito) Act. 23, 6.: *ἐγὼ*

φαρισαῖος εἰμι, υἱὸς φαρισαίου. Nempe minus est *filium* esse *prophetae*, quam *prophetam;* indeque plus dicit, qui filium prophetae, quam qui prophetam se negat esse; et hoc sive *filium* prophetae proprio significatu capias, pro eo, qui prophetam patrem habuit, sive metaphorice pro eo, qui prophetam doctorem habuit, et in propheticis scholis est institutus, ut omnino *prophetarum filii* (בְּנֵי־הַנְּבִיאִים) illorum vocantur auditores atque discipuli 2 Reg. 2, 3. 5. 7. 15. et 4, 38. כִּי־בוֹקֵר אָנֹכִי *Nam* (alii, כִּי sumto pro כִּי אִם *sed*) *pastor ego* sum (ut supra 1, 1. fuisse dicitur בַּנֹּקְדִים *inter pecuarios*), hoc mihi vitae genus erat ab initio. בּוֹקֵר vel proprie pro *armentario* capiendum, a בָּקָר *armentum*, *bucerum pecus* (uti בּוֹרֵם *vinitor* a כֶּרֶם *vinea*, יֹגֵב *agricola* a יָגֵב *ager* dicitur), qui vero hic per synecdochen pro *pastore* in genere positus sit, uti apud VIRGILIUM *Georg.* 3, 344. *armentarius Afer* pro *pecuario Afro* dicitur (nam Vs. 15. Noster *opilionem* seu *ovium pastorem* se dicit); vel בּוֹקֵר *pecuarium*, *pastorem*, cum Syro, qui ܪܥܝܐ posuit, interpretari, collato verbi בָּקַר usu, qui deprehenditur Ezech. 34, 11. 12., ubi Deus ait: וּבִקַּרְתִּים כְּבַקֶּרֶת רֹעֶה עֲדָרוֹ *et inspiciam eas* (oves meas) *sicut inspicit pastor gregem suum die, quo est in medio ovium suarum dispersarum*, כֵּן אֲבַקֵּר אֶת־צֹאנִי *sic inspiciam gregem meam.* Ex quo loco apparet, בָּקַר, a quo nostrum בּוֹקֵר derivatur, notare *curam atque inspectionem pastoralem circa gregem*, maxime *circa gregem ovillum* (צֹאן), indeque בּוֹקֵר notare commodissime posse *pastorem*, maximeque *opilionem*, ποιμένα καὶ ἐπίσκοπον προβάτων (1 Petr. 2, 25.), qualem se Amosus olim fuisse testatur. Addit autem, ut magis conditionis suae humilitatem ostendat, וּבוֹלֵס שִׁקְמִים *et decerpens sycomora*, collector sycomororum, q. d. inter armenta et caulas magis, quam in civitatibus, inter sycomoros magis, quam inter homines enutritus fui, itaque omnis literaturae, nedum prophetiae, imperitus eram. שִׁקְמִים, et cum feminea pluralis terminatione, שִׁקְמוֹת (Ps. 78, 47.), *sycamini*, *sycomori*, sunt genus agreste ficuum, quale cum primis frequens nascitur in Aegypto, et בַּשְּׁפֵלָה *in declivi* Judaeae, sive parte australiore orae campestris et litoralis Palaestinae, uti habes 1 Reg. 10, 27. 1 Paral. 27, 28., ubi narratur, Salomonem effecisse, ut cedrorum tanta in regno suo copia esset, quanta sycomororum in campestribus, בַּשִּׁקְמִים אֲשֶׁר־בַּשְּׁפֵלָה לָרֹב. Est autem sycomorus, Aegyptiis hodie جميز *Dschommeis* vocata, arbor satis magna, proceritate et crassitie morum albam adaequans, ramosa et in latum extensa; dirimitur fere ab humili sed lata stirpe in truncos binos ternosque peramplos, e quibus deinde ramorum, confertim digestorum, vasta et robusta brachia, opaci frigoris gratissimam scenam late aestuantibus obtendunt. Fructus, quos non ramis, sed caudice ipso fert, granis interioribus carent,

ceterum figura et odore ficum referunt, sapore tamen cedunt, quippe insipidam quandam dulcedinem habentes. Pauperes tamen libenter eo fruuntur, teste NORDEN *Voyage d'Egypte et de Nubie* T. I. p. 86. ed. Paris. 1795. Vid. plura de hac arbore in CELSII *Hierobot.* P. I. p. 310. seqq. Cf. *Bibl. Naturgesch.* P. I. p. 281. (s. *Bibl. Alterthumsk.* Vol. IV. P. I. בּוֹלֵס quidam *perquirens* interpretantur, e cognato verbo Chaldaico בְּלַשׁ, quod in Targumim respondet Hebraeo חָפַשׂ *scrutari*, Gen. 31, 35. 1 Reg. 20, 6. Thren. 3, 40. Sed recte observat BOCHARTUS in *Hieroz.* P. I. L. II. C. 39. T. I. p. 406. edit. Lips., tam in Arabica quam in Aethiopica lingua بَلَس esse *ficum*, et in Aethiopica Psalmorum versione hanc ipsam vocem pro hebraea שִׁקְמוֹת usurpari Ps. 78, 47. „Ergo ut בלס nomen," inquit, „est *ficus*, vel *sycaminus*, inde formatum בָּלַס verbum erit *ficare*, vel *sycaminare*, si verbo datur venia. Cujusmodi verba Graeci multa habent, ut *συκάζειν*, *ἀποσυκάζειν*, *ἐρινάζειν*, *ὀλυνθιάζειν*, *θριάζειν*, *ἀποθριάζειν*. Quidni pari ratione, quum בלס *ficum* et *sycaminum* sonet, בּוֹלֵס is recte dicatur, *qui ficos colit*, et *sycaminos*, quasi *ὁ συκάζων*, *ὁ ἐρινάζων*, *ὁ ἐπικνίζων*, *ὁ θριάζων*, et si qui aliud in ficus cultura requiritur. Quod ne quis putet alienum ab Hebraeae linguae genio, etiam a כֶּרֶם *vinea*, כּוֹרֵם in Scriptura passim dicitur *is qui colit vineas.*"

15. וַיִּקָּחֵנִי יְהוָה מֵאַחֲרֵי הַצֹּאן *Assumsit me vero Jova a post oves*, id est, a pascendis et ducendis gregibus, uti de Davide ait Jova 2 Sam. 7, 8.: *assumsi te de caule* מֵאַחַר הַצֹּאן *a grege sequendo.* Pastores enim greges sequuntur. Hinc Senecae pastor in Oedipode: *Illo sequebar monte cornigeros greges.* וַיֹּאמֶר אֵלַי יְהוָה *Et dixit ad me Jova*, cujus nomen iterum iterumque inculcat, ut necessitatem sibi impositam ostendat vaticinandi, quod ille jusserit, cui omnino obtemperandum omnibus relictis. לֵךְ הִנָּבֵא אֶל־עַמִּי יִשְׂרָאֵל *Vade, vaticinare ad populum meum Israel.* Qua ergo fronte audes me impedire, cui diserte id mandarit Deus, a priore arte avocato et abstracto, ut hoc facerem? Jam ergo ei minatur.

16. וְעַתָּה שְׁמַע דְּבַר־יְהוָה *Nunc ergo*, quia fidem mihi derogas, et divino mandato repugnas, *audi verbum*, decretum *Jovae* in te. אַתָּה אֹמֵר לֹא תִנָּבֵא עַל־יִשְׂרָאֵל *Tu dicis: non vaticinaberis super*, adversus *Israelem*, vid. supra Vs. 12. 13. וְלֹא תַטִּיף *Neque stillabis* scil. מִלֶּיךָ *verba tua*, coll. Job. 29, 22., ne verba fundas, seu oracula edas, nam de prophetiis maxime dicitur id verbi, vid. not. ad Ezech. 21, 2. עַל־בֵּית יִשְׂחָק *Contra domum Isaaci*, vid. de hac appellatione supra ad Vs. 9.

17. In communi poena ostendit quam partem accepturus sit Amazia. Qualis poenae denuntiatio legitur adversus Paschurem Jerem. 20, 3. 6. לָכֵן כֹּה־אָמַר יְהוָה *Propterea* quod ita palam

et ex professo ei adversaris, *sic dicit Jova:* אִשְׁתְּךָ בָּעִיר תִּזְנֶה *uxor tua* in *urbe scortabitur*, quod non de stupro voluntario, cum Kimchio, intelligendum, sed vi illata ab hoste irrumpente, q. d. te spectante constuprabitur, stuprum patietur, idque *in civitate*, publice et palam, ut nec tu, nec alius quisquam contra tantam hostis violentiam hiscere ausurus sit. A victore milite vis mulieribus inferri solet. Jes. 13, 16. *Parvuli illidentur, diripientur domus, feminae vitiabuntur.* Thren. 5, 11. *Mulieres Sione stuprant* hostes, *et virgines in urbibus Judaeae.* וּבָנֶיךָ וּבְנֹתֶיךָ בַּחֶרֶב יִפֹּלוּ *Et filii tui filiaeque tuae gladio* hostium *cadent*, peribunt. וְאַדְמָתְךָ בַּחֶבֶל תֶּחָלֵק *Et terra tua funiculo* mensorio (בַּחֶבֶל מְדָדָה Zach. 2, 5.), quales in divisione sortium vel hereditatis in usu erant (Jos. 17, 5. 14. Mich. 2, 5. Ps. 78, 55.) *dividetur*, eam inter se hostes partientur, agri tui in aliorum potestatem venient. וְאַתָּה עַל־אֲדָמָה טְמֵאָה תָמוּת *Et tu* corpore etiam poenas dans, *super terram immundam morieris*, in terra extera, hostili, quae immunda aestimabatur, quod in ea idola colerentur, opposita terrae Israeliticae, quam Jova singulari numinis sui praesentia dignabatur. Sic Jos. 22, 19. terrae טְמֵאָה *pollutae*, in qua Rubenitae, Gaditae et dimidia tribus Manasse seorsim sibi aras erexerant, opponitur אֶרֶץ אֲחֻזַּת יְהוָה אֲשֶׁר שָׁכַן־שָׁם מִשְׁכַּן יְהוָה *terra possessionis Jovae, in qua tabernaculum Jovae habetur.* Cf. Ezech. 4, 13. Hos. 9, 3. Hoc igitur minatur Amaziae: morieris non in patria, sed in terra extera, hostili, quippe captivus illuc cum reliquo populo abducendus. Quatuor quae praecesserunt membra ad ipsum Amaziam aut suos pertinuerunt, membrum postremum ad populum Israeliticum, quod jam dixerat propheta, et Amazias objecerat, quum eum apud regem insimularet, supra Vs. 11., q. d. et quia dicis me dixisse Israelem e terra sua relegandum, id fiet: וְיִשְׂרָאֵל גָּלֹה יִגְלֶה מֵעַל אַדְמָתוֹ *et Israel*, Israeliticus populus, uti dixi, propter idololatriam suam et alia scelera, quia toties monitus non resipiscit, *migrando migrabit*, exulabit omnino, *e terra sua*, a patriis finibus relegabitur, et deportabitur in terram hostilem.

CAP. VIII.

Argumentum.

Initio hujus Capitis objicitur prophetae alia visio, qua populi Israelitici exitium designatur. Videt cophinum fructuum aestivorum, qui jam plene maturucrunt, et quorum terminus venit ut decerpantur, vel edendi, vel asservandi causa. Quod ipsemet Deus prophetae exponit significare, jam instare hujus populi finem; velut maturuisse et ad summum excrevisse eorum scelera, ut jam

ultra non ferre possit Deus, quin merita illis supplicia irroget (Vs. 1—3.). Enumerat deinde aliquot scelera, propter quae populo tam graves intorqueantur minae. Quorum caput sunt avaritia, quae ad alienas opes impotenter anhelat, et fraus et dolus, quibus pauperes opprimunt (Vs. 4—6.). Istis avaris hominibus et paupcrum oppressoribus severam Dei sententiam denuntiat (Vs. 7—10.). Ad extremum minatur, venturum aliquando tempus, cum ea sit divinae institutionis fames et inopia, ut nusquam terrarum, qui modo fastidiunt prophetarum oracula reperiant (Vs. 11—14.).

1. כֹּה הֶרְאַנִי אֲדֹנָי יֱהוִה Vid. supra 7, 1. כְּלוּב קָיִץ *Cophinus aestatis*, i. e. fructibus aestivis plenus. Chaldaeus: *vas plenum extremis aestatis frugibus.* Ut ὀπῶραι Graecis dicuntur fructus autumnales, sic nomine קַיִץ Hebraei fructus intelligunt, qui sub finem aestatis et initium autumni ad plenam maturitatem perveniunt. *Poma* speciatim vertit Hieronymus; alii *ficus* intelligunt, et quidem siccatos et in palathas compressos, quales sane voce קַיִץ indicantur 2 Sam. 6, 1. et forsan quoque Mich. 7, 1. Vid. J. E. Fabri Not. ad (Harmeri) *Observatt. super Oriente ex Itinerariis ad S. Scriptur. illustrand.* P. I. p. 387. seqq. כְּלוּב Hebraei h. l. exponunt סַל *canistrum*, *calathum.* Jerem. 5, 27. idem nomen de *cavea* aucupis captis avibus repleta dicitur.

2. וַיֹּאמֶר יְהוָה אֵלַי מַה־אַתָּה רֹאֶה עָמוֹס Vid. supra 7, 8. *Dixit ergo Jova ad me*, ut visionis illius sensum mihi explicaret. בָּא הַקֵּץ אֶל־עַמִּי יִשְׂרָאֵל *Venit finis ad*, s. *super* (אֶל pro עַל, ut saepe alias) *populum meum Israel.* Chaldaeus: *advenit ultio finis*, i. e. extrema, *ut adoriatur populum meum Israel.* Apparet, visionis significationem positam esse in allusione duarum vocum קַיִץ (Vs. 1.) et קֵץ. Quemadmodum sub finem aestatis terminus est fructuum, et tempus ut colligantur, quum jam tota aestate solis calore plane sunt maturati, nec diutius in arbore asservari possunt; sic instat tempus a Jova definitum, ut puniantur Israelitae, quum scelerum suorum mensuram impleverint. Similis inter שָׁקֵד *amygdalus*, et שָׁקַד *vigilavit*, paronomasia in visione illa, quae objicitur Jeremiae 1, 11. 12. Quemadmodum enim amygdalus prima arborum antevertit et accelerat florere; ita illic Jova dicit sese invigilaturum et sollicite curaturum, ut inferatur supplicium, quo Judaeos afficere decreverit. Cf. Ezech. 7, 6. בָּא הַקֵּץ הֵקִיץ אֵלַיִךְ *venit finis, evigilat contra te*, pervigil in te irruit exitium. Ceterum ejus, quae jam a Nostro describitur, visionis idem est scopus, cademque significatio, ac superioris illius 7, 7. Neque enim est prophetis insuetum, eandem rem pluries inculcare, mutatis tantummodo verbis vel signis. לֹא־אוֹסִיף עוֹד עֲבוֹר לוֹ *Non addam ultra transire ei*, i. e. non connivebo ultra ad eorum scelera, non impunita ea praeteribo, ut supra 7, 8., ubi not. vid.

3. Addit, quae ad hunc finem Israelitici populi sint consequutura. וְהֵילִילוּ שִׁירוֹת הֵיכָל *Ejulabunt cantica palatii*, eleganter et poetice tribuit rei inanimae, quod rei est animatae, q. d. in ejulatum et lamenta abibunt cantiones, et laeta carmina, quibus in suis palatiis suas aures demulcent; pro laetitia succedet luctus, cf. infra Vs. 10. Chaldaeus: *et ejulabunt loco cantici in domibus suis.* Alii הֵיכָל h. l. sumunt de *templo*, de quo haud raro id nomen usurpari constat, quod aedes esset magnifice constructa, ut hic non solum decem tribuum exilium, sed et Judaici regni notetur ruina. Quodsi igitur *templum* intellexeris, comminabitur, cantica in eo solita concini cum summo gaudio, in luctum convertenda. De decem tribubus finis Capitis videtur arguere haec maxime dici. רַב הַפֶּגֶר יִהְיֶה Quippe *multum cadaver erit*, magna cadaverum copia, vel peste, vel hostili gladio mortuorum. רַב possit verbum esse: *multiplicabuntur* cadavera; sed simplicius, pro nomine capere. Chaldaeus: *multa erunt cadavera occisorum.* בְּכָל־מָקוֹם הִשְׁלִיךְ Adeo ut etiam *in quocunque loco* promiscue *projecturus sit* ea, cadavera, quisque; tanta erit caesorum copia, vel cadaverum peste exstinctorum, aut alia calamitate, ut promiscue ubique projiciantur, quod ea sepelire non vacat. הַס *St!* ut 6, 10., i. e. cum silentio, sive: projicientur promiscue cadavera, dum monebit unusquisque eorum, quibus hoc negotium incumbit, alteri: *sile!* ne alii audientes animo remollescant, audita tanta cadaverum copia. Kimchi ut supra 6, 10.: *sile*, ne Deo conquereris, patienter acquiesce judicio tam potentis Dei.

4. Jam affert causas tam severi in eos exsequendi judicii, et in primorum ac ditiorum de populo Israelitico rapacitatem et insatiabilem avaritiam rursum invehitur, ut supra aliquoties. שִׁמְעוּ־זֹאת *Audite* hoc quod dicturus sum Vs. 7. seqq. Cf. not. supra 3, 1. הַשֹּׁאֲפִים אֶבְיוֹן *Vos*, *qui inhiatis egenum*, magno egenorum servitutis desiderio tenemini suis facultatibus spoliatorum. Sic enim Vs. 6. dicit, *ad emendum pecuniâ tenues.* שָׁאַף in illa *inhiandi* sive *desiderandi* significatione cum Accusativo saepe construitur, ut Job. 7, 2. כְּעֶבֶד יִשְׁאַף־צֵל *sicut servus umbram inhiat*, desiderat. Cf. supra ad 2, 7. Eorum inhumanitatem arguit. וְלַשְׁבִּית עֲנִיֵּי־אֶרֶץ *Et* qui *inhiatis*, id unice studetis, *ut cessare faciatis*, aboleatis, deleatis *pauperes terrae*, ut his oppressis vos soli terram possideatis. De עֲנִיֵּי־אֶרֶץ, pro quo in textu עֲנָוֵי־אֶרֶץ legitur, vid. not. ad 2, 7. Cf. Job. 24, 4. Eandem aviditatem Judaeis exprobrat Jesajas 2, 8.: *Vae*, *qui domos domibus conjungitis*, *fundos fundis continuatis*, *eousque ut nullo restante loco*, *soli in media terra sedem habeatis!*

5. Jam egregie et graphice depingit mores et ingenium avarorum hominum, qui ita inhiant quaestui suo improbo, ut vel unius dici moram, quo cessandum est, impatienter ferant.

לֵאמֹר מָתַי יַעֲבֹר הַחֹדֶשׁ וְנַשְׁבִּירָה שֶׁבֶר *Dicendo*, dicentes: *quando praeteribit novilunium, ut divendamus annonam?* מָתַי *Quando?* optantis est, ut illud Ps. 42, 2. מָתַי אָבוֹא *quando veniam et coram Jova apparebo?* הַחֹדֶשׁ *Mensis*, i. e. רֹאשׁ הַחֹדֶשׁ *initium mensis*, neomenia, uti חֹדֶשׁ simpliciter dicitur Jes. 1, 13. (ubi, ut h. l. cum Sabbatho, שַׁבָּת) conjungitur, et Ps 81, 4. Neomenia Hebraeis festa erat, ut apparet ex Num. 10, 10. 28, 11. Festis vero diebus et feriis sacris vendendo aut emendo mercaturam exercere nefas erat. Nehem. 10, 31. *Ambulabimus in lege Dei; a populis regionis merces et annonam afferentibus non ememus sabbato aut die sacro.* Vide et 13, 15—22. ejusdem libri. Hoc igitur istis avaris molestum erat, dies festos suo quaestui obstare, suumque lucellum Dei cultui cedere indigne ferebant. A שֶׁבֶר *annona* (proprie *fractio*, remedium, *famis*, ut habetur Genes. 42, 19. שֶׁבֶר רַעֲבוֹן, quemadmodum שְׁבֹר צָמָא *frangere sitim*, pro *restinguere sitim*, Ps. 104, 11.), verbum denominativum שָׁבַר in Cal est *frumentari*, frumentum emere, quasi parare, quo fames frangatur, ἐπισιτίζεσθαι, Gen. 41, 57., in Hiphil vero *vendere frumentum*, suppeditare alteri, quo famem frangat, Gen. 42, 6. Deut. 2, 28. וְהַשַּׁבָּת וְנִפְתְּחָה־בֶּר *et* quando praeteribit *sabbatum*, *ut aperiamus frumentum?* i. e. frumenti, tritici repositoria, horrea, ad vendendum. Metonymia, *cellae* enim *frumentariae* ad vendendum, non ipsum frumentum proprie *aperiri* dicuntur. Gen. 41, 56. *Josephus omnia, in quibus frumentum esset* horrea *aperuit, et vendidit Aegyptiis.* לְהַקְטִין אֵיפָה וּלְהַגְדִּיל שֶׁקֶל *Ad minuendum*, ut minuamus *Epham*, ut minori modio ementibus metiamur, *et ut augeamus siclum*, pondus sicli, i. e. ut curtis mensuris vendamus, et nummum accipiamus graviori pondere. אֵיפָה genus mensurae aridorum, continens tria sata (סְאִים), quae est decima pars cori (כּוֹר), vid. Ezech. 45, 11. et ibi not. Hic pro quavis mensura ponitur, ut Levit. 19, 36. Deut. 25, 14. שֶׁקֶל propr. *pondus* scil. argenti, olim enim pro argento signato, sive numis, appensi potius et ad stateram lancemque ponderati usus erat. Ita Gen. 23, 16. Abraham appendit pecuniam, quam Ephron postulaverat. Qua in re duplex esse potuit fraus, ut staterae et lances inaequales essent, et pondus ipsum auctius justo. Igitur avari isti pauperes hoc modo defraudabant, ut mensura minuta, quam Micha 6, 10. *macilentam* vocat, venderent, pecuniam vero acciperent ponderibus majoribus justo. Contra legem Dei id ab illis factum. Deut. 25, 13. 14. *Ne sit tibi diversum pondus, magnum et parvum; sed utrumque justum et integrum esto.* וְלַעֲוֹת מֹאזְנֵי מִרְמָה *Et pervertendo*, s. ut *pervertamus lances dolosas*, ut Hos. 12, 8., i. e. integras, quas fraudulentas reddamus, ubi eas perverterimus. Nam fraudulentae jam bilances nihil est, quod pervertantur. Quasi dicas: ut justis falsas supponamus, et fallaces. Metonymia est, qualis Job. 22, 6. וּבְגְדֵי עֲרוּמִּים תַּפְשִׁיט *nudos vestibus spolias*, i. e.

vestitos et tectos ut nudi essent. עָוַת proprie *curvare* significat, ut Cohel. 7, 13.; *curvari* vero et illa dicuntur, quae a rectitudinis regula abeunt. Ita Job. 8, 3. הַאֵל יְעַוֵּת מִשְׁפָּט וְאִם־שַׁדַּי יְעַוֵּת־צֶדֶק *an Deus pervertet jus? Omnipotens aequum subvertet?* Priori hujus Versus parte nonnulli depingi existimant mores et ingenium avarorum hominum eorum, qui fruges recondunt et asservant exspectantes tempus caritatis, quo amplissimum quaestum facere possint.

6. לִקְנוֹת בַּכֶּסֶף דַּלִּים *Ut comparemus argento tenues*, i. e. ut nobis addicamus non eorum tantum agros et facultates, quicquid habent, sed et eorum corpora, et totos ipsos, pro pecunia, quam nobis dare deberent, vel pecunia ab illis accepta, quam non ultra habeant, quod nobis pro frumento dent. וְאֶבְיוֹן בַּעֲבוּר נַעֲלָיִם *Et pauperem* emamus *pro calceis*, pro re vilissima, qua ille opus habeat; cf. supra 2, 6. Chaldaeus: *pro eo quod possident.* Premente rerum penuria se in servos vendere homines solebant. Levit. 25, 39.: *Cum attenuatus frater tuus se tibi vendiderit, ne exercito eum servitute servili.* Isti igitur quaestuosi primum oppressione et dolo fratrum suorum faeultates ad se traxerunt, ut illis exhaustis se ipsos tandem in servitutem tradere cogerentur. Aliud genus fraudis in ipsa merce: וּמַפַּל בַּר נַשְׁבִּיר *et deciduum tritici*, id est, purgamenta et quisquilias, quae ex cribro, dum purgatur, decidunt, *vendamus* pauperibus, quae alias vendi non solent, sed jumentis aut avibus dari, non hominibus, nisi ubi summa caritas. Praecesserat Infinitivus לִקְנוֹת, sequitur Futurum נַשְׁבִּיר, quod intelligendum, quasi plene scriptum esset וְלִמְעַן נַשְׁבִּיר.

7. Post compellationem, in qua simul crimina illis exprobravit (Vs. 4. 5. 6.), subjungit jam ipsam Dei sententiam, ad quam audiendam eos supra Vs. 4. excitaverat. נִשְׁבַּע יְהוָה בִּגְאוֹן יַעֲקֹב *Juravit Jova per gloriam Jacobi*, i. e. per se ipsum, ut supra 6, 8. נִשְׁבַּע אֲדֹנָי יְהוִה בְּנַפְשׁוֹ *juravit Dominus Deus per se ipsum.* Deus enim *Israelitarum gloria* metonymice vocatur, quia ab eo amplissimam gloriandi materiam habuerunt. Similiter Claudianus *de Raptu Proserp.* 2, 37. Proserpinam *gloriam* et *superbiam matris suae* vocat, quod tali filia gloriaretur et superbiret. Chaldaeus: *juravit Dominus, qui magnitudinem dedit Jacobo.* Alii Hebraeorum גְּאוֹן יַעֲקֹב *templum* vel *arcam foederis* intelligunt, quod paene in idem recidit. Nam per illa gloriosum se Deus in illo populo exhibebat. LXX: ὀμνύει Κύριος καθ' ὑπεφανίας Ἰακώβ. Quod sequutus Hieronymus: *juravit Dominus in superbiam Jacob*, se scilicet eam dejecturum. Verum ב post *jurandi* verbum nomini alicui praepositum, significare rem, *per* quam quis jurat, vidimus supra ad 6, 8. Subjicitur jurisjurandi formula: אִם־אֶשְׁכַּח לָנֶצַח כָּל־מַעֲשֵׂיהֶם non habear pro Deo (aut simile quicquam subaudiendum) *si obliviscar in perpetuum*,

i. e. unquam *omnia eorum facta*, sed ea puniam, ut sunt commeriti.

8. Exponit gravitatem superiorum facinorum, quod tyrannide pauperes opprimerent, eorum bona intervertentes, dolis et usuris eos sibi addicentes, quomodo queruntur Nehem. 5, 1. sqq. tenuiores de Israelitis, se a potentioribus oppressos, ut agros suos et praedia oppignerare coacti essent. הַעַל זֹאת לֹא־תִרְגַּז הָאָרֶץ *Num propter hoc*, ob tanta et tam horrenda erimina jam recensita, *non contremiscet terra*, וְאָבַל כָּל־יוֹשֵׁב בָּהּ *et lugebit*, affligetur gravissime, *quicunque in ea habitat?* ut infra 9, 5., quasi dicat: sufficiens est et tam immane hoc facinus, ut ejus causa tota subvertatur et contremiscat terra, unde pereant habitatores tam scelerati. Sic Jer. 2, 12. שִׁמּוּ שָׁמַיִם עַל־זֹאת וְשַׂעֲרוּ *obstupescite, coeli, super hoc, et horrescite, desolamini vehementer*, quod reliquerit Israel Deum suum, ut idolorum cultum sequeretur. וְעָלְתָה כָאֹר כֻּלָּהּ *Et* annon *ascendat sicut flumen*, s. Nilus, *tota ea terra?* i. e. annon tam immania sunt scelera a vobis commissa, ut eorum nomine tota Israelitica terra debeat in aquas abire et illis submergi? ut terra sit velut flumen, ut Nilus videlicet stagnans et exundans per Aegyptum. כָּאֹר defective pro כַּיְאֹר, quod ipsum exstat in loco parallelo infra 9, 5. Ita בּוּל pro יְבוּל *proventus*, Job. 40, 20., et הָסוּרִים pro הָאֲסוּרִים *vincti*, Cohel. 4, 14. יְאֹר vero ex Aegyptiaco IAPO *flumen* ortum, proprium est *Nili* fluvii nomen, vid. plura ad Ezech. 29, 3. *Ascendere* vero, sive *intumescere*, h. l. dicitur *terra*, ex idiotismo, quo Hebraeis עָלָה dicitur non solum de re, *quae* ascendit, sed metonymice etiam *in qua* quid ascendit, ut tota quasi in eam abeat, ut Jes. 34, 13. וְעָלְתָה אַרְמְנוֹתֶיהָ סִירִים *ascendunt palatia ejus in spinas*, i. e. succrescent in palatiis suis spinae. Prov. 24, 31. עָלָה כֻּלּוֹ קִמְשׂוֹנִים *ascendit totus ille* ager in *carduos*, in toto agro succrevernnt cardui. וְנִגְרָשָׁה *Et propelletur*, sive, *ut propellatur*, i. e. fluctibus agitetur huc illuc, velut mare fluctibus commotum, de quo idem verbum Jes. 57, 20. וְהָרְשָׁעִים כַּיָּם נִגָּרֵשׁ *improbi vero* sunt *sicut mare propulsum*, agitatum. Alias est *expelli*, ut Jon. 2, 5. Sed *agitari, commotum esse*, denotat verbum גָּרַשׁ et Chaldaeis. Ita in Targum Esther 6, 1. אִתְגְּרִישׁ עָלְמָא כּוּלֵּיהּ *commotus est totus mundus.* וְנִשְׁקְעָה כִּיאוֹר מִצְרַיִם *Et demergetur ut fluvius Aegypti*, i. e. tota aquis subsideat et submergatur, ut Aegyptus Niliaca exundatione; de qua Cicero *de Nat. Deor.* L. II. c. 52.: *Aegyptum Nilus irrigat, et cum tota aestate obrutam oppletamque tenuerit, tum recedit.* Ascendente Nilo totam Aegyptum operiri, et quasi pelagus stagnare, scribit Strabo *Geogr.* L. XVII. §. 4. Ἐν ταῖς ἀναβάσεσι τοῦ Νείλου καλύπτεται πᾶσα καὶ πελαγίζεται πλὴν τῶν οἰκήσεων. Pro וְנִשְׁקְעָה, quod in margine legi jubetur in textu est וְנִשְׁקָה *et irrigetur*, adaquetur, ut rivo Aegypti; sensu fere eodem, sed וְנִשְׁקְעָה, ut fortius aptiusque ad rem,

praeferendum. Significat igitur, commeritos esse tanta sua inhumanitate in pauperes, ut eorum tota terra aquis submergatur, ut Aegyptus, cum in eam se Nilus diffundit.

9. וְהָיָה בַיּוֹם הַהוּא *Fietque die illo*, quo de illis poenae sumentur. וְהַבֵּאתִי הַשֶּׁמֶשׁ *Ingredi*, i. e. occidere *faciam solem.* Sol cum occidit, *intrare*, בּוֹא, dicitur, ut Gen. 15, 12. 17. Levit. 22, 7., *et occasus ejus* מְבוֹא שֶׁמֶשׁ *ingressus ejus*, quod juxta vulgi opinionem in mare ingreditur, unde et Graeci occasum δύσιν appellant, quemadmodum contra יצא *egredi*, et מוֹצָא *egressus* de *ortu solis* usurpatur Gen. 19, 23. Ps. 19, 6. 7. Uti autem obscuratio solis graviores calamitates indicat (vid. e. c. Ezech. 32, 7. 8.), ita gravissimae per occasum, quo penitus terris subducitur, innui solent. Huc spectat, quod Deus Mich. 3, 6. interminatur: *idcirco nox vobis erit a visione, et tenebrae oborientur a divinatione, et occidet sol super prophetas, et dies super eos obtenebrescet.* Eodem facit frequentissima tam Graecis Latinisque, quam Orientalibus scriptoribus, *noctis*, quae sole occaso oritur, imago, qua et in sacris, praecipue in libro Jobi, et apud Arabes nihil frequentius. Vocant tempus maxime calamitosum *noctem tenebrosam*, aut *maxime tenebrosam*, qualem Ovidius *Metamorph.* 11, 550. *duplicatam noctis imaginem* dicit, aut Seneca in *Thyeste* Vs. 994. *nox se in noctem abdidit*, uti pluribus docet A. Schultens in *Comment. in Job.* 3, 9. et 35, 10. Nostro vero loco praegnantior sensus exsurgit dum Jova dicit, se facturum ut sol occidat בַּצָּהֳרָיִם *in meridie.* Quemadmodum *dies* et *lux diei* solet de *tempore laeto* et *felici* usurpari, ita *meridies* ipsum *culmen summumque apicem felicitatis* innuit, vid. Job. 11, 17. Ps. 37, 6. Jes. 58, 10. Quare *occasus solis in meridie* maximam illarum rerum vicissitudinem indicat, qua illo in media, imo summa felicitate in gravissimum luctum, spissamque noctem aerumnarum convertuntur. Qualem tristissimam rerum suarum conversionem ex morte amici natam poeta Arabs a Schultensio laudatus describit: *et* mors ejus *obscuravit diem meum, quum jam meridiem tangerem.* וְהַחְשַׁכְתִּי לָאָרֶץ בְּיוֹם אוֹר *Et tenebras inducam terrae die lucis*, i. e. vel die valde lucido, quo talis obscuratio omnium minime metuenda videtur, vel tempore, quo adhuc multum diei superest, neque adeo ex naturalibus causis nox ingruere potest, quod clarius exprimitur a Jeremia 15, 9. בָּאָה שִׁמְשָׁהּ בְּעוֹד יוֹמָם *occidet sol ejus dum adhuc dies est.* Sensus hujus Versus igitur hic est: ubi summa se putabant frui tranquillitate, et ad supremum gradum felicitatis pervenisse, tum corruent, et in acerbissimam calamitatem conjicientur. Sunt, qui a vate nostro illud respexisse existiment, quod quum auspicatissima fuissent ac instar meridiei lucida Jeroboami II. tempora (2 Reg 14, 25.), sexto post illa mense, insequuta filii, Zachariae, caede, confusa omnia in regno Israelitico fierent, tum internis

motibus, tum exterarum gentium irruptionibus. Quam sententiam peculiari Commentatione commendavit Conr. Ikenius in Dissertat. *de sole occidente in meridie ad Amos* 8, 9., quae est *decima octava* suarum *Dissertatt. philologico-theologicar. in diversa S. Cod. loca*, Lugd. Batav. 1749. p. 300. sqq. „Omnia," inquit p. 315., „egregie in Zachariam quadrant. Hic vere ut sol in meridie occidit, dum vix florentissimum Israelis regnum, quod pater ad pristinum vere decus, dilatatis imperii finibus, subjugatisque hostibus, reduxerat, patre demortuo occupaverat, et sex tantum mensium spatio obtinuerat, cum Sallum in eum cum quibusdam conjurationis sociis insurgeret, eumque florente aetate, inque felicitate, publice (quod phrasis *coram populo* innuit) interficeret, ut scriptor sacer narrat 2 Reg. 15, 8. seqq. Sic *die lucido*, cum modo res maxime florerent, densissimis *tenebris terra obducta*, et omnia in gravissimum *luctum conversa* sunt, *extremumque fuit ut dies amarus*, ut propheta statim Vs. 10. subjungit, *finis populi Israelitici*, ut in Capitis initio Vs. 2. praedictum erat." Nobis minae, quae Versu hoc et proximo leguntur, generales sunt, ut in eo quem indicavimus sensu acquiescendum videatur.

10. וְהָפַכְתִּי חַגֵּיכֶם לְאֵבֶל *Et convertam ferias vestras*, quibus laetari soletis, *in luctum*. Cf. supra Vs. 3. et Thren. 5, 15.: *adolescentes a suis cessant modulis; cessat animorum nostrorum voluptas, versae sunt in luctum choreae nostrae.* Hos. 2, 13. וְהִשְׁבַּתִּי כָּל־מְשׂוֹשָׂהּ חַגָּהּ *cessare faciam omne gaudium ejus, festivitatem ejus, novilunia, sabbatha, et omnem solennitatem ejus.* וְכָל־שִׁירֵיכֶם לְקִינָה *Et omnia cantica vestra* convertam *in lamentationem*, ut loco gaudii et laetorum carminum nihil aliud audiatur, quam lamentum et lugubria carmina, et omnia dolorum moerorisque fiant plena. וְהַעֲלֵיתִי עַל־כָּל־מָתְנַיִם שָׂק *Et faciam adscendere super omnes lumbos saccum*, cilicium inducam omnium lumbis, ut accincti ciliciis moerorem ostendant, sicuti moris erat. Vid. Jes. 15, 3. וְעַל־כָּל־רֹאשׁ קָרְחָה *et super omne caput* inducam *calvitiem*, ut omnes tristitiam testantes capita radant, ut in gravi calamitate consuetum erat, vid. Job. 1, 20. Jes. 15, 2. et ad ea loca not. וְשַׂמְתִּיהָ כְּאֵבֶל יָחִיד *Et ponam*, reddam (ut 1 Sam. 11, 2.) *eam* terram (quam Vs. 9. obtenebrandam esse dixerat) *sicut luctum unigeniti*, unici filii, i. e. in eum statum terram Israeliticam redigam, ut undique sese tanta offerat lugendi materia, quanta quum pater vel mater unicum amisit filium. Vehementem dolorem vates Hebraei solent luctui ob unicum filium mortuum suscepto comparare. Sic Jer. 6, 26.: *filia populi mei, cinge te cilicio, consperge te cinere,* אֵבֶל יָחִיד עֲשִׂי־לָךְ *luctum unigeniti fac tibi, planctum amarissimum.* Et Zach. 12, 10. וְסָפְדוּ עָלָיו כְּמִסְפֵּד עַל־הַיָּחִיד *de eo plangent, sicut de unico filio plangitur.* וְאַחֲרִיתָהּ כְּיוֹם מָר *Et*

finem, seu *postrema ejus* terrae, i. e. incolarum ejus, reddam *sicut diem amaritudinis*, i. e. ad extremum efficiam, ut in acerbissimum luctum adducantur, quantus esse solet die ob funestum aliquem casum acerbo. Proverb. 5, 4. וְאַחֲרִיתָהּ מָרָה כַּלַּעֲנָה *et extremum ejus amarum sicut absinthium.* Luctus gravis Hebraeis per metaphoram *amaritudo* dicitur, ut etiam eodem tropo a Latinis *amarus* dicitur. Ovidius *Metamorph.* 14, 465. *Admonitu quamquam luctus removentur amari.* Hinc הָמַר *amare lugere* Zach. 12, 10. Ita *dies amaritudinis* hic est *dies amari luctus.* Quomodo Tibullus *Eleg.* L. II. Eleg. 4, 11. triste acerbi doloris tempus *diem amaram* vocat.

11. *Postrema* illa, quorum Vs. 10. meminerat, ulterius jam exponit. הִנֵּה יָמִים בָּאִים .... וְהִשְׁלַחְתִּי רָעָב בָּאָרֶץ *Ecce dies venient, et*, i. e. quibus, *immittam famem in terram*, לֹא־רָעָב לַלֶּחֶם et quidem *non* tam *famem ad panem*, i. e. panis, qualem supra 4, 6. inter reliqua suppliciorum genera minatus fuerat, sed famem multo deterioris sortis. וְלֹא צָמָא לַמַּיִם כִּי אִם־לִשְׁמֹעַ אֶת דִּבְרֵי יְהוָה Sitimque immittam, verum *non sitim aquarum, sed audiendi verba*, effata *Jovae.* Qui jam oracula divina a prophetis promulgata tanta insolentia despiciunt et derident, imo expellunt vates (cf. supra 7, 12.), quondam summa miseria oppressi summo desiderio coelestis institutionis atque divinorum oraculorum tenebuntur, nescientes unde consilium capiant in rebus arctis, sed plane carebunt doctoribus atque prophetis. Quod ipsum minatur Ezechiel 7, 26.: *miseria miseriae superveniet, famaque famae succedet, et in vate oraculum requiretur, et sacerdotes institutione, et senes consilio carebunt.* Nec non Micha 3, 7.: *prae pudore erubescent fatidici et divini, sibiquo labra obvelabunt universi, quod aberunt divina responsa.* Et Jeremias queritur de urbe et republica eversa Thren. 2, 9.: *rex ejus et principes inter gentes degunt institutione destituti, nec prophetae assequuntur oraculum a Jova. Fames* et *sitis* per translationem summum desiderium ostendunt, ex inopia et defectu natum, ut Ps. 42, 3.: *sitit anima mea Deum.* Claudianus Praefat. in Libr. II. *de Raptu Proserp.* Vs. 19. *porrexit Rhodope sitientes carmina rupes.*

12. וְנָעוּ מַיִם עַד־יָם *Et movebunt se*, vagabuntur, oberrabunt Israelitae *a mari ad mare usque*, i. e. a mari mortuo ad mediterraneum, vel, ut Hebraei loquuntur, *a mari orientali ad mare occidentale*, vid. Joel 2, 20. ibique not., Zach. 14, 8. Atque interdum simpliciter absque illis epithetis *a mari ad mare*, ut Mich. 7, 12. Ps. 72, 8. Hisce verbis vero duas coeli plagas, austrum et occasum, complectitur, quia subdit: וּמִצָּפוֹן וְעַד־מִזְרָח *et ab aquilone ad ortum.* Sensus est, eos universam illam terram per omnes ejus terminos circumituros ad quaerenda Dei oracula. Primum a maris mortui australi extremitate profectos perambu-

laturos totum meridianum tractum usque ad mare mediterraneum in occidente, deinde illa occidentali plaga emensa ad aquilonarem venturos, ac per eam tandem in orientalem progressuros. Hoc enim ordine procedit descriptio finium terrae Cananaeae Num. 34, 3. sqq., *ab extremitate maris salsi*, i. e. mortui, *per plagam australem*, *ad mare mediterraneum* in occidente, inde *ad aquilonem*, et tandem *ad orientem.* לְבַקֵּשׁ אֶת־דְּבַר־יְהוָה *Ad quaerendum verbum Jovae*, i. e. prophetas, qui divina oracula eis pandant. וְלֹא יִמְצָאוּ *Nec invenient*, justo Dei judicio, qui desiderium excitabit prophetarum in animis eorum, qui illos primum expulerant adeoque occiderant.

13. בַּיּוֹם הַהוּא תִּתְעַלַּפְנָה הַבְּתוּלוֹת הַיָּפוֹת וְהַבַּחוּרִים בַּצָּמָא *Die illo deficient*, animi deliquium patientur, animum despondebunt destituti ab omni solatio, *virgines pulchrae adolescentesque*, quae aetas fere voluptatibus indulget, nec de salute sua admodum sollicita, *siti* audiendi oracula Jovana, Vs. 11. Quod si vero tales animum despondebunt, quid alii facient? תִּתְעַלַּפְנָה proprie *operientur*, s. *operient se* (vid. Gen. 38, 14. et cf. Arabicum غلف), unde ad animum translatum significat, tenebris ex animi deliquio quasi contegi et involvi, obscurari, conturbari, perplexum esse, et ita animo anxium, ut apud te non sis. Eodem significatu עֻלַּף Jes. 51, 20. et תִּתְעַלַּף Jon. 4, 8. usurpatur. Eadem est ratio verbi עָטַף, *obtegit*, quod in Passivo Thren. 2, 11. 12. 19. de *animi deliquio* dicitur. Sic verba Arabica غشى et غمى, quae proprie *tegere* denotant, in Passivo *animo deficere*, *deliquium pati* significare, docuit A. SCHULTENS in *Animadverss. philologg. ad Cantic.* 1, 7. (in *Opp. minn.* p. 241.).

14. Docet, ad quos pertineat haec prophetia: הַנִּשְׁבָּעִים בְּאַשְׁמַת שֹׁמְרוֹן *qui jurant* hodie *per delictum*, i. e. idola, *Samariae*, quasi dicat: merito hac oraculorum divinorum penuria laborabunt, qui hodie illa fastidiunt; argumento est, quod per idola sua jurent, quum aliquid asseverare volunt, quasi suum Deum non habeant, per quem solum jurare licet. Deut. 6, 13.: *Jovam Deum tuum timens*, *ei servias*, *et per eum jures*. *Jurare per Deum*, ut vel ex hoc loco allato vides, est *colere Deum*, quia per eum solent fieri jusjuranda, quem in summo honore habent, quemque vindicem perjurii agnoscunt. Hinc Ps. 63, 12. יִתְהַלֵּל כָּל־הַנִּשְׁבַּע בּוֹ *gloriabitur omnis jurans per eum*, Davidis Deum, omnis Jovae cultor. Jos. 23, 7.: *Ne cum istis reliquis apud vos nationibus versantes deorum earum nomen usurpetis*, וְלֹא תַשְׁבִּיעוּ וְלֹא תַעַבְדוּם וְלֹא תִשְׁתַּחֲווּ לָהֶם *ne per eos juretis*, *neve colatis aut adoretis eos.* Zeph. 1, 5.: הַמִּשְׁתַּחֲוִים הַנִּשְׁבָּעִים לַיהוָה וְהַנִּשְׁבָּעִים בְּמַלְכָּם *qui Jovam adorando per eum jurant*, *et* simul *per regem suum jurant.* בְּאַשְׁמַת שֹׁמְרוֹן *Per delictum Samariae*, i. e. per vitulum in Samaria cultum, qui regibus et civibus causa et occasio reatus exstitit. 2 Paral. 24, 18.: *Reli-*

*querunt templum Jovae, patrii ipsorum Dei, coluerunt*que *statuas et simulacra, poenasque luerunt Judaei atque Hierosolymitani* בַּאֲשָׁמָתָם זֹאת *ob hoc eorum delictum.* Innuit vates vitulum Bethelinum, quem *Samaritanum* vocat, vel quoniam a Samaritis colebatur (Hos. 10, 5. *vaccas Bethaven*, i. e. Bethelis, *colunt habitatores Samariae*), vel nomine *Samariae* significatur tota regio, in qua et Bethel. Sic intelligendum Hos. 8, 5. *vitulus tuus, o Samaria!* et mox Vs. 6. *in scobem redigetur vitulus Samariae.* Quia vero duos vitulos Israelitis erexerat Jeroboamus I., unum in Bethel, haud procul a Samaria, alterum in Dan, uti narratur 1 Reg. 12, 29. 30.; ideo Noster subdit: וְאָמְרוּ חַי אֱלֹהֶיךָ דָּן *et dicunt: vivit Deus tuus, Dan*, q. d. ea jurandi formula in suis idolis utantur, qua in Deo ejus cultores uti solent, id est: sic vivat vitulus Dan! vel, hoc tam certum est, quam certum vivere Deum Dan, ut de Jova dicebant: חַי יְהוָה *per vitam Jovae!* 1 Sam. 20, 3. Kimchi suffixum in אֱלֹהֶיךָ ad eum, cui quis jurabat sermonem suum confirmare volens, refert, ut subaudiatur אֲשֶׁר בְּדָן *vivit Deus tuus, qui est in Dan*, qui in Dan colitur, nimirum vitulus. Malumus, דָּן esse Vocativi casus, et per apostrophen dici ab eo, qui jurat alteri, ad urbem Dan: *ita vivat Deus tuus, o Dan!* Solennius ita jurasse videntur apostrophe ad Dan facta. Nec obstat, quod affixum in אֱלֹהֶיךָ sit masculinum; nam urbium nomina Hebraeis saepe sunt masculina, si appellativorum masculinorum formam habent, ut דָּן, quasi: *judicans.* Sic בֵּית לָחֶם et בֵּית אֵל, nam בַּיִת masculeum est. Et quia vigebat idololatria etiam in Bersaba, ideo addit: וְחַי דֶּרֶךְ בְּאֵר־שָׁבַע dicuntque: *ita vivat via Bersabae*, i. e. ejus numinis, quod in ea via quaeritur. Intelligitur jusjurandum per Deum, tanquam eum, qui velit in Bersaba habere fanum. Vel denotat דֶּרֶךְ *ritum*, religionem, cultum, uti Ps. 139, 24. (ubi vid. not.), et sicut ὁδὸς Act. 9, 2. 19, 9. 23. 22, 4. Ritus et sacra urbis Bersabae, id est, idoli, quod illic colebatur, intellexit et Chaldaeus, qui *νομοὺς*, *ritus Bersabae*, vertit. De Bersaba vid. not. supra ad 5, 5. וְנָפְלוּ וְלֹא־יָקוּמוּ עוֹד *Cadentque nec resurgent amplius*, incident in mala unde numquam emergent, irreparabilem cladem accipient, et pristino statui ac splendori numqnam restituentur. Cf. supra 5, 2.

CAP. XI.

Argumentum.

Sicut Capitibus duobus, quae praecesserunt, Israelitis, ita nunc sub signo percussionis columnarum templi Judaeis potissimum comminatur excidium, quod in prima hujus Capitis parte

(Vs. 1—8.) varie exaggerat, restringit tamen in altera parte (Vs. 9—15.) promissione de regno Davidico instaurando atque seculi aurei felicitate describenda.

1. רָאִיתִי *Vidi* non quidem oculis, sed mente ac phantasiae objectum, ut supra 7, 1. 4. 7. 8, 1. Sic Jesajas Jovae majestatem videt Cap. 6., ubi et liminum commotio, ut hoc loco. Sic Ezechiel Cap. 1. 9. 10., ubi visiones huic haud absimiles, quibus gloriam Domini vidit e populo Israelitico recedentem, et paulatim sese subducentem, donec tandem prorsus recessit. אֶת־אֲדֹנָי נִצָּב עַל־הַמִּזְבֵּחַ *Dominum stantem super altari*, non Bethelico, in cultum vituli erecto, ut nonnulli volunt, sed, uti ex iis quae subjiciuntur apparet, super altari, quod in templo Hierosolymitano erat, quod jam cum reliquis templi partibus destructum ibat, ut supra 7, 7. Chaldaeus: *vidi gloriam Domini*, qui *secesserat a Cherubo*, in adyto templi, *mansitque super altari*, scil. aeneo, in superiori atrio templi. Quo innuebatur, templum a Jova deserendum esse. Videtur paraphrastes respexisse ad Ezech. 9, 3., ubi sex viri apud aeneam aram constitisse dicuntur, dum Dei gloria a Cherubo, super quem erat, sublata est ad limen aedis. Cf. Ezech. 10, 18. 19. וַיֹּאמֶר *Et dixit*, i. e. visus est mihi ita dicere Dominus in visione prophetica. הַךְ הַכַּפְתּוֹר *Percute superliminare!* Hoc vel ad prophetam dicebat, vel certe, quod potius est, ad angelum, suppliciis, ut inquit Hieronymus, scelerum reddendis mancipatum et destinatum. כַּפְתּוֹר ornamentum in capitulis columnarum, in morem sphaerae, aut calicis corollam floris continentis efformatum denotat hic et Zeph. 2, 14. Vid. Michaelis *Supplemm.* p. 1336. seq. Et quia in supero limine portarum solent artificiose caelari et insculpi talia ornamenta, hinc totum limen superum nomine כַּפְתּוֹר videtur appellatum esse. Id enim hoc loco intelligendum est, quum eo percusso contremiscant liminares postes, ut sequitur, וְיִרְעֲשׁוּ הַסִּפִּים *ut contremiscant* in ruinam vergentia *limina* (vid. de voce סִפִּים not ad Jes. 6, 4.), adeoque fundamenta et ima templi, ut Jes. 6, 4, Existimant nonnulli, hac liminum concussione innui, petendos primum primores populi, ut sacerdotes, et regem ac principes, unde ceteri contremiscant. Malumus tamen utroque, superliminaris concussione et liminum tremore, templi destructionem innui, de procerum vero populique caede, quae cum templi excidio conjuncta praedicitur, verba demum agunt, quae sequuntur: וּבַצְּעֵם בְּרֹאשׁ כֻּלָּם *et concide illa*, superliminare et limina, ut ruant *in caput omnium illorum*, qui sunt in templo et in atrio interiori maxime, sacerdotum puta, et Levitarum. Suffixum in וּבַצְּעֵם referendum ad capitella, limina, ceteramque templi structuram. Est similis loquutio ac Jer. 49, 20. 50, 45.: יָשִׁים עֲלֵיהֶם נְוֵהֶם *devastabit super eos mansionem ipsorum*, qua non solum domus destructio, verum et conjuncta cum ea incolarum strages

indicatur. בָּצַע idem quod פָּצַע (vid. ad Joel 2, 8.), quod convenit cum Arabico فصع *in partes concidere*, *secare*, *diffindere*, unde Onkelos Levit. 2, 6. Hebraica פָּתוֹת אוֹתָהּ פִּתִּים *comminue id in frusta*, vertit בְּצַע יָתָהּ בְּצוּעִין. Ceterum וּבְצַעֵם rectius Imperativus accipitur (etsi ob gutturalem ע turbata sit punctorum vocalium ratio, ut sit cum gemino Patach et vox penacuta, quum per Kamez et Zere esset scribendum וּבְצָעֵם, et acuta esse deberet), quam cum Kimchio Praeteritum, per Vav in Futurum conversum, ut vertendum sit: *et concidet eos* Deus videlicet, quomodo erit personarum enallage, quum mox ipse de se dicat אַהֲרֹג *occidam*. Salomo Ben Melech in Commentario in V. T., quem מִכְלַל יוֹפִי *pulchritudo perfecta* (Ps. 50, 2.) inscripsit, de nostra voce sic disserit: „Sensus est: Deus *concidet eos*, qui sunt in capite omnium; ii vero sunt vel sacerdotes, vel majores; addit enim: *et posteritatem eorum gladio occidam*, qua *(posteritate)* filios indicat. Quod vero in persona tertia dicit *concidet eos*, et statim ad primam transit, id saepius in codice sacro reperitur.“ Sunt, qui וּבְצַעֵם in tertia persona vertant: *et sauciabit eos* scil. saucians, i. e. sauciabuntur omnes, ex noto illo Hebraismo, quo verbum tertiae personae impersonaliter, vel passive sumitur. בְּרֹאשׁ vero, *in capite*, iidem interpretantur graviter, letaliter, ut Ps. 68, 22.: *Deus conquassabit capita inimicorum suorum.* וְאַחֲרִיתָם *Postrema autem*, seu reliquos *eorum*, i. e. populum praeter occisos sacerdotes superstitem, ut supra 4, 2. Ezech. 23, 15. בַּחֶרֶב אֲהָרֹג *Gladio interficiam*, enallage sive anomalia personae. Ante enim ministrum alloquutus est, hic de se ipso auctore in prima loquitur. לֹא־נָוּס לָהֶם נָס *Non effugiet* de *illis effugiens*, i. e. nemo, quantumvis fuga connitatur vitae suae consulere, aufugere poterit; quod supra 2, 14. sic expressit: *peribit fuga a veloci.* וְלֹא־יִמָּלֵט לָהֶם פָּלִיט *Nec evadet illis evadens*, i. e. nec quisquam evadere poterit, etsi se jam tutum putet, et extra hostium manus. Qui e proelio evaserit, aut in fuga peribit, aut ab hostibus trucidabitur.

2. Enumeratione locorum, ad quae fugi potest, declarat quod dixerat, neminem supplicium divinitus immittendum evasurum. אִם־יַחְתְּרוּ בִשְׁאוֹל *Si foderint in infernum*, si fodiendo ad infernum usque penetraverint, hoc est, subterranea et abstrusissima sibi loca et scrobes effoderint, vel usque ad centrum terrae, ubi delitescant, ut hostem evadant. שְׁאוֹל nomen late patens in universum *τὰ κατώτερα μέρα τῆς γῆς* (Ephes. 4, 9.), et hinc *orcum*, *sepulchrum* denotat, vid. Jes. 9, 18. 14, 9. 15, 24. Job. 11, 8. מִשָּׁם יָדִי תִּקָּחֵם *Inde capiet*, rapiet, auferet *eos manus mea.* אִם־יַעֲלוּ הַשָּׁמַיִם מִשָּׁם אוֹרִידֵם *Quod si adscenderint ad coelum*, i. e. loca editissima ad coelum usque, *inde eos descendere faciam*, detraham, ut hosti praedae fiant. Nullam quantumvis magnam dissitarum regionum distantiam homines

a potentia Dei protegere posse, simili modo declarat poeta Ps. 139, 8.: *Sive coelum scandam, ibi tu es; sive in orco cubem, tu ades.*

3. וְאִם־יֵחָבְאוּ בְּרֹאשׁ הַכַּרְמֶל *Et si absconderint se in vertice Carmeli*, ubi sylvae et speluncae ad latendum aptae. מִשָּׁם אֲחַפֵּשׂ וּלְקַחְתִּים *Inde scrutabor*, pervestigabo, *et capiam eos*, perquirendo eos inde educam, rapiam ad supplicium. וְאִם־יִסָּתְרוּ מִנֶּגֶד עֵינַי בְּקַרְקַע הַיָּם *Et si abdiderint*, subduxerint *sese e conspectu oculorum meorum*, ut meum conspectum, i. e. judicium evitent, *in solo*, fundo *maris*. מִשָּׁם אֲצַוֶּה אֶת־הַנָּחָשׁ וְנִשָּׁכָם *Inde mandabo serpenti, ut eos mordeat. Serpente* hoc loco, ubi de mari sermo, draconem marinum, seu quodvis monstrum aquatile intelligi patet. Alii significari putant *hydrum*, quod genus anguium est in aqua vivens, nullis serpentum veneno inferius, ut ait Plinius *Hist. Nat.* L. XIX. c. 4. Chaldaeus: *injungam populis fortibus instar serpentum, ut eos interficiant.* Quoquo se receperint, ubi se tutos putarint, Deus praesentem illis intentabit mortem et exitium.

4. Hieronymus putat, quae hoc Versu dicuntur, subjungi ad declaranda ea quae aenigmatice dicta fuerint superioribus versiculis, quasi iis exsilii miserias descripserit. Est autem proprie alia effugiendi ratio, quam illis praecludit, quod וְאִם־יֵלְכוּ בַּשִּׁבְיִ לִפְנֵי אוֹיְבֵיהֶם *etsi in captivitatem abierint ante hostes suos*, ducentibus eos hostibus, ea enim victorum consuetudo erat, ante se captivos propellere, unde Thren. 1, 5. עוֹלָלֶיהָ הָלְכוּ שְׁבִי לִפְנֵי צָר *parvuli ejus captivi abierunt ante hostem.* Quum igitur illi hostibus sese dederint, et in hostilem regionem abierint, vitae suae hac ratione consulere sperantes, ne ibi quidem tuti futuri sint, מִשָּׁם אֲצַוֶּה אֶת־הַחֶרֶב וְהָרְגָתַם sed *inde mandabo gladio* hostili videlicet, *ut occidat eos*, i. e. ibi jussu meo ab hostibus occidentur. וְשַׂמְתִּי עֵינִי עֲלֵיהֶם לְרָעָה וְלֹא לְטוֹבָה *Et ponam oculum meum super eos in malum et non in bonum*, i. e. efficiam, ut ipsis omnia in eorum perniciem redundent. Ita Jer. 21, 10.: שַׂמְתִּי פָנַי בָּעִיר הַזֹּאת לְרָעָה וְלֹא לְטוֹבָה *posui faciem meam in hanc urbem ad malum, et non ad bonum. Ponere vultum* seu *oculum* in rem aut personam aliquam significat certum propositum animi, quod sicut homo vultum oculosve eo vertit, quo vult ire, aut aliquid agere, sic animus ejusdem ad suum opus vertitur aut intentus est. Sic 2 Reg. 12, 18.: וַיָּשֶׂם חֲזָאֵל פָּנָיו לַעֲלוֹת עַל־יְרוּשָׁלָם *posuit Hasael faciem suam*, i. e. constituit apud se, *ascendere contra Hierosolymam.* Quia igitur phrasis *ponere* s. dirigere *vultum* in aliquem, mediae significationis est, hinc ubi significatur constituisse aliquem apud se, alteri malum inferre, dicitur: *vultum in aliquem convertere ad malum ei* inferendum. Vid. et Jer. 44, 11.

5. Excurrit Versu hoc et proximo ad describendam Dei potentiam et magnitudinem, ut supra 4, 13. Neque id et hoc

et superiore loco abs re faeit; quia tam gravia Israelitis comminatus fucrat, nusquam gentium aut locorum tutos illos fore, et a supplicio divinitus inferendo immunes, jam Dei ostendit omnipotentiam, quem nihil mirum sit hoc effecturum, quum longe majora et efficiat, et in hac rerum et orbis machina, quam condidit, efficere possit, si velit. וַאדֹנָי יְהוִה הַצְּבָאוֹת Est vero, qui ista minatur, *Dominus Deus*, *deus exercituum*, agminum coelestium et terrestrium. Quia nomen יהוה praecedente אֲדֹנָי per אֱלֹהִים secundum puncta vocalia legitur, repetendum est idem nomen in regimine, אֱלֹהֵי הַצְּבָאוֹת *Deus exercituum*. Nam in יְהוִה est accentus regius, sive distinctivus, *Geresch.* הַנּוֹגֵעַ בָּאָרֶץ וַתָּמוֹג *Qui tangit terram et colliquescit*, i. e. qui si terram vel tetigerit, illa protinus, alioquin solidissima, remollescat et resolvctur cerae more igni admotae. Cf. Ps. 144, 5. גַּע בֶּהָרִים וְיֶעֱשָׁנוּ *tange montes et in fumum abibunt.* Nah. 1, 5. *Montes ab eo contremiscunt*, וְהַגְּבָעוֹת תִּתְמוֹגַגְנוּ *et colles dissolvuntur.* Vid. et Ps. 46, 7. 97, 5. Tanti igitur Dei iram quomodo vos sustinebitis, quum ad ipsius taetum tota coneutiatur natura, et instar cerae colliquescat? וְאָבַל כָּל־יוֹשְׁבֵי בָהּ *Et lugent*, affliguntur, *omnes habitantes in ea.* Cf. supra 8, 8., quo loco et reliqua quae sequuntur Versus nostri verba, וְעָלְתָה כַיְאֹר כֻּלָּהּ וגו׳ leguntur, quorum explicationem ibi vide. Ait igitur, si vel contactu solo Deus ita potest terram immutare, ut aquarum voragine perfusa tota subsideat ae veluti demergatur Nilo, restagnante in solstitio aestivo, si, inquam, hoc de tota terra potest facere, quanto magis in homine imbecilli et fragili? Et qui haec omnia in usum et commodum hominum creavit et aptavit, potest et in hominis pernieiem convertere, imo omnia, si velit, subruere. Sed ut magis ae magis ejus elucescat potentia et sapientia, addit scquenti Versu etiam de coelo, in quo numinis maxime conspicitur majestas.

6. הַבּוֹנֶה בַשָּׁמַיִם מַעֲלוֹתָיו *Ille*, inquam, *qui aedificavit in coelis gradus*, ascensus *suos* pro solio suo regali, de quibus מַעֲלוֹת 1 Reg. 10, 20, 2 Paral. 9, 18. dicitur. Hebraei orbes coelestes intelligunt, qui sint veluti gradus unus super alterum. Alii מַעֲלוֹת h. l. idem notare existimant, quod עֲלִיּוֹת, videlicet *coenacula* (ab עֲלָה nomen adepta, quod in superiore aedium parte essent, ad quae scalis vel cochleis ascendebatur, vid. not. ad loca laudata) Quam sententiam commendant coll. Jer. 22, 14. *vae illi*, *qui dicit: exstruam mihi domum amplam*, וַעֲלִיּוֹת *et coenacula spatiosa.* Et Ps. 104, 3., ubi Deus *in aquis* superioribus, i. e. nubibus, *contignare coenacula sua* (עֲלִיּוֹתָיו) eodem sensu dicitur, quo hic ea *in coelis exstruere.* Malumus מעלות usitata *graduum* significatione retinere, quae imaginem infert dignam et elegantem, qua coeli sistuntur gradus, quibus ad summi regis solium aseenditur. In verbis וַאֲגֻדָּתוֹ עַל־אֶרֶץ יְסָדָהּ interpretandis interpretes dissentiunt ob nomen אֲגֻדָּתוֹ, quod ab אָגַד,

Talmudicis *ligandi* significatu usitato, alias vel *vincula*, ut Jes. 58, 6., vel *fasces*, *manipula*, Exod. 12, 22, vel *hominum* foedere inter se conjunctorum *turmam* denotat. Hinc alii h. l. אֲגֻדָּה *rerum creatarum collectionem* et multitudinem, alii *mare*, aquarum congregationem, alii *tria elementa*, ignem, aërem et aquam, quae velut in unum fasciculum super terram, quae omnium velut fundamentum sit, colligata sint, exponunt. Verisimilius alii *turmam suam* interpretantur, quomodo accipitur Hebraea vox 2 Sam. 2, 25. *Benjaminitae se congregantes post Abnerum fuerunt* לַאֲגֻדָּה אֶחָת *in manipulum unum*, i. e. confertam turbam, in unam militum collectam turmam, et quasi conglobatam multitudinem. Hic vero possit rerum creatarum multitudinem designare, quae ad eundem modum *exercitus* appellantur Gen. 2, 1. *perfecti sunt coeli et terra, omnisque eorum exercitus.* Perstabit ita Noster in coepta a regibus desumta metaphora, quorum solium milites et ministri circumdare solent. Cf. Ps 103, 21. Quo minus tamen huic interpretationi acquiescamus facit additum: *quam super terram fundavit.* Rectum vidisse J. D. MICHAELEM arbitror, qui in *Supplemm.* p. 15. אֲגֻדָּה nostro loco idem esse ait, quod Arabicum أُجَاجٌ *fornix*, ut Galli dicunt, *la voute des cieux.* „*Fornicem coeli in terra fundavit* Deus, poetica phrasis; coelum fornicatum, ejusque fornicis ima videntur terrae incumbere, horizonte sustentata. Etymon si cupias, sumo cum aliis lexicographis אָגַד esse, *colligare*, *coagmentare*, hoc autem transfertur ad aedificium firmiter constructum.“ Reliqua hujus Vs. repetita sunt ex 5, 8.

7. Supra Vs. 1. sqq. Israelitis gravissima interminatus est, quia contumaciter peccare pergerent, nec ad Jovam redirent. Quoniam vero illi supra modum sibi placebant, et confidentia ac securitate magna praediti, jactabant se esse populum Jovae carum, in quo suam gloriam et majestatem collocasset, quem prae ceteris nationibus eximiis donis ornasset, quos ex Aegypto eduxisset, non certe frustra introductos in terram Cananaeorum inde pulsorum, ut in eorum locum substituerentur, itaque numquam Deum pulsurum suos e terra, quam eis dedisset, propterea nunc Jova eorum vult superbiam retundere. הֲלוֹא כִבְנֵי כֻשִׁיִּים אַתֶּם לָי בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *Annon tanquam filii Aethiopum*, i. e. Aethiopes *estis mihi, Israelitae?* Ne existimetis, vos apud me esse in aliquo pretio; non pluris sane vos facio, quam Aethiopas, homines barbaros et feros. De כּוּשׁ vid. ad Gen. 10, 6. Eundem sensum spectant, quae sequuntur, quasi dicat: fiditis veteribus beneficiis a me in vos collatis, sed non est, quod eo nomine vos plus aequo efferatis. הֲלוֹא מִצְרַיִם — *Nonne Israelitas eduxi e terra Aegypti?* i. e. verum quidem est, me eduxisse vos ex Aegypto, sed non propterea mihi cariores estis, nam idem feci aliis quoque gen-

tibus, quas transposui in alias regiones; וּפְלִשְׁתִּים מִכַּפְתּוֹר וַאֲרָם מִקִּיר nonne enim *et Philistaeos e Caphtor, et Aramaeos a Cyro ascendere feci?* Philistaeos eductos e Caphtor legimus quoque Jerem. 47, 4., ubi vocantur שְׁאֵרִית אִי כַּפְתּוֹר *reliquiae insulae* s. orae *Caphtor.* Et Deut. 2, 23. Caphtoraei e Caphtor egressi dicuntur e suis sedibus ejecisse Avaeos, qui oram maritimam Palaestinae ante Philistaeos incolebant. De כַּפְתּוֹר vero, de qua non satis certum est, num sit Cappadocia, quae unanimis Veterum est sententia, vel Cyprus insula, vel denique Creta, vid. ad Gen. 10, 14. et Ezech. 25, 16. קִיר, unde Aramaei s. Syri hoc loco educti dicuntur, videtur regio esse ad Cyrum fluvium, Araxi mixtum, inque mare Caspium illabentem, id vero est Iberia, quae in hunc usque diem nomen suum Kur, Küra, Kür, retinet. Vid. *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 103. Alii mediterraneam Mediae regionem, ad Mardum fluvium, Ptolemaeo (L. VI. p. 148.) *Κυρήνα*, interpretibus *Carna* dictam, intelligunt. Eam Hiskiae aevo Assyriis paruisse, inde patet, quod eo deducunt victos Damascenos 2 Reg. 16, 9. populusque קִיר in exercitu Assyriorum est, Jes. 22, 2.

8. הִנֵּה *Ecce* igitur, quia tam pertinaces atque ingrati erga me fuistis, הַחַטָּאָה — עֵינֵי *oculi Domini Dei*, i. e. mei, nam de se ipso in tertia persona loquitur, sunt, conjiciuntur, intenti sunt *in regnum peccans*, i. e. graviter animadvertam (cf. supra Vs. 4. et Ps. 34, 17. *oculi Domini in maleficos* intenti sunt) in regnum sceleratum, i. e. regnum Ephraimiticum, sive decem tribuum. Neque enim intelligendum esse de quocunque regno improbo, sed de certo ac singulari aliquo regno, videlicet populi sui (cf. Vs. 10.), docet ה demonstrativum, substantivo aeque ac adjectivo praemissum. הָאֲדָמָה — וְהִשְׁמַדְתִּי *Delebo illud* regnum *a superficie terrae*, ex orbe terrarum. Id quod et Hoseas minatus est 1, 4. *abolebo regnum domus Israelis.* אֶפֶס כִּי *defectus quod*, i. e. excepto quod, verumtamen (Num. 13, 28 Deut. 15, 4.). יַעֲקֹב — לֹא *Non delendo delebo*, non penitus delebo, non plane perdam, *domum Jacob*, genus Israeliticum; peribit regnum Israeliticum, non tamen omnes Israelitae peribunt, sed aliquot reliquiae servabuntur, ne cum ceteris pereant: at alias nationes improbas prorsus delebo. Cf. Jerem. 30, 11. Noster se ipsum declarat Versu proximo.

9. כִּי־הִנֵּה — יִשְׂרָאֵל *Ecce enim ego jubeo*, jubebo ministris meis, *et agitabo*, i. e. agitandam curabo (cf. not. ad 6, 11.), *per omnes gentes domum Israel*, i. e. dispergam, dissipabo, vagos et palabundos reddam Israelitas per cunctas nationes. כַּאֲשֶׁר יִנּוֹעַ בַּכְּבָרָה *quemadmodum agitatur* quid, sive: tritieum *in cribro* huc illue, וְלֹא־יִפּוֹל צְרוֹר אָרְצָה *nec cadit*, cadere solet, *lapillus in terram*, dum vanno sive cribro purgatur et ventilatur frumentum, pulvis et aceres tritici e vanno decidunt, grana autem,

et quae graviora sunt, ut si sint aliqui scrupuli seu lapilli, in cribro remanent, nec in terram decidunt. Sic Deo, velut utraque manu cribrum tenente terrae margines et omnes regiones, agitabuntur hoc illuc Israelitae, ubi improbi et scelerati perituri, boni servandi, illi pulveri, aceribus et paleis similes, quae a cribro ejiciuntur, hi vero granis et lapillis, qui relinquuntur. Quod Noster per imaginem, id Ezechiel 20, 38. propriis verbis exprimit: *Separabo a vobis rebelles et contumaces in me, e terra peregrinationis suae educam eos, nec in Israelitarum terram pervenient.* Similis promissio de exigua Israelitarum parte servanda, quae sit novae meliorisque progeniei sementis, exstat Jes. 6, 13.: *Quum fuerit adhuc in ea* (terra Judaica) *denarius numerus, iterum depopulabitur, ut quercus aut robur, quae depositis foliis superstitem habent stirpem, sic istius terrae stirps residua erit semen sanctum.* צְרוֹר nonnulli interpretantur *granum*, quod gravius sit, et velut *lapillus*, si cum aceribus et pulvere paleisque e cribro decidentibus conferatur. Sed retineri potest usitata *lapilli* significatio, ut hoc dicat: una cum granis in cribro etiam lapilli remanebunt, quales interdum in tritico, dum cribro purgatur, reperiuntur, ne uno quidem ex eis decidente inter acres et quisquilias.

10. *Gladio vero morientur*, peribunt, *omnes peccatores*, improbi, scelerati *populi mei*, quicunque improbi sunt in populo meo, *qui dicunt: non appropinquabit, nec antevertet post nos malum*, ut prophetae comminantur. Securi sunt, secure pergunt peccare, prophetarum minas contemnentes, quasi in suum populum non sit saeviturus Jova. בַּעֲדֵינוּ vertendum *post nos*, ut sensus sit: non insectabitur nos, terrisque nostris adhaerebit malum, nos occupaturum.

11. Post varias comminationes hic tandem, uti mos est prophetis, consolationes et promissiones magnificas subjungit. בַּיּוֹם הַהוּא *Eo die*, eo tempore, postquam illos varie agitavero, improbosque de hoc populo sustulero; *μετὰ ταῦτα* recte vertit Jacobus Actor. 15, 16., ubi nostrum locum adducit. אָקִים אֶת־ סֻכַּת דָּוִיד הַנֹּפֶלֶת *Erigam*, suscitabo e lapsu et ruina, *tugurium Davidis collapsum*, i. e., ut recte Chaldaeus explicavit, *erigam regnum domus David, quod collapsum est. Tabernaculum*, seu *umbraculum* vocat, quod ampla illa Davidis regia, jam calamitatum injuria et desolationum videretur in tuguriolum redactum. סֻכָּה *tabernaculum* notat, sed fere vilissimi generis. Proprie tugurium est, quod ex frondibus arborum aut arundinibus contextum est, qualia pauperibus, rusticis et pastoribus in usu erant, vid. Gen. 33, 17. Job. 38, 40. Illud igitur Davidis tugurium הַנֹּפֶלֶת *collapsum* dicit, etsi nondum corruisset, quia jam animo praevidebat ejus ruinam in utroque populo. *Collapsum* vocem Hebraeam vertimus, non *collabescens*, quia Participium Benoni

He demonstrativo praeposito Praeteriti notionem habere solet. Ita supra Vs. 6. הַבּוֹנֶה *qui aedificavit;* Jer. 22, 11. הַמּוֹלֵךְ *qui regnabat;* Jos. 5, 5. הַיּוֹצְאִים *qui exierunt;* Esr. 6, 21. הַשָּׁבִים *qui reverterant.* Pergit in promissione de regno Davidico instaurando, figuris desumtis ab aedificiorum refectione. וְגִדַּרְתִּי אֶת־פִּרְצֵיהֶן *obsepiamque macerie rupturas eorum.* Suffixum plurale femininum referendum est vel ad duo regna (מַמְלָכוֹת), Judaicum et Israelitieum; vel ad סֻכַּת דָּוִיד, collectivc sumendum, complectens universas regni partes vel urbes. Cujusmodi syntaxis est Jerem. 51, 43.: אֶרֶץ לֹא־יֵשֵׁב בָּהֵן כָּל־אִישׁ *terra in quibus*, i. e. terra, in cujus urbibus *non habitabit ullus vir.* וַהֲרִסֹתָיו אָקִים *Et destructa ejus erigam.* Suffixum in הֲרִסֹתָיו spectat vel ad Davidem, vel, per generis enallagen, ad tugurium Davidis. וּבְנִיתִיהָ *Et aedificabo*, restaurabo *illud*, Davidis tugurium. Idem et Jeremias promittit 31, 4. (coll. 33, 7.) *adhuc aedificabo te, et aedificata eris, virgo Israel!* כִּימֵי עוֹלָם *Sicut diebus seculi*, i. e. sicut priscis temporibus, Davidis et Salomonis, quibus regnantibus florentissimus rerum Israeliticarum erat status, ad quem nullo postea tempore iterum pervenit, vid. 2 Sam. C. 8. et 1 Reg. 4, 20. 5, 1 — 4. De עוֹלָם *priscum tempus* denotante vid. not. ad Ps. 139, 24. Eodem sensu יְמֵי עוֹלָם de antiquissimo tempore dicitur Mich. 7, 14. Jes. 63, 9.

12. אֱדוֹם — לְמַעַן *Ut in hereditatem accipiant reliquias Idumaeorum*, quae e communi ruina, qua extrema aetate omnes involventur gentes, relictae erunt. *Idumaeorum* inter alias gentes nominatim meminit, quod quum cognati Judaeorum essent, illis tamen infensissimi et maxime adversarii. Eos in Judaeorum ditionem redigendos quondam esse, pollicetur quoque Obadias Vs. 19. A nostro textu Hebraeo plane recedunt LXX, qui haec habent: *Ὅπως ἂν ἐκζητήσωσιν οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων με*, sive *τὸν Κύριον*, ut in codice Alexandrino legitur, et Actor. 15, 17. Pro יירשו Graecus interpres יררשו, pro את, אותי, pro אדום legit אדם. — וְכָל־הַגּוֹיִם אֲשֶׁר־נִקְרָא שְׁמִי עֲלֵיהֶם *Et gentes omnes* scil. possidebunt *super quos vocatur nomen meum*, i. e. qui de meo cognominabuntur nomine, mei dicuntur, meus populus (cf. Exod. 3, 18. Jes. 63, 19. Jerem. 14, 9.), possidebunt reliquias Idumaeorum omnesque ceteras gentes, quae et ipsae eundem, quem Judaei, Jovam, Deum, agnoscent et colent. Alii (ut LXX) אשר ad הגוים referunt, hoc sensu: *ut possideant reliquias Idumaeorum* Israelitae *et omnes populi*, qui de nomine Jovae appellabantur, i. e. quos Deus decrevit suo nomine vocandos, quos etiam in suum populum est allecturus et accensurus. Sed prior expositio magis consona videtur, ex qua propheta promittit, Israelitas, Jovanum populum, possessuros et recuperaturos, quae amiserant, et quae quondam Davidis fuerant. נְאֻם־יְהוָה עֹשֵׂה זֹאת *Effatum Jovae hoc facturi,* qui quod promittit opere praestabit, ut Jerem. 33, 2.

13. Praedicta regni Davidici collapsi instauratione promittit summam rerum omnium ubertatem et copiam in eo futuram, ut Ezech. 34, 25. sqq. 36, 10. sqq. הִנֵּה יָמִים בָּאִים *Ecce dies venient*, affutura sunt tempora, haud dubie eadem cum superioribus, quibus reparandum dixerat regnum Davidicum. וְנִגַּשׁ חוֹרֵשׁ בַּקֹּצֵר *Et admovebit se*, quibus (diebus) appropinquabit, occurret *arator messori*, i. e. tanta frugum demetendarum copia erit, ut messis pertingat ad tempus usque rursum proscindendae terrae, et vix liceat illis ante arandi tempus messem absolvere; vix messem absolverint, quam arandi erunt agri et parandi, ut rursum sementis in terram jaciatur. Graecus Alexandrinus *καὶ καταλήψεται ὁ ἀμητὸς τὸν τρυγητὸν* reddidit, quasi legisset וְנִגַּשׁ קָצִיר בַּבָּצִיר *apprehendetque messis vindemiam.* Sed pro *ἀμητὸς*, ut in codice Romano est, in Alexandrino legitur *ἅλοητὸς*, *tritura.* Syrus quoque: *et assequetur area*, i. e. tritura, *vindemiam.* Conformarunt hunc locum ad illum Lev. 26, 5. *attingetque vobis tritura vindemiam.* Verum etsi minime negandum sit, vatis menti illam promissionem obversatam esse, non tamen est, cur statuamus, cum illam totidem verbis repetere oportuisse. Variavit potius illam et exornavit, ut poetam decet. וְדֹרֵךְ עֲנָבִים בְּמֹשֵׁךְ הַזָּרַע *et calcator uvarum* occurret *trahenti semen*, satori, qui semen e linteo extrahit tractimque in terram spargit (cf. ad Ps. 126, 6.), i. e. tanta uvarum futura est copia, ut vindemia sit duratura ad sementem usque, et vix satis sit temporis ab initio vindemiae ad solitum sementis tempus colligendis uvis et vino faciendo. Fit autem vindemia in illis regionibus mense Augusto, aut sub initio Septembris. Exornavit vates quod Levit. 26, 5. hisce verbis exprimitur: *et vindemia sementem consequetur.* וְהִטִּיפוּ הֶהָרִים עָסִיס *Et stillabunt montes mustum*, musto affluent, ut velut ex iis mustum stillet. Eadem verba leguntur Joel 4, 18. De עָסִיס vid. ad Joel. 1, 5. Significatur viniferorum montium summa fertilitas, ut alias per *terram fluentem melle et lacte* pecoris et apum copia omniumque rerum ubertas (Exod. 3, 8.). וְכָל־הַגְּבָעוֹת תִּתְמוֹגַגְנָה *et omnes colles liquefient*, resolventur, in humorem abibunt; vel, ante asperiores et steriles jam remollescent, unde culti reddentur. Nam quo mollior et humidior est terra, eo facilior est aratu et feracior. Alii verba nostra paulo aliter intelligunt: *liquescent copia* lactis et musti, velut in lac et mustum resolventur, coll. Joel 4, 18.

14. וְשַׁבְתִּי — יִשְׂרָאֵל *Reducam captivitatem*, captivos, *populi mei Israel.* Idem promittit Jeremias 30, 3. 10. 18. Observa paronomasiam in שַׁבְתִּי et שְׁבוּת, quam alia lingua assequi non potest. וּבָנוּ עָרִים נְשַׁמּוֹת *et aedificabunt urbes vastatas* (ut Jes. 54, 3.). וְיָשְׁבוּ *et habitabunt* scil. בָּם *in eis*, urbibus instauratis. וְנָטְעוּ כְרָמִים *plantabuntque vineas* (coll. Ezech. 28, 25. 26.). וְשָׁתוּ וגו׳ *Earumque vinum bibent, hortosque facient*, ex-

colent, *ac eorum fructum comedent*, non erit eorum irritus labor, ut minatus erat supra 5, 11. Eadem, quae hic Noster, pollicetur Jesajas 65, 21. 22.: *Quas domos aedificaverint, eas incolent, et quas conseverint vineas, earum fructu vescentur. Non aedificabunt, quod habitent alii; non serent, quod comedant alii.*

15. וְנָטַעְתִּים עַל־אַדְמָתָם *Et plantabo eos super terram suam*, arborum more, quae altius in terra radices egerunt, i. e. firmas eis et stabiles in terra eorum sedes dabo. וְלֹא — לָהֶם *Neque evellentur ultra e terra sua, quam dedi eis*, i. e. quam jam olim dederam, tunc autem eis restituero. Cf. Jerem. 24, 6. *In eos oculum conjiciam boni causa, et eos in terram istam reducam, instruamque, non evertam,* וְנָטַעְתִּים וְלֹא אֶתֹּושׁ *et plantabo, non eruam.* אָמַר יְהוָה אֱלֹהֶיךָ *Dicit* haec *Jova, Deus tuus*, o Israel, qui quae promittit praestare potest, nec fallere unquam solet.

IN OBADIAM PROOEMIUM.

Obadias propheta quis fuerit, quo loco natus, quibus parentibus editus, quoniam vitae genere, qua conditione usus fuerit, quum haud quidquam de eo literis proditum sit, nos penitus latet. Haud quidem desunt in antiquioribus de Judaica historia commentariis, qui hoc ipso Obadiae nomine insigniuntur, viri nonnulli memorabiles, velut 1 Reg. 18, 3. Obadias, qui apud Achabum, regem Israeliticum, primario quodam munere aulico fungens, centum Jehovae ministros furori reginae, et quinquagenos in speluncis abditos sustentavit; 2 Chron. 17, 7. Obadias, unus e viris primariis, quos populum in vera religione instituere jussit rex Judaeorum Josaphatus; et 2 Chron. 34, 12. Obadias, qui anno Josiae regis decimo octavo praefectus erat operariis, aedem Jehovae negligentius antea habitum reficientibus. Sed hoc *Obadiae* nomen, quod *Jehovae cultorem* significat, quum sit ejusmodi, ut non potuerit non frequentissimi usus esse apud Judaeos, quemadmodum Arabibus similis appellatio *Abd-ollah* perquam familiaris ac trita est; quis, quaeso, nisi mirifice credulus, ex solius nominis convenientia putet probabiliter se efficere posse hoc, Nostrum non alium, nisi quempiam ex eorum, quos diximus, numero esse debere? Ceterum carmen ita est comparatum, ut non possit alio, quam proximo post eversionem urbis templique tempore editum esse, uti mox videbimus. Satius igitur est ignorare, quae nunc nullo modo unquam comperiri possunt, quam vagis atque incertis rumoribus quidquam tribuere: nec videtur ignoratio eorum, quae ad vitam auctoris pertinent, ipsius carminis intelligentiam magnopere impedire.

Argumentum vaticinii Obadiani est hoc: oratione ad Edomitas conversa vates genti superbiam nimiamque in montanis arcibus, quas incxpugnabiles putet, confidentiam acriter exprobrans, diram terrae eversionem vastitatemque indicit, a Jova decretam proptcrea, quod Israelitico populo, sanguinis etiam vinculo secum conjunctissimo, quum barbaris copiis oppressus miscre haberetur, atrociter insultasset, multiplicesque injurias intulisset: itaque et ipsi nunc tempus excidii eventurum, Judaicum contra populum ad pristinam dignitatem rediturum, quin cum potentiae et gloriae gradum consequuturum esse, ut cum alias gentes complures, sibi antea infensas, tum maxime Edomiticam, imperio suo subjiciat, Jova civitatem suam moderante, modisque omnibus exornante.

Obadiam suum oraculum edidisse post eversam a Babyloniis urbem Hierosolymitanam, clarissime apparet e Versu 11., ubi Idumaeis exprobrat, eos tum quum a barbaris diriperetur Hierosolyma, etiam in societatem sceleris pervenisse. Quam Idumaeorum erga Judaeos a Babyloniis devictos immanitatem commemorant et Jeremias 4, 21. 22., Ezechiel cap. 34. et poeta quidam anonymus Ps. 137, 7.

Cum Versibus quatuor prioribus carminis prophetici Obadiani concinit particula vaticinii in Edomitas, quod inter Jeremiae oracula exstat 49, 14. sqq., ita fere ut Mich. 4, 1. sqq. cum Jes. 2, 2. sqq., Jerem. cap. 18. cum Jes. cap. 15. 16. Quaeritur, horum prophetarum, Jeremias et Obadias, uter alterum propositum sibi habuerit, atque imitatione expresserit? Sunt quidem haud pauci, qui Obadiae oraculum repetitionem et amplificationem existiment vaticinii Jeremiani contra Idumaeos, quod Obadias carmen suum ediderit demum post deductos in Babyloniam Judaeos, quo tempore in Aegypto versatus sit Jeremias. Sed SCHNURRERUS (*Dissertatt.* p. 427.) argumentis idoneis evicit, Obadiae orationem eam esse, quae mutuo sumta, et membratim in alteram, quae apud Jeremiam legitur, translata fuerit. „Primo enim, quibus sermonem exorditur Obadias verba, שְׁמוּעָה שָׁמַעְנוּ

מֵאֵת יְהוָה וְצִיר בַּגּוֹיִם שֻׁלָּח apud Jeremiam, ubi medio sermoni interposita sunt, minus concinnam ad sermonem reliquum rationem, vim atque dignitatem haud paulo minorem habent. Secundo, quod שָׁמַעְנוּ mutatum est a Jeremia in שָׁמַעְתִּי, temperationis ac velut emendationis speciem habet haud obscuram. Porro, qua Obadias utitur formula Vs. 4., אִם־תַּגְבִּיהַ כַּנֶּשֶׁר וְאִם־בֵּין כּוֹכָבִים שִׂים קִנֶּךָ, sublimior est audaciorque, altera Jeremiae Vs. 16., כִּי־תַגְבִּיהַ כַּנֶּשֶׁר קִנֶּךָ et brevior et moderatior. Denique si rem universe spectaveris, utraque oratio quidem laudem habet atque commendationem sibi peculiarem; Obadiae tamen in summa elatione castigatior videtur atque rotundior."

Quum Obadias post eversam demum Urbem vaticinatus fuerit, mirum videri possit, prophetam aetate posteriorem antecedere alios ipso haud dubie posteriores, ut Jonam et Micham. Sed rationem, cur Obadiae in duodecim prophetarum serie assignatus fuerit is ipse locus, quem nunc occupat, haud dubitamus perspectam fuisse SCHNURRERO (p. 432.). Nimirum quod Amosus extrema sua oratione et ipse Idumaeos a Judaeis olim subigendos esse praedicit, sed nonnisi breviter ac summatim; visum est illi, qui minores prophetas uno volumine comprehendit digessitque, Amoso proxime subjungere Obadiam, qui quod breviter ab illo dictum esset, declararet copiosius, et legentibus praeberet quasi usum commentarii.

OBADIAS.

1. חֲזוֹן עֹבַדְיָה *Visio*, i. e. vaticinium *Obadiae.* Carminis hujus prophetici inscriptio. De חָזוֹן vid. ad Jes. 1, 1. כֹּה־אָמַר אֲדֹנָי יְהוִה *Sic dicit Dominus Deus.* Initium prophetis usitatum, se, quae dicunt, non comminisci, sed a Deo accepisse, ut ita auctoritatem et fidem suis verbis conciliet. יהוה hic אֱלֹהִים legendum est, cujus nominis puncta vocalia illi subjecta sunt. לֶאֱדוֹם *Edomo*, sive: *ad* Edomum (i. e. Idumaeos), ut ad sequentia et totam prophetiam referatur, ubi secunda persona compellatur Edom; vid. Vs. 2. 3. De acerbo, quo Idumaei et Judaei se invicem insectabantur, odio vid. ad Amos 1, 11. שְׁמוּעָה שָׁמַעְנוּ מֵאֵת יְהוָה *Nuntium audivimus a Jova*, adeoque non vanus rumor est, quem audivimus, sed verissimus nuntius, utpote ab ipso Jova profectus. Ita et Jes. 21, 10. Quod in prima pluralis persona dicitur שָׁמַעְנוּ, non spectat ad alios prophetas, sed ad populares Obadiae universe, qui etiamsi effatum Dei non eodem, quo ipse, modo audivissent, audivisse tamen et ipsi dici poterant, quatenus ad eos non minus pertinebat, quam ad prophetam. Ceterum haec verba, שמועה שמענו מאת יהוה, id habent difficultatis, quod ad Jovae, qui verba facere dicitur, sermonem pertinere nullo modo possunt. Quae difficultas tamen ita tolli potest, ut dicamus, prophetam ob vehementiorem mentis conceitationem vel sui non bene memorem, vel summae concinnitatis negligentiorem, commiscuisse diversas loquendi formas, et, cum dicendum erat: שָׁמַע אֶת־דְּבַר יְהוָה, vel simile quidquam, eodem quidem sensu, sed diverso schemate, dixisse: *accepimus nos ex Jehova.* וְצִיר בַּגּוֹיִם שֻׁלָּח *Nimirum legatus inter gentes missus est.* ו ante צִיר explanandi vim habet, reddendum *nempe, nimirum*, innuitque commemorari nunc edicti illius divini partem aliquam praecipuam. Nomen צִיר LXX h. l. *περιοχὴν* verterunt, quod Hieronymus *munitionem* reddit: sed magis ad mentem interpretis Graeci in versione Syro-Hexaplari *angustia* redditur. Habuit enim Graecus Alexandrinus interpres nostrum צִיר pro singulari nominis צִירִים *tormina.* Jes. 13, 8. 21, 3. Dan. 10, 10. 1 Sam. 4, 19., quasi nostri loci sensus sit, misisse Jovam inter gentes tormina, dolores, anxietatem. Recte ille interpres Jer. 44, 14. *ἀγγέλους*, et Symmachus nostro loco *ἀγγελίαν* posuerunt. Nam צִיר est

legatus, ut Jes. 18, 2. Proverb. 13, 17., nomen nactus a צוּר, Arab. صار *ivit*, *profectus est*. Chaldaeus et Syrus: *legatus*. Pro שֻׁלַּח LXX שִׁלַּח legerunt. Verterunt enim ἐξαπέστειλεν, quod Vulgatus et Arabs sequuti sunt. Sed Chaldaeus et Syrus, nec non parallelus Jeremiae locus stant pro recepto שֻׁלַּח. Mittitur inter gentes legatus, qui eas excitet ad ineundam contra Idumaeos belli societatem, verbis quae sequuntur, ante quae לֵאמֹר est subaudiendum: קוּמוּ וְנָקוּמָה עָלֶיהָ לַמִּלְחָמָה *Surge, insurgamus contra eam ad bellum!* Verba cohortantis: *Agite!* sic enim pro hortandi particula et alias קוּמוּ, sicut et לְכוּ, usurpatum videas. *Surgamus!* sese illis adjungit, quasi dicat: ego vobis dux ero, vobis viam praemonstrabo: uno omnes animo me duce *consurgite!* imo vero *insurgamus* uno consensu omnes, studia omnia et vires ad Idumaeos bello delendos conferamus. עָלֶיהָ *contra eam*, Idumaeam, עַל־אֶרֶץ אֱדוֹם, ad quam vero mox loquitur in masculino Vs. 2. seqq., respectu habito ad populum. לַמִּלְחָמָה *ad bellum* ei inferendum, ut Jes. 7, 1. Zach. 14, 2.

2. הִנֵּה *Ecce*, inquit Jova, in propria sua persona, cujus nuntium propheta suo Judaeorumque nomine retulerat Vs. 1. קָטֹן נְתַתִּיךָ בַּגּוֹיִם *Parvum dedi*, reddidi, feci *te inter gentes*; neque enim lata fuit Idumaeorum ditio, neque ampla celebrisque regio. בָּזוּי אַתָּה מְאֹד *Despectus es admodum*, despicatissimus. Sunt, qui haec verba prophetice capiant, ut comminationem, hoc sensu: minimum et despicatissimum te reddam. — Sed quum Vs. proximo Idumaei populi fastus et insolentia carpatur, concinnior et elegantior prodibit sensus, superiore explicatione adscita, ut fastus ipsius Idumaei vanitas eo magis elucescat. Quasi dicat: ita es humilis et ignobilis obscurusque inter alias nationes, o Idumaee populе, ut vix inter eas celebreris aut nomineris. Quid ergo est, quod tibi ita placeas? sic tete efferas?

3. זְדוֹן לִבְּךָ הִשִּׁיאֶךָ *Sed superbia cordis tui fefellit te* (ut Gen. 3, 13. *serpens me fefellit*, seduxit), tibi imposuit, ut quum minimus, aut nihil potius sis, te tamen aliquid, vel te maximum esse credas. LXX pro הִשִּׁיאֶךָ ponunt ἐπῆρέ σε, quod Hieronymus sequitur, qui *extulit te* reddit. Legerunt הִשִּׂיאֶךָ, per Sin, a נָשָׂא. Neque tamen hoc taxat propheta, quod illi ex superbia locum excelsum inhabitandum elegerint, ex quo alios despicerent; sed potius, quod illi, quibus locus excelsus inhabitandus contigit, inde ad securitatem, fastum et superbiam seducti fuerint, quasi scilicet extra omnem telorum jactum omnemque periculum constituti essent, et nemo illis nocere posset. Accedit, quod Hiphil הִשִּׁיא nusquam *extollendi* significatu legitur. Receptum הִשִּׁיאֶךָ tuetur quoque parallelus Jeremiae locus 49, 16.; *arrogantia tua decepit te*, *fastus*, inquam, *cordis tui*. שֹׁכְנִי בְּחַגְוֵי־סֶלַע *Qui habitas in tractibus petrosis*. שכני Participium cum Jod paragogico pro שֹׁכֵן, ut Mich. 7, 14. Deut. 33, 16. Ita

Ps. 123, 1.: חֹשְׁבִי בַּשָּׁמַיִם *qui habitat in coelis.* חגוי־סלע, quod et Cant. 2, 14. occurrit, sunt *tractus petrarum*, i. e. tractus horrentes rupibus, quales contra hostium incursionem facili negotio defendi possunt. LXX: Ἐν ταῖς ὀπαῖς τῶν πετρῶν. Hieronymus: *in scissuris petrarum.* Chaldaeus: *quod similis aquilae* tibi videaris, *quae habitat in scopulis rupium.* מְרוֹם שִׁבְתּוֹ In *altitudine sedis suae*, i. e. in sede sua altissima; appositio et repetendum ante מְרוֹם praefixum ב ex בחגוי־סלע. Alii, subaudito ante מְרוֹם relativo אֲשֶׁר, sic vertunt: *cujus habitationis*, seu *sedis sublimitas* est in tractibus petrosis; vel brevius, שָׁם, *ubi* est *sublimis ejus sedes.* Quasi dicat: in eo tibi places, quod loca natura munita incolas, arces invictas, et inaccessas. Pro מרום שבתו LXX et Hieronymus legerunt מָרִים שִׁבְתּוֹ. Hic enim *exaltantem solium suum*, illi ὑψῶν καθοίκιον αὐτοῦ reddiderunt, probante Koehlero. אֹמֵר בְּלִבּוֹ מִי יוֹרִידֵנִי אָרֶץ Qui *dicit in corde suo*, apud se cogitans: *quis me in terram detrahet?* Invictum te plane esse arbitraris, et arces tuas inexpugnabiles.

4. אִם־תַּגְבִּיהַּ כַּנָּשֶׁר *Si extuleris tanquam aquila*, repete a fine prioris hemistichii hujus Versus, קִנֶּךָ *nidum tuum*, ut apud Jeremiam 49, 16. diserte legitur: כִּי־תַגְבִּיהַּ כַּנָּשֶׁר קִנֶּךָ. Quod multo satius erit, quam cum aliis subaudire שִׁבְתְּךָ *sedem*, seu *habitationem tuam*, vel תַּגְבִּיהַּ facere intransitivum, *si tete extuleris.* וְאִם־בֵּין כּוֹכָבִים שִׂים קִנֶּךָ *Et si* vel *inter* sidera *ponendo* posueris *nidum tuum*, i. e. *habitationem tuam*, uti Chaldaeus vertit. Perstat in metaphora ab aquila sumta. Quod dicit *inter sidera*, nihil refert sive proprie intelligas in coelo ipso, ὑπερβολικῶς, vel in altissimis montibus, qui ad supremam usque aeris regionem pertingunt, ubi nidulari solet aquila. Utrinque enim significare voluit munitiones altissimas et validissimas Idumaeorum, quemadmodum Habac. 2, 9. de Nebucadnezare dicitur, eum *ponere in excelso nidum suum*, ut malum evadat. Et Num. 24, 21. Bileamus de Cinaeis dicit: *quamvis fortem sedem habeas, et in rupe posueris nidum tuum.* Quo loco Infinitivus שִׂים positus est loco verbi finiti, תָּשִׂים, ut locis pluribus aliis. מִשָּׁם אוֹרִידְךָ נְאֻם יְהוָה *Inde* tamen *te detraham*, *ait Jova*, adeoque efficiam, quod tibi videbatur numquam fieri posse. Cf. Amos 9, 2. 3.

5. Inducit jam admirabundas et obstupescentes gentes, quod tam florens et celebris natio ita corruerit, verum cum sarcasmo, id est, ut ei amarulenta ironia insultent et illudant. Undenam, quaeso, Idumaeo populo acclamant, haec tibi tam gravis accidit ruina et exitium? אִם־גַּנָּבִים בָּאוּ־לָךְ *Num fures ad te venerunt?* te invaserunt? אִם־שׁוֹדְדֵי לַיְלָה *Num vastatores*, praedones *nocturni?* hi iidem cum furibus, qui noctu plurimum grassari solent, aut si die grassentur, id occulte ac velut in tenebris incautos opprimendo faciunt. Sed haec, inquit, quae tibi accidit,

depopulatio gravior est, quam ut a furibus et nocturnis praedonibus admissa dici queat. Quare admirabundae exclamant: אֵיךְ נִדְמֵיתָה *quomodo excisus es!* quantum est istud excidium! Ita Niphal verbi דָּמָה *exscindendi* significatu saepius reperitur, v. c. Hos. 4, 6. 10, 7. 15. Jes. 6, 5. At Hieronymus: *Quomodo conticuisses?* Syrus: *quomodo siluisti?* Chaldaeus: *quomodo sopitus fuisti?* Et hi quidem ex cognato דָּמַם *siluit*, Ps. 4, 7., quocum דָּמָה et Jes. 14, 17. Thren. 3, 49. *cessandi* notione convenit. LXX: *ποῦ ἂν ἀπερρίφης*, quasi אַיֵּה נִרְמֵיתָה *quomodo projectus es?* legissent. Quod dixerat, crudeliorem esse Idumaeorum calamitatem, quam ut furibus aut nocturnis grassatoribus sit tribuenda, jam magis declarat: הֲלוֹא יִגְנְבוּ דַיָּם *nonne furabuntur*, furari solent, fures *sufficientiam suam?* i. e. quae sibi satis sunt. A furibus haec si facta forent, ea tantum abstulissent, quae ferre potuissent, aliis vel per satietatem, vel per oblivionem neglectis; nunc nihil reliqui apud te factum est, omnia corrasa, devastata, deperdita, etiam intima et abstrusissima quaeque, ut Vs. 6. subjungit. Pergunt illudentes: אִם־בֹּצְרִים בָּאוּ לָךְ *num vindemiatores venerunt tibi?* te adorti sunt? i. e. hostes aut alii vindemiatoribus similes, qui non ob cladem hominibus inferendam irrumpunt, sed ut fruges corradant, et omnia quae ad victum attinent. Sed non potest fieri, inquiunt, ut ab istiusmodi sis vastatus; hi enim etsi agris non parcunt, multa tamen reliqua faciunt: הֲלוֹא יַשְׁאִירוּ עוֹלְלוֹת *annon* isti *reliquos faciunt racemos?* qui eorum oculos fugerunt. Hi enim proprie hebraice עוֹלְלוֹת dicuntur, qui post vindemiatores racematoribus relinquuntur. Levit. 19, 10. vetat Deus vineam a domino racemari, ut pauperibus relinquantur, quae per oblivionem praetermiserunt vindemiatores. Nostro loco vero *racemis* significatur, quidquid post maximam partem bonorum hominumve vel expilatam vel occisam superstes est. Sic Jerem. 6, 9. quum in totum Judaeos exscindendos Jova minatur, *racemandos* monet, עוֹלֵל יְעוֹלְלוּ כַגֶּפֶן שְׁאֵרִית יִשְׂרָאֵל *racemabunt instar vitis reliquias Israelis*, ut postquam semel excidere coeperint hostes, subinde redeant, vindemiatorum, imo etiam racematorum more, ut nihil plane relinquatur quod excisum non sit. Jud. 20, 45. וַיְעוֹלְלֻהוּ *racemaverunt eos in semitis quinque millia virorum*, i. e. post primam pugnam, caesamque ac fusam aciem, fugientes dispersos ac palantes per diversas semitas consectati sunt, interfeceruntque adhuc quinque millia. Vid. et Jes. 17, 6. 24, 13. Mich. 7, 1. Eadem leguntur Jer. 49, 9., sed inverso ordine, ut vindemiatorum prius quam furum fiat mentio, et ante לוֹא omissum sit הֲ interrogativum, ut alias haud raro. א

6. אֵיךְ נֶחְפְּשׂוּ עֵשָׂו *Quomodo pervestigati sunt Esau*, i. e. Idumaei, Esavi posteri, vel, אֲשֶׁר לְעֵשָׂו *quae sunt Esavi*, ut Graeci dicerent *τὰ τοῦ Ἡσαῦ*, quod jam aperte dicitur proximis verbis: נִבְעוּ מַצְפֻּנָיו quomodo *perquisita sunt abdita ejus*, i. e.

intima, abstrusissima quaeque, etiam quae in subterraneis cavernis satis tuta et nemini pervia fore putarunt, etiam reconditissimi thesauri, ut in urbium expugnatione a praedae et auri avidis militibus fieri solet. Alii מצפניו *latibula ejus* interpretantur, quod locum potius, quam *rem* notari cum forma nominis doceat (quum praepositum מ ut plurimum nomina locum designantia formet), tum parallelismus Jer. 49, 10., ubi מִסְתָּרָיו *occulta ejus* positum. Sensus haud multo differt. Verbum בָּעָה *quaerendi* significatu Chaldaeis quam Hebraeis frequentius, quibus בִּקֵּשׁ magis in usu est. Occurrit tamen et Jes. 21, 12. אִם־תְּבַעְיוּן בְּעָיוּ *si perquirere vultis perquirite.* In parallelo Jeremiae loco noster Versus sic immutatus legitur: *nam ego denudavi Esavum, detexi latibula ejus.*

7. Etiam a foederatis et sociis desertus est ac proditus populus Edomiticus; nec id immerito, quia ipse cognato sibi Judaico populo perfidus fuit, ut infra Vs. 10. 11. dicturus est. עַד־הַגְּבוּל שִׁלְּחוּךָ כֹּל אַנְשֵׁי בְרִיתֶךָ *Usque ad limitem* certum (ob ה articuli praefixum), nempe tuum, tuae regionis, *dimiserunt te*, i. e. deduxerunt, officii causa sunt prosequuti *omnes viri foederis tui*, omnes tui foederati, quasi tecum junctis viribus essent oppugnaturi hostes tuos, ac interea in animo habebant, quum eos te perduxissent, te deserere, et sese tuis hostibus adjungere. שִׁלְּחוּךָ exposuimus *dimiserunt te*, sumendo *dimittere*, ut proprie Latinis dicitur pro *deducere* et *prosequi*, comitari deducendi causa: quo sensu legitur Gen. 18, 16. *surrexerunt viri, et comitatus est eos Abrahamus* לְשַׁלְּחָם *eos deducendo.* Et ibid. 12, 20. *mandavit Pharao viris,* וַיְשַׁלְּחוּ אֹתוֹ *ut deducerent*, comitarentur *eum, et uxorem suam.* Quo loco LXX recte verbo *συμπροπέμπειν* usi sunt. Alii שִׁלַּח h. l. sensu malo pro *ejicere* capiunt, ut Gen. 3, 23. Ps. 44, 3., ut sensus sit, causa tuae expulsionis e tuis finibus fuerunt infelicis belli suasores et perfidi foederati. Ita Chaldaeus: *ex limite* tuo *migrare te fecerunt foederati tui.* Sed quod proxime sequitur, הִשִּׁיאוּךָ *deceperunt te* (vid. idem verbum supra Vs. 3.), satis indicat, Idumaeos a suis foederatis fuisse proditos. In eo enim fefellerunt, quod quum illis fideret Idumaeus populus, ipsi eum hostibus prodiderint, ubi ad regionis fines esset perventum. יָכְלוּ לָךְ *Praevaluerunt tibi*, scil. consiliis suis vel fraudulentis, vel saltem tibi infaustis. Vel: superiores te evaserunt, sese tuis hostibus adjungentes. „Ait propheta, inquit Schnurrerus, alios amicorum multa pollicitando, prosperique successus exspectatione facienda incitaturos esse populum, et contra vim hostium confirmaturos; sed hanc ipsam rem fraudi ipsis futuram esse, atque ad exitium parandum facturam. Hoc quippe sensu verba השיאוך יכלו לך accipienda esse, intelligimus ex loco simili apud Jeremiam 38, 22.“ Ibi enim vates Sedekiae minatur, fore, ut mulieres, quae in Judaea regia superfuturae sint, educantur, et illi objiciant, eum a suis amicis pro-

ditum atque victum esse: הִסִּיתוּךָ וְיָכְלוּ לָךְ אַנְשֵׁי שְׁלֹמֶךָ *seduxerunt te atque praevaluerunt tibi* turpiter decepto *viri pacis tui*, ut h. l., i. e. pacati erga te, imo tibi amici et foedere juncti, a quibus nihil timebas. Vid. Ps. 41, 10. Jer. 20, 10. et cf. not. Ps. 7, 5. Addit Noster: לַחְמְךָ יָשִׂימוּ מָזוֹר תַּחְתֶּיךָ *Panis tuus*, i. e. אֹכְלֵי לַחְמֶךָ, comedentes panem tuum, qui tecum comedunt (ut recte verterunt Hieronymus atque Chaldaeus, *convictores mensae tuae*), tui domestici, vel repetendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ אַנְשֵׁי ante לַחְמְךָ, *ponunt insidias sub te*, supposuerint tibi insidias, uti feris retia et tendiculae supponi solent, quibus capiantur. Vel תַּחְתֶּיךָ cum Schnurrero sumendum pro בְּתַחְתֶּיךָ *in loco tuo*, i. e. tibi. Nomen מָזוֹר duobus reliquis, quibus in V. T. occurrit locis, Jerem. 30, 13. et Hos. 5, 13., *ulcus foedum* et *purulentum* denotat, quod nauseam intuentibus parit. Id vero nostro loco nullo modo commodum sensum efficiat. Veteres raro consensu nostrum nomen *insidias* interpretantur, quod fere flagitat hujus loci ratio. Quod etymon voc. מָזוֹר attinet, alii monent, arabici verbi زَلَّ praecipuum usum positum esse in *dolo* ac *fraude*, praesertim ea quae sit blanditiis ac rerum specie; alii derivant ab arab. مَزَرَ *distendere*, et putant, verbum מָזַר Hebraicis familiare fuisse de retibus et tendiculis, quales *expandere* aucupes solebant. Syriacum quoque ܡܙܪ denotat *extendere;* ut igitur מָזוֹר *expansum* quid ad capiendum, veluti rete, significat. Illorum igitur etymorum utrum eligas, habebis *insidiarum* notionem, huic loco optime accommodatam. Alii לַחְמְךָ in Accusativo sumunt et verba haec sine ellipsi sic exponunt: *panem tuum ponunt* viri illi pacis tuae, quorum meminit, *vulnus sub te*, i. e. foederati atque amici illi tui efficiunt, ut convictus, qui illis tecum est communis, tibi sit exitio, inde enim occasionem sumunt te prodendi, quum hac familiaritate consilia tua resciscentes ea hosti aperiant. Verum dum locum nostrum cum Ps. 41, 10. confero, ubi post אִישׁ שְׁלֹמִי sequitur אֹכֵל לַחְמִי, non possum quin in sententiam illam inclinem, qua ante לַחְמִי subauditur אֹכְלֵי. Atque haud scio, annon ille Psalmorum locus vatis nostri menti obversatus fuerit. אֵין תְּבוּנָה בּוֹ *Non est prudentia in eo*, enallage personae, pro בְּךָ *in te*, i. e. adeo stupidus es, ut non senseris tibi ab amicis tuis et foederatis insidias strui. Oratio e secunda persona in tertiam subito transit, ut supra Vs. 3. Cum nostra phrasi sensu convenit Deut. 32, 28.: *Gens perdita consiliis sunt* Israelitae, וְאֵין בָּהֶם תְּבוּנָה *et nulla in eis intelligentia*, prudentia.

8. Quod Vs. 7. breviter dictum erat de prudentia apud Idumaeos defutura, repetitur nunc et nonnihil amplificatur. Amissis castellis, opibus et amicis, Idumaei poterant fiduciam aliquam concipere e prudentia suorum. Verum et hanc vates fiduciam illis adimit hoc Versu, dum ait, Jovam eos omnis consilii inopes

redditurum. הֲלוֹא בַּיּוֹם הַהוּא *Nonne illo die?* illo tempore, quo a tuis amicis proderis. Pendet enim ab eo quod dixerat Vs. 7. *nulla* amplius *in eo prudentia.* וְהַאֲבַדְתִּי חֲכָמִים מֵאֱדוֹם *Perdam sapientes ex Edom*, e gente Idumaea. ו ante האבדתי tantum convertit, non copulat, quasi אָאֲבִיד dixisset. Aliis est *tum*, ut Gen. 22, 4. *tertio die*, quum advenisset tertius dies, וַיִּשָּׂא *tum sustulit Abrahamus oculos suos. Sapientibus*, חכמים, quibus privandi sint Idumaei, non augures, hariolos, et similium artium peritos, cum nonnullis interpretibus intelligimus, sed consultos et prudentes, qui consilio et rerum experientia valent, quorum est spectata industria et in rebus gerendis solertia, quod in bello apprime necessarium est. Cf. Jes. 29, 14. Repetit Noster eandem sententiam verbis paulo aliis altero hemistichio: וּתְבוּנָה מֵהַר עֵשָׂו *et intelligentiam*, prudentes, perdam *e monte Esau*, i. e. ex Idumaea, quae montana regio erat (Vs. 9. 19. 21.). תבונה Chaldaeus recte vertit: *omnemque virum, in quo est prudentia.* Est enim metonymia adjuncti, qualis Jes. 3, 25. *homines tui gladio cadent*, וְגִבּוֹרֶתֵךְ *et fortitudo tua*, fortes tui *in bello.* Interrogatio, qua hic Versus concipitur, praemisso הֲלוֹא affirmationem infert, ut Deut. 11, 30. *nonne sunt trans Jordanem?* Vid. et Jos. 1, 9. 1 Sam. 20, 37. Quod vero dicit propheta, futurum esse, ut sapientiores omnes ablati sint, non eum sensum habere debet, quod qui consilio rerumque peritia valerent exstinguendi sint ante excidium reipublicae; sed potest verborum sensus esse hic: fore, ut omnia ab ipsis tam perverse agantur et infeliciter, ac si nullus inter eos superesset, qui consilio rerumque usu quidquam valeret. Nostrum locum imitatur Jeremias 49, 7. *Sic dicit Jova: nullane superest in Themane sapientia? periitne prudentum consilium, supervacanea eorum sapientia?*

9. Quod praeter consilium in rebus humanis plurimum quoque valet fortitudo bellica, additur, neque hanc ipsis quidquam profuturam esse. וְחַתּוּ גִבּוֹרַיִךְ *Frangentur* pavore, consternabuntur (ut Jer. 50, 36., et חַתִּים *consternati* 46, 5.) *fortes tui*, strenui viri et animo virtuteque praestantes, quos apud te habes, תֵּימָן *o Theman*, i. e. Idumaea, ita vocata vel a Themane, Esavi nepote, Gen. 36, 11., vel a situ regionis, nam sita erat Judaeae ad meridiem, quae תֵּימָן nuncupatur, vid. ad Amos 1, 12. Schnurrerus *Theman* pro urbe aut provincia Edomitica habet, quae vero hic pro Idumaea universa ponatur. Alexandrinus, qui vertit: *καὶ πτοηθήσονται οἱ μαχηταί σου οἱ ἐκ Θαιμάν*, putavit ante vocem תֵּימָן repetendum esse nomen גִּבּוֹרַי. Similiter Hieronymus et Chaldaeus, qui תֵּימָן significatione meridionalis plagae sumserunt. Hic enim: *confringentur fortes tui inhabitantes meridiem.* Ille in Commentario: *Pavebunt pugnatores tui de Theman*, quod nos interpretati sumus *meridiem.* לְמַעַן Subaudi אֲשֶׁר *ut*, etenim non tam finem notat, quam merum eventum, quasi dicat: ex qua con-

≠ Verba Schnurreri.

sternatione certissime eveniet *ut exscindatur* (cf. Hos. 8, 4.). וְכָרֵת־אִישׁ *ut exscindatur vir*, quisque; Chaldaeus addit: *in quo robur* est, i. e. ut omnes belli apti exscindantur מֵהַר עֵשָׂו *e monte Esau*, ex Idumaea, vid. not. ad Vs. 8. מִקָּטֶל *ex occisione*, e caede, s. per caedem multam, quae ibi patrabitur, qua hostes tui in te saevient. Sine causa hoc additum מִקָּטֶל pluribus recentioribus interpretibus superfluum visum et languidum, unde non dubitant vocem ab antecedentibus sejungere atque ad Versum sequentem trahere, ut sensus sit: *propter interfectionem et iniquitatem in fratrem tuum Jacob.* Ita LXX, Hieronymus et Syrus, qui voci מֵחֲמַס Vs. 10. etiam copulam praefigunt. Quae vero Idumaeis hic denuntiatur gravissima calamitas publica, unde et quonam tempore oritura, a quibus hostibus profectura sit, nec diserte Propheta declarat, nec ullis indiciis notisque significat. Ait quidem Jeremias 27, 2. sqq.. edixisse Jovam fore, ut praeter gentes alias haud paucas Idumaei etiam graviter castigandi sint a Babyloniis, duce Nabuchodonosore, qui Deo sic volente omnia perfecturus sit quam felicissime. Sed eventus rei testimoniis claris certisque nequit demonstrari, historia nos penitus destituente. Ceterum nobis quidem omnis ratio, qua quae vates universim summatimque enuntiarunt, ad certos eventus singulaque facta revocantur, admodum lubrica videtur atque incerta. Accommodari quidem istiusmodi effata posse plus minusve apte huic vel illi eventui, haud negamus; sed vates ipsos ad illos spectasse, aut effatorum illorum intelligentiam tali ratione quidquam juvari, non adduci possum ut putem.

10. Jam causa subditur, ob quam ita vastanda atque delenda sit Idumaea. מֵחֲמַס אָחִיךָ יַעֲקֹב תְּכַסְּךָ בוּשָׁה *Ob injuriam fratris tui Jacob*, i. e. fratri tuo Jacobo a te illatam *teget te pudor*, ignominia obrueris. חָמָס *vim* omnem *apertam* significare, recte observat Aben-Esra ad Zeph. 1, 9., ubi cum מִרְמָה *dolo* componitur. Est vero hic passive sumendum de injuria, qua populus Jacobo oriundus affectus est ab Esavi posteris, ut Jud. 9, 24. חֲמַס בְּנֵי יְרֻבַּעַל *injuria qua affecti sunt filii Jerubbaalis;* Joel 4, 19. חֲמַס בְּנֵי יְהוּדָה *injuria Judaeis illata;* Ps. 89, 51. חֶרְפַּת עֲבָדֶיךָ *ignominia tuis cultoribus illata.* In singulis verbis pondus est. Nam et *violentia* vitii genus atrocissimum est, et major fit, cum in *fratrem* exercetur. Nec caret emphasi pronomen *tuo.* Vis etiam est in nomine *Jacobi;* nam Jacob et Esau fratres erant gemini, quod plus est, quam si tantum germani aut uterini fuissent. Hinc Deus Deut. 23, 8. cum Israelitas vetat Idumaeos detestari, ab hoc nomine rationem affert: *ne Idumaeum abominare, nam est frater tuus.* Commune autem est huic prophetae cum aliis, ut Idumaeis objiciat peculiariter injuriam populo suo factam, quasi de aliis ipsorum criminibus ei nulla cura esset. Vid. Ezech. 25, 12. 35, 5. Amos 1, 11. Phrasis תכסך בושה *teget te pudor*, etiam Mich. 7, 10. occurrit. *Tegere* autem in genere notat: quasi

± Verba Dnsii

obruere et *circumquaque opplere*, ut Ps. 55, 6. וַתְּכַסֵּנִי פַּלָּצוּת *operuit me tremor*, quasi undiquaque circumfudit se mihi. Cum nostra phrasi convenit Ps. 25, 16. וּבֹשֶׁת פָּנַי כִּסָּתְנִי *et pudor faciem mihi operuit.* Nec non 69, 8. *propter te sustineo opprobrium*, כִּסְּתָה כְלִמָּה פָּנָי *operit ignominia faciem meam.* Addit Noster: וְנִכְרַתָּ לְעוֹלָם *et exscinderis in perpetuum.* Particula ו hic simpliciter pro copula capienda est, ut sensus sit: propter injuriam fratri tuo illatam obrueris ignominia, et irreparabile excidium experieris. Amissam salutem nullo unquam tempore recuperabis. Etiamsi vero Idumaea cum vicinis terris a Chaldaeis expugnata et vastata fuerit, tantum tamen deest, ut *perpetuo* desolata manserit, ut Idumaeos potius Maccabaicis temporibus cum Judaeis aeriter bellantes reperiamus, vid. 1 Macc. 5, 3. Josephi *Archaeol.* 12, 8. 1. 2 Macc. 10, 15. sqq. Ne igitur Obadias quidquam praedixisse videatur, cui eventus non responderit, Schnurrerus formulam נכרת לעולם paululum audaciorem, temperandam nonnihil judicat, atque ad hunc fere sensum reducendam: tardius ad vires redituros, pristinamque, qualis ante Babylonicam expugnationem fuisset, dignitatem et potentiam vix unquam recuperaturos esse Idumaeos.

11. Prima hujus Vs. verba cohaerent cum initio Vs. 10., hoc sensu: injuriam, ob quam exscindendus es, intulisti populo Israelitico בְּיוֹם עֲמָדְךָ מִנֶּגֶד *die quo stetisti ex adverso* fratris tui Jacobi, magna attentione spectans et observans quid Judaeis accideret, imminens eorum cladi. Curiositatem itaque et impium malignumque animum atque ardens vindictae studium indicat his verbis, quum Idumaeos oportuerit sese fratribus suis, Hebraeis, adjungere et opem ferre, tantum abest, ut hoc facerent, ut potius ex adverso stando conspicerent et exspectarent eorum cladem et exitium. בְּיוֹם שְׁבוֹת זָרִים חֵילוֹ *quo die*, tempore, *abduxerunt barbari robur ejus*, quo aliqui exercitum et copias Judaeorum intelligunt, sed malo cum Chaldaeo paraphraste et Hebraeis *facultates* accipere, ut nomen חַיִל saepius sumi constat. וְנֵכְרִים בָּאוּ שְׁעָרָיו *et* quum *alieni intrarunt portas ejus*, i. e. urbes ejus, fratris tui Jacobi. Ante שעריו omissum ב, quod praepositum Vs. 13. אֶל־תָּבוֹא בְּשַׁעַר־עַמִּי. *Portas* vocat urbes, ut Deut. 17, 2. *in una portarum*, i. e. urbium tuarum. *Alienigenis* et *barbaris* Chaldaeos intelligendos esse, dubio caret. Quia vero in Hierosolymam praesertim, utpote metropolim, saevitum est, ideo subdit: וְעַל־יְרוּשָׁלַם יַדּוּ גוֹרָל *et* quo tempore barbari *super Hierosolyma sortem jecerunt*, i. e. cum cives Hierosolymitanos eorumque bona et facultates facta sortitione inter se diviserunt. Cf. Joel 4, 3. (al. 3, 3.). יַדּוּ *projecerunt*, Piel verbi יָדָה contracte pro יְיַדּוּ, ut Thren. 3, 33. וַיָּגָה *et contristavit*, pro וַיְיַגֶּה, Gen. 8, 10. וַיָּחֶל *et exspectavit*, pro וַיְיָחֶל. Tum ergo, cum ista omnia fiebant ab externis et apertis hostibus Judaeorum, גַּם־אַתָּה כְּאַחַד

מֵהֶם *etiam tu tanquam unus ex illis* eras. Emphasis est in גַּם־אַתָּה, *tu quoque*, qui frater eras, quem auxiliari et commiserescere oportebat, tete illis exteris hostibus adjungebas, et ut illi manum in praedam injiciebas, non magis illis parcens, quam si ex hostium et externorum numero esses.

12. אַל־תֵּרֶא בְיוֹם־אָחִיךָ *Non debebas spectare die* exitii *fratris tui*, i. e. non debebas oculos paseere in populi consanguinitatis vinculo tecum conjuncti exitio. Verba *activa*, quae hoc Versu et proximo leguntur, תֵּרֶא, תִּשְׂמַח, הַגְדֵּל ect., non *actum* ipsum, sed *debitum* significant, ut saepius. Sic Lev. 4, 2. *Si quis per imprudentiam peccaverit contra ullum praeceptorem Dei* peccatis אֲשֶׁר לֹא תֵעָשֶׂינָה *quae non fieri debebant.* Judic. 21, 22. אַתֶּם נְתַתֶּם לָהֶם *vos non debebatis illis dare uxores.* Verbum רָאָה cum ב, ut hoc loco, construetum significare laeto animo et libenter videre ac oblectari, observavimus ad Ps. 22, 18. יוֹם hic notat *diem calamitosum*, *fatalem*, ut Ps. 137, 7. *dies Hierosolymae* est dies huic urbi exitiosus, et Jer. 27, 7. *tempus terrae* illud tempus, quo interitus terrae ingruit. Non debebas, vates addit, oculos pascere בְּיוֹם נָכְרוֹ *die enormis infortunii ejus*, fratris tui. LXX: *ἐν ἡμέρᾳ ἀλλοτρίων*, quod sequutus Syrus: *diem alienorum*, i. e. quo alieni, barbari, Israeliticam terram invaserunt. Vocem hebraeam pro נָכְרִי collective positam ceperunt. Hieronymus: *in die peregrinationis ejus*, intellexit נֵכָר de *alienatione*, i. e. de die, quo e terra sua alienati sunt et expulsi. Sed videtur vox hebraea non tam alienantis actionem, quam rei alienae qualitatem et conditionem proprie significare, hinc per metonymiam adjuncti *alienam calamitatem*, i. e. insolitam et novam quandam calamitatem, mirabilem plagam, et insuetum exitium. Nova enim et insolita ac mirabilia Hebraei vocant *aliena* et *extranea.* Ita Jes. 28, 21. *ut in monte Pharazim surget Jova, et ut in valle Gibeonis irascetur ad suum facinus*, זָר מַעֲשֵׂהוּ *insuetum suum facinus*, *faciendum*, *ad suum opus*, נָכְרִיָּה עֲבֹדָתוֹ *inauditum suum opus*, *operandum.* Sic etiam נֵכָר nomen diversae quidem formae, sed ab eadem radice et ejusdem notionis Job. 31, 3. usurpatur: *annon* אֵיד *calamitas pravo*, וְנֵכָר *et inaudita miseria operantibus iniquitatem?* Jam vero excidium Hierosolymitanum mirabile et stupendum fuisse, Jeremias testatur: *miris*, ait, *modis dejecta est*, de urbe desolata loquens, Thren. 1, 9. Nostro loco Chaldaeus recte vertit *diem contritionis ejus.* וְאַל־תִּשְׂמַח וגו׳ *Nec laetari debebas de Judaeis die interitus eorum*, quo victi fuerunt expugnata urbe, *nec magnum facere os tuum debebas* scil. עָלָיו *in eum. Magnum facere os* plus est quam *magniloquum esse*, quod Graeci dicunt *μεγαλορρημονεῖν*, quo hic LXX usi sunt. Nam significat *ore insolescere*, *afflictis superbe et contumeliose illudere*, *ac intolerandis probris insultare.* Pro quo הַגְדִּיל בְּפִי *magnificare ore*

dicit Ezechiel 35, 13. eandem Idumaeorum insolentiam arguens. Ps. 35, 26. simpliciter dicitur, omisso פִּי aut בְּפִי, הַמַּגְדִּילִים עָלָי.

13. אַל־תָּבוֹא בְּשַׁעַר עַמִּי *Non ingredi debebas in portam populi mei*, i. e. urbem Hierosolymitanam (coll. Mich. 1, 9.), scil. כְּאַחַד מֵהֶם Vs. 11., ut sicut hostes populo meo insultarcs et praedam auferres. בְּיוֹם אֵידָם *Die exitii eorum*, Deut. 32, 35. Ezech. 35, 5. Cf. Prov. 17, 5. *qui gaudet de exitio* alterius *non erit innocens* s. impunitus. אַל־תֵּרֶא גַם־אַתָּה בְּרָעָתוֹ *Non spectare debebas etiam tu malum ejus*, non delectari debebas (vid. ad Vs. 12.) calamitate ejus. גם אתה ἐμφατικῶς ut Vs. 11. וְאַל־תִּשְׁלַחְנָה בְּחֵילוֹ *Neque immittere debebas* scil. יָדְךָ s. יָדֶיךָ *manus tuas in opes suas* ad eas diripiendas. Eo sensu haec phrasis legitur Exod. 22, 7. 10.: *si non immiserit manum suam in suppellectilem alterius.* Vid. et Esth. 9, 10. 15. 16. Chaldaeus: *et quod extendisti manum tuam in facultates ejus.* Cf. Thren. 1, 10. תשלחנה est secunda masculina persona pro תִּשְׁלַח cum *He* paragogico et Nun epenthetico, cujusmodi epenthesis est in יִשְׁנוֹ *est*, Deut. 29, 14., et in וְקַבְּנוֹ *execrare eum*, Num. 23, 13. Ita et in tertia feminina hujus ipsius verbi Jud. 5, 26. יָדָהּ לַיָּתֵד תִּשְׁלַחְנָה *manum suam ad paxillum emisit*, extendit, pro תִּשְׁלַח.

14. וְאַל־תַּעֲמֹד עַל־הַפָּרֶק *Nec stare debebas ad compitum.* Sic fere interpretes exponunt, ut a viarum *divisione* (est enim פָּרַק *discindere*) inter se uno in loco concurrentium appelletur פֶּרֶק hebraice, ut Latine *viarum divortia* seu *diverticula* dicimus. LXX: *διεκβολάς*, Hieronymus *exitus* dixit, sensu haud diverso. Ita enim hic in Commentario: „Quumque ceperint fugere per notas sibi vias et diverticula et calles ad solitudinem perferentes, non stabis in bivio, nec venientes exspectabis in compitis, ut interficias eos qui fuerint liberati, aliosque comprehensos recludas, et vel ipse capias, vel captivitati hostium serves. עַל est *juxta*, ut cum latrones in via opperiuntur viatorem. לְהַכְרִית אֶת־פְּלִיטָיו *Ad excidendum*, ut excidas *elapsos ejus*, populi mei (Vs. 13.). Significat eos, qui evaserant, cum urbs a Chaldaeis caperetur. וְאַל־תַּסְגֵּר שְׂרִידָיו *neque tradere debebas superstites ejus* hostibus. Vid. ad Amos 1, 6. Per gradus a minoribus fere malis ad majora ~~ad~~ atrociora ascendit, a *spectatione* ad *laetitiam*, inde ad *insultationem* (Vs 12.). Eam sequitur *direptio* (Vs. 13.), ac tandem ultimo loco *proditio*. Hoc gravissimum est, et summam malevolentiam arguit, miseros ac acrumnosos homunciones, qui fuga vitam servare quaerunt, prodere, ac hostibus ad necem tradere.

15. כִּי alii *sed*, alii *sane*, *utique*, *profecto* vertunt. Nobis usitata significatio *quia*, *nam* retinenda videtur. Pendet enim haec particula a Vs. 10., ubi Idumaeo populo ob violentiam, qua in cognatos Judaeos saeviit, minatur, ipsum in perpetuum ex-

scindendum esse. In culpa amplificanda versatus est vates Vs. 11 — 14., nunc de poena agit. Ergo quum Vs. 10. dixisset: *exscinderis in perpetuum*, nunc ait: כִּי — הַגּוֹיִם *nam instat dies Jovae super omnes gentes*, prope adest dies, quo Jova judicaturus sedebit gentes omnes, et de eis ultionem sumet, itaque inter eos etiam de Idumaeis, eoque tempore eis par pari relaturus. Aurcum secnlum, quo Jova solus regnabit (Vs. 21.), praecedet gentium Judaeis infestarum exitium, ex opinione prophetis omnibus communi. יוֹם יְהוָה dies quo Jova judicium exercebit (Jes. 13, 6. Zeph. 1, 7. 14.). כַּאֲשֶׁר עָשִׂיתָ יֵעָשֶׂה לָּךְ *Quemadmodum fecisti*, egisti cum Judaeis, sic iterum *fiet tibi*, talionis jure. Ante יעשה subaudiendum est כֵּן, expressum Jud. 1, 7. *quemadmodum feci*, כֵּן *ita rependit mihi Deus.* Cf. Jerem. 50, 15. 29. Nostrum effatum in Idumaeos confirmat atque amplificat Ezechiel 35, 15.: *quemadmodum tu domus Israeliticae patrimonium vastatum esse gaudes, sic efficiam, ut vastus fias, mons Seir, et universa Idumaea, scieturque, me esse Jovam.* גְּמֻלְךָ יָשׁוּב בְּרֹאשֶׁךָ *Retributio tua revertetur in caput tuum.* גְּמוּל hic *retributio*, ut sit sensus, mercedem eorum quae aliis mala intulit in ipsum redundaturam, ac eadem ab aliis experturum, quae ipse aliis fecerit. Cf. Joel 4, 4. 7. Ps. 7, 17. Sic Graeci dicunt imprecantes: *εἰς τὴν κεφαλήν σου*, cum in auctorem malum retorquetur. Est haec phrasis synecdoche partis pro toto, ut cum Jud. 5, 30. *caput viri* legimus pro *viro*, aut 1 Paral. 12, 23. *capita expeditorum ad militiam* pro *expeditis ad militiam.*

16. Prima hujus Versus verba, כִּי כַּאֲשֶׁר שְׁתִיתֶם עַל־הַר קָדְשִׁי *quoniam quemadmodum potastis super monte meo sancto*, interpretes bene multi ad Idumaeos directa existimaut, intelliguntque dc compotationibus conviviisque, ab Edomitis ad suam de urbis templique eversione laetitiam publice testandam, vel in ipso Zione montc institutis, quae vero sequuntur verba, יִשְׁתּוּ כָל־הַגּוֹיִם de poena omnibus gentibus irroganda, quasi diceret: quemadmodum vos, Idumaei, laetati cstis, et in laetitiae signum convivia agitastis super montem sanctum meum, i e., ut Kimchi exponit, *de excidio*, ob excidium *sacri mihi montis*, mei templi, *sic bibent*, i. e. sic bibetis vos et ceterae gentes, quae populo Israelitico infestae fuerunt, scil. כּוֹס הַתַּרְעֵלָה *calicem vertiginis* (Jes. 51, 17.); vestro gaudio succedet summa tristitia et gravissima afflictio. Ita Chaldaeus: *nam quemadmodum laetati estis de excidio montis mei sancti, sic bibent omnes gentes calicem ultionis suae.* Sed verissime monet Schnurrerus, molestum esse, idem verbum שָׁתָה, eodem loco positum, duplici et plane contrario sensu accipere, praesertim quum non sequatur: גַּם אַתֶּם תִּשְׁתּוּ *bibendum vobis quoque erit* de calice irae. Quae quum ita sint, haud dubitamus accedere Schnurrero, autumanti, sermonem, subita conversione facta, qua nihil frequentius apud pro-

phetas, redire nunc ad Judaeos, ad quos sequentia pariter omnia potissimum respiciunt. Quod ipsum et vidit Aben-Esra, qui observat, inde ab hoc loco Deum inciperc populum suum consolari, et sensum esse: quemadmodum vos, Hebraei, castigationis poculum bibistis, sic bibent et omnes aliae gentes. Quam interpretationem egregie confirmant tria Jeremiae loca, quibus itidem dicitur, Judaeis primum bibendum esse, deinde Idumaeis. Primus locus est Jerem. 25, 27 – 29., ubi Jova vatem jubet gentibus omnibus calicem furoris propinare. *Quum autem*, inquit, *de manu tua calicem bibendi causa renuerint accipere, ita eos compellabis: sic dicit omnipotens Jova: citra dubium bibetis. Nam quum ego urbi a me denominatae malefacere incipiam, vos impune feretis? minime impune feretis.* Secundus locus est 49, 12.: *Ecce quorum non est jus ut calicem bibant, omnino bibunt*, meus nimirum populus, a quo tamen abstenturus videbar et judicari poteram; *tu vero plane immunis esses? imo omnino bibes.* Denique Thren. 4, 21. 22.: *Laetare suaviter, o puella Idumaea, in terra Uz degens! ad te quoque perveniet poculum, quo tu inebriata nudaberis. Finita est tua culpa, o puella Sion! non amplius te relegabit; animadvertet in te tuam culpam, o puella Idumaea, patefactis tuis peccatis.* Ita et nostri loci sensus erit hic: quum vobis, Judaeis, montem mihi sacrum tenentibus, bibendum fuerit, magis etiam reliquas gentes eandem sortem experiri oportet. Ceterum frequens est apud vates hebraeos hoc figuratae orationis genus, quo Deus poculum vini plenum offerre, crapulamque inducere fingitur illis, quos gravioribus poenis afficiendos esse statuit. Vid. Ps. 75, 9. Jer. 25, 15. Jes. 51, 17., coll. Ps. 60, 5. Mutuata autem est haec metaphora a veteri potantium ritu, quo per modimperatorem, seu *συμποσιαρχὸν*, hoc est, convivii praesidem, sua cujusque vini portio, quam hauriret, statuebatur, unde *calix* et in bonam partem sumitur, veluti Ps. 23, 25. Molestum autem illud bibentibus multis modis fieri poterat; a mensura, si major quam ferre commode possent, a potu ipso, si vel fortior, vel amarior, vel acerbior esset. Bibendum vero gentibus poenae poculum Noster denuntiat תָּמִיד *jugiter*, qua voce discrimen inter Judaeos et alias gentes statuit. Illis enim ad certum temporis spatium gravissima mala captivitatis perpessis, tandem castigationis poculum ablatum est, ne postea amplius biberent, ut diserte dicitur Jes. 51, 22. *recipiam e manu tua poculum aestus mei, non perges bibere illud amplius.* At aliis gentibus non bibendum solum, sed perpetuo etiam bibendum erit, quemadmodum aeternam desolationem Idumaeis speciatim Vs. 10. minabatur. Utrumque, tam gentium vastandarum numerum, quam vastitatis continuationem confirmat Jeremias 25, 9. *omnes gentes circumquaque vastitatibus perpetuis exponam.* LXX: *πίονται πάντα τὰ ἔθνη οἶνον*, quod pro תָּמִיד legere sibi visi fuerint חמר, quod cum חֶמֶר *merum*, significatione

convenire opinati sunt. וְשָׁתוּ וְלָעוּ *Et libent et absorbebunt*, totum exhaurient; non paululum bibent, aut guttatim delibabunt, sed omnino deglutient. Ad calamitatis magnitudinem hoc pertinet. Magnam afflictionis et vindictae mensuram eos manere significat, non parvam aut vulgarem aliquam poenam. Sic Ezech. 33, 32. *calicem sororis tuae bibes profundum et latum.* Plenius hanc sententiam exprimit poeta Ps. 75, 9.: *habet in manu Jova calicem, rubente vino plenum turbido, unde fundit ille quidem, sed ita, ut ejus expressam faecem bibant omnes terrarum impii.* LXX (*καταβήσονται*), Chaldaeus *(absorbebuntur)* et Syrus, duplici verbo usus *(obstupefient et conturbabuntur)*, sensum utcunque expresserunt. Quae figurate Noster dixit, jam propriis verbis enuntiat: וְהָיוּ כְּלוֹא הָיוּ *eruntque* gentes, *quasi non fuissent*, i. e. plane peribunt, ita ut non major eorum recordatio futura sit, quam si numquam omnino exstitissent. Item fere est Ezech. 26, 21.: *In nihilum te redigam et nusquam eris, quaesitaque deinceps nunquam invenieris.* Sirach. 44, 9. *Καὶ εἰσὶν ὧν οὐκ ἔστι μνημόσυνον, καὶ ἀπώλοντο ὡς οὐχ ὑπάρξαντες, καὶ ἐγένοντο ὡς οὐ γεγενότες.* Vid. et Job. 10, 19.

17. Jam delineare incipit vates felix ac splendidum aevum, quod aliquando exoriturum sit Judaeis, fore, ut non tantum collapsa ipsorum respublica restauretur, verum est, rerum facie prorsus mutata, easdem, a quibus antea vexati et miseri habiti essent, gentes ipsi in imperium redigant et potestatem. Cujusmodi magnificis promissionibus vates sua oracula claudere solent, et perterrefactos comminationibus animos erigere. Sic Ezechiel inde a Cap. 40. ad calcem templi totiusque terrae Israeliticae instaurationem describit. Nec minus augusta ac splendida sunt, quae Joel et Amos in vaticiniorum suorum fine promittunt. וּבְהַר צִיּוֹן תִּהְיֶה פְלֵיטָה *Contra in monte Sion*, secus ac in monte Scir, Vs. 9., et ceteris gentibus, quae ita delebuntur, ut nullum eorum vestigium relinquatur, *erit evasio*, i. e. erunt, qui evadant, ut Jes. 37, 31. 52., metonymia, quasi פְּלֵטָה et שְׁבִי, *captivitas* pro *captis;* שַׂרְבָּה *canities* pro *canis*, Levit. 19, 32. וְהָיָה קֹדֶשׁ *Eritque sanctitas*, i. e. res sancta, *ἅγιον*, *sanctum quid*, ut recte LXX, s. locus sanctus, scil. הר ציון *mons Sion.* Liberabitur mons Sion, seu urbs Hierosolymitana, a profanarum gentium ditione, nullum omnino illi cum eis commercium erit (coll. Joel 4, 17. Jes. 52, 1.). וְיָרְשׁוּ וגו׳ *Et possidebunt domus Jacob*, Jacobitae, *possessiones suas*, redibunt Israelitae ad suas possessiones, quas amiserant; recuperabunt loca sua hereditaria. מוֹרָשִׁים tum forma tum usu nomen locale est, *locum, quem quis hereditario jure possidet*, significans, coll. Jes. 14, 23. Job. 17, 11. et מוֹרָשָׁה Ezech. 11, 15. Veteres interpretes מוֹרָשֵׁיהֶם ita exponunt, ac si scriptum reperissent, aut enuntiassent מוֹרִישֵׁיהֶם, Participium Hiphil, quod eodem sensu ceperunt, quo Participium

Cal venit Jer. 49, 2. וְיָרַשׁ יִשְׂרָאֵל אֶת־יְרֻשָׁיו *possidebit Israel eos, a quibus possessus est.* Ita enim Alexandrinus: *καὶ κατακληρονομήσουσιν ὁ οἶκος Ἰακὼβ τοὺς κατακληρονομήσαντας αὐτούς.* Hieronymus: *et possidebit domus Jacob eos, qui se possederunt.* Quocum consentiunt Syrus et Chaldaeus. Verum Hiphil verbi יָרַשׁ non simpliciter *possidere* significat, sed vel *possidendum tradere*, vel *e possessione expellere.* Quare adscito מוֹרְשֵׁיהֶם ita potius vertendum esset: *possidebunt Jacobitae eos, qui ipsos* olim *e suis possessionibus expulerant.* Qui sensus etsi minime incommodus sit, nolim tamen ulla urgente necessitate deserere, in quo omnes hodie libri et scripti et editi consentiunt. Amplificationem vero, et incrementum hujus possessionis progrediens nunc oratio exponit.

18. Rempublicam Judaicam non solum omnibus afflictationibus superiorem evasuram promittit, verum etiam adversarios suos ita consumturam, ut ex illis nullus sit reliquus. Quod eleganti similitudine exprimit. Judaicam rempublicam siquidem tanquam *ignem* quendam fore dicit, ac *flammam* obvia quaeque absumentem ac devorantem. לָקַשׁ — וְהָיָה *Eritque domus Jacob ignis, et domus Joseph flamma, domus autem Esau in stipulam*, pro stipula, tanquam stipula. Quod *domus Jacob* et *domus Joseph* seorsim fit mentio, Hieronymus *domum Jacob* putat intelligi regnum Juda, i. e. duas tribus, *domum* autem *Joseph* decem tribus, quae alias *Israelis* vel *Ephraimi* nomine significantur, vid. not. ad Amos 5, 6. Ego *domum Jacob* malim generaliter omnes tribus intelligere, *domum* autem *Joseph*, decem, quarum post omnes tribus speciatim mentionem facit, ne illae sese putarent excludendas, quod quondam impietate praecellentes idola et vitulos coluissent. Duae enim tribus, etsi idola coluerunt, templum tamen habebant, in quo Jovam adorabant: etsi vero simulacrorum cultum tandem cum Jovano cultu in eodem templo conjunxerint, tamen non ita ex professo cultui idolorum addictae fuerunt, ut decem tribus. Quam ob causam seorsim harum mentionem facit, indicans omnes promissae felicitatis fore participes, simulque ut duo regna tum unienda doceat, quod disertius exponit Ezechiel 37, 22. seqq. „*Stipula*, קַשׁ, futura esse quum dicitur gens Edomitica, respicitur ad illam, maxime sub ferventiore coelo, stipulae naturam, qua fit, ut et ignem facile concipiat, et semel conceptum subito augeat diffundatque; donec brevi omnis consumta sit: quapropter stipula ab igne consumenda solet esse imago mali, cui remedium atque allevamentum parari nequaquam possit, veluti Jes. 5, 24.“ Schnurrer. וְדָלְקוּ בָהֶם וַאֲכָלוּם *Exardescent* Judaei ac Ephraimitae *in eis*, Idumaeis. דָּלְקוּ pro בָּעֲרוּ verbum exquisitius est et poeticum; significat enim, aptissime ad hunc locum, flammam mobiliorem atque acutiorem, qualis in stipula conflagranda sit necesse est. Verba quae sequuntur, וְלֹא־יִהְיֶה שָׂרִיד לְבֵית עֵשָׂו *nec erit superstes*

de domo Esau, Alexandrinus Graecus interpres sic vertit: *καὶ οὐκ ἔσται πυρφόρος ἐν τῷ οἴκῳ Ἡσαῦ*, formula adagiali usu ducta e more veterum, apud quos, quoties procinctae acies congredi pararent, vates Martis sacerdos, aciem praecedere solebat, lauro coronatus, ac *σημεῖον*, belli signum, facem ardentem gestans. Ab hoc belli vim abstinebant utrinque, quod nefas duccrent, in virum sacrum, qui legati munus obiret, ferrum stringere. Proinde si crudelem aliquam stragem significare voluissent, *ne ignifero quidem parcitum esse* ajebant. Hinc Hesychii glossa: *πυρφόρος, ὁ πῦρ φέρων, καὶ ὁ μόνος διασωθεὶς ἐν πολέμῳ.* Pro *πυρφόρος*, quod est in codice Alexandrino, atque exprimitur quoque ab interprete Arabico in Polyglottis, in codice Romano legitur *πυροφόρος*, *frumentum gerens* (non *ἀπὸ τοῦ πυρός*, i. e. *igne*, sed *ἀπὸ τοῦ πυροῦ*, i. e. *frumento*). Quae lectio sensui hujus loci minime est accommodata. Addit vates, illa omnia, quae praedixit, eventura esse, כִּי יְהוָה דִּבֶּר *quia Jova loquutus est*, qui fallere nequit, cujus effatum ratum est, nec potest non impleri. Vid. et Joel 4, 8.

19. Jam declarat, quod ante (Vs. 17.) dixerat, redituros ad suas possessiones Israelitas; verum id amplificat non redituros tantum ostendens, sed ad vicinas usque vel tribus vel nationes dilataturos fines suos. Et hoc quidem Versu de duabus tantum tribubus agit, Juda et Benjamin; sequenti de reliquis decem. וְיָרְשׁוּ הַנֶּגֶב אֶת־הַר עֵשָׂו *Et possidebunt auster*, i. e. יוֹשְׁבֵי הַנֶּגֶב *habitatores austri*, qui australem terrae Israeliticae partem tenent, *montem Esau*, Idumaeam, וְהַשְּׁפֵלָה פְּלִשְׁתִּים *et planities*, i. e. יוֹשְׁבֵי הַשְּׁפֵלָה *habitatores campestris* Judaeae tractus possidebunt *Philistaeos*. Judaea Jos. C. 15. in quinque partes divisa est. Ex quibus una Vs. 21. נֶגֶב *australis*, *prope Idumaeam* (Num. 13, 27. Deut. 34, 3.), altera שְׁפֵלָה *declivis*, campestris, vicina Philistaeis, Vs. 33. ejusd. Cap., dicebatur. Docet igitur hic Obadias, Israelitas non solum pristinam hereditatem suam cum sua justa magnitudine et plena integritate obtenturos, sed etiam eandem amplificaturos. Australem enim Judaeae regionem Idumaeae conterminae, campestrem s. humilem, adjacentis Palaestinae adjectione, et Benjaminem Gileade auctam fore dicit. Non desunt, qui cum Kimchio vertendum putent: *possidebunt* Jacobitae (Vs. 18.) *austrum cum monte Esau*. Sed hi non animadverterunt, postea sequi (Vs. 20.): *exsules Hierosolymitani*, *qui in Sepharad*, *possidebunt urbes australes*. Unde simul apparet, particulam אֶת nec in verbis quae sequuntur, והשפלה את־פלשתים aliter accipiendam esse, quam in proximis וְיָרְשׁוּ אֶת־שְׂדֵה אֶפְרַיִם, ubi aperte est Accusativi nota, neque *cum* vertenda. Nunc etiam docet a septentrione dilatandos terminos Judaeae. Et quoniam a septentrione habebat tribus Juda alias tribus sibi vicinas, Benjaminem videlicet, qui (ut habes Jos. 18, 11.) portionem suam habuit inter Judam et Josephi filios, Ephraim et Manasse, eam

scilicet portionem Manasses, quae cis Jordanem erat, propterea inquit: שֹׁמְרוֹן — וְיָרְשׁוּ *et possidebunt* Judaei alii, praeter australes (הַנֶּגֶב) et campestres (השפלה), *agrum Ephraimiticum*, i. e. regionem tribus Ephraim, *et agrum Samaritanum*, i. e. regionem Samariae, ne agrum, cum Kimchio, arvum arctius intelligas. Quasi dicat: ab aquilone ita protendet suos fines Juda, ut etiam transgrediens sortem Benjamini, vicini sui, perveniat ad Ephraimiticam ditionem, in qua Samaria. Sed quia juxta hanc terrae divisionem fine suo pellendus videbatur Benjamin, ideo subdit: וּבִנְיָמִין אֶת־הַגִּלְעָד *et Benjamin* possidebit *Gileaditicam* regionem. Quum ante, juxta distributionem antiquam Josuae, Benjamin intra et cis Jordanem esset nactus sortem suam, jam trajecto Jordane occupabit totam eam regionem ultra Jordanem, quae duabus tribubus juxta Mosis distributionem cesserat, Ruben, Gad, et alteri dimidiae tribui Manasse, nomine Gilead, a Gilead, filio Machiri, filii Manasses, Num. 26, 29. Tota igitur Hebraeorum terra, quae ante exilium in duo regna, Judaicum et Israeliticum, divisa fuit, futuro aevo aureo, ex vatis nostri mente, inter duas tantummodo tribus potiores, Judam et Benjaminem, dispertienda erit; decem tribus, seu Ephraimitae, vicinorum quorundam populorum ditiones, extra fines terrae sanctae, occupabunt, de quibus Versu proximo.

20. Jam de decem tribubus agit, quemadmodum sint possessiones suas recuperaturae, et nonnihil etiam de Hierosolymitanis, qui de tribu Juda magna ex parte erant, speciatim dicit. וְגֹלַת הַחֵל־הַזֶּה לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל *Et transmigratio*, i. e. coetus transmigrantium, deportati, exules, *exercitus hujus filiorum Israel*, deportatae copiae istae Israelitarum. הַחֵל est nomen חֵל praeposito ה demonstrativo (quod requirit sequens הַזֶּה, eodem praefixo instructum), vertendum: *exercitus*, turbae *hujus*, ut 2 Reg. 18, 17. Jes. 36, 2. eadem significatione est חֵיל, per Zere, in statu absoluto pro חַיִל. Narratur enim ibi, a rege Assyriae missum esse Tarthanem ad Hiskiam בְּחֵיל כָּבֵד *cum exercitu valido*, qui 2 Reg. 6, 14. חַיִל כָּבֵד vocatur. חֵל defective scriptum, ut hic, alias quidem *antemurale* significat, e. c. 2 Sam. 20, 1. 1 Reg. 21, 2. 3. Sed quemadmodum hac ipsa *antemuralis* notione, et חֵיל plene scriptum legitur Ps. 48, 14. 122, 7., ita vicissim חֵל *copias* quoque significare possit, perinde ac חֵק *sinum* pro חֵיק Prov. 17, 23. Ad idem exemplum לֵיל *nox* pro לַיִל Jes. 21, 11., et יֵין *vinum* pro יַיִן Cant. 7, 10. Praecedenti גָּלַת junctum notat *copias* sive *multitudinem deportatam*, simili fere constructione, qua יֶרֶק עֵשֶׂב *viriditas herbae* Gen. 1, 30. pro *herba viridi* dicitur. Chaldaeus recte: *deportata turba populi hujus Israelitici*. Vates autem elegit חֵל *exercitum*, *copias*, dicere, quam id, quod in consuetudine est, עַם *populus*, quia de decem tribubus agit, quae comparatae ad reliquas duas numero longe antecellebant. לבני ישראל *filiorum Israelis*, proprie: quae est *filiis Israel*,

subaudito אֲשֶׁר, ut in הַמָּוֶת לַחֲסִידָיו *mors* quae inferenda *piis suis*, Ps. 116, 15., et in phrasi 2 Paral. 16, 11. *scripta sunt in libro regum* לִיהוּדָה וְיִשְׂרָאֵל qui erant *Judae et Israel.* Verba quae sequuntur, אֲשֶׁר־כְּנַעֲנִים, sunt concise dicta pro: יִירְשׁוּ אֵת־אֲשֶׁר־לַכְּנַעֲנִים עַד־צָרְפַת *possidebunt quae sunt Cananaeorum, usque ad Sareptam* Sidoniorum. Promittit igitur vates, exsules decem tribuum, quo tempore restituentur, possessuros pacate et in totum, non sicut olim, quum vix integre haec tenuerint, omnia quae fuerunt Canauaeorum usque ad Sareptam. A Sarepta enim, quae medio erat inter Tyrum et Sidonem intervallo, ut Josephus tradit *Archaeol.* L. VIII. c. 113. ed. Haverc. (c. 7. editt. vett. *εἰς Σαρεφθὰ πόλιν οὐκ ἄπωθεν τῆς Σιδῶνος καὶ Τύρου, μεταξὺ γὰρ κεῖται*) incipiebant septentrionem versus fines Cananaeae, unde occasum versus pertingebant ad Gerar et Gazam usque, in Palaestina, et versus ortum ad Sodoma et alias quatuor urbes, ut diserte dicitur Gen. 10, 19., nisi quod ibi pro Sarepta Sidon habetur, quae non ita procul inde aberat, et 1 Reg. 17, 9. Sarepta Sidoniis attribuitur. Cf. libr. nostr. *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 28. Ita et Hieronymus: „Contra orientem vero cunctis, quae in terra Cananaeorum sunt, imperabant usque ad Sarephtam Sidoniorum, ubi quondam Eliam pavit vidua.“ Nec aliter Chaldaeus paraphrastes, uti a Kimchio laudatur: *possidebunt terram Cananaeorum usque ad Sareptam.* Addit vates speciatim de Hierosolymitanis: וְגָלַת וגו׳ *et exules Hierosolymitani qui* degunt *in Sepharad possidebunt urbes austri*, urbes australes, id est, urbes tribus Juda, cujus portio ad austrum erat terrae Israeliticae. Tribus quidem Juda, ut Vs. 19. dixit, possidebit ab occasu Palaestinam, a septentrione portionem Ephraimiticam et Samariam, ab austro Idumaeam: nunc Hierosolymitani abducti in Sepharad speciatim, prolatis suis finibus, non ea tantum, quae sunt circa urbem, possidebunt, sed et ea omnia, quae quondam fuerant tribus Juda ad austrum, hoc est, quod dicit, *urbes austri.* Nam loco urbium australium jam Juda, quemadmodum initio Versus 19. dixit, habebit Idumaeam. „Verba אֲשֶׁר בִּסְפָרַד,“ inquit Schnurrer, „ex similitudine praecedentis formulae אשר כנענים, videntur quidem dicta esse ad designandam regionem, quam occupaturi olim sint exules Hierosolymitani, et hoc sensu interpretatus est Dathe: *exules vero Hierosolymitani ea, quae sunt Sepharidis regionis.* Sed locus, quem occupat verbum יִרְשׁוּ, post אשר בספרד demum positum, efficit, ut provinciam denotare debeant, in qua tum exules versarentur.“ Quaenam vero regio sit סְפָרַד, hoc solo loco commemorata, vix definiri poterit. LXX Ἐφραθὰ habent, „ac si אפרת legissent,“ ait J. D. Michaelis *Supplemm.* p. 1801., „bona et hi quidem sententia: ἡ μετοικεσία Ἱερουσαλὴμ ἕως Ἐφραθὰ, *exules Hierosolymae usque ad Ephratam*, i. e. exules Judaei, Hierosolymae viciniaeque Bethlehemum usque, quae alio nomine

Ephratha dicebatur; sed nec his ausim solis, nullo suffragante codice Hebraico, adstipulari, atque adeo suspicor, LXX Σεφραθὰ scripsisse, quod errore librariorum, sed perantiquo atque jam ante Hieronymum, mirantem quid sibi velit Graecorum *Ephrata*, in Ἐφραθὰ transire potuit." Σεφραθὰ in textum recipit Breitinger. Verum et Arabicus interpres in Graeco suo textu Ἐφραθὰ legit. HIERONYMUS: „Ubi nos posuimus *bosphorum* in Hebraico habet *Sapharad*, quod nescio cur Septuaginta *Ephrata* transferre voluerint, quum et Aquila, et Symmachus et Theodotio cum Hebraica veritate concordent. Nos autem ab Hebraeo, qui nos in Scripturis sanctis erudivit, didicimus, *bosphorum* sic vocari, et, quasi Judaeus, ista, inquit, est regio, ad quam Hadrianus captivos transtulit. Quando ergo Christus [מְשִׂיחַ] noster venerit, tunc reversura est in Judaeam etiam illa captivitas. Possumus autem locum quemlibet regni Babylonici intelligere, quanquam et aliud arbitrer. Nam consuetudinis prophetarum est, quando loquuntur contra Babylonem, Ammonitas, Moabitas, Philisthiim, et ceteras nationes, multis sermonibus lingua eorum abuti, et servare idiomata provinciarum. Quia ergo lingua Assyriorum *terminus*, qui Hebraice vocatur *Gebul*, dicitur *Sapharad*, hunc sensum esse conjicio: transmigratio Jerusalem, quae in cunctis terminis regionibusque divisa est, urbes austri, id est, tribus suae, recipiet." „Hanc *(termini)* significationem," inquit MICHAELIS l. c., „si apud Assyrios סְפָרַד habuit (quadriliterum forte, ex ܣܦܰܪ *limes*, et פָּרַד *separavit*, *sejunxit*, compositum), conjectura Hieronymi opus non erat, sed quae a Judaeo accepta retulerat, egregie confirmabantur. Bosphorus Cimmerius, limes celeberrimus ac naturalis Asiae Europaeque, quo nomine appellativo in proprium transeunte rectius potest vocari, quam hoc ipso: *terminus*, *limes?* Multos Judaeorum non solum in Medos et Persas, sed et in Bosphorum quoque et septentrionalem plagam ab Assyriis et Chaldaeis esse translatos, ex Hebraeorum narratione refert Hieronymus et ad Zach. 10, 11. Chaldaeus אִסְפַּמְיָא et Syrus ܐܣܦܰܢܝܳܐ interpretantur, unde Judaei recentiores Hispaniam vocant סְפָרַד, eamque se, duce suo Messia, occupaturos adhuc esse somniant. Sed Hispaniam nomine hebraeo neutiquam intelligi posse, pluribus ostendit Michaelis l. c. p. 1802. Novam de illo nomine sententiam proposuit HERMANNUS VON DER HARDT in libro singulari, quem inscripsit: *Sipphara Babyloniae. Pro Philologiae elegantia ad illustrandum ex veteri Orientis historia et geographia obscurissimum Obadiae locum.* Helmstad. 1708. in octon. Recensitis et ponderatis aliorum sententiis, inde a p. 40. taediosa verbositate probare studet, ספרד esse *Sippharam*, Mesopotamiae oppidum, prope Neardam, haud longe ab Euphratis sinuosi termino, ubi dividi et in alveos distingui coepit, non ad Seleuciam in Tigrim se exonerante, alio ad urbem Babel

properante, aliis utrimque vel natura vel regum industria suum cursum quoque ad austrum tenentibus, teste Ptolemaeo Geographo. Σιππαρηνῶν πόλις Abydeni apud Euscbium *Praeparat. Evangel.* L. IX. c. 41. p. 457., *Borsippa* Strabonis et Plinii, in qua captivos Judaeos Talmudistae deplorant in codice *Sanhedrin* fol. 109. col. 1. Hanc urbem vero, proprie סְפָרָה vocatam (quasi *limitaneam*, a סְפַר *limes*, quod haec urbs ultima esset Mesopotamiae, et quidem praecise ibi sita, ubi Euphratis continuus et longus aufractus terminaretur, et in magnos scinderetur alveos), a propheta hoc loco ספרד dici molli inflexione, ut *exilii* eo nomine et sono subingerat indicium, allusione ad פָּרַד *dispersit* facta. „Sipphara itaque," inquit Hardtius p. 56., „cum urbs, tum regio, est a propheta aegre nominata, una prae ceteris augustior et potentior, multoque notabilior tunc urbs et ditio, pro *universa Babylonia* et calamitoso exilii Babylonici ambitu. Sicuti postea, clarior soror, vicina Neardea, doctrina ceteris superior, Judaeis frequentius et lubentius allegata, pro tota Babylonia, Judaeorumque receptaculo Babylonico, aut potissima doctrinae Judaicae sede," in nonnullis Talmudis locis, quae affert et illustrat. Nobis quidem Hardtiana haec sententia minime tam parum verisimilis videtur, ut Michaeli in *Supplemm.* p. 1804. Sed ubicunque terrarum sit hoc סְפָרַד, illud sufficere nobis potest, sensum loci universum haud obscure esse nonnisi hunc: fore, ut ab utraque parte terrae, a septentrionali non minus, quam meridionali, cedere Judaeis atque in deditionem venire debeant gentes barbarae.

21. וְעָלוּ מוֹשִׁיעִים בְּהַר צִיּוֹן *Et ascendent servatores in montes Sion*, ascendent videlicet una cum his exulibus, quos reduces fore dicebat, eorum duces et illis viam praemonstrantes, ascendent tanquam triumphantem Hierosolymam et ad templum, hoc enim nominat tanquam praecipuum Judaeae locum. LXX, quos alii sequuntur, passive verterunt: ἀνασωζόμενοι, *salvati*. Videntur autem illi defective quoad prius Jod (מוֹשִׁעִים) legisse, quod etiamnum in codicibus et manu et typis descriptis permultis exstat, sed מוֹשָׁעִים enuntiasse. לִשְׁפֹּט אֶת־הַר עֵשָׂו *Ad judicandum montem Esau*, i. e. ut Idumaeae praesint, Idumaeos regant et gubernent, illis jus dicentes, quod imperii signum est. Alii cum LXX, qui ἐκδικεῖν verterunt, simpliciter *vindicare*, *ulcisci* intelligunt. Sed generaliter malumus accipere, ut verbis מושיעים et לשפט alludatur ad servatores illos, qui et *judices* olim erant *gubernatoresque* populi, quem ab injuriis vicinarum gentium defenderunt. וְהָיְתָה לַיהוָה הַמְּלוּכָה *Et erit Jovae regnum*, tunc devictis omnibus hostibus, et Israelitica respublica instaurata ac denuo stabilita, aperte jam regnabit Jova. Magnificentior sane est haec promissio, quam ut ad Sorobabelica aut Maccabaica tempora referri possit. Cf. not. ad Amos 9, 12. p. 336.

IN JONAM PROLEGOMENA.

I.

Jonae genus et aetas.

Jonam, Amitthai filium, in cujus fatis enarrandis hic liber versatur, nulla causa est, cur diversum statuamus ab illo Jona, Amitthai filio, qui 2 Reg. 14, 25. narratur sub Jeroboamo II., rege Israelitarum, prophetam egisse satis laeto omine, portendens antiquos terrae limites Israelitis restitutum iri. Idem enim prorsus cum patris, tum filii nomen, tum quoque *prophetae* ac *servi* Dei elogium. Ex illo igitur historiae Regum loco, et tempus, quo vixit propheta, et patriam ejus cognoscere licet. Et hanc quidem quod attinet, dicitur illic e Gath-Chepher oriundus, oppido Galilaeae inferioris, in tribu Sebulon sito (Jos. 19, 10. 13.). De eo Hieronymus in *Praefat. in Jonam*, in *Opp.* T. VI. P. I. edit. Vallars. sec. (Venet. 1768. 4.) p. 390.: „*Geth* in secundo Saphorim milliario, quae hodie appellatur Dioeaesarea, euntibus Tiberiadem, haud grandis est vieulus, ubi et sepulchrum ejus ostenditur. Quanquam alii juxta Diospolim, id est, Lyddam, eum et natum et conditum velint, non intelligentes, hoc quod additur, *Opher*, ad distinctionem aliarum Geth urbium pertinere, quae juxta Eleutheropolim, sive Diospolim, hodie quoque monstrantur.“ Jeroboamo II. Israelitis imperante Nostrum in decem tribuum regno vaticinia edidisse, prophetasque reliquos omnes, quorum hodie monumenta supersunt, actate anteisse, ex eodem illo, quem indicavimus, libri Regum loco colligere licet. Quo vero anno quae in hoc libro evenisse Jonae narrantur aeciderint, si certe illi evenerint, hodie nulla ratione indagari poterit.

II.

Libri argumentum.

Deus mandatum dederat Jonae, iret Niniven, palamque ediceret, urbem post quadraginta dies subvertendam. Tergiversari ille ad haec, et tanquam impellentis spiritus divini vim declinaturus, e regione sua dilabi, conscensaque in Joppe navi Tartessum solvit. Vix iter iniverat, cum subita quaedam tempestas oborta navigium corripiens, nautis suspicionem induxit, extraordinario aliquo casu hanc sibi calamitatem accidisse. Jactis igitur sortibus eo indicio Jonas deprehensus est, qui fugae suae exposita causa suasit, ut se in mare dejecto et mari et nautis quietem procurarent. Vix undas ruens attigerat, cum marinum quoddam monstrum subito accurrens, virum deglutiit, abditusque in ventris immanis claustro tribus diebus et tribus noctibus illaesus servatus est. Post tridui carcerem in littore expositus salvus incolumisque ire iterum Niniven a Deo jussus, paruit. Urbem igitur ingressus alte edixit futurum, intra quadraginta dies urbem subvertendam. Ejus verbis territi cives omnes, ne rege quidem excepto, ad poenitentiae studium conversi, Deum pacare simulque imminens jam flagellum evitare, nec frustra, conati sunt. Jonas minime impletam oraculi sui fidem intelligens, alto dolore sauciatus, querelas ea de re suas ad Jovam tulit; versabatur autem in parva casa ad urbem, quam ricinus tegebat. Accidit, ut vermis quidam radicibus ejus plantae vitiatis, et demitti primum, passisque foliis lassescere, ac demum arescere coëgerit. Ea doloris accessione altius ejulans propheta, quippe quem intolerabiles solis ardores urebant, cum Deo questus est, rogavitque ut se tandem e vivis subduceret. Cui Deus: tu ergo tanto doloris sensu tangeris, cum grata tibi umbra sua planta exaruerit, planta, inquam, quam nec coluisti, sed sponte unicae noctis opificio terra emisit; et quereris, me tot populorum Ninive agentium miscratione tangi, quorum tanta pars sive nullo impio gestu me provocavit, sive ratiocinandi facultate

caret; ubi tot bruta, opificium meum, genus animalium errandi incapax, in eadem cum ceteris vitae, non sceleris communione versantur?

III.

Difficultates in hoc libro obviae.

Exiguae molis liber, stylo simplici et plano conscriptus, sed in quo plura continentur mira, inaudita, imo portentorum similia. Ac primo quidem maximam admirationem movere illud oportet, quod vates Hebraeus, Jovano cultui addictus, missus narratur ad Ninevitas, qui deorum simulacra coluerunt, ut illis, nisi resipuerint, urbis interitum minaretur. Quis non exspectet, hominem a Ninevitis tanquam insanum et mente captum ludibrio et risu exceptum, probrisque omnibus oneratum fuisse? At longe aliter accidisse legimus. Aurem non tantum praebent vati Ninevitae ejusque monitis auscultant, verum et summi juxta infimique, ne excepto quidem rege, centonibus induti, precibus et jejuniis placare Deum student, quid quod? ipsis etiam jumentis ratione et mente vacuis solita cibi potusque alimenta negant. Quis sobrius adducatur ut credat, Jonam intra monstri marini viscera tribus diebus totidemque noctibus vivum haesisse, in eo claustro preces, quas Cap. 2. legimus, ad Deum fudisse, tandemque illaesum e belluae ventre in littus projectum esse? Fidem excedit humanam, quod 1, 5. narratur, tempestate saeviente Jonam ad navis latera degressum cubantem dormisse. Nautis jactis sortibus sciscitantibus, quisnam subitae coortae tempestatis imminentisque sibi exitii esset causa, sors designat Jonam, miro certe et plane singulari casu. Praeterea piscis, qui Jonam deglutiret, ricinus, qui ei umbram praeberet, vermis, qui ricinum percuteret, eurus, quo ille exarescerct, singuli singulari Dei jussu apparent et exoriuntur (1, 17. 4, 6. 7. 8.). Et ricinus quidem unius noctis spatio in tantam altitudinem crescit, et tam lata nascitur folia, ut umbram densam Jonae praeberet; vid. 4, 10. et ibi not. Quae omnia non modo nova sunt, mira-

bilia, et praeter consuetudinem, verum et talia, quae unquam accidisse vix credibile est.

IV.

Ad istas difficultates tollendas variae initae viae. Expenduntur tentamina eorum, qui rem vere gestam hoc libro contineri existimant.

Ut tamen libro inter sacra Hebraeae gentis scripta recepto suus servetur honos, varii varias commenti sunt rationes, quibus quae in illo offendunt, probabili modo tollerent. Possunt autem eorum, qui in nostro libro explicando versati sunt, duae potissimum classes constitui, *altera* eorum, qui rem vere gestam, *altera*, qui fabulam seu parabolam illo contineri putent. Ad classem priorem referendus HERMANNUS VON DER HARDT (*Aenigmata prisci orbis. Jonas in luce* etc. Helmstadii, 1723. fol.), qui Manassis et Josiae, regum Judae, res et fata stylo symbolico atque allegoriarum involucro, priscis adamato, libro Jonae ab Hilkia, pontifice, descripta opinatus est. Cujus viri eruditi explicationem, quae summe arbitraria est, et nonnisi ingeniosae fictionis laudem meretur, latius enarrare non est hujus loci. Qui accuratius illam scire cupiat, adeat Commentarium nostrum majorem.

GODOFR. LESS (*Vermischte Schriften.* Goettingae, 1782. p. 161. sqq.) potiorem in libro Jonae explicando difficultatem, quae sita est in pisce illo magno, qui vatem deglutiisse, sed post triduum salvum illaesumque in terram projecisse narratur, facile tolli posse existimavit, si *navis* intelligatur, cui in puppi *piscis* imago appicta fuerit, quemadmodum Chimarri navis, Plutarcho teste, in prora leonis, et in puppa draconis imaginem gessit. Cum igitur deum pisci magno mandasse legimus, ut Jonam deglutiat, id e prisci aevi stylo concise simul et allegorice ita intelligendum esse, navim, deo sic moderante, piscis magni imagine signatam, apparuisse, quae Jonam e sua navi projectum reciperet, eundemque e piscis ventre ejectum dici, cum navi illa

ad terram appulsa expositus fuerit. Verum enimvero quis sibi persuadeat, narrationi planae, simplici atque ab omni ornatu alienae, qualis per totum Jonae librum regnat, immisceri adeo inexspectatam, insolitam et audacem allegoriam? Nea, ea admissa, reliquae in hoc libro obviae difficultates, quas supra indicavimus, tolluntur: imo exoriuntur novae. Ut unum commemoremus, hominem media in tempestate e navi in mare projectum protinus in aliam navim, aestuantibus fluctibus, receptum esse, nemini facile credibile fuerit.

Ope piscis Jonam liberatum esse, quum doceat narratio, quae hoc libro continetur; Conr. Gottl. Anton (in *dem Neuen Repertor. für bibl. u. morgenl. Liter.*, quod edidit H. E. G. Paulus. P. III. p. 38. sqq.) in hanc incidit cogitationem, Jovam curasse, ut, Jona vix e navi ejecto, piscis paulo ante occisi cadaver adnataret, in cujus ventre, a carcharia, vel alio monstro marino aperto, propheta tutius latere poterat, quam in tabula arrepta, post triduum vero piscem, ad litus appulsum, prophetam incolumem in terram continentem demisisse. Quod ipsum scriptorem Hebraeum dicere ait, modo ejus verba 2, 1. ויזמן יהוה דג גדול לבלע את־יונה sic vertas: *paravitque Jova piscem magnum ad appropinquandum ad Jonam*, verbo בלע accepto significatu Arabici بَلَغَ *appropinquavit;* verba vero 2, 11. ויקא את־יונה אל־היבשה adhibita significatione Arabici قوى in Conjug. IV. *descendit in terram desertam*, hoc modo sumas; *descendere fecit*, demisit piscis, *Jonam ad aridam*, ad terram continentem. Sed utraque illa interpretatio quum eo nitatur, ut verbis hebraicis בָּלַע et הֵקִיא satis frequenter obviis eae significationes tribuantur, quibus ab Hebraeis usurpata fuisse, haud constat, admitti haud potest.

Rem vere gestam, sed ornatu poetico decoratam, librum Jonae complecti censet Thaddaeus a S. Adamo (*Die Sendungsgeschichte des Propheten Jona kritisch untersucht und von Widersprüchen gerettet.* Bonn, 1786. 4.). Evenisse autem haec fere judicat: Jonas a Jova jussus Ninevitas monere, ut resipiscant

et mores emendent, non paruit, sed navem conscendit Tartessum petentem, qua fracta, incolumis modo quocunque servatus est. Detrectationis quum eum poenituisset, Niniven profectus ejus cives meliora edocuit, quorum moribus emendatis tota civitas servata est. Hac Ninevitarum emendatione minime contentus, quod comminationibus suis irritis redditis prophetarum fidem et dignitatem labefactatam doleret, a Jova tamen vates in viam reductus est. Cetera Thaddaeus fictioni poeticae tribuenda arbitratur. At tum quaestio oritur, quanam ratione quove consilio illa figmenta de pisce atque de ricino sint nata? Omnino autem prophetam Israeliticum a deo jussum esse, Ninevitas a Jovano cultu alienos de moribus emendandis admonere, illosque hominis peregrini monitis protinus paruisse, nobis persuadere neutiquam possumus.

Rationem novam difficultates in hoc libro interpretando obvias amoliendi, ita tamen, ut rebus in eo narratis non derogetur fides, excogitavit H. A. Grimm (*der Prophet Jonas auf's Neue übersetzt u. mit erklärenden Anmerkk. herausgegeben.* Düsseld. 1789. 8.). Ex ejus sententia Jonas ad proficiscendum Niniven et adhortandos hujus urbis cives ad vitae morumque emendationem semet excitatum sensit. Attamen simul varias difficultates superandas, multos labores subeundos, et hominum, omnibus sceleribus indulgentium, contumaciam metuendam, animo revolvit; quae omnia, ut longum iter maritimum suscipiendo internum istum impulsum restingueret, ipsum moverunt. Qua in navigatione procella exorta metum ei incussit. Quum vero, ut fit subinde, anxictatem somnus sequeretur, Jonas in navi interiori obdormivit. Meditatio de eo, quod ausus esset, somnium peperit, quod a Cap. 1, 6. ad Cap. 3, 21. usque describitur. Quibus admissis Jonas a pisce non deglutitus, sed hoc somnianti accidere visum est. Nihilo minus tamen hoc somnium eum ad iter Niniviticum continuandum promtum reddidit. Ad urbem quum pervenisset hortatus est cives, ut ad frugem redeant, adjectis minis de urbe, nisi eorum mores corrigerentur, interitura. Quae

comminationes resipiscentibus Ninevitis quum irritae fierent, Jonas succensuit. Repetita tamen ea de re instituta cogitatione quum intellexerit, suum iter Ninevitis salutare fuisse, animum turbatum sedavit. Haec Grimmianae explicationis summa. Verum quod Vir Doctissimus potiore libri parte merum somnium narrari existimat, nullo idoneo argumento nititur. Nam quod Jonas 1, 5. dormivisse dicitur, minime arguit, quae deinceps narrantur in somnio ipsi objecta esse. Nec verisimile est, scriptorem historiae suae somnii narrationem immiscuisse, lectore ne verbulo quidem ea de re monito. Sane Gen. 28, 12. narrationi somnii Jacobi de scala coeli diserte praemittitur: *somniavit.* Affert quidem Grimmius, ut probet, somnia nonnumquam in V. T. narrari, nullo ejus rei facto indicio, locum Gen. 32, 24., ubi Jacobus cum deo luctatus traditur, quod cum J. D. Michaele in somnio contigisse censet. Sed hoc ipsum mera ex conjectura sumitur, eaque perquam infirma. Nos quidem haud dubitamus, veteri illi scriptori persuasum fuisse, Jacobum non in somnio, sed vere cum deo luctatum esse.

Iis qui narrationem de Jonae fatis, quae hoc libro continetur, re vere facta niti existimant, haud dubitamus accensere J. C. C. Nachtigalium (*Ueber das Buch des A. T. mit der Aufschrift: Jonas.* In *der allgem. Biblioth. der bibl. Literat. von J. G. Eichhorn.* T. IX. Lips. 1799. p. 221. sqq.), etsi ipse hunc libellum, uti nunc comparatus est, *apologum* referre ait, qui ex tribus totidem auctorum symbolis sensim in unum corpusculum coalucrit. Illius fundum esse preces Cap. 2, 3—10, quae ipsius Jonae sint. Has forsan olim solas inter libros sacros fuisse repertas cum hac inscriptione: *Preces Jonae, filii Amithai, postquam Deus illum e manu regis Assyriorum liberasset;* saltem antiquam traditionem popularem Jonae eas tribuisse. Suspicatur, Jonam ab Israelitarum rege, forsan Jeroboamo II., legatum missum fuisse ad offensum Assyriorum regem, bellumque minantem, ad ejus iram deprecandam; tum in magnum incidisse periculum, ex quo inopinato liberatus sit, atque hac occassione

illas fudisse preces; in iis vatem summum vitae amittendae periculum poetice pingere, ita ut se in mare projectum aquarum mole obrutum, et cum fluctibus colluctantem proponeret. Quae omnia improprie putat intelligenda esse de periculo maximo et praesentissimo, quemadmodum in pluribus Psalmorum locis status hominis in summo versantis periculo describitur imaginibus ab homine fluctibus immerso et in vitae discrimen redacto depromtis veluti Ps. 18, 5. 17. 42, 7. 8. 69, 2. 3. 4. 15. 16. 88, 4. 7. 8. 17. 18. Precibus illis Nachtigalus conjicit ab alia manu, fortassis in exilio Babylonico, additum esse apologum de Jona ad Ninevitas Dei jussu cum minis repentini interitus misso, nisi resipuerint, quae felicem habuerint effectum, ut discerent Hebraei, alias quoque gentes Deo curae cordique, et saepe Israelitis esse meliores, adeoque supercilium, fastum, et exterorum populorum contemtum esse deponendum, eorum exitium non optandum. Narrationem denique de Jonae fuga deque tempestate et pisce Nachtigalus praemissam judicat prologi loco Esrae demum aut Nehemiae tempore. Imagines *maris*, *aquarum*, *fluctuumque* in Jonae precibus, atque mentionem fugae in Tartessum per mare mediterraneum 4, 2. injecisse prologi auctori cogitationem de tempestate et naufragio, phrasin בטן שאול vero 2, 3. dedisse ei ansam figmenti de *piscis grandis ventre*, in quo vates detentus fuerit. Quae omnis Nachtigali de hujus libelli indole et ortu sententia quam sit artificiose excogitata, et vel hoc nomine parum verisimilis, quam incertis, lubricis et pro lubitu adsumtis fundamentis sit nixa, vix est quod moneamus.

Quae in hoc libro narrantur certo cuidam fundamento superstructa esse, nec dubitat, qui subtiliter de rebus Jonae inquisivit, Jo. Dav. Goldhorn (*Excurse zum Buche Jonas. Ein Beitrag zur Beurtheilung der neuesten Erklärungen dieses Propheten und der Berufungen auf ihn im neuen Testamente.* Lips. 1803. 8.), sed, quum longo temporis intervallo vulgi ore propagata essent, multis illis accessionibus aucta, exornata et ampliata censet. Amputatis, quae in omni hac narratione fabu-

losa et minus credibilia viderentur, quae acciderint Jonae, pro temporum, quibus vixit, ratione, huc fere redire arbitratur: Phule, rege Assyriorum, bellum Israelitis inferre parante Jeroboamus II. impendens malum avertere studens, legato ad Assyrium misso, Jonam elegit, virum rerum peritum, patriaeque amantissimum. Vates, regium mandatum lubens in se suspiciens, in aula Assyriaca non legati regis Israelitici, sed hominis numinis jussu Niniven missi personam gerere apud se constituit, quo majorem sibi auctoritatem, et sermonibus plus momenti ponderisque sese conciliaturum sperabat. Vix tamen inter Niniven ingressus, animum vatis metus incessit, ne vana et irrita futura sit legatio suscepta, imo sibi patriaeque damnosa. Quum autem Samariam redire non auderet, in portu Joppensi navem conscendit Tartessum petentem. Ea, tempestate coorta, ventis et fluctibus agitata, frangi periclitatur. In quo extremo discrimine quum nautae, pro istius aetatis cogitandi ratione, mali divinitus in se concitati causam crederent hominem, quem deorum irae persequerentur, inter vectores versantem, de eo, jactis sortibus, sciscitantur. Sorte Jonam designante, is, ut placarentur dii, in mare projicitur, sed tabulam aut cymbam nactus salvus et incolumis litus attingit. Faustum inde omen concipiens forti jam et intrepido animo vates Niniven pergit, ubi causam Israeliticam ita feliciter agit, ut rex Assyrius cum Jeroboamo in gratiam redeat. Quo optato successu fidentior redditus, patrii sui dei, Jovae, honorem apud Ninevitas vindicare animum inducit, eosque ad tam praepotens ac tot tantisque apud populum Israeliticum miris et egregiis factis illustre numen colendum serio hortatur. Neque hoc frustra: ita enim vatis facundia et potentis eloquii virtus Ninevitarum mentes commovet, ut rex, metu concitatus, solemnem supplicationem imperet. Talia contingere *potuisse*, quis negabit? vere accidisse, nec ipse Vir sagacissimus perhibebit, quum et longe secus facta cogitari possint. Praeterea nullo testimonio constat, exstitisse jam Jeroboamo II., cujus tempore Jonas vixit, Assyrios metuendi causam, qua per-

motus vatem cum mandatis Niniven miserit. Nam tertium demum post Jeroboamum II., Israelitarum regem, Menahemum, postque interregnum, Jeroboamo mortuo, undecim aut duodecim annorum, uti rationes chronologicae docent, Phul, Assyriae rex, tributarium sibi fecit, 2 Reg. 15, 19.

Narrationi quae Jonae libro continetur rem vere factam subesse, cujus memoria sermonibus hominum propagata tum inter Israelitas superesset, sed eam mythice exornatam, et ingenio legentium, qui miraculis delectabantur, accommodatam, judicavit et THEOPH. SAM. FORBIGER in Prolusione scholastica, cui inest *Commentatio de Lycophronis Alexandra Vs.* 31 — 37. Lipsiae, 1827. in octon. Loco Lycophronis docte illustrato et disquisitione instituta de fabula Herculis et ceti addidit *Ἐπίμετρον* de simili fato Jovae prophetae p. 21. sqq. Scilicet id, quod caput rei est, sibi sic fingit: Jonas, qui prophetae officium praestabat et propterea etiam rebus civilibus aptus erat, Deo sic volente et moderante, ad regem Assyriorum et regiae urbis cives missus est, fortasse ut de foedere et societate, vel de tributi remissione, vel aliis de rebus publicis ageret, et per hanc opportunitatem experirctur, num hominibus illis polytheis et improbis meliorem de Jova ejusdemque cultu sententiam, num mentem saniorem instillare posset. Accipit mandatum Jonas; sed dum in via est, periculo hujus legationis magis perpenso, detrectat impositum officium, et quia Samariam redire veretur, maritimo itinere aufugere tentat. Reperit Joppae navem in Hispaniam ire paratam, quam conscendit; sed mox gravis tempestas oritur, qua parum abest, ut intereat: divino tamen beneficio incolumis evadit. „Hactenus," pergit, „haec omnia vere facta esse possunt; nam, quae porro sequuntur, ad me jam non pertinere dixi. Hanc igitur rem saepius narratam, et, ut fit, paulatim mutatam et in miraculum versam, post aliquot hominum aetates auctor libri Jonae ornatius narrare instituit, et quum e vicinis Phoenices incolis aliquid de Herculis Tyrii mythis audiisset, his ad ornatum argumenti sui usus est. Erant utrinque tam multa similia:

Hercules volebat Tartessum navigare, et Jonas in Tartessia navi avectus est; ille e portu aliquo Phoenicio, hic e Joppensi Phoeniciae finitimo solvit; uterque tempestatem et maris pericula sensit; Herculem vero narrabant ab ingente pisce devoratum, et tamen vivum in terram redditum esse: habemus ipsam hebraei scriptoris de Jona narrationem. Nunc nihil amplius quaero." Qua in expositione acumen nemo desiderabit; sed quae nobis obstare videantur, quo minus Jonam omnino Niniven missum fuisse credamus, diximus ad eam, quam supra enarravimus, S. V. Goldhornii de iis quae Jonae acciderint sententiam.

V.

Sententiae eorum qui Jonae libro fabulam contineri existimant.

In hac dissensione eorum, qui res in facto positas Jonae libro narrari volunt, quum nulla certa ratio difficultates in illo obvias amoliendi reperiatur, alii tutissimum judicarunt, omnem hanc narrationem pro fabula habere, eo fine composita, ut utilem aliquam et salutarem doctrinam commendet et inculcet. Sunt (veluti J. S. Semler in *Apparatu ad liberaliorem V. T. interpretationem* p. 271. et J. D. Michaelis in Notis ad versionem prophetarum minorum vernaculam), qui hac fabula Hebraeos moneri existiment, injustum esse odium ipsorum in alias gentes, quas Deus pari amore prosequatur, et quarum non minus quam Hebraeorum misereatur. Eichhorn (*Isagog. in V. T.* P. III. p. 288. edit. tert. p. 260. edit. sec.) Jonae historia hoc doceri arbitratur, gentes alias, utut idolorum cultui addictas, pietate tamen et animi probitate Hebraeo populo longe antecellere, et proinde divino favore esse dignissimas. Hebraei, excellentia et praestantia sua freti, alios populos semper despexerunt, etsi eos interdum in colendis alienis diis imitati, malignitate vincerent prophetarum admonitionibus neglectis. Jam vero horum oracula a Judaeis, tanquam doctoribus, cognitionem meliorem et cultum Jovae ad gentes, hujus sapientiae cupidas, transmigraturum esse,

saepe promiserant. Ut igitur Hebraeorum contumacia animusque in Deum ingratus, eos maximis semper beneficiis ornantem, in aprico poneretur, scriptam hanc fabulam esse. Jonae personâ sisti populum Hebraeum, gentium aliarum magistrum, sed talem, quem discipuli longe post se relicturi essent. Hunc vero vatem fabulae personam delectum esse a libri scriptore, quod sua aetate nihil de illo, praeter nomen, cognitum esset. G. F. Hezel (in Bibliis vernaculis notis a se illustratis) fabulae consilium eo refert, munus propheticum, quamvis difficile et aleae plenum, tamen haudquaquam detrectare illum debere, cui a Deo demandetur, quum per prophetas Deus etiam in gentibus incultis et nulla Jovae notitia imbutis effectus maxime salutares producat, quibus molestiae, quas vates subit, non sint aequiparandae. H. E. G. Paulus (*Memorabil* P. VI, p. 32. sqq.) parabola nostra doceri existimat, Deum minas gravissimas, vel in alios populos pronuntiatas, revocare et tollere, si moniti vitia aboleant, atque vitam moresque emendent. Ex J. G. A. Müllerı (*Memorabil.* P. VI. p. 142. sqq.) sententia libri nostri scriptor Jovam benignissimum et clementissimum, infirmitatis humanae ratione habita, libenter peccatoribus, quos delictorum serio poenituerit, condonare, *tripartito* docere voluit: prima quidem parte Jonae exemplo, Ninum proficisci jussi, qui quum se mandato exsequendo subtrahere conaretur, a Jova punitur, sed tempestate violenta perterritus, se turpiter egisse agnoscens, servatur. In parte secunda Ninevitas primarias agere partes, qui etsi ita flagitiosi et corrupti essent, ut Jova eos delere funditusque evertere apud se constituerit, tamen, postquam resipuerint, servantur. Ne vero aliquis obvertat, ejusmodi indulgentiam minime esse justitiae divinae consentaneam, tertia libri parte auctorem monstrandum sibi sumere, tantum abesse, ut venia et impunitas hominibus concessa divinae justitiae adversetur, ut potius summa injustitia reputanda foret, nisi sontibus in poenitentiam et emendationem versis ignoscere Deus vellet, longe plerisque, pro humanae naturae imbecillitate, inconsiderate magis negligenterque agentibus,

quam consulto et de industria delicta committentibus. — J. H. Pareau (*Instit. Interpretis V. T.* Traj. ad Rhen. 1822. p. 534.) quum librum hunc ad verae historiae normam exponi vix posse intelligeret, sibi ad tuendum Sacri Codicis honorem maxime haec commendabilis videbatur sententia, esse parabolam moralem, cujus hoc fuerit consilium gravissimum, ut doceretur, Jovam aliarum etiam gentium curam habere perquam sapientem et benignam; opportunitatem autem hujus parabolae desumtam fuisse ex Jonae, prophetae Israelitici, divino de Ninevitis mandato se subducere volentis, idcoque summo vitae periculo in maritimo itinere expositi, historia; carmen vero Cap. 2. esse ipsius Jonae, quo suam in tanto periculo liberationem celebraverit. — Horum tamen Virorum doctorum nullum miror indagasse, quid auctori parabolae ansam dederit, eam eo, quo fecit, modo adornandi, praesertim narrationis ei insertae de Jona a marino monstro deglutito, et ex ejus visceribus vivo egresso.

VI.

Nostra de libri Jonae indole ac consilio sententia.

Rationum, quas commemoravimus, nulla quum aut tollendis difficultatibus hoc libro obviis, aut patefaciendo scriptoris in eo concinnando consilio par videatur, me operae pretium facturum putavi, si aliam viam ingrederer ad eruendum nostri libri originem ac finem. Quam nostram sententiam viris doctis jam examinandam proponere liceat.

Mythus exstabat, origine fortasse Phoenicius, inter Graecos quoque pervulgatus, de Hercule a marino monstro devorato, sed incolumi inde egresso. Alludit ad eum Lycophron (*Cassandra* Vs. 33. sq.), Cassandram inducens, quae Trojam, jam olim vastatam, incensam fuisse dicit a navibus

Τριεσπέρου λέοντος, ὅν ποτε γνάθοις
Τρίστωνος ἡμάλεψε κάρχαρος κύων,
Trinoctii leonis, asper quem canis
Tritonis avidis faucibus deglutiit,

id est, Herculis, quem absorpsit canis carcharias a Neptuno immissus. Cum enim Hesionem, Laomedontis filiam, jam esset devoraturus, Hercules *χωστὸν τεῖχος ποιήσας, καὶ στὰς ὡπλισμένος παρὰ τὸ στόμιον, ὡς κεχηνὸς ἐπῆει τὸ κῆτος, ἀθρόως τῷ τούτου ἐμπεπήδηκε στόματι· τρισὶ δὲ ἡμέραις ἔνδοθεν κατακόπτων αὐτῷ ἐξῆλθεν, ἀποβεβληκὼς τὴν τῆς ἑαυτοῦ κεφαλῆς τρίχωσιν, aggere facto, cum ad ostium staret armatus, ut ore hiante cetus accessit, statim in os illius insiliit, et cum toto triduo eum intus discerpsisset, capitis sui caesarie amissa exiit.* Ita Scholiastes, Isaacius Tzetzes, qui et ob id ipsum Herculem a Lycophrone dici vult *τριέσπερον, διὰ τὸ ἐν τῷ κήτει τρεῖς ἡμέρας ποιῆσαι, ἃς ἑσπέρας καλεῖ, διὰ τὸ ἀφώτιστον καὶ σκοτεινὸν εἶναι γαστέρα τοῦ θηρίου, eo quod tribus diebus in cete haesit, quos vesperas vocat, quia obscurus et tenebrosus erat venter belluae* *). Cyrillus (in *Commentar. ad Jon.* II.) quoque Graecos observat de suo Hercule fabulam habere, Jonae historiae non absimilem, illum *καταποθῆναι μὲν ὑπὸ κήτους, ἐκδοθῆναι δὲ πάλιν ἐκ τῆς ἐμφύτου θερμότητος ἐψιλωμένης αὐτῷ τῆς κεφαλῆς, deglutitum quidem a cete fuisse, sed redditum caesarie privatum, ob ingenuam* belluae *caliditatem.* Hunc igitur mythum, cum aliis vicinarum gentium superstitionibus ad Judaeos quoque, uti credibile est, perlatum (vid. not. ad 1, 3.), hujus libri scriptor rationibus Hebraicis accommodatum, exornatum et ampliatum, prouti in rem suam conducere videtur, intexuit narrationi ad redarguendos atque corrigendos Hebraeos a se compositae, qua sistitur populus peregrinus, idolis colendis addictus, qui ut primum a prophetis reprehensus erat, vitam emendavit, et ad frugem rediit, quum contra Israeliticus populus iterum iterumque a prophetis monitus non resipisceret.

---

*) Monet tamen Forbiger in Prolus. supra laudata p. 520., Tzetzem hanc explicationem in Scholio demum posteriori adoptasse; in priori *τριέσπερον* rectius cum aliis Grammaticis *trinoctio genitum* explicare, secundum notissimam fabulam de Jove, qui, ut Alcmene diutius perfrueretur, et fortissimum filium generaret, tres noctes in unam conflavit.

Quod autem Jonas impositum sibi munus Ninevitas ad virtutis studium exhortandi detrectans describitur, in eo poetae prudentia elucet, qui hoc ipso fictioni suae majorem veri speciem apud lectores suos conciliavit. Exspectandum enim erat a vate Israelitico, ut, magno patriae et populi sui amore ductus, timeret, ne Deus pro sua clementia Ninevitis resipiscentibus ignosceret, quod Israelitis condemnationi esset. Jam quod Jonas resipiscentibus et servatis Ninevitis in stomachum erumpit, poetae, Deum reprehendentem inducenti, viam aperit ad docendum, clementissimum numen serio poenitentibus, cujuscunque sint nationis, peccata condonare.

VII.

Quo tempore Jonae liber sit scriptus.

Non curamus eorum opinionem, qui Jonam existimant hoc libro ipsum, quae ipsi evenerint, litteris mandasse, quum nos nihil omnino vere gesti illo contineri admittamus. Verum nec illi, qui parabolam agnoscunt, consentiunt de tempore, quo conscriptus sit liber. Post destructam a Cyaxare Niniven, sub finem exilii Babylonici, scriptum esse, Müllerus (*Memorabil.* P. VI. p. 146. sqq.) inde colligit, quod urbis illius magnitudo 3, 2. describitur, quae, dum illa staret, aequalibus tam nota esse debuerit, ut supervacaneum fuisset, eos de tali re monere. Quod argumentum nobis nihil valere videtur; nam priscis istis temporibus, quibus populi mutuis commerciis minus inter se juncti essent, hominumque maxima pars notionum geographicarum plane expers esset, paucis tantummodo Hebraeorum, florenti metropoli Assyriae aequalium, ejus magnitudinem cognitam fuisse credibile est. Nachtigali sententiam, quam supra enarravimus, librum nostrum ex tribus origine diversis particulis compositum esse, quarum media, antiquissima (Jonae hymnum continens 2, 3—10.), duarum reliquarum multo serius additarum ansam praebuerit, diligenter examinavit, idoneisque argumentis refutavit Goldhorn, cui verisimile est, versantibus inter Assyrios Israe-

litis exulibus ab homine quodam ex eis literato perscriptum esse librum, edocendis quidem potissimum suis popularibus, verum et permulcendis et deliniendis Assyriis, de exulibus secus judicantibus; sistuntur enim Ninevitae tales, qui in audiendis et admittendis salutaribus monitis sese faciles praebent. Nobis quidem haudquaquam dubium est, librum compositum esse ante deletam a Cyaxare Niniven, serioribus tamen regni Judaici temporibus. Prius enim suadet servatae ab imminente interitu Ninives mentio, alterum sermo ad seriorem Hebraismum et Chaldaismum inclinans, veluti מלחים 1, 5., בשלמי 1, 7., בשלי 1, 12., שבן־לילח 4, 10., ימן 2, 1. 4, 6. 8., עשת 1, 6., ספינה 1, 5. Jeremiae forsan aequalis fuerit auctor, ultimisque Josiae regis annis hunc ingenii sui foetum ediderit.

JONAS.

CAP. I.

Argumentum.

Jonas a Deo Niniven profeicisci jussus, mandatum divinum detrectans, conscensa nave Tartessum fugere apud se constituit (Vs. 1—3.). Vix iter ingressus erat, cum subita quaedam tempestas oborta movet nautas, ut jactis sortibus, quisnam ipsis imminentis interitus sit causa, sciscitarentur (Vs. 4—7.). Sorte Jonam designante, is fugae suae exposita causa suadet, ut se in mare projecto et mari et nautis quietem procurarent (Vs. 8—14.). In mare dejectum vatem monstrum marinum deglutit, in cujus ventre triduum versatur (Vs. 15 — 17.).

1. Ex eo quod Jonae liber particula copulante orditur in וַיְהִי, quidam collegerunt, mutilum esse libellum et majoris operis fragmentum. Verum illud argumentum nihil valet; nam solent ea formula Hebraei sermones et libros auspicari. Vid. 1 Sam. 1, 1. Ruth. 1, 1. Esth. 1, 1. Esr. 1, 1. Convertit ergo *Vav* tantum, non copulat. דְּבַר־יְהוָה *Verbum Jovae.* Chaldaeus: *verbum prophetiae a Jova.* Nomen vatis nostri, יוֹנָה, vel *columbam* significat, vel *opprimentem*, ut חֶרֶב הַיּוֹנָה *gladius opprimens*, Jer. 46, 16., et עִיר הַיּוֹנָה *civitas opprimens*, Zeph. 3, 1. Coccejus Jonae parentes filio hoc nomen imposuisse censet, cum ut *τὴν ἀκεραιότητα τῆς περιστερᾶς* (Matth. 10, 16.) sinceramque pietatem commendarent, tum ut miseriam populi Israelitici ab hostibus oppressi hoc memoriali deplorarent. Nomen parentis vatis nostri, אֲמִתַּי, notare videtur: *veritas est Jovae*, vel: *Jova est veritas.* Arabes אֲמִתַּי nomen matris prophetae existimant, sed in *Mata* mutatum (quam opinionem a Judaeis acceperunt), neque ullum prophetam ex nomine matris celebrari, nisi Jonam et Christum.

2. קוּם לֵךְ *Surge* et sine mora *abi*, ut infra 3, 1. Asyndeton emphaticum, ut Hos. 1, 2. לֵךְ קַח־לְךָ אֵשֶׁת, ad quem loc. vid. not. קוּם *Surge!* hortantis, ut saepe alias קוּמָה, quasi dicat: accinge te, ut strenue quod jubeo exequare. אֶל־נִינְוֵה *Ninive* sive *Ninum*, ut Graeci et Romani scriptores eam vocant, a Nino

ad orientalem Tigridis ripam conditam ac denominatam, q. d. *Nini habitationem*, Gen. 10, 11. Metropolis fuit et sedes antiquissima imperii Assyriorum, eversa tandem a Medis et Chaldaeis, non adeo longo tempore ante initia Cyri, quando regnum apud Judaeos tenebat Zedekias, et apud Babylonios Nebucadnezar. Plura de hac urbe vid. in libr. nostr. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 94. sqq. הָעִיר הַגְּדוֹלָה *Urbem illam magnam.* Multo enim amplior fuit Babylone, Strabone teste, qui Babylonis ambitum 385 stadiis definivit, et secundum Diodorum complexa est Ninus 480 stadia, hoc est, 15 milliaria Germanica in ambitu, cf. infra 3, 3. 4, 11. Addit Diodorus L. II. C. 3., illius conditorem, Ninum, id sibi proposuisse, *ut urbem exstrueret tantae magnitudinis, ut non solum urbium, quae tunc temporis per totum orbem exstabant, esset maxima, sed neque posterorum ullus quicquam moliri majus facile aggrederetur.* Et paulo post: *talem urbem nemo condidit deinceps, neque magnitudine ambitus, neque moenium magnificentia.* וּקְרָא עָלֶיהָ *Et proclama contra eam*, scilicet, quod de ea evertenda decrevi, nisi resipiscat, vel, *eam quadraginta dierum spatio eversurum iri*, ut infra 3, 4., ubi Jonas jussus proclamare in Niniven edictam a Deo proclamationem, hoc proclamasse dicitur: *adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur.* Hieronymus post LXX עָלֶיהָ vertit *in ea.* Intelligi possit: *ei*, ut sit pro אֵלֶיהָ, quod infra 3, 2. ponitur, ut עַל saepe pro אֶל dicitur, et vicissim. Quare vero illud a Jona proclamari velit, additur ratio: כִּי־עָלְתָה רָעָתָם לְפָנָי *quia ascendit eorum malitia coram me*, ad me murmur pervenit scelerum eorum; ita excrevere et usque adeo aperta sunt eorum facinora, tanta est oppressorum querela, ut jam ultra connivere non possim. Isto loquendi modo significari solet vitiorum gravitas et magnitudo, ut Gen. 18, 21.: *descendam et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.* Cf. Gen. 4, 10. Apoc. 18, 5.

3. וַיָּקָם יוֹנָה לִבְרֹחַ תַּרְשִׁישָׁה *Sed surrexit Jonas* non ad eundum, quo jussus erat (Vs. 2.), sed *ad aufugiendum Tartessum* Hispaniae Baeticae, vid. not. ad Gen. 10, 4. et Ezech. 27, 12. Hieronymus: „Fugere voluit in Tharsis, quam Josephus interpretatur Tharsum, Ciliciae civitatem, prima tamen litera commutata; quantum vero in Paralipomenon libris [2 Paral. 20, 36] intelligi datur, quidam locus Indiae sic vocatur. Porro Hebraei *Tharsis mare* dici generaliter autumant, secundum illud [Ps. 48, 8.]: *in spiritu vehementi confringes naves Tharsis*, id est, *maris.* Et in Jesaja [2, 16.]: *ululate naves Tharsis.* Non igitur propheta ad certum fugere cupiebat locum, sed mare ingrediens quocunque pergere festinabat: et magis hoc convenit fugitivo et timido, non locum fugae otiose eligere, sed primam occasionem arripere navigandi.“ תַּרְשִׁישׁ Hebraeos *mare* interpretari observat Hieronymus quoque ad Jes. 2, 16., vid. not. nostr. ad eum

locum. Sane Chaldaeus etiam nostro loco sic vertit, uti et aliis locis. מִלִּפְנֵי יְהוָֹה *De ante Dominum*, i. e. ex ea regione, in qua Deus peculiari quadam ratione praesens esse credebatur, et in qua prophetis se manifestare solebat. Ita 2 Reg. 6, 32. *Rex misit nuntium* מִלְּפָנָיו *a coram se*, ab eo loco, in quo praesens erat. Evasisse se opinabatur Jonas, si Judaeam relinqueret, aut Deum a vocatione sua destiturum, si aliud ipse ageret, et quam longissime abiret. Causam cur fugeret infra 4, 2. fuisse ait Dei lenitatem et ad cladem denuntiatam perficiendam tarditatem: *Nonne hoc verbum meum erat, cum adhuc in terra mea essem? Propterea anteverti fugiendo in Tharsis; sciebam enim, te Deum gratiosum et longanimum esse.* Verebatur igitur, ne falsus propheta haberetur. Hieronymus: „Videns Jonas, comprophetas suos mitti ad oves perditos domus Israel, ut ad poenitentiam populum provocarent; dolet se solum electum, qui mitteretur ad Assyrios, inimicos Israel, et ad civitatem hostium maximam, ubi idololatria, ubi ignoratio Dei: et, quod his majus est, timebat, ne per occasionem praedicationis suae istis conversis ad poenitentiam, Israel penitus relinqueretur.“ וַיֵּרֶד יָפוֹ *Et descendit Joppen*, portum Palaestinae, Hierosolymae proximum, qui hodienum *Jafa* s. *Jaffa* dicitur. Sita erat urbs in finibus tribus Dan, vid. Jos. 19, 46. Cf. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 339. sqq. Hieronymus: „Hic locus est, in quo usque hodie saxa monstrantur in littore, in quibus Andromeda religata Persei quondam sit liberata praesidio. Scit eruditus lector historiam. Sed et juxta regionis naturam de montanis et arduis ad Joppen et campestria veniens propheta, recte dicitur *descendisse*.“ Videlicet quum terra sit mari editior, ab arido Palaestinae ad mare *descendi* dicitur, quod inprimis valet de ora maris mediterranei ad intermediam Cananaeae partem relata. Ex hac enim mare mediterraneum versus *descenditur*. Non praeter rem est, quod Hieronymus commonefacit mythum de Andromeda, ceto objecta prope Joppen, sed Persei virtute liberata. Qui mythus cognatus videtur cum illo de Hesione, item monstro marino objecta, ab Hercule liberata, vid. Prolegomm. §. VI. Plinius *Hist. Nat.* L. V. C. 13. *Joppe Phoenicum, antiquior terrarum inundatione, ut ferunt. Insidet collem praejacente saxo, in quo vinculorum Andromedae vestigia ostendunt. Colitur illic fabulosa Ceto*, sive *Derceto*, quae et *Adergatis* vocatur, nomine ex *Adirdaga* corrupto, i. e. אַדִּיר דָּג *piscis magnificus* (דָּג גָּדוֹל infra 2, 1.), observante Seldeno *de Diis Syris* Syntagm. II. cap. 3. p. 267. Colebatur enim Phoenicia illa et Babylonia Dea imagine feminae semipiscis. וַיִּמְצָא אֳנִיָּה בָּאָה תַרְשִׁישׁ *Invenitque navem euntem Tartessum*, i. e. abituram, jam paratam Tartessum ire. Verbum בּוֹא, alias *venire*, hic *ire* significat, ut Ruth 3, 7. וַיָּבֹא לִשְׁכַּב *venit cubitum*, i. e. ivit. Latinis quoque *venio* nonnunquam pro *eo*. Terentius in *Adelphis* Act. II. Sc. 2. Vs. 23. *Nisi Cyprum*

ad mercatum veniam, damnum maximum est. *Venire* et *ire* idem sunt re ipsa, sola ratione differunt. Hinc fit, ut *eundi* etiam verbum aliquando *veniendi* notionem habeat. Num. 22, 37. *Dixit Balac Bileamo: quare non ivisti ad me?* i. e. venisti? וַיִּתֵּן שְׂכָרָהּ *Dedit mercedem ejus*, navis, quantum quisque solvebat pro vectura, naulum, qua voce LXX usi sunt. וַיֵּרֶד בָּהּ *Descenditque in eam.* Sic loquuntur Hebraei. Latini potius dicerent: *conscendit eam.* Utrumque bene dicitur, sed diversa ratione. Nam qui navim *conscendit*, idem in eam *descendit*, cum ex foris in alvum se recipit. Aut alio respexerunt: nam altior terra videtur, quam aqua. Ita Jes. 42, 10. *qui descendunt ad mare*, i. e. qui navibus mari se committunt. Ps. 107, 23. *qui descendunt ad mare in navibus.* לָבוֹא עִמָּהֶם תַּרְשִׁישָׁה *Ad veniendum*, proficiscendum *cum illis*, nautis, *Tartessum*, ut cum illis Tartessum contenderet. Suffixum plurale in עמהם referendum ad nomen e contexta eruendum, ut Ezech. 5, 1. וְחַלְּקֵהֶם, ad quem loc. vid. not. Jam enim dixerat: navem eum offendisse ire paratam, quod ad *nautas*, qui navim agebant, pertinet.

4. Quum vero jam securus esset Jonas, et a Dei mandato sese immunem crederet, הַיָּם — וַיהוָה *Jova projecit*, immisit, *ventum magnum*, vehementem, *in mare.* Verbum הַטִּיל Kimchi inquit habere *significationem advectionis et immissionis*, q. d. velut ex alto immisit ac protrusit, praecipitavit. LXX: ἐξήγειρε. Chaldaeus et Syrus: *excitavit.* וַיְהִי סַעַר־גָּדוֹל בַּיָּם *Et coorta est magna tempestas* (LXX: κλύδων μέγας) *in mari* eo, in quo erat Jonas, propterea cum He demonstrativo dicitur הַיָּם et בַּיָּם. וְהָאֳנִיָּה חִשְּׁבָה לְהִשָּׁבֵר *Et navis putabat frangi*, i. e. usque adeo tempestas saeviebat, ut navis frangi periclitaretur. LXX: καὶ τὸ πλοῖον ἐκινδύνευε τοῦ συντριβῆναι, nec non Hieronymus: *et navis periclitabatur conteri.* In phrasi hebraea metaphora est ab hominibus, qui periclitantur illis malis, quae sibi fore putant.

5. וַיִּירְאוּ הַמַּלָּחִים *Timuerunt*, metu perculsi sunt *nautae;* eorum nomen hebraicum hic usurpatum est a מֶלַח *sale; sal* autem et ἅλς Graecis quoque Latinisque vocatur mare ipsum. Sic VIRGILIUS *Aen.* I. Vs. 35.: *Vela dabant, laeti et spumas salis aere ruebant.* Et 10, 214.: *et campos salis aere secabant.* Hinc ἅλιος *marinus.* Sic Homero *Odyss.* IV. Vs. 349. Proteus vocatur γέρων ἅλιος, i. e. θαλάσσιος γέρων, *senex marinus*, ut Scholiastes explicat. Sunt igitur מַלָּחִים quos Galli *mariniers* vocant. Est autem haec vox Syris et Chaldaeis magis propria, utiturque ea praeter nostrum scriptorem solus Ezechiel, 27, 9. 27. 29. וַיִּזְעֲקוּ אִישׁ אֶל־אֱלֹהָיו *Et vociferati sunt quisque ad Deum suum*, quisque numinis sui auxilium imploravit. Chaldaeus addit: *sed quum vidissent, nihil in iis* (idolis) *esse utilitatis.* וַיָּטִילוּ — הַיָּם *Projecerunt vasa*, s. *instrumenta, quae in navi* erant, suppellectilem, merces et armamenta, quibus navis onera-

batur, *in mare*. Solet enim a nautis naufragio perielitantibus projectio impedimentorum et onerum fieri illius levandae causa. Vid. Act. 27, 18. 19., ubi eadem phrasis, qua LXX hoc loco utuntur ad exprimenda verba hebraca, ἐκβολὴν ἐποιήσαντο τῶν σκευῶν. לְהָקֵל מֵעֲלֵיהֶם *Ad levandum* navem *illis*, impedimentis, ut illorum jactura levior fieret. Potest מעליהם ad *nautas* referri: *ut a se levarent*, i. e. ut sibi navis allevaretur. Cf. 1 Reg. 12, 10. הָקֵל מֵעָלֵינוּ *leva a nobis* jugum a patre impositum. LXX: κουφισθῆναι, ut Act. 27, 38. וְיוֹנָה יָרַד אֶל־יַרְכְּתֵי הַסְּפִינָה *Jonas autem descendit ad latera navis*, i. e. *ad interiora navis*, ut recte Hieronymus. LXX: εἰς τὴν κοίλην τοῦ πλοίου. Chaldaeus: *ad infimum navis latus*. Cf. יַרְכְּתֵי בַיִת *interiora domus*, Amos 6, 10., et not. ad eum loc. Nomen סְסִינָה, hoc solo loco obvium, usitatius est Aramaeis et Arabibus. וַיִּשְׁכַּב וַיֵּרָדַם *Et recubuit*, ad somnum se composuit (ut Gen. 28, 11.), *et sopore gravi*, profundissime *sopitus erat*, ut Vs. 6. Jud. 4, 21. Ps. 76, 7. LXX: καὶ ἐκάθευδε καὶ ἔρεγχε.

6. Quum securum Jonam et otiosum, graviter laborantibus ceteris, et nihil non tentantibus, ut tempestatem sedarent, viderent, וַיִּקְרַב אֵלָיו רַב הַחֹבֵל *tum ad eum accessit princeps nautae*, i. e. *nautarum*, ut recte Chaldaeus et Syrus verterunt. LXX: πρωρεύς, Hieronymus: *gubernator*. חֹבֵל *Nauta* (ut Ezech. 27, 28. 29.), videtur dici a חֲבָלִים *funibus* contrahendis vel laxandis, quod in navi regenda non parvi est momenti. Ceterum nomen singulare h. l. collective capiendum esse, res ipsa docet. וַיֹּאמֶר לוֹ מַה־לְּךָ נִרְדָּם *Dixitque ei: quid tibi est*, quid habes, לְהִיוֹת נִרְדָּם s. שֶׁאַתָּה נִרְדָּם quod *sopitus* sis? τί σὺ ῥέγχεις; ut LXX habent, quid stertis in summo periculo? קוּם קְרָא אֶל־אֱלֹהֶיךָ *Surge! age! invoca Deum tuum*, diis nostris forsan potentiorem, aut magis erga nos benevolum. אוּלַי יִתְעַשֵּׁת הָאֱלֹהִים לָנוּ *Si forte Deus recogitet de nobis*, ut recte Hieronymus vertit, i. e. nobis prospiciat et consulat, nostri curam habeat ad nos liberandos, ut Ps. 40, 17. *pauper sum et inops, Dominus de me cogitat*. Simili ratione Deus opem hominibus laturus dicitur eos *meminisse*, *videre*, *respicere*, e. c. Gen. 8, 1. Exod. 3, 7. 9. Sunt, qui vertant: *forsitan serenum* ac benevolum *sese nobis exhibebit Deus*, nam עָשַׁת in Cal notat *nitidum esse*, vid. Jer. 5, 28. Praestat tamen illam *cogitandi* significationem Chaldaeis et Syris familiarem retinere. Reliqui veteres sensum uteunque reddunt. LXX: εἴπως διασώσῃ ὁ Θεὸς ἡμᾶς. Chaldaeus: *si forte misericordia a Domino nobis concedatur*. Syrus: *forsitan servabit nos Deus*. HIERONYMUS: „Naturale est, unumquemque in suo periculo de alio plus sperare; unde gubernator, sive proreta, qui vectores timidos debuerat consolari, cernens discriminis magnitudinem, excitat dormientem, et arguit improvidae securitatis, commonetque, ut ipse quoque pro virili portione

deprecetur Deum suum, ut cujus erat commune periculum, communis esset oratio."

7. Tandem quum illa omnia frustra tentassent, — וַיֹּאמְרוּ אִישׁ לְרֵעֵהוּ *dixerunt vir ad socium suum*, i. e. unus ad alterum (ut Gen. 11, 3.): *venite*, agite dum, *jaciamus sortes, ut cognoscamus, propter quem malum hoc nobis* accidit. בְּשֶׁלְמִי pro בַּעֲבוּר מִי, vel לְמִי בַּאֲשֶׁר, uti est Vs. 8., *propter quem*, Chaldaico more. LXX: *τίνος ἕνεκεν*. Syrus: *propter quem?* i. e. cujus ob peccata. הָרָעָה *malum*, infortunium, ut Amos 3, 6. Tempestatem intelligunt, de cujus sacvitia quum nec vel tantillum remissum sit, eam colligunt non esse naturalem, sed alicujus ob scelus eorum, qui in navi essent, subortam, e communi antiquorum populorum opinione de vindicta divina, quae interdum ne insonti quidem cum scelesto degenti parcat. Ita qui cum Diagora Melio navigabant, ingenti orta tempestate, causam ad ipsum retulere tanquam *ἄθεον*, uti narrat Cicero *de Nat. Deor.* L. III. c. 37.: *Idemque* Diagoras, *quum ei naviganti vectores adversa tempestate timidi et perterriti dicerent, non injuria sibi illud accidere, qui illum in eandem navem recepissent; ostendit eis in eodem cursu multas alias laborantes, quaesivitque, num etiam in iis navibus Diagoram vehi crederent.* Horatius *Od.* L. 8. 2. Vs. 26. sqq. *Vetabo, qui Cereris sacrum Volgarit arcanum, sub iisdem Sit trabibus, fragilemque mecum Solvat phaselon. Saepe Diespiter Neglectus incesto addidit integrum.* וַיִּפְּלָה וגו׳ *Quum* igitur *sortes jecissent, sors in Jonam cecidit.* Aliquoties repetitas sortes, vel plures sortium species adhibitas, quibus constanter Jonas designatus fuerit, ex scriptoris mente intelligendas esse, Hebraei nonnulli interpretes e *plurali* גּוֹרָלוֹת colligunt, argumento parum firmo.

8. הַגִּידָה — הַגִּידָה נָּא לָנוּ *Expone nobis*, sodes, *propter quem hoc nobis malum evenit?* Jam sortito didicerant, Jonam esse in causa cur hoc infortunium ipsis acciderit; sed volunt, ut ipse ore proprio se, quum sit deprehensus, reum fatcatur, culpamque suam et scelus detegat. מַה־מְּלַאכְתְּךָ *Quodnam opus*, negotium *tuum est?* Quod alii de maleficio, alii de arte, seu vitae genere intelligunt (ut מַה־מַּעֲשֵׂיכֶם Gen. 46, 33. 47, 3.), sed rectius alii de *negotio suscepti itineris*, q. d. num forte mali quid machinaris? וּמֵאַיִן תָּבוֹא *Et unde venis*, ut Jes. 39, 3. *et unde veniunt?* מַה אַרְצֶךָ *Quae* est *terra*, patria *tua?* Ita Gen. 30, 25. *ibo ad locum meum* וְלַאַרְצִי *et in patriam meam*, quae אֶרֶץ מוֹלַדְתְּ *terra nativitatis* Gen. 31, 13., cf. ibid. Vs. 3. וְאֵי־מִזֶּה עַם אַתָּה *et quanam ex gente tu es?* Cf. 1 Sam. 30, 13. 2 Sam. 15, 2. Forsan enim scelerata est gens tua, tuque e regione profectus, quam Deus aversatur, nos omnes in hoc tantum discrimen conjecisti. Notanda brevitas, qualis in Virgilio *Aeneid* VIII. Vs. 112. sqq. *Juvenes, quae causa subegit Ignotas tentare*

vias? quo tenditis? inquit, Qui genus? unde domo? pacemque huc fertis an arma?

9. וַיֹּאמֶר אֲלֵיהֶם עִבְרִי אָנֹכִי *Respondit eis: Hebraeus ego* sum; ita vocatur Abrahamus Gen. 14, 13. et Josephus 39, 14. 41, 12., et Palaestina 11, 15. אֶרֶץ הָעִבְרִים *terra Hebraeorum.* 2 Cor. 11, 22. Ἑβραῖοι, Ἰσραηλῖται et σπέρμα Ἀβραάμ, ut ἰσοδυναμοῦντα conjunguntur, quemadmodum Phil. 3, 5. ἐκ γένος Ἰσραήλ, φυλῆς Βενιαμίν, Ἑβραῖος ἐκ Ἑβραίων. Non de patria tantum respondet Jonas, sed ad omnia interrogata. Nam *Ebraeus ego* et patriam continet, et populum indicat, et loeum unde venerat. Chaldaeus: *Judaeus ego*, ex stilo seculi sui. LXX vero: δοῦλος Κυρίου ἐγώ εἰμι, quod Arabs sequitur. Drusius Graecum interpretem conjicit עבד י legisse, sumto Jod pro nominis tetragrammati יהוה compendio. Nec improbabilis conjectura. Verum fortasse ita vertit Alexandrinus ratione habita loci 2 Reg. 14, 25., ubi Jonas עבד יהוה appellatur. וְאֶת־יְהוָה אֱלֹהֵי הַשָּׁמַיִם *Jovam, Deum*, moderatorem *coeli*, quo nomine, excepto loco Gen. 24, 3. 7., Deus vocari solet in serioribus V. T. scriptis, veluti Dan. 2, 44. Neh. 1, 4. 5. 2 Paral. 36, 23. Ps. 136, 26. אֲנִי יָרֵא *Ego timeo*, colo, revereor, *σέβομαι* recte LXX reddunt. Ita de cultu religioso verbum יָרֵא dicitur et Gen. 42, 17. 2 Reg. 4, 1. Jes. 29, 13. Mal. 1, 6. אֲשֶׁר עָשָׂה וגו׳ *Qui fecit mare et aridum*, terram, i. e. hoc universum. הַיַּבָּשָׁה *aridum*, ut Gen. 7, 22. חָרָבָה *siccum*, pro *terra*, coll. 2 Reg. 19, 15. Ps. 95, 5. *illi est mare, et ipse id fecit*, וְיַבָּשֶׁת *et aridum*, terram, *manus suae formarunt.* Quod imitatus Matthaeus 23, 15. περιάγετε τὴν θάλασσαν καὶ τὴν ξηράν. Ceterum *creatoris coeli terraeque* nomine Jova a falsis diis discerni solet. Sic Jer. 10, 11. *dii, qui coelum et terram non fecerunt, peribunt.* Ps. 96, 5. *omnes gentium dii sunt nulli, sed Jova fecit coelum.*

10. וַיִּירְאוּ הָאֲנָשִׁים יִרְאָה גְדוֹלָה Hinc *timuerunt homines* isti, nautae, *timorem magnum*, auditis, quae Jonas de sui Dei potentia dixerat, pavor eos incessit, quod tantum numen in se iratum haberet Jonas. Dicunt Hebraei *timere timorem, gaudere gaudium*, quod posterius nec Latinis inusitatum; vid. infra ad 4, 6. וַיֹּאמְרוּ אֵלָיו מַה־זֹּאת עָשִׂיתָ *Dixeruntque ad eum: quid hoc fecisti?* pessime feeisti, quod tam potenti Deo repugnasti et aufugisti, quum hac ratione etiam nos in exitium praecipites. Non interrogantes simpliciter ista dicentes indueuntur, sed admirantes, tanquam si dicerent: si colis Deum coeli et terrae, quemadmodum dicis, quomodo in animum induxisti, ab eo fugere? כִּי־יָדְעוּ וגו׳ *Nam cognoverunt homines illi, fugisse eum a conspectu Jovae, id enim ipse iis indicaverat.* Hieronymus: „Historiae ordo praeposterus est: quia enim poterat dici, nulla causa timoris fuit, ex eo quod eis confessus est, dicens: *Hebraeus ego sum* etc., statim subnectitur, quod ideireo timuerunt, quia

eis indicaverat, se Domini fugere conspectum, et ejus non fecisse praecepta, denique caussantur et dicunt: *quid hoc fecisti?* id est, si times Deum, cur fugis? Si tantae potentiae praedicas, quem colis, quomodo te putes eum posse evadere?"

11. Cognita causa tempestatis adhibent Jonam in consilium. מַה־נַּעֲשֶׂה־לָּךְ *Quid*, inquiunt, *faciemus tibi?* qui causa es hujus tanti mali? Nam fugitivum ira divina insequitur, quam non effugies. Tantum vide, ne nos, qui extra culpam sumus, propter te una tecum pereamus. Dic ergo, sodes, quid faciendum nobis esse censeas. Nam quum sis cultor summi ac potentissimi Dei, nosse debes, qua ratione Dei tui ira placari possit. וְיִשְׁתֹּק הַיָּם *Et sileat mare*, ut quiescat, ut sedetur. *Mare silens* idem est quod *mare tranquillum*, ubi nullum murmur, quale venti excitare solent. De fluctibus sedatis verbum שָׁתַק et Ps. 107, 30. dicitur. מֵעָלֵינוּ *A nobis* infestandis, *a* sacviendo *contra nos*, ita et Vs. 12. 13. כִּי הַיָּם הוֹלֵךְ וְסֹעֵר *Mare enim ibat et procellosum erat*, i. e. magis magisque intumescebat, fluctibusque erigebatur. Verbi הָלַךְ, sequentibus aliis verbis, cam vim esse constat, ut declaret continuationem actionis. Sic Gen. 8, 5. וְהַמַּיִם הָיוּ הָלוֹךְ וְחָסוֹר *aquae magis magisque decrescebant.* Et 1 Sam. 2, 26. הָלוֹךְ וְגָדֵל *magis magisque adolescebat et crescebat.* LXX: ὅτι ἡ θάλασσα ἐπορεύετο καὶ ἐξήγειρε μᾶλλον κλύδωνα. „Non melius potuissent," inquit J. F. Fischer in *Proluss. de versionibus Graecis V. T. litterarum Hebraicarum magistris*, p. 102., „neque elegantius interpretari verba Hebraica, dummodo omisissent verba ἐπορεύετο καί. Ceterum non dubitandum videtur, quin ex hoc ipso fonte manarit ratio illa Homerica, qua verba βαίνειν et οἴχεσθαι aliis verbis ita adjiciuntur, ut celeritatem quandam actionis agentisque studium significent, e. c. *Il. B.* 71. 183. 302. *A.* 616. *Odyss. T.* 161."

12. *Dixitque ad eos: tollite me*, *et* tanquam piaculum tempestatis *projicite me in mare*, *et tranquillum fiet mare a vobis* infestandis (cf. Vs. 11.); *novi enim*, *quod propter me* (בְּשָׁלַי proprie *propter id quod in me* s. *mihi est*, i. e. propter meum peccatum) *magna haec tempestas super vos* venerit. שֶׁל est particula serioris Hebraismi et Rabbinismi. Cf. Gesenii *Lex.* s. h. v. Hieronymus: „Animadvertenda fugitivi nostri magnanimitas: non tergiversatur, non dissimulat, non negat; sed qui confessus fuerat de fuga, poenam libenter assumit, se cupiens perire, ne propter se et ceteri pereant, et ad peccatum fugae, alicuae quoque delictum addatur necis.

13. וַיַּחְתְּרוּ הָאֲנָשִׁים *Et foderunt viri*, i. e. remigaverunt scil. vehementius, omni nisu ac contentione. חָתַר, quod proprie est *fodere*, veluti Job. 24, 16. Ezech. 12, 7., hoc loco *remigare* denotat per metaphoram, aquae enim remis penetrantibus fodi videntur. Itaque eodem tropo a poetis Latinis quoque *sulcari*,

arari et *scindi* dicuntur. Virgilius *Aeneid.* 5, 142.: *Infindunt pariter sulcos, totumque dehiscit Convulsum remis rostrisque stridentibus aequor.* Ovidius *Trist.* III. Eleg. 12. Vs. 36. *non nisi vicinas cautus araret aquas.* Idem *Metamorph.* XI. Vs. 461. sqq. *Reducunt Ordinibus geminis ad fortia pectora remos, Aequalique ictu scindunt freta.* Aliis *fodere* est magno conatu aliquid agere, ut exponendum sit: magno conatu moliebantur navim reducere ad terram. Ita jam LXX: παρεβιάζοντο. לָהָשִׁיב אֶל־הַיַּבָּשָׁה *Ut reducerent* navim et Jonam *ad aridam*, terram, vid. ad Vs. 9. Priusquam Jonam praecipitem darent, etsi scirent, tempestatem exortam ejus morte sedari posse, tamen experiri omnia maluerunt, ut navim ad terram reducerent. וְלֹא יָכֹלוּ *Sed non valuerunt*, ut Exod. 8, 14. 2 Reg. 3, 26. כִּי הַיָּם וגו׳ *Mare enim magis magisque in eos intumescebat*, cf. not. ad Vs. 11.

14. וַיִּקְרְאוּ אֶל־יְהוָה *Quare clamarunt* non ad deos suos, ut Vs. 5., sed *ad Jovam*, illum Deum et opificem hujus universi, cujus cultorem se Jonas dixerat Vs. 9. אָנָּה יְהוָה *Quaesumus, Jova*, ut infra 4, 2. Jes. 38, 3. Ps. 116, 4. 5. אַל־נָא נֹאבְדָה *Ne quaesumus., pereamus.* נָא et אָנָּה idem, obsecrantis particula, ob affectum, ut fit, repetita. בְּנֶפֶשׁ הָאִישׁ הַזֶּה *Pro anima*, vita, *viri hujus*, quam ei erepturi erant, propter caedem quam in eo commissuri erant. Ita 2 Sam. 14, 7. *Trade fratricidam, ut eum interficiamus* בְּנֶפֶשׁ *pro vita fratris sui, quem occidit.* Et Deut. 19, 21. נֶפֶשׁ בְּנֶפֶשׁ *anima pro anima*, vita pro vita, *oculus pro oculo.* Chaldaeus: *propter peccatum animae hujus viri.* וְאַל־תִּתֵּן עָלֵינוּ דָּם נָקִיא *Neque des super nos*, i. e. *ne imputes nobis* (ut recte Syrus vertit) *sanguinem innocentem*, ne nos reos peragas, quod insontem hominem, a quo nihil laesi sumus, neci tradimus. Ita Deut. 21, 8.: *ne des sanguinem innocentem in medium populi tui*, ne imputes populo tuo caedem insontis. נָקִיא *Innocentem*, quoad nos, nulla enim injuria ab eo affecti sumus. כִּי־אַתָּה יְהוָה *Nam tu Jova es*, numen potentissimum, quale Vs. 9. describitur. כַּאֲשֶׁר חָפַצְתָּ עָשִׂיתָ *Ut collubitum est* ita *fecisti* s *facis*, haec omnia te dispensante sunt facta, quod in hanc se navim Jonas receperit, quod concitata tempestas, sorte Jonas deprehensus, quod in se sententiam tulerit, haec omnia tuae sunt voluntatis. Inviti hoc facinus aggredimur, sed haec tua deprehenditur voluntas.

15. *Itaque sustulerunt Jonam eumque in mare projecerunt, et mare ab aestu suo stetit*, a fervore suo, a tempestate, qua jactabatur, conquievit. זַעַף *aestum irae* significat, vid. Jes. 30, 30. Prov. 19, 12.; per metaphoram *aestum* et *agitationem fluctuantis et turbulenti maris.* Sic Ovidius loquitur *Metamorph.* 1, 330. sqq. *Nec maris ira manet, positoque tricuspide telo, Mulcet aquas rector pelagi.* Horatius *Epod.* Od. II, 56. *Neque*

excitatur classico miles truci, Neque horret iratum mare. Hinc tranquillatae aquae *placari* et *sedari* dicuntur. Gen. 8, 1. *transmisit Deus ventum super terram,* וַיַּשְׁכֵּךְ הַמָּיִם *et sedatae sunt aquae.* LXX: ἔστη ἡ θάλασσα ἐκ τοῦ σάλου αὐτῆς. Chaldaeus: *quievitque mare a tempestate sua.*

16. וַיִּירְאוּ — יְהוָה *Tum timuerunt homines,* nautae, sive vectores, *timore magno,* vehementer *Jovam.* Ante (Vs. 10.) dixit, eos quidem vehementer timuisse, sed non Jovam, sibi potius capitibusque suis timebant. Postquam autem ingens illud prodigium conspicati essent, atque id plane accidisse, quod Jonas praedixerat, se in mare conjecto extemplo desituram tempestatem, ad summam Jovae reverentiam adducti sunt. וַיִּזְבְּחוּ־זֶבַח לַיהוָה *Et immolaverunt hostias Jovae,* non diis suis. Chaldaeus: *et dixerunt sacrificaturos coram Jova;* quia in mari nullae victimae suppetebant. וַיִּדְּרוּ נְדָרִים *Et voverunt vota,* vota alia Jovae nuncuparunt pro salute, e communi veterum populorum consuetudine. Cicero *de Nat. Deor.* L. III. c. 37. *Tu, qui deos putas humana negligere, nonne animadvertis, ex tot tabulis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint, in portumque salvi pervenerint?* Virgilius *Georg.* 1, 436. *Votaque servati solvent in littore nautae Glauco, et Panopeae et Inoo Melicertae.* Et *Aeneid.* 3, 403. sq. *Quin, ubi transmissae steterint trans aequora classes, Et positis aris jam vota in littora solves.*

CAP. II.

Argumentum.

Dejectum e navi Jonam piscis grandis excepit (Vs. 1.), in cujus ventre tres dies totidemque noctes versatus quas preces ad Deum fudit referuntur Vs. 2 – 10. Tandem divino jussu piscis prophetam in aridam ripam evomuit, Vs. 11.

1. וַיְמַן *Destinavit,* constituit, definivit, ut infra 4, 6. 7. 8. Dan. 1, 10. 11. Job. 7, 3. דָּג גָּדוֹל *Piscem magnum,* belluam aquatilem, quae qualis fuerit operose investigant, qui res in facto positas hoc libro narrari existimant. LXX posuerunt κῆτος, et Matth. 12, 40. Jonas fuisse dicitur ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους. Unde vulgaris olim sententia, fuisse hunc piscem *balaenam,* sive *cetum* proprie dictum. Sed quum balaena gulae meatus habeat angustiores, quam ut solidum hominem deglutire possit, alii piscem aliquem e cetaceis intelligi malunt, qui ratione molis suae *cetis* adscribi meruerit. Ita Bochartus *Hieroz.* P. II. Lib. V. Cap. 12. T. III. p. 688. sqq. edit. Lips. Intelligendum autem opinatur *canem marinum,* qui *carcharias* dicitur ab asperitate

et acumine dentium, vel *lamia* et *lamna*, *ἀπὸ τοῦ ἔχειν μέγαν λαιφὸν, a gulae vastitate.* Ex quibus, ut habet Aelianus *Hist. Animal.* L. I. c. 55., quidam *sunt tantae magnitudinis, ut cetis robustissimis merito accenseantur.* Mediocrem unam vidisse se scribit Rondeletius, in Santonico littore, quae mille librarum pondus non excesserit, gulae tamen tam patentis, ut hominem etiam obesum caperc potuerit. Quod Petro Gillio fidem adstruit, referenti, Niccae et Massileae captas fuisse *lamias* 4000 *librarum, in quarum ventriculo loricati homines integri reperti sint*, verba sunt Bocharti l. c. Alias sententias attulimus in Not. 2. et 3. ad Bochartum. Omnino autem, ut ibidem monuimus, tota haec de piscc Jonae disquisitio vana videtur atque inutilis. Sive enim vera sit historia, sive narratio certo quodam consilio ficta, quemnam potissimum piscem scriptor cogitaverit, nullo modo poterit definiri, quum in genere tantum דג גדול, *piscem magnum*, ponat. לִבְלֹעַ אֶת־יוֹנָה *Ad absorbendum Jonam*, ut Jonam deglutiret. De eo, qui ficum deglutit, dicitur verbum בָּלַע Jes. 28, 4. וַיְהִי יוֹנָה וגו׳ *Fuitque Jonas in visceribus*, in ventre, *piscis illius tres dies et tres noctes*, vivus servatus. Vid. Prolegomm. §. VII.

2. *Et preces fudit Jonas ad Jovam Deum suum e visceribus illius piscis.* Quae vero sequuntur magis gratiarum actiones sunt, quam deprecationes, coll. inprimis Vss 3. 7. 8. Quam ob rem multi existimant, hanc gratiarum actionem fuisse factam, postquam e ventre piscis exiisset Jonas. Sed ex mente scriptoris hebraci vera et genuina sententia esse videtur: *Supplicans vero Jonas Jovae Deo suo e ventre piscis dixit: Clamavi* etc. Et propterea in fine hujus Capitis liberatio illius e pisce hisce verbis memoratur: *Tum edixit Jova pisci illi* etc. (Vs. 11.), ut intelligamus, Jonam eo ipso tempore, quo ventri piscis inclusus tenebatur, his verbis, vel certe eorum sensu, eccinisse. Sic enim statuendum est: Jonam in mare projectum et a pisce absorptum cum jam ante precibus a Deo contendisset pro salute sua, dum in ventre piscis esset, et mirabiliter se in eo ab interitu conservari videret, certa inde liberationis spe concepta propterea in hanc Dei laudationem erupisse. Tanta enim est Jonae confidentia, fore, ut Deus preces suas sit exauditurus, ut tanquam pro exauditis jam agat gratias. Ceterum hymnum hunc paene totum e Psalmorum locis compositum esse, apparebit ex iis, quae ad singulos Versus notabimus.

3. קָרָאתִי מִצָּרָה לִי אֶל־יְהוָה וַיַּעֲנֵנִי *Clamavi ex angustia*, quae *mihi* erat, i. e. ex ea, qua undique premebar angustia, *ad Jovam*, *et respondit mihi*, i. e. me exaudivit. Desumtum hoc e Ps. 120, 1., mutato tantummodo paululum verborum ordine: אֶל־יְהוָה בַּצָּרָתָה לִי קָרָאתִי וַיַּעֲנֵנִי *ad Jovam in angustia mea clamavi, qui me exaudivit.* מִבֶּטֶן שְׁאוֹל *E ventre inferni*, i. e. infima parte sepulchri, atque, ut loquitur Ezechiel 32, 21.,

מִתּוֹךְ שְׁאוֹל *e medio sepulchri.* Metaphora, qua significat se fuisse in praesentissimis periculis mortis (ni Deus liberatorem piscem parasset) certissimae. Eodem modo David Ps. 18, 6. *se* dicit *vinculis orci circumdatum fuisse*, et Ps. 30, 4. *ex orco eductum.* Qui enim exitialibus periculis, et malis ita obsidetur, ut ei ante oculos mors praesens et certa obversetur, is quasi inter mortuos positus videtur. Haec vero exitii certa discrimina Vss. 5. et 6. declarantur, quibus se dicit longiorem vitam desperavisse, et animam usque aquis circumdatum fuisse. שִׁוַּעְתִּי *Vociferatus sum*, auxilium imploravi, ut Jes. 58, 9. Ps. 28, 2. *Audisti*, exaudisti *vocem meam.* Observata videntur Nostri menti loca Ps. 28, 1. 2. 130, 1. 2.

4. וַתַּשְׁלִיכֵנִי מְצוּלָה *Projeceras me* in *profundum*, Exod. 15, 5. Mich. 7, 19., ante nomen subaudiendum est ב ex eo quod sequitur, בְּלֵב יַמִּים *in cor marium*, medium in mare, in altum mare, ut Ezech. 27, 4. 25. et Exod. 15, 8. בְּלֵב יָם. — וְנָהָר *et flumen*, i. e. mare, quod ab Homero quoque *fluvii* nomine significatur. Veluti *Iliad.* Ξ. 245. *καὶ ἂν ποταμοῖο ῥέεθρα Ὠκεανοῦ, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται, etiam torrentis fluenta Oceani, qui quidem parens omnibus est.* Et *Odyss.* Λ. 157. sqq. *Μέσσῳ γὰρ μεγάλοι ποταμοὶ καὶ δεινὰ ῥέεθρα, Ὠκεανὸς μὲν πρῶτα, τὸν οὔπως ἐστὶ περῆσαι. Πεζὸν ἐόντ', ἢν μήτις ἔχῃ εὐεργέα νῆα. In medio enim ingentes fluvii et gravia fluenta, Oceanus quidem primum, quem nequaquam licet trajicere peditem, nisi quis habeat fabrefactam navem.* יְסֹבְבֵנִי *Circumdedit me;* Futurum enim est pro Praeterito, quum praccedat et sequatur Praeteritum. Similia habentur Ps. 62, 2. 3. כָּל־מִשְׁבָּרֶיךָ *Omnes confractiones*, i. e. *fluctus tui*, a *frangendo* שָׁבַר dicti, quod a littoribus franguntur. Chaldaeus: *omnes tempestates maris.* וְגַלֶּיךָ *Et undae tuae*, quae a te excitatae per hanc tempestatem. גַּלִּים *Undae a volvendo* ita vocatae, ut Ovidius *Trist.* 1, 2. 19. *Montes volvuntur aquarum.* עָלַי עָבָרוּ *Super me transierunt*, me totum occuparunt. Singula verba posterioris hemistichii hujus Versus sumta e Ps. 42, 8.

5. Gratiam Dei amplificat a discrimine magnitudinis, qua eo redactus fuerat, ut vitam et fructum illius suavissimum desperaret. In ea cogitatione versabar, ut dicerem te abjecisse curam mei. Hoc significat: נִגְרַשְׁתִּי מִנֶּגֶד עֵינֶיךָ *expulsus sum e conspectu oculorum tuorum.* Constat *oculum* et *vultum* pro cura et providentia usurpari, ut 1 Sam. 26, 20. *non cadet sanguis meus ad terram* מִנֶּגֶד פְּנֵי יְהוָה *coram Jova*, Jova mihi prospiciente. Jerem. 39, 12. *oculos tuos pone super eum*, ejus curam habeto. Ceterum sumtum est hoc e Ps. 31, 23., ubi pro נִגְרַשְׁתִּי unica litera mutata scribitur נִגְרַזְתִּי *excisum sum.* Omissum praeterea a Nostro quod illic post אָמַרְתִּי insertum legitur, בְּחָפְזִי, *in trepidatione mea.* אַךְ אוֹסִיף לְהַבִּיט אֶל־הֵיכַל קָדְשֶׁךָ *Verum-*

tamen addam adspicere ad templum sanctitatis tuae, i. e. cum in illa cogitatione versarer, cum vitam desperarem, non tamen omnem spem de salute mea abjeci, quin speravi fore, ut templum tuum saerosanetum denuo oculis usurparem, ibique gratiarum actiones pro liberatione mea tibi agerem. אוסיף להביט *addam intueri*, i. e. rursus adspiciam. Sic Gen. 4, 2. *addidit parere*, i. e. rursum peperit. Et Luc. 20, 12. *προσέθετο πέμψαι rursum misit.* Verbum הַבִּיט cum אֶל construitur quoque Exod. 3, 6. Num. 21, 9. Ps. 34, 6. Similia vid. Ps. 5, 8.

6. אֲפָפוּנִי מַיִם עַד־נָפֶשׁ *Circumdederunt me aquae usque ad animam*, i. e. ad summum vitae discrimen, quasi spiritum mox interclusurae. Imitatur Ps. 69, 2. *venerunt aquae usque ad animam*, usque eo, ut paene de me actum esset. תְּהוֹם יְסֹבְבֵנִי *Abyssus*, vorago, *cinxit me*, ut Ps. 18, 6. *funes inferni me cinxerunt.* סוּף חָבוּשׁ לְרֹאשִׁי *Alga capiti meo alligata est. Alga marina* intelligenda, φῦκος Graecis dicta *(Meergras, Sargasso, Gouémon)*, in fundo maris nascens, cujus folia et baccae summo mari innatant, et qua mare altum passim repletum est. Haec alga natantibus et demersis involvitur et illigatur, longa enim est et flexilis, et quo ventus impellit, facile sequitur. Apud Arabes Adagium est: *submersus suspendit se funibus algae*, i. e. manus vel in algam injicit ceu funem, ut se sustinere possit, explicante Gollio *Adag. Arab.* p. 69. Veterum interpretum nonnulli nostrum סוּף ceperunt pro סוֹף *finis*, intellexeruntque extrema sive infima maris. LXX: *ἄβυσσος ἐκύκωσέ με ἐσχάτη, ἴδου ἡ κεφαλή μου εἰς σχισμὰς ὀρέων.* Jungunt סוּף cum תְּהוֹם וְיסֹבְבֵנִי, et חָבוּשׁ לְרֹאשִׁי initio Versus 7., לְקַצְבֵי הָרִים. Syrus: *in fundo maris conclusum est caput meum.* Hieronymus: *pelagus operuit caput meum.* Chaldaeus: *mare algosum suspensum fuit super capite meo.*

7. לְקַצְבֵי הָרִים יָרַדְתִּי *Ad extrema*, radices *montium descendi*, maris ipsius fundum intelligit, quo extremae promontoriorum radices terminantur. Fundamenta enim montium imi *aquarum alvei.* Ps. 18, 16. *conspecti sunt aquarum alvei, et fundamenta orbis retecta sunt.* קְצָבֵי הָרִים proprie *praecisiones montium*, i. e. extrema, nam ubi res finit, ibi praecisa videtur, unde *extremum* Hebraeis קֵץ et קָצַב a *praecisione* dictum. LXX: *εἰς σχισμὰς ὀρέων*, *dissecandi* notionis ratione habita. הָאָרֶץ בְּרִיחֶיהָ בַּעֲדִי לְעוֹלָם *Terram* quod attinet *vectes ejus circa me in perpetuum;* significat, se oppositis terrae quasi vectibus firmiter conclusum fuisse, ita ut nulla evadendi ratio pateret, quia in perpetuum periret, nisi Deus mirabili ratione succurrisset. וַתַּעַל מִשַּׁחַת חַיַּי יְהוָה אֱלֹהָי *Evexisti e fovea vitam meam*, ab exitio tamen me vindicasti, me hic vivum servans, *Jova, mi Deus.* שַׁחַת *fossa, fovea* (a שׁוּחַ *descendit, subsedit in fundo)*, i. q. שְׁאוֹל, cui Ps. 16, 8. ut parallelum respondet, et Ps. 7, 15.

בּוֹר et שַׁחַת sibi invicem respondent. Ita Job. 9, 31. *in foveam me demersisti.* Cf. Ps. 40, 3. *eduxit me e fovea strepitus.* Veteres שַׁחַת h. l. *corruptionem* interpretantur, ad שָׁחַת *corrupit* referentes. Ita LXX: *ἀναβήσω ἐκ φθορᾶς ἡ ζωή μου.* Hieronymus: *et sublevabis a correptione vitam meam.* Chaldaeus: *proclive tibi fuit educere e corruptione vitam meam.* Syrus: *eduxisti vitam meam e corruptione*, e loco, ubi mors praesentissima imminebat. Ceterum nostra verba e Ps. 30, 4. sumta sunt: *eduxisti, Jova, ex inferno animam meam, vitam mihi concessisti a descendentibus in foveam.*

8. בְּהִתְעַטֵּף עָלַי נַפְשִׁי *Quum deficeret in me anima mea*, maximis angoribus obruta, ut Ps. 142, 4. בְּהִתְעַטֵּף עָלַי רוּחִי. Cf. not. ad Ps. 61, 3. 107, 5., nec non not. ad Amos 8, 13., ubi verbum *ἰσοδύναμον* הִתְעַלֵּף usurpatum. אֶת־יְהוָה זָכָרְתִּי *Jovae sum recordatus*, ut ante Vs. 3. sese dixit ad eum clamasse, ejus opem implorasse. וַתָּבוֹא וגו׳ *Pervenitque ad te oratio mea* (ut Ps. 88, 3. 102, 2.), *ad templum sanctum tuum*, quo non coelum intelligit, ut quidam opinati sunt, sed templum Hierosolymitanum, peculiarem Jovae sedem. Nam et in templum Hierosolymitanum diruptum preces suas Daniel captivus Babylone convertit, Dan. 7, 11.; cf. 1 Reg. 8, 30. 42. 44. Eodem nomine, quo h. l., *palatii sanctitatis Jovae*, templum Hierosolymitanum et Ps. 5, 8. 79, 1. nuncupatur.

9. מְשַׁמְּרִים חַבְלֵי־שָׁוְא *Qui observant vanitates mendacii*, i. e. idola vana et mendacia colunt, quae sua inutilitate spem suorum cultorum fallunt. Sic Ps. 31, 7. *odi eos, qui observant vanitates mendacii.* Bene Syrus: *omnes qui falsa numina colunt.* LXX: *μάταια καὶ ψευδῆ. Observare* diei pro *colere* notavimus ad Hos. 10, 4. Verba postrema, חַסְדָּם יַעֲזֹבוּ, nonnulli verterunt: *pietatem suam deseruerunt.* Alii: *gratiam suam*, i. e. suffixo passive accepto, gratiam et misericordiam a Deo ipsis exhibitam oblivioni tradunt. Verum sententia magis idonea emergit, et prioribus verbis eleganter opposita, si חַסְדָּם interpretamur *Deum suum*, benignum illis futurum, si pie eum colerent, ut Ps. 144, 2. inter alia nomina, quae ibi tribuuntur Deo, hoc unum est; eum enim חַסְדּוֹ, *benignitatem suam*, poeta appellat, quod totius illius bonitatis, qua fruebatur, fons esset, et omnium beneficiorum auctor. *Laudatus sit*, inquit, *Jova, rupes mea, benignitas mea, propugnaculum meum, scutum meum.* Conferendum et Gen. 24, 27. *laudatus sit Jova, Deus Domini mei, Abrahami,* אֲשֶׁר לֹא עָזַב חַסְדּוֹ *qui non destituerit sua benignitate et fide dominum meum.* Eadem fere Ruth 2, 20. habentur. Hoc igitur Noster dicit: qui colunt idola vanissima, ii Deum, benignitatis suae auctorem, deserunt; quia fieri non potest, ut Deum colant, ejusque gratiae participes sint, qui ab eo ad idola impie defeciunt. Chaldaeus: *non more gentium idola*

colentium, quae quo ex loco beneficium ipsis conferatur, nesciunt; non talis ego, sed reddam vota mea, et quae deinceps Vs. 10. sequuntur. Syrus pro חַסְדָּם posuit *misericordiam tuam*, quasi חַסְדְּךָ legisset.

10. וַאֲנִי בְּקוֹל תּוֹדָה אֶזְבְּחָה־לָּךְ *Ego vero* ex tanto discrimine liberatus, *cum voce laudis*, cum gratiarum actione, *sacrificabo tibi*, victimas offeram tali causa debitas, ex lege Levit. 7, 12. 13. אֲשֶׁר נָדַרְתִּי אֲשַׁלֵּמָה *Quae vovi persolvam*, vota quae nuncupavi persolvam libens merito. Ita Ps. 50, 14. *sacrifica Deo laudem*, sacrificium gratiarum actionis, *et persolve Altissimo vota tua.* Claudit epiphonemate: יְשׁוּעָתָה לַיהוָה *salus Jovae est*, q. d. vere jam agnosco et re ipsa experior, solum esse Jovam, qui adjuvet, et in periculis opem ferat. יְשׁוּעָתָה pro יְשׁוּעָתָה cum ה paragogico, ut סוּפָה pro סוּפָה Hos. 8, 7., עֶזְרָתָה pro עֶזְרָה Ps. 44, 27.

11. וַיֹּאמֶר יְהוָה לַדָּג *Et dixit Jova pisci*, post triduum, quo in ejus ventre Jonas fuerat, supra Vs. 1. LXX: *καὶ προσετάγη τῷ κήτει.* Syrus: *et mandavit dominus pisci.* Quid jussus fuerit piscis non diserte dicitur, sed facile colligi potest ex eo quod sequitur: וַיָּקֵא אֶת־יוֹנָה אֶל־הַיַּבָּשָׁה *evomuitque Jonam* incolumem, *in aridam*, i. e. terram, littus, vid. supra 1, 13. Alii vertunt: *ut evomeret Jonam;* tum subaudiendum erit: paruitque piscis divino jussui.

CAP. III.

Argumentum.

Mittitur Jonas secundo in Niniven, neque datum sibi negotium, sicut antea, detrectat (Vs. 1. 2. 3.). Qui quum exactis quadraginta diebus evertendam esse Niniven praedicasset (Vs. 4.), ea consequuta est et conturbatio urbis, et vitae mutatio, et poenitentis populi inaudita species edicto regio promulgato (Vs. 5—9.), ut paratum a Deo supplicium a suo capite depulerint (Vs. 10.).

2. קוּם — הַגְּדוֹלָה Vid. not. ad 1, 2. וּקְרָא וגו׳ *Et proclama ad eam proclamationem* (Hieronymus: *praedicationem*, LXX: *κατὰ τὸ κήρυγμα*) *quam ego ad te loquor*, i. e. praedica quod a me jussus es praedicare, et nunc iterum juberis. Quidnam vero illud sit, quod praedicari velit, quae sequuntur docent (Vs. 4.), nempe post quadraginta dies urbem subversum iri.

3. כִּדְבַר יְהוָה *Juxta verbum Jovae*, i. e. quemadmodum a Jova jussus erat, ut Jer. 13, 2. עִיר גְּדוֹלָה לֵאלֹהִים *Urbs magna Dei*, i. e. urbs multo maxima. Nomen לֵאלֹהִים ad ampli-

ficationem additum est, ut alias Hebraeis consuetum est, res, quas indicare volunt mirae esse cujusdam et insignis magnitudinis, Deo tribuere. Sic *montes Dei* Ps. 36, 7. montes sunt altissimi; *cedri Dei* Ps. 80, 11. cedri procerissimae. Cujus loquendi formulae causa et origo haud dubie inde petenda est, quod quae ipse Deus in se habet nonnisi magna et eximia sunt, qualia et Graeci ἱερὰ καὶ θεῖα vocant. Ulyssem Homerus θεῖον vocat, ubi insignem et eximium vult dicere. Et Eustathius in *Iliad. A.* Vs. 7. ad verba δῖος Ἀχιλλεύς ab Homero propter vastitatem et magnitudinem mare *divinum*, et Charybdim *divinam* dici observat. Ad eundem modum idem poeta de urbe totius Peloponnesi clarissima *Odyss. Γ.* Vs. 325. dixit: οἵ τοι πομπῆες ἔασονται ἐς Λακεδαίμονα δῖαν. מַהֲלַךְ שְׁלֹשֶׁת יָמִים *Itinere trium dierum*, i. e. tanti erat ambitus, ut vix trium dierum itinere posset circumiri. Quae plerorumque Hebraeorum et Christianorum sententia est. Theodoretus *iter* non tam viatorum profectione, quam commoda praeconis praedicantis ambulatione aestimandum putat.

4. אֶחָד — וַיָּחֶל *Quum vero Jonas ingredi coepisset per urbem itinere diei unius*, perambulans urbem, quantum uno die licebat, recte exponente Grotio. Alii indicari putant, Jonam tertiam urbis partem uno die peragrasse coepisse. עוֹד וגו׳ *Adhuc quadraginta dies* restant, *et Ninive subvertetur*, futurum est, ut post quadraginta dies subvertatur Ninive. Hebraei intelligunt, eodem excidii genere, quo Sodoma quondam et Gomorrha, de quarum urbium eversione idem verbum הָפַךְ usurpatur. Urbis eversionem minatur nulla adjecta conditione. Ex eventu tamen patet, illam minam cum hac conditione intelligendam fuisse: nisi vitam et mores emendaveritis. Cf. Jer. 18, 7. 8. *minabor alicui genti aut regno eversionem, excidium, interitum; si ea gens, cui minatus fuero, sese a suis sceleribus retraxerit, ego quoque malo temperabo, quo eam adficere cogitaveram.* LXX *quadragenarium* dierum numerum in *triduanum* commutarunt, ita enim vertunt: ἔτι τρεῖς ἡμέραι, καὶ Νινευὴ καταστραφήσεται. Theodoretus et Theophylaetus scribarum suspicantur errorem esse, non interpretum. Quod mendum tamen jam Hieronymi aetate in codice irrepserat. Is enim ad h. l. in Commentario scribit: „Trinus numerus, qui ponitur a Septuaginta, non convenit poenitentiae, et satis miror, cur ita translatum sit, quum in Hebraeo nec literarum, nec syllabarum, nec accentuum, nec verbi sit una communitas. *Tres* enim dicuntur *Salos*, et *quadraginta Arbaim*.“

5. וַיַּאֲמִינוּ אַנְשֵׁי נִינְוֵה בֵּאלֹהִים *Et crediderunt viri Ninives*, Ninevitae, *in Deum*, i. e. illis, quae Jonas eis divino jussu comminatus erat. וַיִּקְרְאוּ צוֹם *Et proclamarunt*, instituerunt, *jejunium*, ad urbis interitum avertendum. Ita Achabus postquam

Elias diras minas contra eum pronuntiasset, *jejunasse* et alia luctus signa edidisse narratur 1 Reg. 21, 27. וַיִּלְבַּשׁ שַׂקִּים *Et induerunt saccos*, cilicia, viliores et asperiores vestes, cf. laudat. libri Regum locum, nec non Joel 1, 13. 2 Sam. 3, 31. 1 Reg. 20, 32. מִגְּדוֹלָם וְעַד־קְטַנָּם *A magno eorum usque ad parvum eorum*, i. e. a maximis ad minimos usque; omnes sine ullo discrimine.

6. וַיִּגַּע הַדָּבָר אֶל־מֶלֶךְ נִינְוֵה *Et pervenit verbum*, totus hic rumor, *ad regem Ninives*, i. e. Assyriae, cujus caput Ninive. וַיָּקָם מִכִּסְאוֹ *Surrexitque* et descendit *de throno suo*, permotus et territus minis de urbis interitu. וַיַּעֲבֵר אַדַּרְתּוֹ מֵעָלָיו *Removitque a se*, exuit, *chlamydem suam*, splendidiores regiasque vestes, ut ceteris in luctu se aequaret. אַדֶּרֶת, propric *pellis arietis*, ab אַדִּיר *ariete* dicta, cujus pellis pro vestitu est, Gen. 20, 25. 1 Reg. 19, 13. 15., ubi de pallio Eliae prophetae dicitur. Nec mirum cuiquam videri debet, quod h. l. de ornatu regio usurpatur, et Jos. 7, 21. 24. אַדֶּרֶת שִׁנְעָר valde pretiosum memoratur. Possunt enim, apposite monente J. D. Michaelis *Supplemm.* p. 24., et pelles regum illustriumque gestamina esse, ut apud nos *Hermelin, Zobel, schwarze Sibirische Lämmerfelle.* Nec id abluduit ab Orientis moribus. Itineratores testes sunt, pelles et in hunc usque diem, idque in calidiore etiam Aegypto, magnatum gestamina esse; vid. Niebuhrii *Itinerar.* P. I. p. 158. Nisi forsan אַדֶּרֶת et latius sumtum fuerit, non tantum de pelle, sed de quocunque vestimento aut pallio splendidiore usurpatum fuerit. Chaldaeus: *deposuitque vestimenta gloriae suae.* Syrus: *et amovit diadema suum a se.* וַיְכַס שָׂק *Et saccum operuit*, cilicio se operuit, וַיֵּשֶׁב עַל־הָאֵפֶר *sedituque in cinere*, lugentium more, cf. not. ad Job. 2, 8.

7. וַיַּזְעֵק וַיֹּאמֶר בְּנִינְוֵה *Et proclamare jussit et edixit* per praeconem *in* tota urbe *Ninive.* LXX: καὶ ἐκηρύχθη καὶ ἐρρέθη. מִטַּעַם הַמֶּלֶךְ *De sententia*, ex mandato, decreto *regis.* טַעַם convenit cum Aramaeo טְעֵם, quod Dan. 3, 10. 29. de regio edicto legitur. וּגְדָלָיו *Et magnorum suorum*, i. e. procerum, principum, ut 2 Reg. 10, 11. Nah. 3, 20. הָאָדָם וגו׳ *Homines et jumenta, boves et oves*, armenta et greges, majora et minora pecora, *ne quicquam gustanto, ne pascuntor, neve aquam bibunto.* Ad gravissimum luctum testandum etiam jumenta a cibo cohibebantur. Virgilius de acerbo propter Caesaris mortem luctu loquens *Eclog.* 5. Vs. 24. sqq. *Non ulli pastos illi egere diebus Frigida, Daphni, boves ad flumina, nulla neque amnem Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.* Quod factum esse eo consilio cogitandum est, ut etiam mutorum animantium spectaculo magis commoverentur homines ad dolorem.

8. וְיִתְכַּסּוּ שַׂקִּים הָאָדָם וְהַבְּהֵמָה *Et operiuntor saccis homines et jumenta.* Pertinent haec adhuc ad mandatum regis, non

vero ad ejus executionem, ut LXX reddiderunt, *καὶ περιεβάλοντο — καὶ ἀνεβόησαν*. Quod jumenta quoque saccis operiunda ex regis jussu Noster narrat, forsan intelligi voluit de equis, mulis et camelis, qui pretiosis integumentis ornari solent. His itaque detractis cilia imposita fuisse, ut hodie, sicut et olim, teste Chrysostomo, in funeribus nobilium equi generosi, quibus defuncti usi sunt, panno nigro inducuntur, ut simul lugere videantur. Sic Persae in proelio cum Graecis magno equitum magistro, Masistio, amisso, in signum luctus non tantum *ἑαυτοὺς ἔκειρον*, verum et *ἵππους καὶ ἡμιόνους*, teste Plutarcho in *Aristide* §. 14. וְיִקְרְאוּ אֶל־אֱלֹהִים בְּחָזְקָה *Et clament ad Deum cum robore*, fortiter, quam maxime potuerint, *ἐκτενῶς*, ut LXX vertunt. Eadem phrasis est in apocryphis additamentis Estherae 13, 18. *Omnes Israelitae, quia mors eorum ante oculos obversabatur, clamaverunt ἐξ ἰσχύος αὐτῶν, ex robore suo*, quantum potuerunt. וְיָשֻׁבוּ אִישׁ מִדַּרְכּוֹ הָרָעָה *Et redeant quisque a via sua mala*, i. e. a pravis moribus et vivendi instituto corrupto sese retrahant. Eadem phrasis Jer. 25, 5. 36, 3. 7. וּמִן־הֶחָמָס אֲשֶׁר בְּכַפֵּיהֶם *Et a violentia, quae est in manibus suis*, i. e. cujus ipsi manibus suis perpetratae rei sunt, ut Jes. 59, 6. *opus violentiae in manibus eorum est.* Job. 16, 7. *nulla in manibus meis violentia.* Hebraei scelera, quae homines suis manibus perfecerunt, *in eorum manibus esse* dicunt, cujusmodi sunt furta, latrociniae, rapinae, caedes, percussiones, aliaque id genus. Hinc Ezechiel 23, 37. *sanguinem* in homicidarum *manibus esse* dicit, ut David Ps. 7, 3. *iniquitatem*, cujus reus non erat, *in manibus suis esse* negat.

9. מִי־יוֹדֵעַ יָשׁוּב וְנִחַם הָאֱלֹהִים *Quis scit, redeat* ab ira sua *et poenitudine ducatur Deus*, sententiae in nos pronuntiatae, ut Joel 2, 14., ad quem loc. vid. not. Verba posteriora Hieronymus recte vertit: *et ignoscat Deus.* Syrus: *et misereatur nostri.* Haec etiamnum ex edicto sunt regio; at juxta LXX populi, interserunt enim *λέγοντες*. „Multum hoc," verissime observat Grotius, „in Assyriis hominibus, tanta edere poenitentiae signa sub spe incertae." וְשָׁב מֵחֲרוֹן אַפּוֹ *Ut revertantur ab excandescentia irae suae*, et deponat animum iratum erga nos, abstineat a poena, quam inferre statuit. Ut enim *irasci* dicitur Deus cum scelera punire vult, ita *reverti ab ira*, quando et culpam et poenam condonat. Cf. Exod. 32, 12. Deut. 13, 18. וְלֹא נֹאבַד *Ne pereamus*, ו pro *ira*, ut saepe alias.

10. וַיַּרְא הָאֱלֹהִים אֶת־מַעֲשֵׂיהֶם *Quum igitur videret Deus opera ipsorum*, sanatae mentis indicia. וַיִּנָּחֶם עַל־הָרָעָה אֲשֶׁר־דִּבֶּר לַעֲשׂוֹת־לָהֶם *Poenituit Deum mali illius, quod loquutus erat facere eis*, quod illis se illaturum comminatus erat. Ita Exod. 32, 14. *poenituit Jovam illius mali, quod populo suo inferre comminatus erat.* Syrus pro nostris verbis haec posuit: *avertit ab eis excandescentiam irae suae.* Respexit verba Versus

superioris: ושב מחרון אפו. Pro postremis vero hujus Versus verbis, וְלֹא עָשָׂה *nec fecit*, exsequutus est, posuit: *nec perdidit eos.*

CAP. IV.

Argumentum.

Dolet Jonas et queritur, quod ad illam civitatem concionandi gratia missus sit, cum severo minacique mandato, cui, ut ex civium poenitentia conjectabat, a misericorde Deo ignoscendum credebat (Vs. 1.). Quare, ut suspicionem evitet prophetae falsi, aut hominis amentis et deliri, mortem optat (Vs. 2. 3. 4.). Cumque ex civitate in proximum locum, quasi in speculam, esset egressus, ut Ninevitarum poenitentiae et vaticinii minacis eventum spectaret, umbraculum excitavit, juxta quod Deus incremento subito paravit ricinum, qui opacaret locum, et prophetae caput a solis inclementia defenderet (Vs. 5. 6.). Sed cum subito corrosus a verme exaruisset ricinus, rursus indignatur Jonas (Vs. 7. 8.). Unde occasionem sumit Deus, ut Jonae suam in Ninevitas clementiam probet. Cur enim non doleat Deus, et parcat civitati tam amplae, cum doleat Jonas, quod res tam vilis, tamque momentanea perierit (Vs. 9 — 11.)?

1. וַיֵּרַע אֶל־יוֹנָה רָעָה גְדוֹלָה *Et Jonae male fuit malo magno*, i. e. Jonam male admodum habuit, id Jonas tulit gravissime, quod videret eventum vaticinio non respondere, 3, 10. LXX: ἐλυπήθη Ἰωνᾶς λύπην μεγάλην. Hieronymus: *et afflictus est Jonas afflictione magna.* Syrus: *triste fuit Jonae tristitiâ magnâ.* Verbum יָרַע *malum fuit*, vel *visum est*, conjunctum cum בְּעֵינֵי פְּלוֹנִי *in oculis alicujus*, ut Gen. 21, 11. 12. 38, 10. 2 Sam. 11, 27., vel cum ל personae praemisso constructum, ut Neh. 13, 8., *animum male adfectum* significat, sive ex justo, sive injusto dolore. Eadem, quae hoc loco, phrasis, sed cum ל personae praefixo, Neh. 2, 10. וַיֵּרַע לָהֶם רָעָה גְדוֹלָה *vehementer eis displicuit.* וַיִּחַר לוֹ *Et incanduit ei* scil. אַף *nasus* s. *ira*, quod diserte additur Gen. 30, 2. Job. 32, 2. 2 Chron. 25, 25. Sensus est, *eum graviter et moleste tulisse.* Nam חָרָה ne semper *irasci* significare putetur, aliquando *disciplentiae* et *doloris* notionem habet. Sic Gen. 45, 5. Josephus fratrum animos tranquillaturus dicit: *ne angimini* וְאַל־יִחַר בְּעֵינֵיכֶם *neve dolenter ferte, me huc a vobis esse venditum.* Et 1 Sam. 15, 11. de Samuele postquam edoctus esset a Deo, Saulum a se defecisse, ideoque regno exuendum esse, dicitur: וַיִּחַר *aegre fuit Samueli.* Vid. et infra Vs. 9. Sunt autem ira et tristitia ita cognati affectus, ut soleant non una in lingua in verbis etiam haec pro

illa poni. Sic עצב *dolorem* Hebraeis denotat, Arabibus *iram*. LXX: καὶ συνεχύθη. Syrus: *et moestitia ei erat valde.* Verebatur enim, ne in pseudoprophetarum numero haberetur. Augebat moerorem, quod videbat hanc Ninevitarum resipiscentiam damnationi futuram suis popularibus, qui moniti saepe a prophetis non resipuissent.

2. וַיִּתְפַּלֵּל אֶל־יְהוָה *Et preces fudit ad Jovam.* Quamquam verbis Jonae, quae sequuntur, non tam *precatio* continetur, quam querela, index animi impatientis ac dolentis ex eo, quod non omnia evenirent ex voto; tamen *precatus esse* dicitur, quia in hac querela etiam orat Deum, ut se ex hac vita tollat. אָנָּה *Obsecro, Domine.* Vid. supra ad 1, 14., et quae mox Hieronymi verba afferemus. הֲלֹא־זֶה דְבָרִי *Nonne hoc* erat *verbum meum?* quod dixi et cogitavi. Ita Exod. 14, 12. *nonne hoc erat verbum, quod loquuti sumus ad te in Aegypto?* עַד־הֱיוֹתִי עַל־אַדְמָתִי *Dum adhuc essem in terra*, patria, *mea*, ut supra אַרְצֶךָ et Deut. 12, 19. אַדְמָתֶךָ *patria tua.* עַד h. l. idem quod עוֹד, ut Job. 1, 18., ad quem loc. vid. not. Praesagiit mihi animus hunc concionis meae eventum. עַל־כֵּן קִדַּמְתִּי לִבְרֹחַ תַּרְשִׁישָׁה *Ideo praeoccupavi fugere*, maturabam fugam *Tartessum*, ut molestam hanc provinciam, et incommoda ejus evitarem. כִּי יָדַעְתִּי *Novi enim te esse Deum clementem et misericordem, iardum ad iram*, qui non facile irasceris, *magnus gratiae*, multae benignitatis; eadem nominum divinorum series Exod. 34, 6. Neh. 9, 17. Joel 2, 13., quo loco et additum est quod hic sequitur: וְנִחָם עַל־הָרָעָה *et poenitentem mali*, qui ut sententiam mutes super poena, quam irrogare decrevisti, facile adduceris. Vid. 3, 9. 10. Hieronymus: „Hoc quod nos interpretati sumus: *obsecro*, et Septuaginta transtulerunt ὦ δή, in Hebraico legitur *Anna*, quae mihi videtur interjectio deprecantis significare blandientis affectum. Scivi te hoc esse facturum; non ignorabam misericordem, propterea severum et truculentum nuntiare nolebam. Si misericordem dicerem atque clementem et ignoscentem malitiae, nullus ageret poenitentiam; si crudelem, et tantum judicem nuntiarem, sciebam hoc tuae non esse naturae. In hoc ergo ambiguo positus, malui fugere potius, quam aut poenitentes lenitate decipere, aut de te praedicare quod non eras.“

3. קַח־נָא אֶת־נַפְשִׁי מִמֶּנִּי *Cape, quaeso, animam meam a me*, sine me mori. Eadem phrasi mors indicatur 1 Reg. 19, 4. כִּי טוֹב מוֹתִי מֵחַיָּי *Quia melior mihi est mors quam vita*, mori praestat, quam sic vivere. Syrus: *quia longe utilius est mihi mori, quam vivere.*

4. הַהֵיטֵב חָרָה לָךְ *Num bene* ira *exarsit tibi*, i. e., ut recte Symmachus vertit, ἆρα δικαίως ἐλυπήθης; *jurene tristatus es?* Sane justam causam non habes, cur ita succenseas.

At LXX: *εἰ ὀφόδρα λελύπησαι σύ;* Chaldaeus: *nunquid vehementer irasceris?* Syrus: *valde tibi displicet;* q. d. siccine valde irasceris? Sane הֵיטֵב haud raro *bene*, *probe*, *admodum* denotat. Veluti Deut. 9, 21. *contudi eum* טָחוֹן הֵיטֵב *molendo probe.* 13, 15. וְחָקַרְתָּ הֵיטֵב *investigabis admodum*, quam diligentissime potes. 2 Reg. 11, 18. *et simulacra sua* שִׁבְּרוּ הֵיטֵב *fregerunt probe.* Verum hoc loco quaestio non est de *facto*, sed de *jure*, eaque non ignorantis aut dubitantis, sed contestantis et informantis; atque verbum hic pro *bene*, *recte facere* capiendum, ut Jes. 1, 17. Jer. 10, 5. Simili sensu quo Matth. 20, 15. dicitur: *ἢ ὁ ὀφθαλμός σου πονηρός ἐστιν, ὅτι ἐγὼ ἀγαθός εἰμι;* Sed phrasis nostra hebraica sic potius explicanda est: *num benefacere est*, i. e. num bene, recte facis, quod ita irasceris? Ut Deut. 5, 25. 18, 17. הֵיטִיבוּ *bene fecerunt quae loquuti sunt*, i. e. recte haec dixerunt. Recurrit nostra phrasis infra Vs. 9.

5. וַיֵּצֵא יוֹנָה מִן־הָעִיר *Exiverat autem Jonas ex urbe*, quum officio suo, concionando per urbem, functus esset. Est vero hic Versus parentheticus, ad sequentia viam sternens, unde verba in Plusquamperfecto reddenda sunt, q. d. antequam Jonas tam graviter doleret, urbe exierat. וַיֵּשֶׁב מִקֶּדֶם לָעִיר *Consederatque ad orientalem plagam urbis*, ut Ezech. 11, 23. וַיַּעַשׂ לוֹ שָׁם סֻכָּה *Feceratque sibi illic tugurium*, umbraculum e virgultis, vid. not. ad Jes. 1, 8., quod eum *tegeret* (id enim notat סָכַךְ, vid. Ps. 140, 8. Job. 40, 22.) a coeli injuriis, עַד אֲשֶׁר יִרְאֶה *Ut videret*, uti Cohel. 2, 3. *decrevi capessere stultitiam*, עַד אֲשֶׁר אֶרְאֶה *ut viderem*, *ubi situm esset bonum generi humano.* מַה־יִּהְיֶה בָּעִיר *Quid futurum esset in urbe?* quid urbi acciderit?

6. וַיְמַן יְהוָה אֱלֹהִים קִיקָיוֹן *Et praeparavit*, prodire jussit, *Jova Deus Ciceiam.* קִיקָיוֹן LXX vertunt *κολοκύνθην*, quos sequutus Syrus: *praecepitque Dominus Deus palmiti cucurbitae.* Hinc in lucernis veterum Christianorum Jonas cum cucurbita repraesentatus conspicitur apud Bellorium *de Lucernis Antiquis* P. III. fig. 30. Aquila, Symmachus et Theodotion vertunt *κισσόν*, *hederam.* Hieronymus: *Cucurbita*, sive *hedera* est genus virgulti vel arbusculae, lata habens folia in modum pampini, et umbram densissimam, suo trunco se sustinens, quae in Palaestina creberrime nascitur, et maxime in arenosis locis, mirumque in modum, si sementem in terram jeceris, cito confota consurgit in arborem, et intra paucos dies, quam herbam videras, arbusculam suspicis. — Sequutique sumus veteres translatores, qui et ipsi *hederam* interpretati sunt, quae Graece appellatur *κισσὸς*, aliud enim quid dicerent, non habebant.“ E quibus verbis patet, Hieronymo minime dubium fuisse, Hebraeorum קִיקָיוֹן et Arabum الخروع unam eandemque plantam esse. Est autem *Al-keroa*, et philologis et hodopoericis testibus, *ricinus frutex.* Plura de hac

planta vid. in *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* T. IV. P. I. p. 123. sqq. Pro קִיקָיוֹן in Talmude קִיק legitur, unde שֶׁמֶן קִיק *oleum Kik*, in Gemara et apud Rabbinos passim, quod ipsimet Hebraei transferunt voce Arabica אלכרוע. Hebraeum nomen ortum est ex Aegyptiaca *Kiki*, de cujus oleo Herodotus L. II. c. 94. *Ἀλείφατι δὲ χρέωνται Αἰγυπτίων οἱ περὶ τὰ ἔλεα οἰκέοντες, ἀπὸ τῶν σιλλικυπρίων τοῦ καρποῦ, τὸ καλεῦσι μὲν Αἰγύπτιοι Κίκι.* Inde enim illud oleum *κίκι* nominatum, quod ex fructu arboris *κίκι* ab illis vocitatae, quam Herodotus Graece *σιλλικύπρον* dixit, expressum fuerit. Plinius *Hist. Nat.* L. XV. c. 7. de oleis fictitiis agens scribit: *Proximum* (post oleum ex chamelaea) *fit e Cici, arbore in Aegypto copiosa; alii crotonem, alii trixin, alii sesamum sylvestre appellant, ibique non pridem. Et in Hispania repente provenit altitudine oleae, caule ferulaceo, folio vitium, semine uvarum gracilium pallidarumque. Nostri eam ricinum vocant a similitudine seminis.* Verum sunt in *ricino* multa, quae huic Jonae קִיקָיוֹן aptissime conveniunt. Primum altitudo, quae ab omnibus fere, qui illam plantam descripserunt, memoratur, unde a quibusdam eorum *arbor* dicitur, quum revera potius herba sit: haec enim Jonae tam alta erat, ut supra caput ejus ascenderet, uti mox sequitur. Tam foliorum magnitudo, indeque proveniens umbrae densitas, magno illorum consensu confirmata; nam et haec quoque *umbrosa* erat. Postremo, quod a Plinio et Hieronymo de nascendi celeritate narratur, ei, quod infra Vs. 10. legitur, consentaneum est. His ego rationibus adductus eorum sententiam, qui קִיקָיוֹן *ricinum* interpretantur, valde probo. וַיַּעַל מֵעַל לְיוֹנָה *Et adscendit*, succrevit (ut Jes. 32, 13. Hos. 10, 8.) *supra Jonam.* לִהְיוֹת צֵל *Ut esset umbra*, ut tegeret umbraculum, in quo sedebat. לְהַצִּיל לוֹ מֵרָעָתוֹ *Ad liberandum*, ut defenderet *eum a malo suo*, quod magna ex parte intelligunt: ab aestu solis, et coeli injuriis, a quibus planta illa, tugurii frondibus sensim arescentibus, Jonam tueretur. Sed malim *a malo suo* intelligi: a sua molestia, a dolore et moestitia, quam ex metu prophetiae suae non impletae conceperat. Ac si diceret: ut ejus animum moerore affectum parumper recrearet et reficeret, uti moestus animus rebus externis haud raro exhilaratur. *Lamed* in לוֹ est Accusativi nota, ut apud Araumaeos. Nec desunt alia exempla Hebraea. 2 Sam. 3, 30. *Joabus et Abisai occiderunt* לְאַבְנֵר *Abnerum.* Jer. 40, 2. *cepit* לְיִרְמְיָהוּ *Jeremiam.* Vid. et Ps. 135, 11. Syrus bene vertit: *et recreavit eum.* Sed LXX: *τοῦ σκιάζειν αὐτῷ*, Chaldaeus: *ut protegeret eum.* Retulerunt לְהַצִּיל ad radicem צָלַל *obumbrari*, Neh. 13, 19., unde צֵל *umbra.* וַיִּשְׂמַח וגו׳ *Et gavisus est Jonas super ricino gaudium magnum*, i. e. summopere. Eadem phrasis 1 Reg. 1, 40. 1 Paral. 29, 9. Ut Joh. 3, 29. *χαρᾷ χαίρει.*

7. וַיְמַן הָאֱלֹהִים תּוֹלַעַת *Paravit autem*, immisit *Deus vermem*, plantae illi infestum. בַּעֲלוֹת הַשַּׁחַר *In ascensu aurorae*

orto dīluculo, ut Jos. 7, 15. Gen. 19, 15. לַמָּחֳרָת *In crastinum*, i. e. postero die, postridie ejus diei, quo tantopere gavisus fuerat Jonas. וַתַּךְ *Qui percussit*, laesit et erosit ricinum, sive radices ejus. Vid. de hoc usu verbi נָכָה not. ad Hos. 9, 16. Rumphius in *Herbario Amboinensi* T. IV. p. 95. narrat, calidioribus diebus, tenui cadente pluvia, in illa planta generari erucas nigras magna multitudine, ejus folia per unam noctem subito depascentes, ut nudae modo costae supersint, idque se saepius non sine admiratione vidisse, *simillime*, addit, *arbusculae olim Niniviticae.* Pro וַיִּיבַשׁ *ut exaresceret*, Syrus posuit *et abscidit eum.*

8. כִּזְרֹחַ הַשֶּׁמֶשׁ *Quum sol ortus esset*, ut Jud. 9, 33. וַיְמַן *Paravit*, immisit, flare jussit. רוּחַ קָדִים *Ventum orientalem*, calidum et urentem, qui fruges, vites et fructus arborum exurit, vid. Gen. 41, 6. Ezech. 17, 10. LXX: *πνεύματι καύσωνι* Est Eurus in Judaea ventus urens, quod calidissima deserta, ad illius terrae orientalem plagam sita, permeat. חֲרִישִׁית *Surdum* s. *silentem*, i. e. *quietum*, ut recte Chaldaeus vertit, qui aestum magis magisque augeret, quum ventus vehementior cum minuere soleat. LXX: *συγκαίοντι*. Syrus: *ventum uredinis*, addiditque: *et arefecit cucurbitam*, quibus in Hebraeo nihil respondet. וַתַּךְ הַשֶּׁמֶשׁ עַל־רֹאשׁ יוֹנָה *Et percussit*, feriit, *sol caput Jonae*, vehementer calore suo ussit. Verbum נָכָה de vi radiorum solis dicitur quoque Ps. 121, 6. *interdiu sol te non percutiet.* Jes. 49, 10. *nec percutiet eos aestus et sol.* Sed nostro loco major solarium radiorum vis significatur. Syrus: *et incaluit sol in capite Jonae.* וַיִּתְעַלָּף *Ita ut animo deficeret*, ut prope animo linqueretur. Vid. ad Amos. 8, 13. וַיִּשְׁאַל אֶת־נַפְשׁוֹ לָמוּת *Et petiit animam suam mori*, petiit ut anima sua moreretur, i. e. ut vitam cum morte commutaret, optavit sibi mortem contingere. נֶפֶשׁ *animam* saepe vocari constat vitam corporis animati, quae nobis communis cum bestiis, itaque et *mori* ipsa recte dicitur. Eadem, quae hic, loquendi formula 1 Reg. 19, 14. LXX nostro loco eam interpretantur: *ἀπελέγετο τὴν ψυχὴν αὐτῷ.* Syrus bene vertit: *petiitque sibi mortem.* טוֹב מוֹתִי מֵחַיָּי Vid. supra Vs. 3. In versione Syriaca pro verbis hebraeis haec leguntur: *in manibus tuis, Domine, habes potestatem animam tollendi a me, propterea quod non melior sum patribus meis.* Glossema esse videtur, quo glossator effervens et durius prophetae enuntiatum in molliorem partem interpretari studuit.

9. De phrasi הַהֵיטֵב חָרָה־לְךָ vid. supra ad Vs. 4. הֵיטֵב חָרָה־לִי עַד־מָוֶת *Recte aegre est mihi usque ad mortem*, i. e. gravissimo quidem dolore afficior, ut parum a morte absim, atque in eo recte facio, tantique doloris mihi justa causa est. *Dolor ad mortem usque* lethalis et mortifer et longe gravissimus dicitur. Matth. 26, 38. *περίλυπος ἐστιν ἡ ψυχή μου ἕως θανάτου.* Cf. Sirac. 37, 2. Eodem sensu *imminui* dicitur *Simsonis animus ad mortem* (וַתִּקְצַר נַפְשׁוֹ לָמוּת) Judic. 16, 16.

10. אַתָּה חַסְתָּ עַל־הַקִּיקָיוֹן *Tu pepercisti ricino*, i. e. parcendum ei censuisti, et periisse nunc doles. אֲשֶׁר לֹא־עָמַלְתָּ בּוֹ *In s. pro quo non laborasti*, serens aut rigans. LXX: ὑπὲρ ἧς οὐκ ἐκακοπάθησας. וְלֹא גִדַּלְתּוֹ *Quemque nec educasti*, non fecisti ut cresceret. שֶׁבִּן־לַיְלָה הָיָה וּבֶן־לַיְלָה אָבַד *Qui* ricinus *filius noctis factus, et filius noctis periit.* בֶּן est forma status constructi nominis בֵּן, sicut in בְּנָמִין et בֶּן־נוּן Exod. 33, 11., בֶּן־זָקֵן Prov. 30, 1. *Filius* autem *noctis* est: *sub noctem ortus*, aut *unam noctem natus*, ut בֶּן־שָׁנָה *filius anni*, Exod. 12, 5., est anniculus, qui annum non superavit. Cf. not. ad בֶּן־שָׁחַר Jes. 14, 12. Plautus in *Pseudolo* 1, 1. 36. *Quasi solstitialis herba paulisper fui, Repente exortus sum, repentino occidi.* Confutat Deus hoc Versu Jonam comparatione minorum. Tu, inquit, quum sis homo, parcis, nonne ego magis id facere debeam, qui natura bonus et clemens sum? Te interitus ricini, qui tuum opus non erat, tanto dolore affecit; quanto majori curae mihi mea opera, et quidem nobilissima, homines a me creatos, esse oportuit. Tu moveris herbulae evanidae ac momentaneae jactura, atque ejus quidem unicae; quanto magis ego de tam magna et clara civitate sollicitus ero?

11. וַאֲנִי לֹא אָחוּס *Et ego non parcerem*, non misererer? לֹא pro הֲלֹא *nonne?* ut 2 Reg. 5, 26. *nonne* (לֹא) *cor meum se movit?* אָדָם — יֶשׁ־בָּהּ *In qua exstat multitudo*, plures *quam duodecim myriades*, i. e. centum viginti millia (ut Hieronymus vertit) *hominum*, et corum quidem tantummodo, אֲשֶׁר לֹא־יָדַע בֵּין־יְמִינוֹ לִשְׂמֹאלוֹ *qui nesciunt* discrimen *inter dextram et sinistram suam*, in quibus nondum ea est discretio rationis et judicii, ut sciant utra manus sua sit dextra, utra sinistra. Describitur aetas infans, ut Deut. 1, 39. *filii vestri, qui nondum sciunt bonum et malum*, qui honesti ac turpis discrimina nondum norunt. Aetati innocenti vero, et simplici, quae nihil peccavit, et in quam poena non cadit, parci aequum est. וּבְהֵמָה רַבָּה *Et jumenta quam plurima*, q. d. si itaque hominum te non miseret, *quid fecere boves, animal sine fraude doloque?*

IN MICHAM PROOEMIUM.

Michas, Moraschtaco-Judaeus (vid. ad 1, 1.), in regno Judaico prophetae munere functus est Jothamo, Ahaso et Hiskia imperantibus. Suppar igitur Jesajae fuit, quamvis in prophetiae munere paulo inferior, quum ille jam Usia regnante vaticinari coeperit. Quum principum illorum satis diuturna regna essent, et inter Jothami initia et Hiskiae mortem sexaginta intercederent anni, satis inde liquet, longo annorum tractu munere suo functum fuisse Micham, quamvis quoto Hiskiae anno mortuus fuerit, definiri nequeat. Oraculum a nostro sub Hiskia editum de Hierosolymitanae urbis destructione memoratur Jer. 26, 18., legiturque his ipsis verbis in hac vaticiniorum sylloge 3, 12. Inscriptionis huic libro praefixae fidem in suspicionem vocavit A. T. Hartmann (*Micha, neu übers. u. erläutert, u. mit fünf Excursen begleitet.* Lemg. 1800. p. 8. sqq), qui post decimum quartum demum Hiskiae annum Micham vaticinatum contendit, rationibus ex ipso sermonum argumento ductis, quae quantum valeant videamus. Ac primum quidem Capitis primi versiculos 6. et 7. nec non Versum 16. ad Samariam, a Salmanassare, Assyrio rege, destructam, atque regni Israelitici cives in Assyriam exules missos, Versus 9. 12. et 13. vero ad Sanheribi in Judaeam irruptionem, decimo quarto regnantis Hiskiae anno, manifeste spectare ait; quae autem jam gesta et facta fuerint, exponi in locis illis pro more poetarum per vaticinii modum. Jam inspiciamus indicata ab Hartmanno loca. Inter varias poenarum comminationes, quae justo Dei judicio Judaeis et Israelitis ob multa et gravia scelera infligendae sint, 1, 5 — 7. haec quoque

leguntur: *Quod est autem Jacobaeorum peccatum, nisi Samaria? aut quae sunt Judaeorum sacella, nisi Hierosolyma? Itaque ego Samariam in agreste rudus, in vinearum plantaria redigam; congestisque ejus lapidibus in vallem ejus fundamenta patefaciam, atque ejus omnia simulacra contundenda, omnem quaestum comburendum curabo, omnia signa in vastitatem redigam.* Tum Vs. 16. *Glabresce et tondere ob tuarum deliciarum filios! Habe glabretum quantum aquila, quippe illis a te exsulantibus.* Haec generatim minantur reipublicae ruinam, atque incolarum exsilium, nec inest verbis quidquam, quod arguat, obversatam esse ante Nostri mentem aut oculos eversam ab *Assyriis* Samariam. Imo stante adhuc et florente utroque regno, Judaico atque Israelitico, editas esse, quae in hoc vaticiniorum libro leguntur, comminationes, satis testatur illud, quod in castigandis et objurgandis non solum Judaeis, verum et Israelitis Noster perpetuo versatur, et ita quidem, ut utrosque passim distincte et distribute appellet (1, 5. 2, 12. 3, 19.). Post exstinctum autem regnum Israeliticum quonam consilio aliquis talia confinxerit? Nec firmiore fundamento nititur, quod Hartmannus 1, 9. 12. 13. de Sanheribi in Judaeam incursione et urbis Hierosolymitanae oppugnatione *manifeste* agi perhibet. Nam quod primum locum (Vs. 9.) attinet, vates, postquam Vss. 6. 7. Samariae interitum comminatus esset, ad Judaicum regnum progrediens, idem fatum et hoc manere praevidet. Jam nunc mente et cogitatione hostis in Judaeam irrumpentis et Hierosolyma aggredientis furorem ac violentiam prospiciens acerbissimis lamentis sese dat, videque describit formidinem et pavorem, quo correpti urbium Judaicarum incolae adventantibus hostilibus copiis in fugam sese sint conversuri. *Commigrate*, inquit Vs. 11. et sqq., *Saphiris incolae, turpiter detecti! Ne exeunto Saananis incolae! Bethaeselensis luctus ducet a vobis initium. Dolent enim ob bonum amissum Marothenses, quoniam descendit a Jova malum ad portam Hierosolymae. Junge veredis currum, incola Lachis, quae puellae Sioni peccati prin-*

cipium fuisti, quoniam in te reperta sunt Israelitarum peccata. Ideoque munera dabis ob Gethensem possessionem, domos Achsibenses, Israelitarum regibus fallaces. Aliquando depopulatorem tibi inducam, incola Maresae, ad Odollam veniet Israelitarum gloria. In quibus omnibus ne leve quidem vestigium, quod Nostrum de Sanheribo cogitasse arguat. Imo ad ejus irruptionem haec referre vetat omnino *exsulum* Judaeorum mentio Vs. 16., quem paullo antea attulimus. Sanheribus tanta accepta clade, qualis 2 Reg. 19, 35. describitur, de abducendis secum captivis Judaeis vix cogitaverit. Quod Michas Hiskia demum regnante prophetae munere fungi coeperit, concludit Hartmannus e loco etiam Jer. 26, 18., ubi Michas Moraschtacus *sub Hiskia* vaticinatus esse dicitur, nulla ceterorum, qui in nostri libri inscriptione nominantur, regum mentione ibi facta. Verum indicato Jeremiae loco, illud tantummodo oraculum, quod ibidem affertur, a Micha Hiskia regnante pronuntiatum dicitur, ut taceamus, non fuisse eorum, qui illud afferunt, consilium, quibus regibus Noster prophetiam egerit, accurate definire. Sed neque hoc admittit Hartmannus, quod ingenui illi viri apud Jeremiam testantur, oraculum ab eis allatum, quod nunc in nostro libro 3, 12. legitur, sub Hiskia editum fuisse. Manassis potius aetati non illud solum, verum et quae sex posterioribus Capitibus leguntur oracula adjudicanda censet, hac sola ratione motus, quod pio Hiskia rege tot et tanta scelera, qualia Michas in suis sermonibus Judaeis objurgat, inter eos regnasse non sit verisimile. Quasi vero pio principe et omnes cives regis sui exemplum sequi soleant! Si vero urgeas, impii principis temporibus graves istiusmodi objurgationes multo magis congruere, cur illas non ad Abasi aetatem referre malis, quo regnante Nostrum prophetae munere functum esse, inscriptio testatur? Neque praetermittendum est, quod Hartmannus (contra quem plura verissime disputavit Jahn *Einl.* Vol. II. p. 430. sqq.) minus videtur perpendisse, Michae vaticinia tangere non solum regnum Judaicum, verum Israeliticum quoque (vid. libri inscriptio), cujus utriusque regni

proceres et cives promiscue subinde compellat, saepe etiam diserte conjungit. Nihil vero nostris vatieiniis inesse, quod historiae temporum illorum, quibus Miehas vixisse traditur, repugnet, apparebit consideranti faciem utriusque regni ista aetate, qualis 2 Reg. Cap. 15 — 18. et 2 Chron. 26 — 31. describitur. In Israelis regno rerum potiebatur Pekaehus, qui exemplo majorum suorum per sanguinem ac caedem antecessoris sui solium invaserat, ipsemet pariter ab Hosea successore suo postmodum interemptus. In regno Judae Jotham, pietatis quidem veraeque religionis laude inclytus, idolorum sacella tamen non abolevit (2 Reg. 15, 35.). Hujus porro filius, Ahasus, peregrinae superstitioni omnisque generis scelcribus adeo immersus erat, ut vel regni Israelitici improbitatem superaret Juda (2 Chron. Cap. 28.). Hiskias rursus sineero quidem studio Jovam colebat, et pietati operam dabat; regni tamen sui cives flectere omnino non valebat, ut nuntio idololatriae misso, veri numinis cultum serio amplecterentur. Talibus igitur temporibus nihil reliquum fecit Miehas, quo grassantia inter Judaeos aeque ac Israelitas scelera acerbe et severe insectaretur, praecipue superstitiosos idolorum cultus, iniquitatem, crudelitatem, rapinas populi, proeerum et saeerdotum. Promeritas interminatur poenas vastationem et excidium regnorum et urbium, et quae bellum eomitari solent calamitates, ab Assyriis, vieinis et potentibus Israelitarum hostibus, propediem Israelis regno inferendas. Hisce tamen, pro more prophetarum, suavissimas, quibus prostratos piorum animos erigeret et demulceret, promissiones interserit de Hierosolymae olim futura restauratione, deque aureae aetatis reditu, auspice magno aliquo rege e gente Davidiea oriundo, cujus adeo ipsum loeum natalem designat (5, 1.). Ceterum in hoc libro complurium annorum effata ita sunt coagmentata in unum syntagma, ut objurgationes, comminationes, consolationes atque promissa per vices sibi suecedant. Singulorum vero sermonum fines constituere, suumque unicuique tempus assignare frustra aggrediaris.

Stylo utitur Michas brevi, conciso, praecipiti, Hoscano simillimo. Quum autem vivido quodam igne inardescat, et ex uno in aliud subito transvolet, obscurior est, minusque legentibus pronus.

Vixit Achabo Israelitis imperante in decem tribuum regno vates Michae nomine, Jemlae filius, qui quum cladem Israelitis a Syris infligendam et ipsius regis mortem praedixisset, Achabi jussu in vincula conjectus narratur (1 Reg. 22, 24.), in quibus detinendus esset, donec salvus redierit rex. Cui Michas dixisse fertur (Vs. 28.): *Si quidem salvus redieris, tum Jova mecum loquutus non sit;* quibus statim subjicitur: *et dixit: audite populi universi!* Quae ipsa verba nostri Michaeani libri exordium faciunt. Et aptissimus sane eis locus est in fronte vaticiniorum, in magnifica illa obtestatione, qua omnis natura ad attentionem excitatur. Sed post illud Michae effatum, quod in libri Regum loco indicato legitur, verba illa non solum aliquid manci et hiulci habere, verum et prorsus aliene posita esse, nemo facile, qui ea attente legerit, non sentiet. Qui enim Michae illi antiquiori in mentem venire poterat, praedictionis, quae solum Achabum spectaret, *omnes populos* testes evocare? Vix dubium esse potest, verba illa, Michaeano effato in libro Regum addita: *audite populi universi!* desumta esse e nostri libri initio, eumque qui illa addidit, innuere voluisse, eam vaticiniorum syllogen, quae verbis illis orditur, Michae illius antiquioris esse. Unde colligere licet, tunc cum Regum libri in eam, qua hodie leguntur, formam redacti sunt, exstitisse quidem nostrum Michaeanorum vaticiniorum volumen, verum sine integra, quam nunc praefixam habet, inscriptione, in qua prophetae aetas accuratius designatur.

MICHAS.

CAP. I.

Argumentum.

Post excitatam ad attentionem universam rerum naturam (Vs. 2.) Samariae totique regno Israelitico ob scelera gravissima, cultum potissimum idolorum, dira denuntiat supplicia a Jova immittenda; fore ut Samariae urbs, regni caput, penitus subvertatur, et incolae ab hoste barbaro ad alienum solum traducantur, quamobrem lugubre tollit lamentum (Vs. 3 — 8.). Deinde eandem cladem minatur Judae et urbibus ejus, quas singulas compellat (Vs. 9 — 16.).

1. Versus hic primus libri epigraphen sistit, qua vaticiniorum, quae eo continentur, auctor, ejusque patria et aetas, nec non in quos illa directa sint, exponitur. Hanc epigraphen serius additam videri, observavimus in Prooemio. Vatis nostri nomen, מִיכָה, contractum e מִיכָיָה (unde Graeci interpretis *Μιχαίας*, et Hieronymi *Michaeas*), quomodo legitur Jer. 26, 18. in textu (nam ad marginem est מִיכָה), et hoc c מִיכָיָהוּ, uti habetur 1 Reg. 22, 8. 9. et 2 Chron. 18, 7. 8., pro quo ibid. Vs. 14. מִיכָה ponitur, per literae extremae Vav apocopen, quales in יִרְמָיָה pro יִרְמָיָהוּ, in יֹאשִׁיָה et יֹאשִׁיָהוּ, et in אֲמַצְיָה pro אֲמַצְיָהוּ, significat מִי כַיהוָה *quis sicut Jova?* Convenit igitur significatione cum מִיכָאֵל *quis sicut Deus est?* coll. Mich. 7, 18. מִי־אֵל כָּמוֹךָ *quis Deus sicut tu?* Cognomen הַמֹּרַשְׁתִּי, Nostro et Jer. 26, 18. tributum, *τὸν Μορασθίτην*, pro quo in codice Alexandrino legitur *τὸν τοῦ Μωρασθεῖ*, Cyrillus ita capiendum censet, ut patrem vatis indicet, etsi non refragetur, ut de patria ejus intelligatur. Potior tamen omnino eorum opinio est, qui gentile nomen Moraschti patriam notare, pro certo habent. Quum autem gemina exstiterit, urbs Judaeae, *Maresa*, cujus Jos. 15, 44. 1 Chron. 2, 44. 4, 21. 2 Chron. 11, 8. 14, 9. 10. et infra Vs. 15. fit mentio, *locus*, teste EUSEBIO *de Locis Hebraicis*, *in tribu Judae, cujus nunc tantummodo sunt ruinae, in secundo lapide Eleutheropoleos; et Morescheth*, quam Hieronymus *Morasthi* appellat, *qui*, addit, *usque hodie juxta Eleutheropolim, urbem Palaestinae, haud grandis est viculus*; uter horum loco-

rum pro Michae patria habendus sit, incertum est. Qui Maresam volunt, auctorem sequuntur Chaldaeum, qui מְמַרְשָׁה posuit; qui Morescheth, Eusebii et Hieronymi auctoritate nituntur. Cf. libr. nostr. *Handb. der bibl. Alterthumskunde* Vol. II. P. II. p. 352. Tempus porro, quo vixit vates vaticiniaque sua edidit, indicatur verbis, quae sequuntur: *in diebus Jothami, Ahasi, Hiskiae, regum Judae.* Unde apparet, Nostrum aequalem fuisse Hoseae, Amoso et Jesajae, licet Hoseas et Jesajas, paulo prius munus propheticum obire inchoarunt, sub Usia, Jothami antecessore. Ceterum inde, quod soli reges Judae hic commemorantur, colligere licet, Micham in eo tantummodo regno prophetam egisse, quamvis et in decem tribuum regnum vaticinia ediderit, ut diserte significatur verbis, quae subjiciuntur: אֲשֶׁר־חָזָה עַל־שֹׁמְרוֹן וִירוּשָׁלָם *quod* verbum Jovae *vidit*, i. e. quae vaticinia a Jova sibi suggesta profatus est (vid. de verbo חָזָה pro נָבָא posito not. ad Jes. 1, 1.) *super Samaria et Hierosolymis*, i. e. super regno Israelitico, sive decem tribuum, cujus caput Samaria, et super regno Judaico, cujus caput Hierosolyma erat. Samaria vero, seu regnum Israeliticum Judaico hic et Vs. 5. praemittitur, quod prius vastatum fuit, sicut scelere et impietate praeiverat.

2. שִׁמְעוּ עַמִּים כֻּלָּם *Audite populi universi!* Magnum aliquid indicat hic exordiendi modus, quo et Jesajas utitur sub haec eadem tempora, 1, 2 *audite coeli, auribus percipe terra! nam Jova loquitur.* Item multo antea Moses Deut. 32, 1. *audite coeli quae loquor! audiat terra verba oris mei!* Est autem haec gravissima captandae attentionis forma, cum res etiam inanimatae excitantur, ut de re maximi ponderis non suo, sed ipsius Jovae nomine dicturum prophetam attente et reverenter auscultent. Cf. infra 6, 2. Jer. 22, 29. Miram syntaxin vocat LIGHTFOOT *Chronol. V. T.* in *Opp.* T. I. p. 99. עַמִּים כֻּלָּם *vos populi, omnes illorum!* Verum כֹּל proprie nomen substantivum, quasi dicatur: imo *universitas eorum* (populorum) audiat. Nec insolens est apud Hebraeos, Vocativum sequi aut praecedere tertiam personam suffixi, quale est, quod sequitur: *o terra et plenitudo ejus!* Sic Job. 17, 10. כֻּלָּם תְּשֻׁבוּ *vos omnes redite!* 1 Sam. 6, 4. *Plaga una* לְכֻלָּם וְלַסַּרְנֵיכֶם *vobis omnibus et satrapis vestris*, pro לָכֶם. Cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 742. *Populos*, עַמִּים, sunt qui h. l. tribus atque familias Israeliticas appellari existiment, quod vetat usus loquendi. Cum suffixis quidem junctum עמים denotat *populares*, ut Levit. 19, 16. *ne detractor circumeat* בְּעַמֶּיךָ *inter populares tuos.* Et 21, 1. *propter cadaver ne polluat se* בְּעַמָּיו *inter populares suos.* Vid. et Hos. 10, 14. Sed absolute, ut hic, positum, semper denotat *populos.* Magis praeterea poeticum est, populos omnes et terram universam ad attentionem excitari, quam tribus Israeliticas. הַקְשִׁיבִי אֶרֶץ וּמְלֹאָהּ *Ausculta terra et plenitudo ejus*, i. e. quicquid in ea

continetur. Cum praecessit terra, aut locus aliquis, adjungi solet מלאה, quod active sumendum, et id significat, quod locum aliquem complet, ut Jes. 42, 10. *qui descendunt in mare,* וּמְלֹאוֹ *et quidquid eo continetur.* Et Ps. 24, 1. *Jovae est terra* וּמְלֹאָהּ *quodque eam replet,* quod statim explicatur *orbis et ejus incolae.* Recte LXX ומלאה h. l. verterunt καὶ πάντες οἱ ἐν αὐτῇ. Simili formula universam rerum naturam ad attentionem excitat Jesajas 34, 1. *accedite, gentes, ad audiendum! et populi attendite! audiat tellus* ומלאה *et quidquid ea continetur, orbis et omnis ejus propago!* וְיְהִי אֲדֹנָי יְהוִה בָּכֶם לְעֵד *Et sit Dominus Deus contra vos in testem.* Deus advocari videtur testis contra populum illum toties admonitum, quod ad illum propheta acceptum a Deo mandatum fideli denuntiatione detulerit, ne quis causetur sibi non praedictum, cum divini furoris pondus advenerit. Quasi dicat propheta: ille qui ubique praesens est, cujus oculos nihil omnino latet, novit quemadmodum datas mihi partes expleverim, et ad vos pertulerim. Cf. 2 Reg. 17, 13. *contestatus est Jova contra Israelem et Judam per tot vates et* futura *praevidentes, dicendo: convertimini a pravis vestris viis,* et quae ibi sequuntur. בָּכֶם *Contra vos,* quia quum Dei mandata accepissetis a me, non tamen illis estis obsequuti. אֲדֹנָי מֵהֵיכַל קָדְשׁוֹ *Dominus e templo suo sancto.* Haec verba cum iis, quae praecedunt, nectimus in hunc sensum, ut testis advocetur Deus, ut humano modo praesens adsit, spectetque, quemadmodum data sibi a Deo mandata fideli legatione deferat ad populum, quo suo caveat capiti, et omnem aliis suorum peccatorum honestam excusationem praecidat. *Templum* autem *sanctum suum* h. l. non vocatur illud, quod excitatum a Salomone fuerat, sed *coelum,* quod templum dicitur Dei, quia ibi habitare existimabatur. Coelum vero locus maxime opportunus est, si rei naturam spectes, et de Deo secundum humanum sensum cogites. Ita Ps. 11, 4. *Jovam in templo* s. *palatio suo sancto, in coelis habens solium suis oculis adspicit, suis luminibus hominum genus probat.* Et Ps. 102, 20. *prospectat de excelso sancto suo,* Dominus, *de coelo terram intuetur.* Cf. Ps. 33, 13. Deus ergo, qui in coelis est, unde omnia prospectat, testis advocatur a Micha, quomodo Jobus 16, 19. *ecce,* inquit, *in coelo testis meus, et qui pro me testimonium exhibet, in excelso.*

3. Est utique, inquit vates, cur universa rerum natura attentum se praebeat iis, quae a me sunt proferenda, כִּי־הִנֵּה יְהוָה יֹצֵא מִמְּקֹמוֹ *Nam ecce! Jova egreditur e loco suo,* sc. de coelo, quod Vs. praeced. *locus* seu *habitatio Jovae* dicebatur. Spectant haec verba manifesto ad minas, quae sequuntur. Quemadmodum igitur ille, qui cum nihil hostile in alios meditatur, quieto est animo, et domi se continet, at cum aliorum provocatur injuriis, furens et armatus prodit domo, vindictam anhelans; sic Deus e loco, ubi se injuriarum patiens ad illud usque tempus

continuerat, egredicns sistitur eo habitu, ut de iis, qui ipsum scelcribus lacesserunt, supplicium sumat. Ita Jes. 26, 21. *en! Jova prodit e loco suo ad peccata habitantium terrae in ipsum vindicanda.* Hunc sensum esse geminum, ostendunt quae subjiciuntur: וְיָרַד וְדָרַךְ עַל־בָּמֳתֵי־אָרֶץ *et descendit et calcat super excelsa terrae*, ut demonstret suam potentiam et iram, cui et altissima quaeque subjiciuntur; cf. Amos 4, 13. et ibi not. Chaldaeus: *et conspiciendum se praebebit conculcabitque robora* s. *munitiones terrae.* Quod in textu legitur, בָּמָתֵי, cum Kamez brevi, formatur a Singulari בָּמָת cum terminatione Pluralis masculina ad formam אָהֳלַי; vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 541. Sed quod in margine habetur, בָּמוֹתַי, cum Kamez longo, est a Singulari בָּמוֹת, unde cum terminatione Pluralis masculina בָּמוֹתַיִם, sieut in אָחוֹת *soror.*

4. Magnifica descriptio ingredientis super montium juga numinis. וְנָמַסּוּ הֶהָרִים תַּחְתָּיו *Et liquefient montes sub ipso*, veluti in aquas resoluti diffluent, ut qui praesentiam irati vindicis sustinere nullo modo poterunt. Ita Ps. 97, 5. *montes cerae instar diffluunt coram Jova.* Jes. 63, 19. et 64, 2. *coram te montes diffluunt.* Cf. et Amos 9, 5. 13. וְהָעֲמָקִים יִתְבַּקָּעוּ *Et valles findent se*, scindentur, et concussae ingenti motu hiabunt mutatae in terribiles voragines. Verbum בָּקַע de *terrae scissione* dicitur quoque, sed in Niphal Num. 16, 31. Zach. 14, 4. LXX *ταχήσονται* verterunt, quomodo rectius נָמַסּוּ (ubi *σαλευθήσεται* posuerunt) interpretati essent. Sed videntur ordinem invertisse ob כַּדּוֹנַג, quod sequitur, cui aptius jungitur verbum, quod liquefactionem indicat, vereque junctum reperitur Ps. 97, 5. Addit vates illustrandae rei geminum simile, כַּדּוֹנַג מִפְּנֵי וגו׳ *sicut cera a facie ignis, sicut aquae profusae in declive.* Quod utrumque non est referendum aut ad *valles* solas, aut ad *valles* et *montes* simul, sed prius ad *montes*, primo loco nominatos, posterius ad *valles.* Qualis exstat duplicis similitudinis distincta relatio ad dupliccm enuntiationem praemissam Cant. 1, 5. *nigra ego, et pulchra, sicut tentoria Kedar, sicut aulaea Salomonis*, i. e. *nigra sum, sicut tentoria Kedar, et pulchra sicut aulaea Salomonis.* Quemadmodum igitur cera igne admoto celerrime liquefit, ita Noster colliquescendos dicit montes accedente numine vindice. Eadem similitudo Ps. modo laud. Et Ps. 68, 3. *sicut dissolvitur cera ad ignem, ita pereunt impii coram Deo.* Similiter sicut aquae profusae ex altitudine montis in declive humilius diffunduntur et ita disparent, sic citissime valles diffindentur et tollentur, ut per terrae motus fit frequenter. מְגֻרִים *Effusae*, Participium Hophal verbi נָגַר, in Cal quidem in codice Hebraeo haud obvii, sed Aramaeis usitati, quibus נְגַר *trahere*, *fluere* denotat, unde נְגָרָא *fluvius.* Cf. Vs. 6. et 2 Sam. 14, 14. *sicut aquae* הַנִּגָּרִים *effusae in terram, quae recolligi non possunt.*

בְּמוֹרָד *In descensu*, ut Jos. 7, 5. 10, 11., i. e. in loco declivi, ubi consistere aqua nullo modo potest, sed praecipite cursu deorsum fertur.

5. Causam indicat, ob quam tanta irae suae signa edat Deus: בְּפֶשַׁע יַעֲקֹב כָּל־זֹאת וּבְחַטֹּאות בֵּית יִשְׂרָאֵל *propter delicta Jacobi* Jacobitarum, *omne hoc* evenit, *et propter peccata domus Israelis.* Particula ב ante פשע et חטאות est *propter* reddenda, ut Hos. 5, 5. *Israel et Ephraim ruunt* בַּעֲוֹנָם *propter* s. *per culpam suam.* Et 12, 15. *servivit Israel* בְּאִשָּׁה *propter uxorem. Jacobus* et *domus Israel* idem valet, ut infra 3, 8., et per epexegesin in utroque hemistichio eadem iteratur sententia. Sed in altero hemistichio *Jacobo* sive *Israele* solae decem tribus significantur, quibus *Juda* opponitur. Cur vero decem tribus *Israel* dicantur, quum duae reliquae non ab alio parente fuerint prognatae, ea causa est, quod major populi pars, quum ab una tribu nomihari non potuerit, commune nomen habuit a parente desumtum. At duabus aliis una tribus Juda nomen dare perquam commode potuit, quum illa esset nobilissima, utpote regia, et Benjaminitica tribus eo redacta propter scelestum illud facinus Gibeae perpetratum, quod Jud. Cap. 20. et 21. narratur, ut nullo paene haberetur loco. Quare quum ex ea sexcenti tantum viri reliqui fuerint, et omnes civitates ac vici incendio conflagrarint, exiguae illae reliquiae adscriptae sunt et quasi agnatae tribui Juda, usque adeo, ut quum duae tribus, Juda et Benjamin, sequutae fuissent Rehabeamum, ut liquet e 1 Reg. 12, 21., tamen ibidem una tantum tribus Juda illius imperio dicitur fuisse subjecta: *Neque sequutus est quisquam domum David, praeter domum Juda solam.* Et 2 Reg. 17, 18. *iratusque est Jova vehementer Israeli, et abstulit eos a conspectu suo, et non remansit nisi tribus Juda tantummodo.* Adde, quod ut saepe decem tribus appellantur Ephraim, quia ex ea tribu fuit Jeroboam, qui in eo populo jam distracto regnum regum omnium primus obtinuit; sic etiam quia ex tribu Juda fuerunt, qui in tribubus duabus deinceps dominati sunt, a Juda sibi compellationem acceperunt. מִי־פֶשַׁע יַעֲקֹב הֲלֹא שֹׁמְרוֹן *Quis scelus Jacobi, nisi Samaria?* פֶּשַׁע hic per metonymiam ponitur pro delicti causa, ut infra Vs. 13. רֵאשִׁית חַטָּאת *principium peccati* itidem per metonymiam dicitur pro prima peccandi causa et occasione. Monentque Hebraei interpretes, quaeri hic de delicti auctore, quum ponatur pronomen interrogativum masculinum מִי, quod de *personis*, non de rebus interrogare solet. Est igitur sensus, Samariam esse causam sceleris, quod decem tribus Israelis evertit. Nam Samaria Israelitici regni caput, vitulos conflavit et coluit, et in aliis locis suae ditioni subjectis illam aluit impietatem auxitque vehementer. Chaldaeus sensum ita expressit: *ubi peccarunt* qui *domus Jacobi* sunt? *nonne in Samaria?* Syrus: *quodnam est scelus Jacobi, nisi Samaritani?* Postremum Versus incisum, וּמִי בָּמוֹת יְהוּדָה

הֲלֹא יְרוּשָׁלָ͏ִם, eodem modo, quo praecedens, intelligendum: *et quis* auctor vel causa *excelsorum Judae*, in quibus delubra et arae deorum (vid. 2 Reg. 23, 8. Ezech. 16, 16. 20, 28. 29.)? *nonne Hierosolyma?* i. e. quod in Juda arae excitentur impiae, et idolorum fana passim occurrent, in causa est urbs Hierosolymitana, caput regni, quia et ipsa excelsa habet, ubi scelerata obeat sacrificia, et ad aliorum impietatem connivet, et usque adeo serpentem idololatriae labem non resecat, et cohibet, ut impiorum provocet et alat audaciam. Vox בָּמוֹת praecise eam peccati speciem indicat, quae universe per חַטָּאוֹת antea significabatur. Cf. quae Hierosolymitanis exprobrat Jeremias 32, 34. 35. Syrus: *et quod est peccatum Judae?* Chaldaeus: *et ubi peccarunt illi e domo Judae? nonne Hierosolymis?* non quod pro בָּמוֹת legerint חַטָּאת, sed sensum liberius expresserunt.

6. Hactenus de Samaria et Jerusalem, id est, de duodecim tribubus, quas duro concutit vaticinio, et illarum promerita declarat. Nunc jam seorsim de Samaria, Israelitici imperii capite, dicere aggreditur, et quale illius futurum sit supplicium, edocet. וְשַׂמְתִּי שֹׁמְרוֹן לְעִי הַשָּׂדֶה *Ponamque*, reddam, *Samariam in acervum agri*, eo eam redigam, ut excisis funditus in ea aedificiis nihil supersit praeter acervos lapidum et ruderum. Nomini עִי, quod *acervum* et *cumulum lapidum* notare constat, addit הַשָּׂדֶה *agri*, ut indicet cumulum lapidum non tam ex divitis aedificiis, quam quales in agris reperiuntur purgatis et ad culturam praeparatis. Nam eos agricolae in cumulum aliquem coacervare solent. Idem Hierosolymis Noster infra 3, 12., Damasco minatur Jesajas 17, 1. *Damascus desinet urbs esse eritque acervus ruderum.* Et poeta Psalmi 79, 1. queritur, barbaras gentes *reddidisse Hierosolymae rudera.* Quo loco Aquila λιθύριον, Alexandrinus ὀπωροφυλάκιον vertit. De quibus interpretationibus HIERONYMUS in Epistola ad Suniam et Fretelam: „*Posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.* Quod Graece εἰς ὀπωροφυλάκιον dicitur, nec aliter potest verti quam a nobis translatum est. Significat autem speculam, quam custodes satorum et pomorum habere consueverunt, ut de amplissima urbe parvum tuguriolum vix remanserit. Hoc secundum Graecos. Ceterum in Hebraeo *Liim* scriptum habet, quod Aquila vertit λιθύριον, id est, *acervum* et *cumulum lapidum*, quibus vineae et agri purgari solent.“ Ὀπωροφυλάκιον ἀγροῦ reddiderunt LXX et hoc loco. Quod vero hebraicum עִי et עִיִּים et aliis locis ita interpretati sint, causa est, quod tales casulae, postquam collectae essent fruges, inutiles factae, desererentur a custodibus atque destruerentur. Sensum tantum expresserunt LXX, nec veram hebraicae vocis significationem. Addit vates, ut desolandam Samariam vividius depingat, redigendam esse לְמַטָּעֵי כָרֶם *in loca plantationum vineae*, ita ut vineae plantentur, vel plantari pos-

sint, ubi jam urbs Samaria est. Respicitur ad situm urbis, quae montana erat, utpote in monte ejusdem nominis exstructa, vid. 1 Reg. 16, 24., unde et *mons Samariae* dicitur Amos 4, 1. 6, 1. Montes autem apti vineis plantandis. לְ ante מטעי non aliter capiendum est atque prius illud nomini עִי praefixum. Est asyndeton, aliudque simile, quo significatur, Samariam ita fore dirutam, ut pro palatiis vites surgerent isto in monte, et *campi* adeo essent *ubi Troja fuit* (*Aen.* 3, 11.), ut restituendae Samariae etiam spes vix videretur superesse. וְנִגַּרְתִּי לַגַּי אַבְנֶיהָ *Et dejiciam in vallem* urbi subjectam *saxa ejus*, Samariae urbis e subversis aedificiis. והגרתי proprie: *fluere faciam*, i. e. detraham, dejiciam, praecipitabo; ut Ps. 63, 11. יַגִּירֻהוּ *prosternunt eum*, i. e. unumquemque eorum *per ensem*. Et Jer. 18, 21. וְהַגֵּרֵם *et prosterne eos gladio*. וְיסֹדֶיהָ אֲגַלֶּה *Et fundamenta ejus retegam*, i. e. faciam, ut nuda, destructis aedificiis, fundamenta appareant, urbem demoliar funditus. Ita Ps. 137, 7. Idumaei Judaeorum hostes ad evertenda funditus Hierosolyma excitantes inducuntur: *nudate, nudate usque ad fundamentum.* Et Ezech. 13, 14. de pariete destruendo, emblemate urbis Hierosolymitanae evertendae, dicitur: *et retegitur fundamentum ejus.*

7. וְכָל־פְּסִילֶיהָ יְכַתּוּ *Et omnia sculptilia ejus contundentur. Sculptilibus Samariae* intelliguntur deorum simulacra, ex auro, argento, lapide, ligno vel malleo efformata vel fusa, vel sculpta, ut Jes. 10, 10. Addit vates: וְכָל־אֶתְנַנֶּיהָ יִשָּׂרְפוּ בָאֵשׁ *et omnes mercedes meretriciae ejus igne comburentur.* אֶתְנָן nomen initio א in fine ן auctum a radice תָּנָה *mercede conduxit* (vid. Hos. 8, 10.) est *merces, qua meretrix conducitur*, vid. Ezech. 16, 31. 34. 41. Hos. 9, 1. Constat autem prophetas solere alienorum deorum cultum amorum meretricionum allegoria sistere, quia quum saepe se Jova sponsum vocet illius populi, quem fidei suae quasi nuptiali thalamo sociavit, consequens est, ut ea natio, quae ab illa fide defecit, meretricia dicatur, seu adultera. Vid. Hos. 1, 2. et ad eum loc. not. *Mercedibus meretriciis* igitur hoc loco intelliguntur dona in deorum honorem et cultum in templis saerisque suspensa, ex quibus donis aut conflabantur deorum simulacra (unde Chaldaeus: *et omnia ejus idola*, atque Syrus: *et omnia numina ejus*), aut ad templorum instructum sacra suppellex parabatur. Totus enim hic Versus versatur in comminatione de simulaeris vel contundendis et igni tradendis, vel asportandis ab hostibus. Sequitur enim: וְכָל־עֲצַבֶּיהָ אָשִׂים שְׁמָמָה *et omnia simulacra eorum ponam desolationem*, i. e. idola sua privabo omni decore, imo prorsus destruam atque perdam, ut sint loca devastata. עֲצַבִּים, propric *efformata*, *fabricata* scil. deorum simulacra (ab עָצַב *formavit*), hic pro בָּתֵּי עֲצַבִּים *sacella idolorum* posita sunt (cf. בֵּית עֲצַבֵּיהֶם 1 Sam. 31, 9.), unde Chaldaeus interpretatus est: *et omnes domus numinum suo-*

rum. Syrus: *et omnia idola sua redigam in corruptionem.* שׂוּם שְׁמָמָה pro עֲשׂוֹת שְׁמָמָה tritum, quomodo Graeci suo *τιθέναι* uti solent, veluti in illo Anacreontis Od. 9, 36. *Λαλιστέραν μ' ἔθηκας, ἄνθρωπε, καὶ κορώνης, loquaciorem me reddidisti, homo, vel cornice.* Sic Theocritus Idyll. 24, 107. *ἀοιδὸν ἔθηκε, cantorem eum fecit.* כִּי מֵאֶתְנַן זוֹנָה קִבָּצָה וְעַד־אֶתְנַן זוֹנָה יָשׁוּבוּ *Nam de mercede meretricia collegit*, congregavit Samaria ista simulaera, e donis, quae contulerunt Israelitae idololatrae, conflata sunt simulacra, et omnia tam templorum, quam idolorum ornamenta, *et usque ad mercedem meretriciam revertentur*, ex meretricio sumtu illa templorum donaria congregata sunt, eadem, cum hostium acies ingruerit, ad meretriciam mercedem revertentur, i. e. in munera aliorum idolorum abducentur a victoribus, ipsis quoque idolorum cultoribus. Chaldaeus: *nam de mercede meretricia sunt congregata, et in domum colentium idola tradentur.* Quod קִבָּצָה interpretatus est *congregata sunt*, credibile facit, ipsum legisse קֻבָּצָה in Pual, *congregata est*, quod comprobetur auctoritate nonnullorum codicum. Syrus quoque eadem, qua Chaldaeus, voce Passivum expressit, nec non Hieronymus: *quia de mercedibus meretriciis congregatae sunt.* Sed receptam legendi rationem tuentur LXX, qui *συνήγαγε* posuerunt, neque illam sollicitare necesse est, quum sensum aptum praebeat, modo ad Samariam referatur. Postrema verba, וְעַד־אֶתְנַן זוֹנָה יָשׁוּבוּ, LXX male verterunt: *καὶ ἐκ μισθωμάτων πορείας συνέστρεψεν* (quasi יָשׁוּב aut יָשִׁיב legerint), quod Arabs interpretatus est: *ob mercedem meretriciam demergetur*, pessumdabitur.

8. Tot ac tanta, quae Israelitidi genti imminent infortunia, vates acerbo cum planctu luget. עַל־זֹאת אֶסְפְּדָה וְאֵילִילָה אֵילֵכָה שׁוֹלָל וְעָרוֹם *Propterea plangam et ululabo, incedam spoliatus et nudus.* שׁוֹלָל Participium Pyhal abjecto מ pro מְשׁוֹלָל, ut מוֹרָט *depilatus*, sed 1 Reg. 7, 45. מְמֹרָט *extersum*, et שׁוֹבָב *aversus* Jes. 57, 17. Quod in textu scriptum est, שׁילל, J. P. Berg in *Notis ad J. C. Harenbergii* Exercitat. exegetic. in vaticin. Michae C. I. in *Symbolis Litterariis Duisburgensibus*, T. II. P. I. 1784. 8., שׁיֹלָל efferendum observat, ut sit formae פּוֹעַל cum Jod characteristico speciei in quietem dato, pro פַּיֵּעַל cum eodem mobili. *Spoliatum* h. l. Hebraeorum nonnulli intelligunt *spoliatum mente* prae ingenti animi dolore; sed vix dubium, indicari vestibus spoliatum s. exutum, uti quod epexegeseos causa subjicitur, עָרוֹם *nudus*, i. e. vestitu solito ac decente privatus, aut contra squalente et pannoso indutus. *Nudus* enim dicitur saepius non qui nullas omnino vestes habeat, sed qui superiore duntaxat veste carcat, cujusmodi erat pallium villosum, quo prophetae induebantur, ut liquet ex Zach. 13, 4. et 1 Reg. 19, 13. 19. 2 Reg. 1, 8. Quo sensu Saul dicitur *prophetasse nudus* 1 Sam. 19, 24. Cf. not. ad Jes. 20, 2. Solebant autem luctus significandi causa

vestimentis lacceris (vid. Joel 2, 13. Job. 1, 20. et ibid. not.), aut squalidis (*sacco*, vid. e. c. Gen. 37, 34.) incedere. Verba, quae in Hebraeo in prima Singularis persona ponuntur, LXX in tertia transtulerunt, quasi de Samaria dicerentur, ejusque gravis calamitas sic depingeretur: Ἕνεκεν τούτου κόψεται, καὶ θρηνήσει, πορεύσεται ἀνυπόδετος καὶ γυμνή. Chaldaeus tertiam Pluralis adhibuit: *ob id plangent et ululabunt, ibunt nudi inter spoliatores.* Syrus Imperativo utitur: *propter haec plange, luge et ulula, nudipes et nuda incede.* שׁוֹלָל hic interpres intellexit *calceis privatum*, ut LXX, quibuscum et in eo convenit, quod ad Samariam haec directa credidit. Ad Samariae incolas verba retulit quoque Chaldaeus. Solus inter veteres Hieronymus primam personam exprimit, sed explicat locum de Deo jacturam populi sui plorante, quem propheta sub sua persona loquentem indueat. Sed nihil impedit, quo minus haec de propheta sua ipsius persona prolata intelligantur: sane sensus ita simplicior et facilior est. Subjicit in hemistichio altero: אֶעֱשֶׂה מִסְפֵּד כַּתַּנִּים *planctum faciam canum sylvestrium instar.* תַּנִּים LXX, quos Hieronymus et interpretes tantum non omnes sequuntur, *dracones* verterunt. Horrendos draconum sibilos respici, quibus deserta personent, existimat Bochartus *Hieroz.* P. II. L. III. Cap. 14. T. III. p. 235. edit. Lips. geminum addueens Aeliani locum, quo draconi cuidam in India tribuitur *maximus sibilus et flatus, ita ut omnes* in Alexandri copiis *terruerit et conturbaverit* (*Hist. Animal.* Lib. XV. Cap. 21.), et draco quidam in Chio insula describitur *immensae magnitudinis, cujus adeo sibilum exhorruerint omnes Chii incolae.* Vid. Plinii *Hist. Nat.* L. VIII. C. 11. Sed nostro loco sonum non tam horrendum quam lugubrem indicari apparet. Quare Ludolfus in *Commentar. Hist. Aethiop.* p. 159. draconibus h. l. mallet *crocodilos* intelligi, quos plorare et plangere veteres crediderint, unde proverbium de *lachrymis crocodili.* Verum omnino non hic est cogitandum de draconibus, ii enim dicuntur תַּנִּינִים, a singulari תַּנִּין Jes. 27, 1., pro quo Ezechiel 29, 3. et 32, 3. adhibuit singulare תַּנִּים. Contra nostrum תַּנִּים est pluralis nominis תַּן, quod *canem ferum*, Persis *Schakal*, Arabibus *ibn avvi* (unde Hebraeum אִיִּים Jes. 13, 22. Jer. 50, 39.) dictum significari, argumentis solidis evicit, post Ed. Pocockium in Commentario ad h. l., Schnurrerus in *Dissertatt.* p. 323. sqq. *Canem ferum* s. *Schakalem* expresserunt nostro loco Chaldaeus et Syrus. Huic vero bestiae aptissime comparatur qui acerbum fletum tollit. *Ululat* enim, teste Damiro, Arabe, apud Bochartum *Hieroz.* P. I. L. III. C. 12. T. II. p. 181. edit. Lips., *noctu, idque potissimum, cum tristis est, aut manet solus. Ejus porro ululatus infantis vagitui similis est.* Plura vid. in *Handb. der bibl. Alterthumsk.* T. IV. P. II. p. 150. sqq. Addit vates aliud simile: וְאֵבֶל כִּבְנוֹת יַעֲנָה *et luctum* scil. אֶעֱשֶׂה *faciam* (subaudiendum e membro praecedente) *sicut struthiones*,

quorum funestos et lugubres clamores sese imitandos esse queritur et Jobus 30, 29. Cf. l. l. p. 294. sqq.

9. כִּי אֲנוּשָׁה מַכּוֹתֶיהָ *Nam aegra plagae ejus*, i. e. est unaquaeque *plagarum ejus*, regni Israelitici. Ita, sensu distributivo, capiendum adjectivum singulare אֲנוּשָׁה nomine plurali מַכּוֹת junctum; ut in illo Prov. 14, 1. *Sapientes mulierum*, i. e. sapiens quaeque in mulierum numero, *aedificat domum suam.* Nostro loco parallelum est מַכָּתִי אֲנוּשָׁה *plaga mea aegra*, insanabilis, Jer. 15, 18. Ita Jer. 10, 19. נַחֲלָה מַכָּתִי *aegra est plaga mea.* Est autem אֲנוּשָׁה ab אָנַשׁ *extreme aeger fuit* (ut 2 Sam. 12, 15.) et indicat h. l. *aegram*, gravem, insanabilem plagam. Cf. Jer. 30, 12. 15. Gravissima reipublicae inflicta mala Jesajas quoque 1, 5. plagis vulneribusque non sanatis confert. Cum igitur Noster Israelis *plagam insanabilem* esse ait, significat, sic esse regnum Israeliticum vastandum ab hostibus, ut pars ex illo supersit nulla, quae futura sit quasi semen excitandae et instaurandae reipublicae. Hinc subdit: כִּי־בָאָה עַד־יְהוּדָה *nam venit* scil. מַכָּה *plaga*, calamitas, *usque ad Judam*, usque adeo late bacchatus est hostilis exercitus, ut non solum Israelitici imperii civitates vicosque subverterit, sed ex illius finibus populabundus egressus vicinas etiam sedes occupet et affligat. Devenit igitur propheta nunc ad regni Judaici infortunia denuntianda. נָגַע עַד־שַׁעַר עַמִּי *Pertigit usque ad portam*, urbem, *populi mei*, id est, ut per epexegesin subjicitur, עַד־יְרוּשָׁלַם *usque Hierosolymam*, quae et Obad. Vs. 13. *porta populi Judaici* dicitur. שַׁעַר *Porta* urbis pro urbe, ut Gen. 22, 17. *hereditabit semen tuum portas inimicorum suorum.* Deut. 17, 2. *in una portarum*, urbium *tuarum.* Cf. Deut. 28, 57. Obad. Vs. 11. Ad Hierosolymam igitur, caput regni, imperii et sacrorum sedem, נָגַע *pertingit*, seu, ut alii volunt, *percutit*, laedit, quo significatu hoc verbum haud raro occurrit, veluti Gen. 32, 35. Ps. 73, 5. Verum particula עַד suadet, *pertingendi* notionem retinendam esse, ut Jer. 4, 10. וְנָגְעָה חֶרֶב עַד־הַנָּפֶשׁ *pertigit gladium usque ad animam.* Nostro vero loco ad verbum masculinum נָגַע non est subaudiendum מַכָּה *plaga*, nomen feminei generis, sed הַנָּגַע *plaga*, in verbo latens, aut הָאוֹיֵב *hostis*, aut simile nomen. Storr in *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 385. generis numerique varietatem in hoc Versu ita explicat, ut nomen pluralc מַכּוֹת et femininum singulare אֲנוּשָׁה sensu *neutro* capienda sint, et sic cum utriusque generis et numeri verbis conjungi posse censeat, hoc modo: *Res insanabilis* (אֲנוּשָׁה) *sunt plagae ejus, nam pervenit* (בָּאָה) ea res *usque in Judaeam, pertingit* etc., i. e. insanabiles sunt plagae, perveniunt usque in Judaeam, pertingunt etc. Similem syntaxin vid. Job. 30, 15. Dissentiunt interpretes, quaenam sit ista calamitas Judaeae imminens, de qua vates hic loquitur, utrum ea, cujus auctor fuit

Sanherib, tempore Ezechiae regis, an cujus Nebucadnezar, tempore Zidkyae. Verum saepius monuimus, vanam esse et inutilem operam, quae infinite praesagiere vates, atque generales minas malorum, quae serius vel ocius premerent Judaeam, gravius item vel levius, ad certos eventus referre. Noster postquam regnum Israeliticum ob multa et gravia scelera vastandum atque subvertendum ab hostibus minatus esset, sponte eo deferebatur, ut Judaeae ob similia peccata similia mala praenuntiaret. Credibile erat, subverso regno Israelitico eundem hostem arma contra Judaeam conversurum esse. Exercitus igitur hostilis Hierosolymam, caput regni, petentis adventum tanquam jam praesentem vidit et in iis quae sequuntur graphice depingit. Atque Assyrios quidem vatis menti obversatos esse, vix dubium esse potest, quum victores illos atque imperatores plurium tunc gentium et vicina Samariae ac Judaeae regna suo imperio adjuncturos exspectandum esset.

10. בְּגַת אַל־תַּגִּידוּ *In Gath ne nuntietis.* Desumta haec verba e Davidis ferali carmine 2 Sam. 1, 20., quae tanquam legitima aliqua formula in luctu videntur usitata fuisse ob elegantem ex illorum hominum sensu paronomasiam, in vocibus גת et תגיגו. *Gath* erat regia Philistaeorum urbs, memorata et Amoso 1, 8. 6, 2. Monet igitur Noster suos, caveant, ne calamitatis suae nuntius ad Philistaeos perveniret, qui quum semper inimicum contra Judaeos servarent animum, de eorum excidio maximopere sint gavisuri. Est autem magna doloris pars, si quispiam in nostris exultat atque triumphat infortuniis, maximus dolor, si id ab hoste fit. Hinc Psaltes hoc horret vehementer, Ps. 25, 2. *ne exsultent inimici mei de me.* Quod item quasi acerbum aliquid queritur Jeremias Thren. 2, 17. *laetari facit super te hostem.* LXX nostra verba verterunt: *οἱ ἐν Γὲθ μὴ μεγαλύνεσθε.* Eodemque modo Syrus: *in Gath ne laetemini.* Quasi pro תגידו legissent תגילו, vel תגדילו. Explicavit illud Theodoretus: *Μὴ μέγα φρονεῖτε ταῖς τοῦτως συμφοραῖς ἐφηδόμενοι, ὡς αὐτοὶ μένοντες ἀκήρατοι.* Verum תגילו aut תגדילו adscito perit paronomasia in simili sono vocum גת et תגידו quaesita. Praeterea receptum תגידו tuctur tam locus parallelus 2 Sam. 1, 20., quam verba quae proxime subjiciuntur, quaeque docent, interdictum hoc spectare Israelitas affligendos vel afflictos: בָּכוֹ אַל־תִּבְכּוּ *flendo non fleatis*, i. e. taciti lugeatis, ne ploratu atque ejulatu, in quo clamor est, inimici populi Israelitici gentis calamitatem intelligant. Relando *Palaest.* p. 534. in voce בָּכוֹ nomen urbis *Acco*, עַכּוֹ (Jud. 1, 31.), quae serioribus temporibus *Ptolemais* dicta, latere videtur, ut ע sit elisum, quum plene scribendum fuisset בְּעַכּוֹ. Et videtur quidem illi longe elegantior sensus hinc emergere: *in Gath id ne nuntiate, in Acco ne edite ejulatum*, quam si dicatur: *in Gath id ne nuntiate, flendo ne flete*, maxime quum hic multa paucis complecti nervose studeat propheta. Favere sibi

putat codices Graecae versionis, quae hic habet [Hieronymus legit in iis *Βακεὶμ* et in codice Vaticano legitur *οἱ Ἐνακὶμ*] *οἱ ἐν Ἀκεὶμ*, *illi qui in Acim habitant.* Affert quoque veterum quorundam interpretationes, quibus in voce בכו *loci* alicujus nomen latere visum est. Sed illi sententiae, ex qua in בָּכוּ nomen urbis עַכּוֹ lateat, obstat, quod ea urbs, etsi sorti tribus Ascher assignata, uti ex Jud. 1, 31. patet, ab Israelitis tamen numquam habitata videtur; nam enumeratur eodem loco inter eas urbes, quarum incolas non expulissent Ascheritae, nec inter urbes Ascheriticas Jos. 19, 25 ulla fit mentio urbis Acco, neque ex ullo alio V. T. loco colligere licet, eam ditioni Israeliticae adscriptam fuisse. Et ipse Relandus initio loci a nobis adducti illam habitatam dicit a gentibus Israelitarum hostibus. Iis vero quis credat vatem acclamasse, ne Israelitarum calamitates defleant? Ceterum quid LXX in suo codice hebraeo pro בכו legerint, nemo facile definiat, quum in vocabulo, quod nomini illi respondet, et ipsa Graecae versionis exemplaria valde inter se discrepent. Pro תִּבְכּוּ autem Graecum interpretem תִּבְנוּ legisse inde colligere licet, quod *μὴ ἀνακοδομεῖτε* vertit. Ceterum quod in codicibus omnibus legitur, et a multis quoque antiquis interpretibus exprimitur, בָּכוּ אַל־תִּבְכּוּ, sensum concinnum et elegantem fundere vidimus, dum interdicitur iis verbis Israelitis fletus gravis, acerbus, publicus, qui ad vicinos sibi inimicos, Philistaeos, personet. Interdicto vero suo jungit vates mandatum: בֵּבִית־לְעַפְרָה עָפָר הִתְפַּלָּשְׁתִי *in Beth-leaphra pulvere operias te.* De nomine בֵּית־לְעַפְרָה dissentiunt, num sit appellativum, an proprium? Qui pro appellativo habent, *domum pulveris* (ל redundante, aut pro Genitivi nota serviente, ut 1 Chron. 23, 28. טָהֳרַת לְכָל־קֹדֶשׁ *purgatio omnis rei sanctae*), vel *domum ad* s. *in pulverem* scil. redactam dici putant talem, quae in pulverem redacta est a catapulta, vel ariete, seu in cinerem ab incendio. Sic monebit propheta, ut quando pulveris abunde est in patriae ruina, pulvere sese conspergant, quod in luctu fieri solebat, vid. not. ad Ezech. 27, 30. Ita Chaldaeus (quocum consentit Hieronymus): *qui habitant in domibus in pulvere*, i. e. in pulverem redactis, *cinere conspergant se*, *operiunt capita sua.* Alii בית־לעפרה rectius pro nomine proprio habent. Similes paronomasiae in aliorum quoque prophetarum scriptis inveniuntur, ut Zeph. 2, 4. עַזָּה עֲזוּבָה *Gaza derelicta erit*, וְעֶקְרוֹן תֵּעָקֵר *et Ekron eradicabitur.* Jes. 21, 2. עֲלִי עֵילָם *ascende Elam.* Jer. 6, 1. וּבְתְקוֹעַ תִּקְעוּ *et in Thecoa clangite tuba.* Vid. et Jes. 15, 5. 16, 2. Jer. 48, 2. Quae quum ita sint, nos minime dubitamus, בית־לעפרה esse nomen oppidi aut pagi in ditione regni Judaici siti. Quod autem loci talis ceterum incogniti et ignobilis incolas vates jubet sese luctus testificandi causa pulvere conspergere, majoribus urbibus et nobilioribus relictis, in causa est solus nominis sonus, qui quum nomen simile עפר, *pulvis*, commoncfaceret, magis convenicns erat, ut

ejus loci incolae sese pulvere conspergere juberentur, ut juxta nomen adesset omen, quam alius cujusdam loci. הִתְפַּלָּשְׁתִּי est secunda feminea Praeteriti persona, cum Jod paragogico, ut אֲכַלְתִּי pro אָכַלְתְּ *comedisti*, Ezech. 16, 13. Positum autem est Praeteritum per enallagen pro Futuro, ut vertendum sit: *consperges te*, s. *conspergas te*. In margine legendum praecipitur הִתְפַּלָּשִׁי *consperge te*, Imperativus femineus, ut mox Vs. 11. עִבְרִי *transi*. Feminino utitur vates, quod gentem Judaeam compellat. Veteres vertunt in Imperativo plurali, non quod הִתְפַּלָּשׁוּ in suis codicibus legerint, sed ut sensum concinnius exprimerent. Ceterum de verbo פָּלַשׁ vid. quae notavimus ad Ezech. 27, 30.

11. עִבְרִי לָכֶם יוֹשֶׁבֶת שָׁפִיר עֶרְיָה־בֹשֶׁת *Transi vobis, habitatrix Schaphirae nudata pudibunda* עִבְרִי *Transi*, i. e. muta locum, commigra in exsilium. Pronomen לָכֶם redundat, ut apud Latinos: *vade tibi*. Graeci etiam ita loquuntur: ἐκχώρησόν σοι. Dicendum vero erat עִבְרִי־לָךְ, ut Cant. 1, 8. צְאִי־לָךְ *exi tibi*, et 2, 10. 13. לְכִי־לָךְ *vade tibi*. Dixit autem עִבְרִי, singulari femineo, respectu totius coetus, יוֹשֶׁבֶת *habitatrix*, et לָכֶם *vobis*, genere masculino et plurali numero, respectu civium singulorum. Quamobrem sic resolvenda est disparitas numeri: *transite vobis, o incolae*. De שָׁפִיר iterum dissentiunt, num sit nomen appellativum, an proprium? Qui pro appellativo habent, *pulchrum locum* indicari volunt, collato שָׁפְרָה *pulchra obtigit*, Ps. 16, 7., et Hieronymus quoque notat, „*Schaphir* Syro Hebraeoque sermone dici *pulchram*.“ Hinc plures vertunt: *habitatrix pulchri loci*. Eo vero intelligunt Samariam, quod aedificiis esset illustris, et vineis olivetisque conspicua, quam Jes. 28, 1. *verticem vallis pinguissimae* vocat. Verum de Samaria Versu 8. sermonem absolvi, monuimus jam ad Versum superiorem. Nihil tamen obstat, quo minus urbem *Schaphir* dictam, exstitisse statuamus. Videtur eadem esse, de qua EUSEBIUS in libro *de situ et nominibus locorum Hebraicorum* in libro Josua e versione Hieronymi: *Saphir, villa in montanis sita inter Eleutheropolim et Ascalonem, in tribu Juda*. Vix autem dubium est, respexisse vatem in hujus urbis nomine hic usurpato notionem *pulchritudinis*, et hoc voluisse: tu, quae nomen habes a *pulchro*, et *Schaphir* appellaris, abdueeris in exsilium turpificata et dedecore summo affecta. Id enim significatur verbis עֶרְיָה־בֹשֶׁת, quae alii *cum nuditate* et *pudore* vertunt, ut sit asyndeton, pro בְּעֶרְיָה וּבְבֹשֶׁת, ut עֶרְיָה pro nomine substantivo habeatur, ut Ezech. 16, 7. 22. 39. 23, 29. עֵרֹם וְעֶרְיָה est *in nuditate et denudatione*, i. e. omnino nuda. Alii, quibus עֶרְיָה est adjectivum femineum, ἀνομαλῶς positum putant in statu absoluto pro eo, quod debebat scribi, עֶרְיַת (quemadmodum Ruth 2, 17. אֵיפָה שְׂעֹרִים dicitur pro אֵיפַת שְׂעֹרִים *Epha hordei*), vertuntque: *nudata pudendis*, ut accidit iis, qui detractis vestibus in captivi-

tatem abripiuntur; comparantque illud Jes. 47, 2. ad urbem Babylonicam directum, גַּלִּי־שׁוֹק *denuda crus, transi flumina.* Et Hos. 2, 8. *abripiam laneas et lineas vestes*, quae fuerunt ipsi לְכַסּוֹת אֶת־עֶרְוָתָהּ *ad tegenda pudenda sua.* Verum quum עֶרְיָה Ezechielicis locis indicatis manifeste sit substantivum, neque בּשֶׁת alias significatione *pudendorum* occurrat (quae מְבֻשִׁים dicuntur Deut. 25, 11.), prior ratio omnino praestat. *Nuditas* et *pudor* opponuntur pulchritudini et ornamentis, quibus antea ea urbs gauderet et superbiret. Taecmus hic alias hujus hemistichii versiones et interpretationes minus probandas. In verbis לֹא יָצְאָה יוֹשֶׁבֶת צַאֲנָן interpretandis magna iterum veterum et recentiorum dissensio, atque ea quidem eo major, quo minus in scriptura vocis צַאֲנָן consentiunt. In Graecae versionis codicibus, Vaticano et Alexandrino, legitur *Σενναάρ*, quod Arabs habuit pro Hebraico שִׁנְעָר *Sinear*, quod nomen esse regionis circa Babylonem constat, vid. not. ad Gen. 10, 10. 11, 2. Alii interpretum antiquorum vero legerunt *Σενάν*, aut *Σεναάν*. Id esset hebraicum צְנָן, vel צָנָן Jos. 15, 37. Alii aliter. In Syriaca versione: *nuda egressa est, nec erubuit habitatrix Soanis* (verbis עֶרְיָה־בּשֶׁת e priori hemistichio huc relatis) pro צַאֲנָן legitur צָנָן, quod tamen J. D. Michaelis in *Biblioth. Orient.* P. XX. p. 170. mendosum judicat pro צָנָן. Sane inter urbes tribus Judae memoratur Jos. 15, 37. urbs צְנָן, quam nonnulli a nostra צַאֲנָן haud diversam existimant. Quod si ita sese habeat, vates nomen illius loci hic צַאֲנָן scripsisse censendus erit paronomasiae causa cum יצאה. Kimchi haec verba jungit iis, quae proxime sequuntur, מְסַפֵּד בֵּית הָאֵצֶל, subaudito ante מספד praefixo לְ, hoc sensu: incolas Zaananis quum viderent Bethezelitas ab hostibus captivos abduci, cosque plangentes et lachrymas fundentes, non iis occurrisse, ut humanitatis et officii erga vicinos ratio postulabat, ut miserorum dolorem consolarentur, quia ipsi idem sibi proxime instare infortunium metuerent, et in aliorum capite conjecturam non obscuram sumerent de suo. Nos tamen verba לֹא יָצְאָה יוֹשֶׁבֶת צַאֲנָן haud dubitamus sensum integrum effiecre, quem recte Chaldaeus expresserit: *non exeunt salvi habitatores Zaanan.* Vult enim vates, incolas Zaananis (cui ab *exeundo*, יָצָא, nomen) non audere extra urbis moenia egredi, ob metum hostium, qui circum eam vagantur, neque si qui tamen egredi auderent, salvos redituros. Grotius: „צַאֲנָן, quod Vulgatus vertit ab *exitu*, a radice יָצָא, alii forte rectius *terram pecorosam* interpretantur a צאן. Vicinitate simili iis, quae diximus, *Sionem* significat, hoc sensu: illi qui in Sione habitant ne pedem quidem moverunt ad servandos Ephraimitas.“ Et ad צאן quidem respici existimavit et Hillerus *Onomast.* p. 951., ut significetur *urbs pecorosa*, cujus incolae non amplius exeant ad greges suos curandos. Urbem צְנָן autem Jos. 15, 37. innui putat. A qua sententia nec

alienus est Michaelis l. c., qui צֹאנָן efferendum conjicit, quod et sine Aleph scribi possit, quum *ovium* greges et צֹאנָא Num. 32, 24. atque צֹנָה Ps. 8, 8. dicantur. Nos quidem acquiescimus in eo, quem diximus, sensu, utpote simplicissimo. Vehementer autem inter se dissentiunt interpretes in explicandis verbis, quae sequuntur, מְסַפֵּד בֵּית הָאֵצֶל יִקַּח מִכֶּם עָמְדָּתוֹ, quae ad verbum ita sonant: *planctus Beth-haezel capit a vobis stationem*, seu *stabilitatem suam*. Bipartito vero hujus loci interpretationes distribui possunt, sunt, quae verba מְסַפֵּד בֵּית הָאֵצֶל iis quae praecesserunt, et aliae, quae illa eis quae sequuntur jungunt. Ad classem priorem referendi LXX, qui sic vertunt: (*οὐκ ἐξῆλθεν κατοικοῦσα Σεναάν* s. *Σενναάρ*) *κόψασθαι οἶκον ἐχόμενον αὐτῆς, λήψεται ἐξ ὑμῶν πληγὴν ὀδύνης*. Haec Hieronymus sic reddidit: *plangite domum juxta eam; accipiet ex vobis plagam doloris*. Pro *κόψασθαι* legit *κόψασθε* vel *κόψεσθε*. Sed Infinitivum expressit quoque Arabicus interpres: *ad plangendam domum sibi adjacentem*. Habuit Graecus interpres מספד pro Infinitivi forma Chaldaeis usitata, בית האצל vero *domum vicinitatis* interpretatus est, collato אֶצְלִי *prope me*, Ezech. 13, 6., et pro עמדתו videtur מַכָּתוֹ vel חֲבוּרָתוֹ aut legisse aut intellexisse. Ita et Syrus: *luctus Beth-Uzel accipiet a vobis plagam suam*. Jam quod sensum attinet, Graecum interpretem verba priora cum antecedentibus juncta ita intellexisse patet, non egressam esse habitatricem Zaananis ad condolendum vicinis. Verba מְסַפֵּד בֵּית הָאֵצֶל cum iis quae praecedunt junxisse et Kimchium, et quidem eodem sensu: Zaananis incolas non egressos esse ad consolandos Bethazelitas captivos abductos, supra docuimus; reliqua verba autem יִקַּח מִכֶּם עָמְדָּתוֹ, in Commentario patrem suum, Josephum, sequutus, ita exponit: *accipiet* hostis *a vobis stationem suam*, i. e. mercedem stationis suae, morae, quam fecit in vestris oppidis expugnandis. Eo erit in vos durior ac severior, quo illi plus negotii exhibueritis pertinaciter resistendo, et postquam omnia vestra diripuerit, vos ipsos captivos abducet. Quibus tamen cunctis interpretationibus (aliisque quas non commemoravimus), quae מספד בית האצל ad ea quae praecesserunt trahunt, et verba יקח מכם עמדתו capiunt seorsim, quaesiti atque duri quidquam inest, neque paronomasiae iis ratio habetur, cujus Noster hic studiosissimus est. Quare tutius agunt, qui verba מספד בית האצל יקח מכם עמדתו conjunctim sumunt, quorum tamen varias interpretationes latius enumerare non est hujus loci. בֵּית הָאֵצֶל pro nomine proprio loci est habendum, ad cujus appellativam significationem procul dubio, uti in iis, quae antecedunt et sequuntur, alluditur. אֵצֶל *vicinitatem*, vel situs propinquitatem *(juxta, prope)* significare constat, vid. Ezech. 43, 6. Dan. 8, 17. Unde nomine בֵּית הָאֵצֶל quidam locum innui existimarunt, *juxta* quem fugientes tuti possint *consistere* (collato sequente עָמְדָּתוֹ), aut malorum *subsistere* cursus. Sed nobis magis

probatur eorum sententia, qui in הָאֶצֶל ad sonum cognatum צל *umbra* alludi censent, quasi nomine illo *domus umbrae* indicetur, quae umbram videbatur ex fuga fessis praebitura, quemadmodum Jeremias 48, 45. *in umbra Hesbonis stant sine viribus profugi.* Sensum recte expressit C. B. Michaelis: *Luctus Beth-haezel* (est enim מִסְפַּד status construetus absoluti מִסְפֵּד Vs. 8.), i. e. *Beth-haezel*, quae et ipsa lugebit, nullam fugientibus vobis vel *umbram* praebebit, in qua tuti consistatis, vel terminum figet malo ad subsistendum. עֶמְדָה hoc solo loco obvium nomen esse formae חֶמְדָה ab עָמַד, Kimchi observat. HILLERUS *Onomast.* p. 951. nomine בֵּית הָאֶצֶל intelligit *Azelitas* e tribu Benjamin, quorum urbs dicta sit *Moza*, מוֹצָא, de nomine viri alicujus מוֹצָא, qui *Azeli* fuit abavus, Jos. 18, 26. 1 Paral. 8, 27. 38.

12. כִּי est *explicativum* potius, quam *causale*, quasi dicat: *Nam* ut calamitatis progressum et magnitudinem ulterius explicem. Prius hujus Versus hemistichium, כִּי חָלָה לְטוֹב יוֹשֶׁבֶת מָרוֹת, LXX reddiderunt: *τίς ἤρξατο εἰς ἀγαθὰ κατοικούσῃ ὀδύνας;* quae Hieronymus hoc modo vertit: *quis cepit in bonum, quae habitat in doloribus?* Pro כִּי Graecus interpres legit מִי, חָלָה confudit cum הֵחֵל *incepit*, Gen. 6, 1., et מָרוֹת *amaritudines*, transtulit ὀδύνας. Quod vero sensum attinet Graecae versionis, CYRILLUS hunc Versum ad urbem Hierosolymitanam refert, primo quidem graviter afflictam, sed postquam a Deo satis esset castigata, emergentem, atque a calamitate, quae ei ab Assyriis, Sanheribo duce, minabatur, divina potentia inopinato liberatam. HIERONYMUS verba hebraea ita vertit: *quia infirmata est in bono quae habitat in Maroth.* Quae in Commentario sic exponit: „Accepit autem dlanctum, et percussa fortitudine est, et infirmata bono suo, quae habitat in *Maroth*, id est, *in amaritudinibus*, sive, ut Symmachus vertit, *habitatio ad amaritudinem provocans*, hoc est, ἡ κατοικία ἡ παραπικραίνουσα, quod Hebraice dicitur *Josebeth Maroth*, propter captivitatem vicinarum tribuum.“ Syrus: *quoniam infirmata est ad bonum agendum habitatrix et rebellavit.* Pro מָרוֹת legit מָרָה. Chaldaeus: *nam illa, quae habitabat in amoenitate terrae, et exspectabat bonum, et ad legem converti speravit, quid facitis?* Quod hebraea חָלָה לְטוֹב vertit *exspectans bonum*, causa est, quod חוּל, unde חָלָה, cepit significatione *manendi, exspectandi*, quam praeter *dolendi* significatum obtinet. Hinc est Jud. 3, 25. וַיָּחִילוּ *et exspectarunt*, Job. 35, 14. וּתְחוֹלֶל לוֹ *et exspectabis eum.* Chaldaeum sequutus JARCHI, cujus explicatio haec est: „Exspectavit bonum, quae tranquille habitat et reluctatur ori prophetarum.“ מָרוֹת retulit ad מָרָה *rebellavit*, 1 Reg. 13, 26., cum allusione ad מְרִיא *pingue*, aut מַרְאֶה *adspectus*, *species*. Alii, qui חָלָה *exspectandi* notione capiunt, verborum nostrorum sensum hunc faciunt: frustra pendebunt ab inani spe et fallaci

incolae urbis Maroth, quia devoti prorsus erunt exitio. Sed aptior sensus erit, si חָלָה cum Kimchio *indoluit* s. *dolebit* interpretaris (ut Jer. 5, 3. *exspectavi eos*, וְלֹא־חָלוּ *sed non doluerunt* ipsorum peccata): significari vero dolorem acerbissimum, inde apparet, quod ad sequens מָרוֹת alluditur, quod *amaritiem* sonat. לְטוֹב *ob bonum* scil. ablatum. Bonis suis et pristina fortuna exuti Marothenses dolebunt. יוֹשֶׁבֶת מָרוֹת *habitatrix Maroth*, quod est nomen proprium loci ab *amaritie*, cf. Jes. 33, 7. מַר נִבְכָיוּן *acerbe flebunt*. Jer. 2, 19 רַע וָמָר *malum et acerbum*. Hillero *Onomast.* p. 591. idem ille est locus cum יַרְמוּת; oppido Judae, Jos. 15, 35. — כִּי יָרַד רַע מֵאֵת יְהוָה *Nam descendit malum a Jova*, quod additur ad declarandum, istud non fortuito Judaeis accidisse, sed a Deo, justo judice, importatum fuisse propter causas supra Vs. 5. commemoratas. Sic Amos 3, 6. *num accidit malum in civitate, quod Dominus non faciat?* Vid. et Thren. 3, 38. Malum istud *descendere* dicitur desuper in Judaeos, similitudine sumta ab imbre, ut Jes. 55, 10. *quemadmodum pluvia et nix descendit de coelo*; aut a grandine, Exod. 9, 19. *descendit grando super vos*. Conferèndum et illud Gen. 19, 24. *Jova pluere fecit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem* מֵאֵת יְהוָה מִן־הַשָּׁמָיִם *a Jova e coelo*. Calamitas igitur illa terrae Judaicae desuper illata vadere dicitur לְשַׁעַר יְרוּשָׁלַם *ad portam Hierosolymorum*, vid. Vs. 9.

13. רְתֹם הַמֶּרְכָּבָה לָרֶכֶשׁ יוֹשֶׁבֶת לָכִישׁ *Junge currum equo habitatrix Lachisch*, i. e. junge currus et equos, sive, ut te opponas hosti, qui exciso Israele, in tuos fines quam primum erumpet, vel, quod malim, ut celeri fuga te proripiens, impendentia mala vites. Recte Chaldaeus sic vertit: *aptate quadrigas, projicite vos super veredos, qui habitatis in Lachisch.* Verbum רָתַם hoc solo loco obvium significatione cum אָסַר *ligavit* convenire (vid. Gen. 46, 29. וַיֶּאְסֹר יוֹסֵף מֶרְכַּבְתּוֹ *ligavit Josephus currum suum*), res ipsa docet. Vestigium hujus notionis est in Arabico رَتَمَ *filum digito obvolvit ad recordandum quid.* Est vero constructio ad sensum potius, quam ad Grammaticae leges, qua masculinum רְתֹם cum feminino יוֹשֶׁבֶת jungitur; nimirum quia *habitatores* sub collectivo feminino intelligit; ita ut *habitatrix* perinde sit, ac si dixisset: *quisquis habitas.* רֶכֶשׁ non significare *dromadem*, nec *mulum*, ut Hebraeorum nonnulli voluerunt, sed *equum*, aut *equi velocis speciem* significare, pluribus probavit Bochartus *Hieroz.* T. I. p. 38. Esth. 8, 10. diplomata sua mittit Ahasverus *per cursores in equis, equitantes* רֶכֶשׁ, quod videtur addi ἐπεξηγητικῶς, ut regios tabellarios equis expeditissimis vectos fuisse significetur. Ac proinde Vs. 14, ubi de iisdem cursoribus rursus agitur, omittitur vox לַסּוּסִים, et הָרֶכֶשׁ utrumque supplet. Et 1 Reg. 4, 18. (al. 5, 8.), ubi de Salomonis equitatu: *hordeum et paleam afferebant* לַסּוּסִים וְלָרֶכֶשׁ.

E vulgo equorum eximitur רֶכֶשׁ ut equi genus praestantissimum. Usus autem est Noster nomine לָרָכֶשׁ paronomasiae causa, ut luderet sonorum vicinitate cum nomine urbis לָכִישׁ, quae urbs Judae erat campestris, occidentem versus, ad Philistaeorum terminos, Jos. 15, 39., a Sennacheribo obsessa, 2 Reg. 8, 14 17. Causam addit, cur huic speciatim urbi istud minetur: רֵאשִׁית חַטָּאת הִיא, q. d. nec immerito illud urbs Lachisch patietur malum, nam *principium*, i. e. prima causa *peccati illa* exstitit. Vid. not. ad Vs. 5. Sic Prov. 17, 14. רֵאשִׁית מָדוֹן *initium contentionis* pro primo illius auctore et causa. הִיא pro אַתְּ, praecessit enim Vocativus, *tu*, *o habitatrix Lachisch!* emphatica personae enallage, ut in illa indignantis apostrophe Gen. 49, 4. *ascendisti cubile patris tui*, אָז חִלַּלְתָּ יְצוּעִי עָלָה *tunc polluisti cubile meum! ascendit.* לְבַת־צִיּוֹן *Filiae Zion*, i. e. Hierosolymae et regno Judaico, ut Jes. 1, 8., ubi vid. not. כִּי־בָךְ נִמְצְאוּ *Nam in te*, urbs Lachisch *inventa sunt*, i. e. primo exstiterunt; id enim facile colligitur e praecedente רֵאשִׁית. — פִּשְׁעֵי יִשְׂרָאֵל *Peccata Israelis*, idolorum cultus, qui in regno Israelitico grassabatur, vid. supra Vs. 5. Amos 3, 14. Prima igitur urbs Lachisch fuit in Judaico regno, quae aut vitulorum cultum, a Jeroboamo, aut Baalorum cultum, ab Achabo introductum, suscepit et imitata est. Quum Lachisch proxima attingeret Ephraimiticos fines, facile corruptos illius mores a noxia illi et pestilenti vicinitate contraxit, unde ad reliquas civitates Judaeae, veluti ad Bersabe, Amos 5, 5., et ad ipsam urbem Hierosolymitanam contagio serpsit. Probabile est, hoc evenisse sub regno Jorami et Ahaziae, qui Achabi exemplum imitati dicuntur 2 Paral. 21, 6. 23. 22, 3. 4. Haud constat ex ullo librorum historicorum V. T. loco, Lachisch omnium primam a labe illa superstitionis exterae fuisse deformatam; sed adeo hic propheta loquitur aperte, ut dubitare non liceat.

14. Caussalis particula לָכֵן referenda est vel ad id, quod proxime praecedit Vs. 13., quod videlicet Israeliticam idololatriam filia Zionis, ad exemplum urbis Lachisch, imitata est, vel ad remotius Vs. 5, ubi dicitur, ex urbe Hierosolymitana promanasse superstitiosum idolorum cultum in reliquam Judaeam. תִּתְּנִי *Dabis*, non Lachisch (Vs. 13.), sed per apostrophen: *o filia Zion*, quae et infra Vs. 16. compellatur. In verbis vero תִּתְּנִי שִׁלּוּחִים עַל מוֹרֶשֶׁת גַּת explicandis vehementer inter se discrepant interpretes, difficultatem potissimum creante vocc שִׁלּוּחִים. Eam vetustissimi interpretes, Graecus Alexandrinus (ἐξαποστελλομένους), et Hieronymus *missos* transtulerunt, quasi שְׁלוּחִים, Participium passivum primae conjugationis, enuntiassent. Verum שִׁלּוּחִים, praeter hunc locum bis tantummodo in V. T. obvium, Exod. 18, 2. et 1 Reg. 9, 16., priori loco de uxoris *dimissione* (אַחַר שִׁלּוּחֶיהָ *post remissiones ejus*), posteriore vero de *dono elocationis* (quasi

emissionis e domo paterna) usurpatur; narratur enim ibi de Pharaone, dedisse eum urbem Gazer שִׁלֻּחִים לִבְתּוֹ *dotem filiae suae*, Salomonis uxori Hinc Hebraei interpretes unanimi consensu nomini שִׁלֻּחִים h. l. *munerum* (מִנְחוֹת) significatum tribuerunt, Chaldaeo praeeunte, qui sic vertit: *propterea mittes munera heredibus* s. possessoribus *Gath*, i. e. Philistaeis, ut vobis auxilium praestent contra hostes. Ita Aben-Esra: „Dabis munera Philistaeis, pro more tuo, ut te forsan adjuvent. *Morescheth Gath* est urbs in terra Philistaeorum.“ Kimchi quoque notat, Gath esse nomen urbis Philistaeorum, saepius commemoratae, quam David illis eripuerit. Jungere autem vatem nomen מוֹרֶשֶׁת, quod *hereditatem*, *possessionem* denotat, ut indicet, urbem illam, licet a Davide Philistaeis ereptam, tamen postea rursus in eorum hereditatem venisse, propter Judaeorum peccata. Hoc igitur velle vatem: videte, quid vestris peccatis effeceritis! illa enim urbs, quondam vestra, nunc est in inimicorum vestrorum potestate, et coacti estis, submisse vos erga eos gerere, eisque munera mittere, ut vos contra ingruentem hostem juvent. Particulam עַל ante מוֹרֶשֶׁת Kimchi capit pro אֶל, ut Jes 29, 12. וְנִתַּן הַסֵּפֶר עַל אֲשֶׁר לֹא־יָדַע סֵפֶר *traditus est liber illiterato* (propr. *ad illiteratum*, ut Vs. 11. וְיִתְּנוּ אֹתוֹ אֶל־יוֹדֵעַ הַסֵּפֶר). Et 1 Sam. 2, 11. *ivit Elkana Ramatham* עַל־בֵּיתוֹ *ad domum suam* Alii particulam עַל eo significatu sumunt, quo Exod. 35, 22. occurrit: *venerunt viri* עַל־הַנָּשִׁים *una cum uxoribus*, et verba nostra sic vertunt: *dabis munera* ad placandum hostem, vel redimendam vitam, *una cum* oppido *Morescheth Gath.* Malumus tamen nominis שִׁלֻּחִים eam significationem h. l. adsciscere, quam Exod. 18, 2. habere observavimus, *dimissionis* videlicet, qua adscita Coccejus in Lexico nostrum locum bene exposuit: *dabis libellam dimissionis super Morescheth-Gath*, i. e. juri tuo in Morescheth Gath renuntiabis, eamque aliis ipso facto permittes, permittere saltem cogeris, velut cessionis syngraphum (sicut fieri in fundorum venditionibus solet) dedisses. Similis sententia mox Vs. 15. *adhuc alium heredem adducturus sum tibi*, et 2, 4. *fundum populi mei* mutat Deus, alios ei dando possessores. Sic verbum שָׁלַח est aliquid *cedere* vel *dimittere* e potestate sua Deut. 15, 12. *anno septimo* תְּשַׁלְּחֶנּוּ *dimittes eum liberum*, et de libera dimittenda ancilla Deut. 21, 14., atque de onagro libero dimisso Job. 39, 5. Inter veteres hunc sensum solus expressit Syrus: *propterea missam facies hereditatem Gath.* מוֹרֶשֶׁת גַּת *Morescheth Gathae*, i. e. urbs *Morescheth* in vicinia urbis Gath (Vs. 10.), unde patronymicum *Moraschtaeus* (Vs. 1.) quidam deducunt, quod tamen a מֹרֶשֶׁת Vs. 15. potest esse. בָּתֵּי אַכְזִיב לְאַכְזָב לְמַלְכֵי יִשְׂרָאֵל *Domus Achzib* erunt *in mendacium*, frustrationem, *regibus Israelis*, s. *Judaicis*, dum hostibus cedent, in quas jurisdictionem sibi Israelitici reges perpetuam spoponderant. *Regibus* vero *Israelis* h. l. intelligendos esse Judaicos, recte observat

Kimchi. Nam hi quoque interdum, ubi nulla est ad decem tribuum reges oppositio, sic vocantur, quia partem populi *Israelitici*, duas videlicet tribus, regebant; sic Josaphatus 2 Paral 21, 8. et Ahasus 28, 19. *reges Israelis* appellantur, et regni Judaici proceres 2 Paral. 21, 4. שָׂרֵי יִשְׂרָאֵל; ibid. 11, 3. *dic ad Rehabeamum et ad universum Israelem in Juda et Benjamin.* אַכְזִיב est oppidum Judae, vicinum Marcschae et Keilae, Jos. 15, 44., quod Aben-Esrae et Kimchio idem videtur cum כְּזִיב, cujus Gen. 38, 5. facta mentio. Alia hujus nominis Asseritarum urbs memoratur Jos. 19, 29. Jud. 1, 31. Latinis *Ecdippa* dicta. Cf. *Handb. der bibl Alterthumskunde* Vol. II. P. II. p. 354. Selegit autem Noster hanc urbem, quod ejus nomen paronomasiae aptum esset cum אַכְזָב, praeter hunc locum semel duntaxat, Jer. 15, 18. obvium, ubi vates queritur: *factus es mihi* כְּמוֹ אַכְזָב *quasi in frustrationem, velut aquae, quae non sunt fideles* de quibus vid. Job. 6, 15 — 18. et ad eum loc. not.). Unde KIMCHI nostrum locum sic exponit: „*Domus Achzib*, in quibus idola coluerunt, factae sunt eis, fiducià in illis posita, *fons fallax, aquae infideles*, quo quum aliquis sitim extinguere posse sperat, cum siccum invenit, ut ita spes cum frustretur. Sic fons quoque Achzibi reges Israeliticos frustrabuntur."

15. עֹד הַיּוֹרֵשׁ אָבִיא לָךְ יוֹשֶׁבֶת מָרֵשָׁה *Adhuc* alium *heredem adducam tibi, habitatrix Mareschae*, hostem videlicet, qui bona ac praedia tua jure hereditario possessurus est, te captiva abducta extra patriam. Lusit in parachresi nominum יוֹרֵשׁ et מָרֵשָׁה, quorum prius *heredem*, sive *possessorem* denotat, alterum est nomen oppidi tribus Judae, quod Jos. 15, 44. מָרֵאשָׁה scribitur, inserta Aleph. Memoratur 2 Paral. 11, 8. inter urbes, quas Rehabeamus exstruxit; patria Elieseris prophetae, qui contra Josaphatum est vaticinatus, 2 Paral. 20, 37., ipsiusque nostri vatis, vid. supra ad Vs. 1. Appellative *hereditatem* sonat, a יָרַשׁ, quasi diceret: possedistis, o Mareschitae, hucusque urbem vestram et circumjectos fundos *hereditario* jure, sed mox adducam, qui, pulsis veteribus colonis, in hereditatem istam succedant. In אָבִי, *adducam*, excidit א per apocopen, ut 1 Reg. 21, 21. הִנֵּה מֵבִי אֵלֶיךָ רָעָה *en adducam ad te malum.* Tale est בָּנִי, Ps. 141, 5., pro יָבִיא (a נבא), quomodo in pluribus codicibus ibidem habetur. עַד עֲדֻלָּם יָבוֹא *Ad Adullam* usque *perveniet* hostis, hanc quoque et reliquas Judaeae urbes velut hereditatem suam occupaturus. *Adullam* oppidum erat tribus Juda ultra Hierosolymam, utpote in שְׁפֵלָה, id est, campestri Judaeae regione, ad occasum et austrum Hierosolymae sese extendente, situm, vid. Jos. 15, 35. Ergo hoc significat: ultra Hierosolymam progredietur hostis, quem adducam; faciet enim excursiones Odollam usque, quae a publica quoque clade non erit immunis. כְּבוֹד יִשְׂרָאֵל *Gloriam Israelis*, i. e. ad Odollam usque, quae est gloriosa inter urbes

Israeliticas, s. Judaicas (vid not. ad לְמַלְכֵי יִשְׂרָאֵל Vs. 14.). Chaldaeus: *atque ingredientur terminum terrae Israeliticae.* Alii: imo ad *gloriam Israelis* veniet hostis, i. e. quidquid Israel gloriosum et praestans habet, totum pervadet, sibique vindicabit. Ut Jes. 17, 4. יֵרַל כְּבוֹד יַעֲקֹב *imminuetur gloria Jacobi.* Hos. 4, 7. כְּבוֹדָם בְּקָלוֹן אָמִיר *gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Sunt, qui *gloria Israelis* in primis Hierosolymam intelligant, quod urbium Israeliticarum, atque adeo totius Orientis, clarissima esset, cujus pulchritudo et praestantia laudatur a poeta Psalmi 48, 2. 3. 12. 13. Tum כְּבוֹד יִשְׂרָאֵל vocative sumendum: *o gloria Israel*, ut in priori hemistichio יוֹשֶׁבֶת מָרֵשָׁה. Si vero ex aliorum sententia כְּבוֹד יִשְׂרָאֵל nominandi casu capere velis, nec, uti nos fecimus, in Accusativo, ut sit oppositio nominis עֲדֻלָּם, praeferenda videtur Cocceji interpretatio: *ad Adullam veniet gloria Israelis*, i. e. opulentia, abundantia, ut כָּבוֹד Jes. 8, 7. sumitur. *Venire ad Adullam* ex ejus sententia est coerceri, restringi eoque, occupatis scilicet ulterioribus per Palaestinos et similes Israelitarum heredes.

16. קָרְחִי *Fac calvitiem*, luctus declarandi causa, ut Jes. 12, 12. *vocat Dominus Deus ad fletum, ad planctum,* וּלְקָרְחָה *ad tondendum, amiciendosque centones.* Et Jeremias ubi in excidio Judaeae magnos juxta et parvos perituros minatur 16, 6., neque sepeliendos, neque lugendos, dicit: *non incidet se quisquam,* וְלֹא יִקָּרַח לָהֶם *nec faciet sibi* ullus *calvitiem propter eos.* Calvitium sibi propter mortuum inducere vetat quidem lex Deut. 14, 1. Sed hoc interdictum videtur ad rationem et modum restringendum, quo illud fieret. Dicitur enim: וְלֹא־תָשִׂימוּ קָרְחָה בֵּין־עֵינֵיכֶם לָמֵת *non ponetis calvitium inter oculos vestros propter mortuum.* וְגֹזִי *Et reseca* pilos, ritu graviter lugentium; cf. Jerem. 7, 29. גֹּזִי נִזְרֵךְ *abscinde comam tuam.* Verbum hoc a priore ita videtur differre, observante Drusio, ut קָרַח sit novacula pilorum germina penitus succidere laevigata cute, quod ξυρεῖσθαι Graeci dicunt (quo ipso verbo Graecus interpres h. l. usus est), גָּזַז autem *tondere*, i. e. superfluos capillos resecare forsicula. Jobus inter alia luctus signa, quae edidisse narratur, 1, 20., וַיָּגֹז אֶת־רֹאשׁוֹ *et caput suum totondit.* Imperativo femineo singulari alloquitur Noster non unam civitatem, sed totam Judaicarum urbium, sub schemate orbae matris, collectionem. Subjungitur enim: עַל־בְּנֵי תַּעֲנוּגָיִךְ *propter filios deliciarum tuarum*, i. e. quos in deliciis habebas, propter amatissimos filios ab hoste interfectos. הַרְחִיבִי קָרְחָתֵךְ *Dilata*, latissimam tibi inducas, *calvitiem tuam.* Ita Ezech 27, 31. וְהִקְרִיחוּ אֵלַיִךְ קָרְחָה *inducent sibi* lugentes *propter te calvitiem.* כַּנֶּשֶׁר *Instar aquilae*, quum ineunte vere, sicut aves rapaces reliquae, plumarum defluvio sit obnoxia. Vid. Bochartı *Hieroz.* P. II. L. II. Cap. I. T. II. p. 744. edit. Lips. Chaldaeus: *evelle tibi capillos*

et projice propter filios deliciosos tuos, sicut aquila, cujus alae delapsae sunt, sic adauge calvitium tuum in capite tuo filiorum tuorum causa. כִּי־גָלוּ מִמֶּךָּ *Nam migrarunt* filii tui *ex te*, abierunt captivi ducti in exteras terras.

CAP. II.

Argumentum.

Postquam in Capite superiore vates universi populi regni utriusque redarguisset in Jovam impietatem atque superstitiosum, quo vanos deos prosequerentur, cultum; jam in opulentiores potissimum et proceres invehitur, quorum rapinas atque crudelem avaritiam, fastum quoque, quo salutaria prophetarum monita spernerent, acriter perstringit (Vs. 1—11.). Transit tamen, uti fere solent vates, ad meliora, praesagitque tempora felicissima, quibus probae Israelitarum reliquiae, suo sub rege, Jehova, congregatae, validae ac potentes evadent (Vs. 12. 13.).

1. הוֹי חֹשְׁבֵי־אָוֶן *Vae* illis qui *cogitant vanitatem!* quam quidam generaliter intelligunt de omni peccato, tanquam ab aequitate legis recedente, vano et noxio, alii de idolorum cultu vanissimo, alii vere rectius de injustitia et iniquitate in alios, in ea enim castiganda vates potissimum hic versatur. Recte igitur Chaldaeus: *vae* illis *qui cogitant ad rapinam.* וּפֹעֲלֵי רָע *Et qui moliuntur malum.* פֹּעֲלִים hic non eos significat, qui *faciunt* malum, sed qui *moliuntur*, *machinantur*, nam de exsequutione mali sequens comma loquitur. Ita Jes. 41, 4. מִי פָעַל וְעָשָׂה *quis molitus est et fecit* illa omnia? פָּעַל nonnumquam est *operari* animo, adeoque idem quod חָשַׁב. Sic Ps. 58, 3. אַף־בְּלֵב עוֹלוֹת תִּפְעָלוּן *imo vero in corde iniquitates operamini, per terram violentiam manuum vestrarum appenditis.* עַל־מִשְׁכְּבוֹתָם *Super cubilibus suis*, ubi alii quiescere solent, et diurnas curas somno laxare. Porro autem nox aptissima est cogitationibus habendis, cum sensus per lucem diei minime distrahuntur. Ps. 36, 5. *improba in lecto suo excogitat.* בָּאוֹר הַבֹּקֶר יַעֲשׂוּהָ *In luce mane*, i. e. simulac mane illuxit, *faciunt*, exsequuntur *illud*, quod cogitarunt. Graphice declarat, quantus sit istorum hominum ardor aliis nocendi, et eorum damno sese ditandi. Poterat simpliciter dicere, eos interdiu exsequi, quae noctu agitarunt secum, sed dicit באור הבקר, ut innuat, illos ita fervere avaritia atque lucri faciendi cupidine, ut ne momentum quidem cessent; simulac illuxit, statim parati sunt ad parandas fraudes, quae noctu eis in mentem venerant. Jam adjungit: כִּי יֶשׁ־לָאֵל יָדָם. Voc. אֵל h. l. idem est quod כֹּחַ *vis*, *potestas*, quemadmodum in locis plane similibus, Prov. 3, 27.

ubi Paroemiastes vetat aliis subtrahere jus suum, בַּהֲיוֹת לְאֵל יָדְךָ לַעֲשׂוֹת *dum est ad potestatem manus tua facere*, si etiam facultas tibi suppetit. Gen. 31, 29. יֶשׁ־לְאֵל יָדִי *est ad potestatem manus mea facere vobiscum malum*, erat in potestate mea nocere vobis. Deut. 28, 32. *quum abripiet hostis spolia tua*, וְאֵין לְאֵל יָדֶךָ *non* erit *ad potentiam manus tua*, non erit tibi potestas hostes compescendi. Neh. 5, 5. וְאֵין לְאֵל יָדֵנוּ *nec est ad potentiam manus nostra*, i. e nihil valemus. Quare et nostra verba hoc dicent, illos sicut polleant viribus, ita etiam quidvis audere perpetrare. Recte Chaldaeus: *nam est in manu eorum potentia.* Particula כִּי posset conditionaliter sumi, *quando*, *si*, quasi diceret: voluntas certe ad faciendum non deest ipsis, modo possint et vires suppetant. Sed quoniam in proceres potissimum et principes invehitur, quibus vero haud desunt vires, praestat causaliter sumere, *quia.* Ita sensus hic erit: nihil non suae libidini indulgent, quam si quid adficit, id rapiunt sine mora, neque vel inspectantis Numinis timore, neque justitiae legibus retinentur; sufficit ipsis hoc unum, quod potentia valent.

2. Magis exprimit, quam alacriter ferantur ad rapiendum avari, imo quam effraenis sit ipsorum cupiditas ad nocendum. Simul, inquit, atque aliquid concupiverunt, rapiunt. וְחָמְדוּ שָׂדוֹת *Et* prave *concupiscunt*, inque animum inducunt rapere alienos *agros*, contra praeceptum nonum, Exod. 20, 14. *ne concupiscito alterius domum.* וְגָזָלוּ *Et* concupitos agros *rapiunt.* Ut quivis concupivit aliena, rapit et occupat. וּבָתִּים וְנָשָׂאוּ *Et domos* concupiscunt, concupitasque *auferunt.* נָשָׂאוּ *tollunt*, Hebraei interpretes recte לָקְחוּ explicant. Ita Num. 16, 15. *ne asinum quidem unum* מֵהֶם נָשָׂאתִי *ab iis abstuli.* Eandem aliena rapiendi cupiditatem Judaeis objurgat Jesajas 5, 8. *vae! qui domos domibus conjungitis, fundos fundis continuatis.* Syrus prius hemistichium eleganter sic expressit: *et concupiscunt agros et domos, et per vim eas rapiunt.* וְעָשְׁקוּ גֶּבֶר וּבֵיתוֹ *Et per vim opprimunt*, aut *rapiunt virum et domum ejus*, videlicet homines ad servitutem propulsant, ut dicit Amos 8, 6. *ut comparemus argento tenues* (cf. not. ad eum loc.), domos vero ac fundos ad injustam usucapionem rapiunt. עָשַׁק non differt a גָּזַל *rapuit*, nisi quod paulo latius forte lateat. Sic legitur Levit. 5, 21. *aut rapto* alii damnum intulerit, *aut* עָשַׁק *oppresserit proximum suum.* Cf. Jer. 22, 3. *liberate* עָשׁוּק מִיַּד גָּזוֹל, ubi גָּזוֹל *qui vim patitur*, et עָשׁוּק *qui injuriam infert*, se mutuo respiciunt. Dicitur autem verbum tam de re, quae injuste aufertur, ut Mal. 3, 5. בְּעֹשְׁקֵי שְׂכַר־שָׂכִיר *in eos qui mercede fraudant mercenarium*, quam de eo, cui aufertur, Levit. 19, 13. לֹא תַעֲשֹׁק אֶת־רֵעֲךָ וְלֹא תִגְזֹל *ne opprimas alterum, aut diripias.* Proverb. 22, 16. עֹשֵׁק דָּל לְהַרְבּוֹת לוֹ *qui opprimit tenuem, ut abundet ipse.* Vid. et Amos 4, 1. — וְאִישׁ וְנַחֲלָתוֹ *Virum* rapiunt *et hereditatem suam*,

quemadmodum Ahabus, rex Israelitarum, Nabothi patrimonium dolo malo sibi addixit, legitimo possessore per calumniam neci dato, vid. 1 Reg. 21.

3. לָכֵן *Propterea*, ob ista vestra facinora, de quibus Vs. 1. 2., *ita dicit*, haec minatur *Jova*. הִנְנִי חֹשֵׁב עַל־הַמִּשְׁפָּחָה הַזֹּאת *Ecce me cogitantem super ista familia malum.* חֹשֵׁב רָעָה *Cogito*, i. e. machinor, hoc ago, ut inferam *malum*. Sic Jerem. 26, 3. *ut ego malum revocem, quae ego* חֹשֵׁב לַעֲשׂוֹת לָהֶם *eos adficere cogito*. 36, 3. *Forsan audiet domus Juda omne malum, quo ego eos adficere cogito.* Utitur autem verbo חָשַׁב vel simpliciter, quatenus propositum notat, vel in *antanaclasi*, sive contraria significatione ad חֹשְׁבֵי־אָוֶן Vs. 1., quasi diceret: dum vos cogitatis in cubilibus vestris iniquitatem, alii contra alios, ego vicissim *cogito malum* contra vos, i. e. de poena infligenda vestris scelcribus digna. עַל־הַמִּשְׁפָּחָה הַזֹּאת *Super familiam hanc*, pessimum hoc hominum genus, ut Jer. 8, 3. מִן־הַמִּשְׁפָּחָה הָרָעָה הַזֹּאת *e malo isto genere*. Alii משפחה h. l. de tota gente Israelitica, ex uno Jacobo instar *familiae* oriunda, intelligunt, ut Amos 3, 1. (ubi cf. not.), Zach. 16, 18 Jer. 10, 25. Sed Nostrum apparet certum genus hominum nequam et perversum intelligere, in quos peculiariter hoc Capite invehitur, quorum scelera Vs. 1. 2. indicantur. רָעָה *malum*, molestum et noxium poenae, ut Amos 3, 6. „Non quod malum sit," inquit Hieronymus, „quod ego cogito, sed quod patientibus malum videatur quod irrogo." Describit mox hoc malum tanquam ineluctabile: אֲשֶׁר לֹא־תָמִישׁוּ מִשָּׁם צַוְּארֹתֵיכֶם *ex quo*, instar gravissimi jugi collis vestris incubituro, *non recedere facietis*, i. e. extrahetis, expedietis (vid. verbum Vs. 4. et Jes. 22, 25. תָּמוּשׁ הַיָּתֵד הַתְּקוּעָה *clavis infixus amovebitur*) *colla vestra*, quibus jugum imponi solet. Jer. 27, 12. *submittite cervices vestras jugo regis Babel.* Jugum hoc, Noster inquit, non tam facile excutietis, sicut solent aliquando indomitae juvencae. Addit: וְלֹא תֵלְכוּ רוֹמָה *nec ingrediemini cum elatione* (pro pleno בְּרוֹמָה), i. e. erecte, elate, *in erecta statura*, ut vertit Chaldaeus, LXX: ὀρθοί. Nam qui jugum portant, capite incedunt in terram inclinato, quod est signum moeroris. Contra, qui animo bono ac lacto sunt, iidem erecto vultu incedunt. Jugum impositum impedict, ne erecti incedatis. Contrarium dicitur Levit. 26, 13. *confregi vectes jugi vestri et eduxi vos erecte.* Ad mali, quod vates minatur, gravitatem ostendendam et firmandam facit amplius, quod in fine Versus additur: כִּי עֵת רָעָה הִיא *quoniam tempus malum illud*, sive, ut Hieronymus habet, *pessimum*, scil. erit, tum quando malum hoc in vos irruet; quod non referendum hic ad malitiam populi, ut eadem phrasis Amos 5, 13. (ad quem locum vid. not.), sed ad poenae miseriam, ut Ps. 41, 2. בְּיוֹם רָעָה *in die malo eripiet eum Jova.* Et Jer. 15, 11. *immittam tibi hostem* בְּעֵת רָעָה וּבְעֵת צָרָה *tempore malo et tempore adverso.*

4. בַּיּוֹם הַהוּא יִשָּׂא עֲלֵיכֶם מָשָׁל *Die illo*, tempore illo malo (Vs. 3.) ingruendae vobis calamitatis, *tolletur super vobis carmen.* יִשָּׂא *tollet*, i. e. proferet, scil. הַנּשֵׂא *proferens*, i. e. proferetur. Ita enim loquutiones, quas *impersonales* dicunt, exprimere solent Hebraei, ut Participium, quod verbo conjugato, *impersonaliter* accipiendo, vel in plurali, vel in singulari addi debebat, plerumque omittant. Ita Jes. 16, 10. *In vineis non canitur, non ovatur, vinum in torcularibus* לֹא־דָרַךְ הַדֹּרֵךְ *non calcat calcans*, i. e. non calcatur. Verbum נָשָׂא dicitur de sermone aut carmine proferendo, ut Num. 23, 7. *protulit* מְשָׁלוֹ *carmen suum.* Jes. 16, 4. *proferes* הַמָּשָׁל הַזֶּה *carmen tale de rege Babel.* Amos 5, 1. אֲנֹכִי נֹשֵׂא עֲלֵיכֶם קִינָה *edo de vobis lamentum.* De מָשָׁל, proprie *similitudinem*, *comparationem*, hinc *orationem comparationibus et imaginibus ornatam*, *carmen*, notante, quia ut plurimum, ubi quis stylum attollit, figuras multas permiscet, ut illustrior ac splendidior sit oratio, cf. not. ad Jes. 14, 4. Sunt, qui משל hoc loco *proverbii*, *adagii* significatu (LXX: παραβολή) capiendum existiment, ut Prov. 1, 1. 6. 10, 1. et saepius; ut verborum: *proferent de vobis proverbium* sensus hic sit: non erit haec vulgaris calamitas, sed passim volitabit rumor, ita ut futuri sint in commune proverbium omnibus Judaei. Nos adstipulamur iis, qui *carmen*, et quidem triste et lugubre, quod statim diserte *lamentum* dicitur, nomine משל h. l. indicari arbitrantur. Tale enim, nec ab hostibus, sed ipso Israelitico populo, suam deploraturo sortem, proferendum, intelligi debere, ostendit sequens oratio, qua lamentantes in prima pluralis persona inducuntur. וְנָהָה *Lamentabitur*, scil. נָהָה *lamentans;* vid. not. supra ad יִשָּׂא. Verbum hoc, praeter nostrum locum bis tantummodo, 1 Sam. 7, 2. Ezech. 32, 18. in codice Hebraeo obvium, videtur ὀνοματοπεποιημένον, ex ejulantium particulis הוֹ־הוֹ Amos 5, 16., הִי Ezech. 2, 10., et הֵהּ Ezech. 30, 2. formatum. נְהִי נְהִיָּה *Lamentum lamenti*, i. e. admodum lamentabile. Nam duo nomina ejusdem significationis juncta Superlativo exprimendo inservire constat, vid. not. ad Hos. 10, 15. et cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 692. Indicatur igitur phrasi *lamento lamenti* lamentum maxime lugubre, continuum, et multiplex admodum e variorum ore auditum, uti statim variae lamentandi formulae subjiciuntur. Ex interpretibus recentioribus a communi sententia recedit Coccejus, qui נהיה non deducit a נָהָה, sed ab הָיָה, ut sit Camez in fine pro Segol, atque hinc credit per παρονομασίαν נהי נהיה *lamentum* a vate dici *non dictum*, sed *factum*, *verum*, *serium.* Magis tamen discedit Ludov. de Dieu, qui נְהָיָה pro Praeterito Niphal habet, idemque prorsus a נְהִי divellit, atque vertit: *factum est!* (ita et Lutherus) quod ob excidium praesens quasi cum desperatione exclament lamentantes. Praeteritum Niphal נְהָיָה est quoque Steudelio in *dem Archiv für die Theol.* P. II. p. 407., ut verba נהי נהיה vertenda sint: *lamentum sit*, carmen lugubre

componitur. Nempe אָמַר *dicet* ejulans, sive ejulantium unusquisque (*in afflictione sua*, addit Chaldaeus), שָׁדוֹד נְשַׁדֵּנוּ *vastando vastati sumus*, i. c. certo et prorsus perditi, pro usu satis noto Infinitivi, Gerundii vicem explentis, cum verbo finito juncti. Prima pluralis Praeteriti Niphal, נְשַׁדֵּנוּ pro נָשַׁדּוֹנוּ, Kibbuz, vicarium vocalis Schurek, scribitur loco epenthetici Cholem. Dicent porro et hoc: חֵלֶק עַמִּי יָמִיר *portionem*, i. e. fundos, vel terram *populi mei mutat* scil. Deus, transferendo eam ad alios dominos, truso populo suo. Israeliticum populum *suum* hic vocat non Deus, sed quivis Israelita, utpote ex eo natus, et in illo versatus, estque ejus *portio*, חֵלֶק, omnino terra Israelitica, cum urbibus, proventibus, et bonis reliquis, quae huic genti in portionem peculiarem concessa erant a Jova. יָמִיר *Mutabit*, ut Jer. 2, 11. הַהֵימִיר *num mutaverit populus deum? sed populus meus* חֲמִיר *mutavit gloriam suam. Mutatione* vero portionis Israelitarum intelligitur h. l. translatio ad hostes, tanquam novos possessores. Ad יָמִיר *mutabit* intelligendus Deus potius ipse, qui prius portionem Israelitis dederat, quam hostis ab ipso ut judice immissus. Nisi placeat magis verbum hoc rursus impersonaliter sumere, ut antea נָתַה. Ita LXX, qui tamen sensum nimis restringunt: *μερὶς λαοῦ* (al. *λαοῦ μοῦ*) *κατεμετρήθη ἐν σχοινίῳ*. Pro יָמִיר interpres videtur יָמִיד legisse. Ita et Syrus: *et portionem populi mei funiculo dimetietur. Funiculo* uterque interpres perspicuitatis causa addidisse videtur. Hieronymus: *pars populi mei commutata est.* Chaldaeus: *partes populi mei auferentur eis.* Qui sensus idem posset e verbis hebraicis elici, si חֵלֶק tanquam nominativus regeret verbum יָמִיר reciproco sensu. Additur alia lamentantium formula: אֵיךְ יָמִישׁ לִי *quomodo recedere facit*, i. e. aufert, subtrahit, eripit *mihi*, scilicet Deus portionem meam, חֶלְקִי, quod ex iis quae antecedunt, vel שָׂדֵינוּ *agros nostros*, e verbis quae proxime sequuntur, subaudiendum. אֵיךְ *Quomodo!* vox admirantis simulque lugentis, q. d. quanta et quam tristi rerum conversione! ut Jer. 9, 18. אֵיךְ שֻׁדַּדְנוּ *quomodo!* quam misere *vastati sumus.* 51, 41. אֵיךְ הָיְתָה לְשַׁמָּה *quomodo in vastitatem redacta est Babel!* לְשׁוֹבֵב שָׁדֵינוּ בָּבֶל יַחֲלֵק Nam *ut avertat* a nobis, i. e. demtos nobis in alios conferat *agros nostros dividit* scil. Deus (quem et ad verba יָמִיר atque יָמִישׁ subaudivimus), i. c. novam quasi terrae Israeliticae divisionem instituet; sed longe aliam, quam quae olim suo jussu a Josua facta est singulis tribubus, Jos. 13, 7. Alii: hostis sibi *dividet*, coll. Joel 4, 2. *terram meam* חִלְּקוּ *diviserunt* gentes barbarae. לְשׁוֹבֵב est *avertere*, ut Jes. 47, 10. *tua ista sapientia et scientia* שׁוֹבְבָתְךָ *avertit te* scil. a recto tramite. 57, 17. *ambulat* שׁוֹבֵב *aversus* a me *suae mentis via.* Jer. 8, 5. מַדּוּעַ שׁוֹבְבָה הָעָם הַזֶּה יְרוּשָׁלַם מְשֻׁבָה נֶצַחַת *quare populus hic Hierosolymitanus avertit se aversione perpetua* a me? Alii: *ad reddendum*, i. e. ut reddamus, cedamus inviti *agros nostros* per fas

et nefas partos (Vs. 2.), *dividit* eos Deus. Ita *reddendi* significatu verbum שׁוּב in Hiphil legitur Job. 20, 10., ubi de divitis improbi filiis, eos vexandos esse ab egenis אוֹנוֹ וְיָדָיו תְּשִׁבֶנָּה *et manus ipsorum reddent inique ab eo parta.* Alii לְשׁוֹבֵב *ad restituendum* interpretantur, et ante יַחֲלֹק subaudiunt אֲשֶׁר, atque haec verba arctius conjungunt cum iis quae praecedunt, hoc sensu: *quomodo abstulit a nobis ad restituendum agros nostros, quos divisit?* i. e. quam procul absumus a restitutione! quia ademta est omnis spes, ubi Deus ipse divisit inter exteros terram nostram et possessionem; vel hostes inter se partiti sunt, ut solet fieri post victoriam. Aliis שׁוֹבֵב est Participium, et לְ Dativi nota, hoc modo: *avertenti* s. *averso* i. e. hosti *agros nostros distribuit.* Hostem שׁוֹבֵב, i. e. vel *avertentem*, ob aversionem bonorum ab Israelitis, vel *aversum* scil. a populo Israelitico dici existimant. Alii aliter.

5. Repetitur e Versu 3. לָכֵן *propterea*, inquam, ob vestra scelera Vss. 1. 2. descripta. לֹא־יִהְיֶה לְךָ *Non erit tibi*, quisquis aliorum agros domosque rapis, Vs. 2. Neque enim hic totum alloquitur populum, sed potentiores illos, qui pro lubitu alios oppresserunt. מַשְׁלִיךְ חֶבֶל בְּגוֹרָל *Projiciens funem in sortem* ad dimetiendos fundos hereditarios, sortitione distributos, ut quod suum est quisque capiat. Loquutio desumta a more veterum, qui funiculis utebantur in agris dimetiendis ac dividendis. Ita Jos. 17, 14. *cur dedisti mihi hereditatem* גּוֹרָל אֶחָד וְחֶבֶל אֶחָד *sortem unam et funem unum?* 18, 10. *projecit eis Josua* גּוֹרָל *sortem.* Amos 7, 17. *et terra tua* בְּחֶבֶל *fune dividetur.* Ps. 16, 6 חֲבָלִים *funes ceciderunt mihi in amoenis*, i. e. pulchra et amoena mihi obtigit hereditas. בִּקְהַל יְהוָה *In coetu Jovae*, i. e. in populo Israelitico, peculiari Jovae coetu, cujus quum indigna membra fuerint hujusmodi homines, eos nulla amplius jura et portionem in illo habituros innuit, etiam cum exsules ad fundos suos redituri sint, quemadmodum neque cunucho, neque spurio, neque Ammonitae aut Moabitae בִּקְהַל יְהוָה *in coetum Jovae* venire, i. e. ei civitatem Israeliticam impertiri licuit, Deut. 23, 2. 3.

6. Istae comminationes et objurgationes, quales non solum Micha, verum et alii Jovae prophetae in populum scelestum detonare solebant, quum vehementer displicerent populo, qui laetiorum temporum promissionibus sibi blandiri cupiebat, is veros prophetas jubet silere, ut alii vates impraepedite loquantur, et talia praedicant, quae grata ipsi essent (vid. Vs. 11.). Levis istius multitudinis voces exprimit prius nostri Versus hemistichium: אַל־תִּטִּפוּ יַטִּפוּן *ne stilletis*, i. e. vaticinia edatis, vos, qui Jovae jussu vaticinari nos jactatis, *stillent*, vaticinia potius edant nostri vates, qui longe alia, ac vos, jucunda et grata proferunt. De הַטִּיף propr. *stillare* scil. verba (מִלִּים, vid. Job. 29, 22.), hinc sermones proferre, quod praesertim de vaticiniis edendis

dicitur, vid. not. ad Ezech. 21, 2. Nostro loco plane similis est ille Amos 7, 16, ubi Amazias, sacerdos, Amoso dicit: *ne vaticineris super Israele, nec oracula edas super domo Isaaci.* Sic Jesajas 30, 10. objurgat Judaeos, *qui praevidentibus dicunt: nolite praevidere, et fatidicis: nolite praedicere nobis sana, nobis effamini blanda, nobis praedicite fallacias.* Et Anathothenses Jeremiam 11, 21. vetabant nomine Jovae vaticinari. Micham, Jemlae filium, odio sese habere ait Achabus, rex Israelitarum, quod sibi nihil faustum, sed tantum infausta vaticinetur, 1 Reg. 22, 8. Jam, ut ad nostrum locum redeamus, illis, qui talia dictitarent, nec veris prophetis vellent aures praebere, haec reponit Deus: לֹא יַטִּיפוּ לָאֵלֶּה לֹא יִסַּג כְּלִמּוֹת *ne vaticinentur* veri prophetae *illis*, qui meorum prophetarum monita et comminationes nolunt audire, verum *non recedet* quicquam *ignominiarum*, i. e. propterea quod salutaribus monitis auscultare abnuunt, nec ignominiae, quae contumacibus instant, quales praedictae Versibus superioribus, recedent, s. avertentur, sed certissime eos affligent. יִסַּג Futurum Cal verbi נָסַג, cujus Infinitivus legitur Jes. 59, 13. וְנָסוֹג *et recedendo a Deo nostro.* Saepius occurrit forma Hiphil, ut infra 6, 14. וְתַסֵּג *semovebis.* Deut. 27, 17. *exsecrabilis*, מַסִּיג *qui submoverit alterius terminum.* Ceterum יִסַּג per enallagen generis et numeri positum est pro תִּסַּגְנָה. Hujusmodi loquendi formulae, qua nomen plurale neutraliter sumendum cum verbo in singulari jungitur, exempla plura collegit Storr *Observatt.* p. 381., ubi nostram dictionem exponit: *non recedet* res, scil. *ignominiae*, i. e. non recedent ignominiosae calamitates. Eadem verborum structura Jer. 13, 18. יָרַד מַרְאֲשׁוֹתֵיכֶם *dejectum est* scil. *capitis insignia vestra*, i. e. dejecta sunt. Hac quidem ratione nos interpretandum arbitramur hunc Versum, ob nimiam brevitatem obscurum, et hinc variis modis ab interpretibus tentatum. LXX: *Μὴ κλαίετε δάκρυσι, μηδὲ δακρυέτωσαν ἐπὶ τούτῳ* [al. *τούτοις*]*; οὐ γὰρ ἀπώσεται ὀνείδη ὁ λέγων κ. τ. λ.* (Vs. 7.). Verbum נָטַף de lachrymis fundendis interpretem cepisse apparet. Hieronymus: *Ne loquamini loquentes, non stillabit super istos, non comprehendet confusio, dicet domus Jacob.* Versus proximi prima verba, הָאֳמוּר בֵּית־ יַעֲקֹב, ad hunc Versum traxit. Sensum vero in Commentario ita exponit: „*Ne loquamini*, inquit, *loquentes*, pro quo interpretatus est Aquila: *ne stilletis stillantes*, quodam idiomate Hebraico *eloquium* ab eo quod fluat, et ad aures perveniat audiendum, in similitudinem pluviae descendentis, *stillationem* vocans. Nolite vos decipere, o domus Jacob, et in consolationem mutuam dicere: Deus bonus est; non veniet captivitas, quam timemus.“ Syrus: *in coetu Domini ne fundatis lachrymas, neque lachrymemini propter illa.* Hunc interpretem sequutum esse patet Graecum Alexandrinum. Chaldaeus: *ne prophetetis prophetiam, neque doceatis populum istum, neque enim admittunt pudorem.* Jarchi:

Ne prophetetis, ut illos redarguatis, vobis, o prophetae, ego [Deus] vobis dico, qui continue stillatis. *Ne* forte *comprehendant vos ignominiae*, quas illi vobis inferent, prout dicitur Prov. 9, 8. *ne redarguas irrisorem.* Ludov. de Dieu ad hunc Versum praeter alia haec notavit: „Malumus omnia esse verba Dei vel prophetae ad falsos prophetas: *Ne stillate! Stillarent! Non stillabunt istis, non recedent ignominiae;* לא יסג כלמות, id est, דבר כלמות. Si scriptum esset לא יָסֵג [ita scriptum est in codice Regiomontano secundo, Kennicotto numero 224. signato, et alio quodam De-Rossii], planior esset sensus, *non removebit ignominias*, nempe Deus. Cum praecedentibus sic connecto. Dixerat, mutatam esse portionem populi, et amotos agros ac divisos, itaque neminem fore, qui projiciat funem in sortem in congregatione Dei. Inde sequebatur, cessandum deinceps prophetis hujus populi a prophetando, quia nulla ipsis amplius sors in congregatione Domini. Dicit itaque: *ne stillate!* Sed quia magna erat ipsorum audacia, addit: *stillarentne? non stillabunt istis*, non prophetabunt amplius populo huic ingrato et rebelli, quia decreta est in eos perpetua ignominia a Deo, quae non recedet.“ Coccejus priore hemistichio notat esse *μίμησιν* vetantium vaticinari, et falsis prophetis resistere: *ne stilletis, stillent;* sed posteriore hemistichio Deum loqui: *si non stillarent hisce, non retroageretur summa ignominia.* „Dicit,“ inquit, „necessitatem prophetandi de malis venturis imponi prophetis ab ipsis Israelitis per ipsorum nequitiam, qui divinam gratiam et clementiam faciant *προκάλυμμα τῆς ἀσελγείας*, nam falsi prophetae praedicabant ipsis omnia prospera in peccatis ipsorum, quasi hoc sequeretur ex gratia et potentia Dei, et quasi si ipsos castigaret hic esset gratiae aut potentiae defectus. Quod ad blasphemiam et ignominiam summam Dei pertinebat. Ideoque demonstrat, eam ignominiam prophetarum praedictionibus esse refellendam et avertendam.“ Praetermittimus alia veterum recentiorumque interpretum tentamina, quorum multa recensuit atque dijudicavit C. Th. Anton in Progr. quo continetur *Capitis* II. *Michae versio et nova ejusdem Versum* 6. *exponendi ratio.* Gorlici, 1812. in quatern. Ipsi omnis in hoc Versu interpretando difficultas tolli videtur, si *ἀμφιβολία* in verbo נָטַף a propheta hic usurpata admittatur; amare enim Nostrum verborum lusus, quales aliquot indicavit Eichhorn *Isagog. in V. T.* P. III. p. 309. edit. tert., quibus et hunc locum adnumeravit. Atque primum quidem אל־תטיפו Anton cum LXX vertendum existimat: *ne ploretis.* „Nam quum propria,“ inquit, „verbi significatio haec sit: *ne stillare faciatis* (est enim Hiphil), *ne effundatis;* id, postquam de jactura omnium bonorum sermo fuerat, vix aliter intelligi potest, quam de guttis, quas dolor de bonis perditis oculis exprimere solet: et licet haec verbi significatio ex usu V. T. exemplis probari non possit, tamen versio Alexandrina testimonio est, hanc vim a vocis

usu non fuisse alienam. Si enim ita usurpari haud potuisset, etiam Alexandrini, quibus rerum quidem, sed non linguae hebraicae cognitio defuit, hanc significationem verbi non expressissent.“ Quod vero sequitur, יטיפון, *vaticinandi* significatu sumit, ut sensus hic sit: ne ploretis! vaticinabuntur scil. alii, falsi prophetae, quorum mentionem Vs. 11. facit. Posterioris hemistichii verba priora, לא יטיפו לאלה, *plorandi* significatione iterum adsumta, sic vertit: *non plorent ad haec* scil. Israelitae, i. e. si vel maxime a lachrymis abstineant, לא יסג כלמות *non recedent ignominiae.* Quibus expositis integri Versus sensum hunc statuit: „postquam poeta genti minatus erat, ei omnia bona ereptum iri, addit, alios vates futuros, qui eos consolentur et flere vetent, ea falsa esse declarantes, quae ipse praedixerit. Sed nationem ignominia liberari posse negat, etiamsi solatium arripiat, a falsis prophetis ipsi oblatum.“

7. הָאָמוּר בֵּית־יַעֲקֹב *O dicta domus Jacobi!* LXX (ὁ λέγων, οἶκος Ἰακωβ), Hieronymus *(dicit domus Jacob)*, nec non Chaldaeus (qui addit tamen haud exiguum ad haec verba supplementum: *an hoc rectum est, quod dicunt* illi, *qui domus Jacobi* sunt?) verterunt active. Pronuntiarunt הָאָמוּר, quod pro nomine in statu constructo posito et cum בית־יעקב jungendo habuerunt. Quod tamen syntaxeos Hebraicae legibus repugnat, ex quibus nomini in statu constructo posito articulus praefigi non potest. Verum quae sequuntur interrogationes arguunt, verba nostra esse apostrophen ad Jacobitas, et הָ praefixum interjectionem, sive הֵא הַקְרִיאָה *He exclamationis*, ut Hebraei vocant, ut vertendum sit: *o dicta*, vel, *quae diceris domus Jacobi!* quasi dicat: o domus Jacob, quae quidem sic diceris et dici amas, licet de indole genitoris tui, Jacobi, nihil habes amplius. Sic Jer. 48, 11. *audite hoc*, *domus Jacobi*, *qui de nomine Israelis appellati estis!* Alloquitur autem vates universam quidem gentem Jacobo sive Israele ortam, maxime tamen eos, qui in ea eminebant, potentiores et principes, coll. Vs. 8. 9. הֲקֻצַּר רוּחַ יְהוָה *Numquid curtatus est spiritus Domini?* an putatis, Dei potestatem ac potentiam diminutam esse, ut non liceat ei vos per prophetas suos objurgare, et scelerum poenas minari? Reprehensio impiorum illorum, qui Versu superiore veris Jovae prophetis interdicerent, ne vaticinarentur. *Spiritus Jovae* est qui prophetas adflat, vid. infra 3, 8. *Curtari* autem impotentem reddi significat, ut Jes. 50, 2. *num abbreviandō abbreviata est manus mea, ut non sit redemtio?* Et 59, 1. *en! non est abbreviata manus Jovae, ut non possit servare.* Huc pertinet, quod Exod. 6, 9. קְצַר רוּחַ *brevitas spiritus* est summus angor, ὀλιγοψυχία, ut LXX vertunt. Aliis vero קְצַר רוּחַ h. l. est *impatientia*, *iracundia*, *animi impotentia*, coll. Job. 21, 4. Et Prov. 14, 9. קְצַר־אַפַּיִם *curtus narium* opponitur אֶרֶךְ אַפַּיִם שׁ

longanimi, μακροθύμῳ. Ita verba nostra sic vertenda essent: *an impotentior factus est Deus?* num desiit esse longanimis et ignoscens? Quae verba e nonnullorum sententia sunt improborum hominum, hoc sensu: Deus satis superque μακροθυμεῖ, neque talis, qui nonnisi aspera et funesta per prophetas annuntiet. Quae quidem interpretatio locum sanc habere potest, si verba quae praecedunt, הֵאָמוּר בֵּית יַעֲקֹב, vertantur: *quod dicitur in domo* (subaudito בְּ ante בֵּית) *Jacobi*, quomodo nostra verba erunt accipienda pro iis, quae in domo Jacobi dicuntur. Verum quum nos verba illa priora pro apostrophe ad Israelitas habeamus, adeoque et verba הִקְצַר רוּחַ יְהוָה sint vatis ipsius, illa vix poterunt aliter, quam a nobis factum est, capi. Consentit Chaldaeus: *nunquid abbreviatum est verbum a Domino?* scilicet resistendo vatibus a Deo missis, qui redarguerent et minarentur, angustabant quasi spiritum Jovae propheticum. אִם־ אֵלֶּה מַעֲלָלָיו *An haec*, talia, hujusmodi sunt *opera ejus?* Haec quoque interrogatio a pluribus tribuitur hominibus impiis inter Israelitas, hoc sensu: talem quidem asperum et inclementem se Deus non gessit unquam, aut geret etiamnum. Sed praestat haud dubie, eam prophetae domum Jerobaeam alloquenti tribuere, ut sensus sit, *ista opera*, facinora mala, quae cum tanto studio patrabant (Vs. 1. 2.), et inprimis reluctationes adversus Jovae vates (Vs. 6.) nequaquam esse opera *ejus*, nempe Jovae, i. e. quae ipsi placerent. הֲלֹא דְבָרַי יֵיטִיבוּ עִם הַהֹלֵךְ יָשָׁר *Nonne verba mea bona sunt cum recte ambulante?* Conquesti erant, sermonem propheticum esse nimis rigidum. Respondet jam Deus, sermonem suum mitem, placidum esse, adeoque suavem, sed piis ac bonis; ergo culpam residere in ipsis, quod non ageret tam humaniter ut optassent. Eadem sententia Ps. 18, 27. exstat, Deum *esse purum cum puro*, *perversum cum perverso*, i. e. benefaccre bonis, plectere malos. יֵיטִיבוּ עִם propr. *bona faciunt cum* etc., i. e. bene se habent, bona sunt, benignitate scatent erga etc. Ita Gen. 32, 10. וְאֵיטִיבָה עִמָּךְ *bene tecum agam*; vid. et Vs. 13. — הַהֹלֵךְ יָשָׁר *qui recte ambulat*, idem qui חָסִיד *pius*, ut Jes. 57, 2. הוֹלֵךְ נְכֹחוֹ *qui ambulans rectitudinem s.* rectam viam *suam*. Ps. 15, 2. הוֹלֵךְ תָּמִים וּפֹעֵל צֶדֶק *qui integer* (בְּדֶרֶךְ תָּמִים uti est Ps. 101, 2.) *incedit, et aequum facit*. Similis syntaxis Job. 30, 26. וַיָּרֵחַ נָקִי הוֹלֵךְ *et lunam clare incedentem*. Chaldaeus: *nonne omnia verba mea recta erant? quae me adducturum dixeram, adduxi equidem omnibus in veritate ambulantibus*. HIERONYMUS: „Respondet Dominus: bonus quidem sum, et verba mea sonant clementiam, sed ad eos, qui recto itinere gradiuntur.“

8. Quum modo dixisset, erga pios Dei effata benigna esse; jam pergit: sed Israelitis quo minus laeta promittam facit eorum improbitas, quippe וְאֶתְמוֹל עַמִּי לְאוֹיֵב יְקוּמָם *heri*, i. e. dudum

(ut Jes. 30, 33. כִּי עָרוּךְ מֵאֶתְמוֹל *nam paratum est jamdudum*, ab omni aevo praeterito) *populus meus in hostem* sibi *erigit*, constituit me, Deum, quod e suffixo ad דִּבְרֵי sub finem Versus 7. subaudiendum, i. e. tantum abest, ut quadret populo meo quod dixi, eum piis me benigne agere, ut potius suis scelcribus me provocarint, ut hostili modo cum iis agam. Alii אתמול עמי hoc sensu conjungunt: qui *antehac populus meus* erat, quasi *in hostem insurgit*, provocat iram meam. אֶתְמוֹל sono vicinum est ei quod mox sequitur, מִמּוּל, cujusmodi voces conjungere Noster amat. Jam quod dixerat, populum in hostem provocare Deum, probat et exemplis illustrat, dum rapacitatem eorum graphice depingit: מִמּוּל שַׂלְמָה אָדֶר תַּפְשִׁיטוּן *e regione*, e propinquo *pallii togam detrahitis*. „Notandum," inquit Lud. de Dieu ad h. l., „discrimen inter שַׂלְמָה et אֶדֶר. שַׂלְמָה *vestis*, quae in N. T. ἱμάτιον dicitur, et pro pallio, suprema veste, usurpatur, non est vestis fixa, sive corpori adaptata, sed laxa et fluida, quam non induunt, sed corpori injiciunt; vestis quaedam est universalis, plurimos usus habens. אֶדֶר autem, vel אַדֶּרֶת, est στολή, *stola*, vestis decora, corpori adaptata, et ad talos usque demissa, quae ad lumbos accingebatur, et decorem magnificentiamque viri exhibebat." מִמּוּל *a coram*, *e propinquo*, *e contiguo*, coll. Levit. 5, 8. *caput ei intorqueat* מִמּוּל עָרְפּוֹ *a coram cervice*, i. e. secundum cervicem. Sensus: vos avaritiae vestrae usque adeo indulgetis, ut non contenti pallium abstulisse, vicinam etiam et contiguam ei togam auferatis, et decore suo spolietis eos, qui secure transeunt, et periculis belli erepti domum revertuntur. Subjicitur enim: מֵעֹבְרִים בֶּטַח *A transeuntibus secure*, neque quidquam suspicantibus mali. Exponit, quales illi fuerint, quos veste exuerunt violenti isti homines, videlicet innocentes ac tales, qui nunquam credidissent, ab impiis istis raptoribus se multatum iri: hujusmodi homines opprimere incautos, id summae indicium est malitiae. Cf. Prov. 3, 29. Addit ad exaggerandam innocentium illorum securitatem: שׁוּבֵי מִלְחָמָה, velut qui post fusum et profligatum hostem *revertuntur e bello;* hi enim, quod hostem non amplius metuendum habent, secure ambulant. Eadem, quae hic, verbi שׁוּב constructio eum nomine, omissa particula מ, Jes. 59, 20. *veniet Zioni redemtor* וְלַשָּׁבֵי פֶּשַׁע *et convertentibus se a praevaricatione in Jacobo.* Aliter Jarchi: „Dum existimabant, se transire secure, ceperunt esse quasi reversi e proelio, id est spoliati vestibus et alimentis ab hostibus. שׁוּבֵי est ejusdem formae ut סוֹרֵי Jer. 2, 21., i. e. degeneres palmites vitis, et נוֹגֵי Zeph. 3, 18., i. e. remoti a conventu solenni."

9. נְשֵׁי עַמִּי *Feminas populi mei*, intellige viduas, et cf. Jes. 10, 2., ubi vates declamat adversus eos, qui scribenda dictant facinorosa *ad tenuium evertendas causas*, *ad eripiendum jus inopibus populi* Jovae, לִהְיוֹת אַלְמָנוֹת שְׁלָלָם *ut fiant viduae*

eorum praeda. תִּגְרַשׁוּן *Expellitis* rapiendo illorum domos. Ita verbum גָּרַשׁ 2 Paral. 20, 11. לְגָרְשֵׁנוּ *ut expellant nos ex hereditate tua*, in quam nos immisisti. Et nomen Ezech. 45, 9. *auferte* גֵּרְשֹׁתֵיכֶם *expulsiones vestras a meo populo.* מֵעַם Unamquamque *e domo deliciarum ejus*, i. e. e carissimis aedibus suis (ut supra 1, 16. *filii tui carissimi*), in quibus viduitatis tristitiam aliquo modo potuisset lenire. מֵעַל עֹלָלֶיהָ Et *a parvulis ejus*, orphanis viduae infelicis (ut Nah. 3, 10.). תִּקָּחוּ *Aufertis* iniquo et violento raptu, de quo verbum לָקַח Gen 27, 36. *meam benedictionem* לָקַח *eripuit* mihi. Jes. 49, 25. גִּבּוֹר יִקָּח *ferox rapit.* הֲדָרִי *Decus meum*, i. e. ipsis a me datum, quomodo suffixum et capiendum Hos. 2, 8. *auferam* דְּגָנִי *frumentum meum*, וְתִירוֹשִׁי *et mustum meum*, coll. Vs. 10. *dedi ei frumentum et mustum.* *Decore* vero a Deo parvulo concesso, הֲדַר, quo improbi isti eos spoliarent, libertatem intellige et opes, maxime vero *amictum decentiorem*, quod et praecedens מֵעַל *desuper* arguit, item nexus cum Vs. 8., ubi iidem impii reprehenduntur, quod innocentibus vestes detraherent, et locus parallelus Ezech. 16, 14. *eras perfecta* בַּהֲדָרִי *per meum decorem*, *quem tibi apposuissem*, inducitur enim eo loco populus Israeliticus sub imagine mulieris a Jova educatae, atque vestitu splendidissimo ornatae. לְעוֹלָם *In perpetuum*, ut Exod. 21, 6., i. e. in totum vitae tempus, ita ut recuperandi spes omnis praecisa sit. Pendet a verbo תִּקָּחוּ *aufertis.* Videtur autem hic respici ad legem Exod. 22, 25., qua vestis pignoris loco accepta jubebatur pauperi ante occasum solis reddi; hi numquam reddebant.

10. Ad haec itaque scelera tanta sequitur sententiae divinae denuntiatio: קוּמוּ וּלְכוּ Ergo et vos *surgite* vicissim *et abite* e sedibus vestris, qui alios expulistis, Vs. 9. Innuit talionis poenam; nam qui expellit, expellitur. Cf. Apoc. 13, 10. כִּי לֹא־זֹאת הַמְּנוּחָה *Nam non* erit *haec* terra, sicut praesumitis, perennis et firma vobis *requies*, ut Ezech. 21, 31. זֹאת לֹא־זֹאת *haec* cidaris *non* erit *haec* s. ea, qualis hodie est. Recte Chaldaeus: *neque enim est haec terra locus quietis impiis.* Terra Cananaea quietae possessionis locus promissa erat populo morigero post molestias in deserto exantlatas. Vid. Deut. 12, 9. 10. Jos. 1, 13. coll. Ps. 95, 11. Causam tam severae sententiae ut ne ignorent, denuo inculcat. בַּעֲבוּר טֻמְאָה *Propter immunditiem* vestram, qua terram polluistis; scelera et flagitia intelligit, quae terram quoque ipsam polluunt, ut Levit. 18, 25. וַתִּטְמָא הָאָרֶץ *polluta est terra, et in peccatum ejus animadvertam.* Et Vs. 28. בְּטַמַּאֲכֶם אוֹתָהּ *eo quod vos eam* terram *polluistis.* Jer. 2, 7. *et polluistis terram meam.* Ezech. 36, 18. *stercoreis suis* idolis *polluerunt eam.* Pro טָמֵא in aliis locis verbum חָנֵף usurpatur. Num. 35, 33. וְלֹא תַחֲנִיפוּ *ne profanetis terram*, *in qua eritis.* Ps. 106, 38. *incestata est terra sanguine.* טֻמְאָה nomen est

formae חָמְמָה, hoc solo loco obvium *immunditiem* notans. In codicibus nonnullis et manuscriptis et typis exaratis legitur טָמְאָה cum *Metheg*, tertia feminina Praeteriti persona, ut vertendum sit: *propterea quod polluta est* terra. Verum sine Metheg exhibent libri correctiores. Vertimus igitur: *propter immunditiem*, qua polluistis terram, תְּחַבֵּל וְחָבֵל נִמְרָץ *perdet* vos terra, *et* quidem *perditione forti*, i. e. evomet vos penitus, metaphora sumta a stomacho, rejiciente cibum, quem ferre non potest. Respicit locum Levit. 18, 25. *polluta est terra, et in ejus scelera animadvertam*, וַתָּקֵא הָאָרֶץ אֶת־יֹשְׁבֶיהָ *et evomet terra incolas suas.* Verbi חָבֵל hic adscivimus *corrumpendi*, *perdendi* significatum, Chaldaeis quidem magis frequentem, nec tamen Hebraeis inusitatum, ut Jes. 32, 7. לְחַבֵּל עֲנִיִּים *ad perdendum inopes verbis mendacibus.* Jes. 54, 16. *creavi destructorem* לְחַבֵּל *ad perdendum.* Unde nomen חֶבֶל, quod alias *funem* notare constat, h. l. *corruptionis* notione accipimus. Alii cum SALOMONE BEN MELECH חֶבֶל eodem quo חֵבֶל (cum Zere literae ה supposito) significatu sumunt, quod nomen de *doloribus* praesertim *parturientium* dicitur (vid. Hos. 13, 13. Jes. 66, 7.), verbum חִבֵּל vero *parturiendi* notione, ut Cant. 8, 5. *ibi mater tua* חִבְּלַתְךָ *te peperit*, id autem pro *doloribus angi*, coll. Jes. 26, 17. *ut praegnans propinqua partui aegra clamat* בַּחֲבָלֶיהָ *prae cruciatibus.* Unde verborum nostrorum explicatio prodit haec; gravissimos dolores experietur terra Israelitica, sive populus Israeliticus, qui saepius ut mulier a prophetis sistitur, unde suffixa et verba feminina (vid. Hos. 2, 21. 5, 9. 9, 1.), *et dolorem* quidem *vehementem.* נִמְרָץ *validum*, *vehemens*, ut 1 Reg. 2, 8. *exsecratio* נִמְרֶצֶת *vehemens.*

11. לוּ *Quodsi* aut ego, aut alius quisquam esset. Haec particula non semper Optativum exprimit, sed *conditionalis* alicubi est, ut Ezech. 14, 15. לוּ־חַיָּה *quando feras malas per terram transire fecero.* אִישׁ הֹלֵךְ רוּחַ *Vir qui ambularet*, sectaretur (coll. Ezech. 33, 15. הֹלֵךְ צְדָקוֹת *qui justa sectatur.* Prov. 6, 12. הֹלֵךְ עִקְּשׁוּת פֶּה *qui sectatur perversitates oris*) *spiritum* scil. suum, sive proprium, licet divinum spiritum mentiatur. Cf. Ezech. 13, 3. *vae vesanis vatibus, qui suum sequuntur spiritum, et juxta* id quod *non viderunt*, i. e. quum nullam habuerint visionem. Hos. 9, 7. *vates vesanus*, אִישׁ הָרוּחַ *homo ventosus.* Cujusmodi homines Ezechiel 13, 2. vocat *prophetas* מִלִּבָּם *e corde suo*, et prophetissas mendaces, Vs. 17. *quae e corde suo vaticinantur.* Cf. et Jer. 14, 4. 23, 17. 26. Aliis הֹלֵךְ רוּחַ est *vadens vento*, qui agitur vertigine et spiritu vago, qui animos audientium non pascit solida consolatione, coll. Hos. 12, 2. *Ephraim ventum pascit, eurumque sectatur.* Nos tamen priorem illam explicationem praeferimus. Addit: וְשֶׁקֶר כָּזָב *et* si ego talis essem, qui *mendacium*, fictas et inanes prophetias *mentiretur.* Cf. Ezech. 13, 19. *dum mentimini populo meo*, meis, *qui audiunt* libenter

כָּזָב *mendacium.* Erat populus adeo perverso judicio, ut mallet mendacio credere, quam veritati, neque quisquam tam absone prophetabat, cui non fidem haberet, modo jucundus esset praeco, et impiae securitatis adjutor. אַטִּיף לְךָ לַיַּיִן וְלַשֵּׁכָר Si, inquam, *stillarem*, prophetarem (vid. ad Vs. 6.) *de vino et sicera*, ad compotationes, quas hic populus amat, instituendas. De שֵׁכָר vid. not. ad Levit. 10, 9. וְהָיָה מַטִּיף הָעָם הַזֶּה *Tum foret* is, quisquis esset, sive ego, sive alius, *stillator* (propheta, Vs. 6.) *hujus populi*, i. e. talis, qualem hic populus optat et amat. Si, inquit, velim inire gratiam apud vos, mihi praedicendum esset, fore uberem vini proventum, tum omnes mihi applauderent.

12. A tristibus jam subito, pro more prophetarum, transit ad laeta. Est autem nexus cum iis, quae praecedunt, talis fere concipiendus: si quis ventosus et vanus homo esset, qui mentiretur, et multum vini promitteret, etc. Sed et ego bona praedicam, et quidem de re omnium maxima, quae est hujusmodi: postquam vos, inquit Jova, in exilium, ut supra (Vs. 4.) minatus sum, relegavero, inde colligam. אָסֹף אֶאֱסֹף יַעֲקֹב כֻּלָּךְ *Colligendo colligam* ex omnibus, in quibus dispersus eris, terris, *Jacobe*, *universitatem tuam*, i. e. totum. Ita Jes. 22, 1. עָלִית כֻּלָּךְ לַגַּגּוֹת *ascendisti universitas tua*, i. e. tota *in tecta*. Ezech. 36, 10. *omnis domus Israel, universitas ejus*, ea tota. קַבֵּץ אֲקַבֵּץ שְׁאֵרִית יִשְׂרָאֵל *Colligendo colligam reliquias Israelis*, quicquid salvum manebit a cladibus bellorum atque exsilii calamitatibus. Ita Jes. 10, 20. *reliquum Israelis, et quid evasit domus Jacobi.* Idem, quod Noster, promittit Jeremias 23, 13., iisdem fere verbis. יַחַד *Pariter*, i. e. universum, sine discrimine et exceptione. Haec enim est vis particulae. Ita Ps. 33, 15. de Deo: *qui fingit* יַחַד *pariter corda eorum* hominum terram incolentium. Hos. 2, 2. *et colligentur filii Judae et filii Israelis* יַחְדָּו *una*, ad unum omnes. Quae hic promittuntur de colligendis reducendisque in patriam tellurem dispersorum Hebraeorum reliquiis, referenda arbitramur ad aurei seculi exspectationem, in cujus felicitate praedicanda mirifice sibi placent prophetae. De hujusmodi promissionibus quid nobis videatur, diximus ad Ezech. 36, 38. — אֲשִׁימֶנּוּ כְּצֹאן בָּצְרָה *Ponam*, i. e. reddam *eum* (ita שׂוּם Gen. 21, 18. *populum magnum* אֲשִׁימֶנּוּ *eum reddam*, cf. infra Vs. 13. 46, 3.) *instar ovium Bozrae*, quarum imagine amplificationem Israelitarum tam numero, quam rerum omnium affluentia eleganter describit. Ita Jeremias 33, 12. reditum exsulum describens, dicit, fore in omnibus terrae Judaicae oppidis stationes pastorum מַרְבִיצִים צֹאן *qui recubare faciant oves.* Ezech. 36, 37. Jova Israelitas sese aucturum promittit instar ovium. Et Vs. 38. addit: *quasi oves sacrae, quasi oves Hierosolymae in ejus solemnibus, sic erunt urbes dirutae humanarum ovium plenae.* De urbe *Bosra* (ubi laeta pascua ovesque opimae), qua nunc Edomitae, nunc

Moabitae potiti sunt, vid. *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 23. Appellative בָּצְרָה significat *urbem munitam*, qualis futura aureo seculo describitur urbs Dei Jes. 26, 1. *urbs est nobis fortis, cui pro muris et propugnaculo salus est.* כְּעֶדֶר בְּתוֹךְ הַדְּבִרוֹ תְּהֵימָנָה *Instar gregis in medio caulae suae* (vid. de hoc nomine not. ad Jes. 5, 17.) *tumultuabuntur* urbes Israeliticae, caularum instar futurae; vel potius (praecessit enim כְּצֹאן, tanquam subjectum praedicationis) *ipsi Israelitae*, ovium instar multiplicandi. *Terminatio feminina* respicit simile, sive tropum orationis. Verbi הום forma Hiphil praeter hunc locum semel tantum, Ps. 55, 3. legitur, ad quem loc. vid. not. Significatione non a Cal differt; convenit cum cognatis הָמָה et הָמַם, *commotionem cum sono et strepitu*, qualem ingens hominum copia excitat, denotantibus, unde Deut. 7, 23. מְהוּמָה גְּדֹלָה est *magnus tumultus.* מֵאָדָם *Prae hominibus*, tanta erit hominum copia. Recte Chaldaeus: *prae multitudine hominum.* Cf. Ezechielis loca laudata.

13. עָלָה *Ascendet* enim imperatoris instar, qui populum diuturna captivitate et servitute pressum educet. Bellica vox est, armatam significans profectionem, quam hostes nequicquam impedire possunt. Ita Exod. 1, 10. Aegypti rex de populo Hebraeo in illa terra degente: *contra nos pugnabit* וְעָלָה *et migrabit e terra.* Hos. 2, 2. *constituent sibi caput unum et e terra proficiscentur. Praeterita* autem hoc Versu sunt *prophetica*, ut Jes. 5, 13. *propterea in exsilium* גָּלָה *migrabit populus meus*, 9, 2. הִרְבִּיתָ *magnum reddes populum.* הַפֹּרֵץ *Perruptor*, δεικτικῶς, est enim cum ה demonstrativo. Loquitur ergo de certa quadam persona, et antonomastice sic dicta, quae mox vocabitur מלכם *rex illorum*, et יהוה, ut non sit dubium, Nostrum de Messia cogitasse, seu divino illo heroe, quo auspice, devictis omnibus Judaeorum hostibus, aureum seculum orbem beabit. Is ducet populum suum, et ita quidem, ut sublatis atque perruptis omnibus impedimentis iter pandat. Nam פָּרַץ, *perrupit*, est, repagula, obices, et quicquid profecturum detinere possit, diffringere, ut pervadere possit. Ita Gen. 38, 29. מַה־פָּרַצְתָּ עָלֶיךָ פָּרֶץ *quare rupisti objectum tibi interstitium?* De aqua dicitur, quae aggerem oppositum perrumpit, 2 Sam. 5, 20. *perrupit Jova hostes meos ante me*, כְּפֶרֶץ *instar perruptionis aquarum.* לִפְנֵיהֶם *Ante illos*, primam illorum aciem ducturus, sicut quondam cum ex Aegypto populum educeret, Exod. 12, 12. *et Jova eos praeibat.* Jes. 52, 12. *non trepide emigrabitis, nam vos Jova praecedet.* פָּרְצוּ Itaque *perrumpunt* ipsi quoque, i. e. perruptis omnibus obstaculis suum ducem sequentur strenue, neque quicquam poterit illorum sistere cursum; penetrabunt, quo ducem penetrasse vident. וַיַּעַבְרוּ *Et transibunt*, nemine prohibente pervadent. Alias hoc verbum dicitur de flumine, qui superatis suis alveis omnia inundat; ut Jes. 8, 8. *pertransibit Judam, inundabit*

וְעָבַר *et pervadet.* De vi ingente militum Dan. 11, 10. 40. וְשָׁטַף וְעָבַר *inundabit et pervadet.* שַׁעַר *Portam* scil. frangent, portas urbium hostilium perrumpent; nulla erit adeo munita porta, quae ab ingressu eos arcere possit. Id promittitur posteris Abrahami Gen. 22, 17. *posteri tui portis hostium suorum potientur.* Quod repetitur 22, 60. Chaldaeus: *atque expugnabit arces munitas, urbes gentium possidebunt.* וַיֵּצְאוּ בוֹ *Et* sicut perruptis repagulis intrabunt, ita *exibunt per eam*, portam, nemine prohibente. מַלְכָּם *Rex eorum ante eos*, videlicet דָּוִד מַלְכָּם *David rex eorum*, Hos. 3, 5.; cf. loca ad eum locum laudata. וַיהוָה בְּרֹאשָׁם *Et Jova in capite*, prima turma *eorum*, Gallice *à leur tête*, idem quod modo לפניהם *ante eos;* ut 2 Paral. 13, 12. *nobiscum* בְּרֹאשׁ *in capite Deus.* Amos 6, 7. *migrabunt* בְּרֹאשׁ *in fronte migrantium.* — Haud desunt ex interpretibus, qua Judaeis, qua Christianis, qui contendunt, Deum his duobus Versibus induci minas suas adversus Israelitas persequentem, et de violenta eorum coarctatione in munitis locis metu hostium agentem, quasi dixisset: efficiam ut cogente hoste congregemini in urbibus vestris munitis, quas ille obsessurus est, inprimis ut obsidemini intra Samariam et Hierosolymam, nam par sors utrique praedicitur. Eorum tamen, qui tale quid statuunt, sententias minus probabiles recensere et dijudicare, non est hujus loci.

CAP. III.

Argumentum.

Acriter invehitur propheta in magistratus ac principes, qui judicia pervertunt, et judiciis iniquis paupcres homines callide ac violenter exspoliant (Vs. 1 — 4.). Neque minus prophetas exagitat, qui nugas suas venales habent, et falsa spe delusum populum in gravissima rerum incommoda conjiciunt (Vs. 5 — 8.). Ad extremum debitum et procerum iniquitati, et prophetarum fallaci vaticinio supplicium denuntiat, et eversae civitatis horribilem speciem graphice describit (Vs. 9 — 12.).

1. וָאֹמַר *Dixi* porro, sive, alio quodam tempore. שִׁמְעוּ־נָא רָאשֵׁי יַעֲקֹב *Audite, quaeso, capita*, i. e. primores *Jacobi!* Eodem significatu רֹאשׁ legitur Jud. 11, 11., ubi narratur, Gilcaditas sibi Jephtam praeposuisse לְרֹאשׁ וְלָקָצִין *caput et judicem;* vid. et ibid. Vs. 8. 9. וְקְצִינֵי בֵּית יִשְׂרָאֵל *Et* vos, *judices*, magistratus, gubernatores *domus Israelis?* De קָצִין vid. not. ad Jes. 1, 10. *Israele* et *Jacobo* totum illud genus intelligitur, quod est ab Israele propagatum; vid. ad 1, 5. Alloquitur itaque vates utriusque populi principes et duces, quorum injuria vel inertia aut corrupti sunt mores, aut male vexata et spoliata bonis

tenuiorum fortuna. Eadem apostrophe infra Vs. 9. Magistratuum scelera quemadmodum Noster castigat, ita et Amos 5, 6. 10 – 15., Ezechiel 22, 6., et auctor Psalmi 82. הֲלֹא לָכֶם לָדַעַת אֶת־הַמִּשְׁפָּט *Nonne vobis* est *scire judicium?* nunquid non vestrarum est partium, nosse quid justum sit et aequum, et ex aequo et justo publicum exercere judicium? Interrogatio emphatica, qua conscientiam principum compellat. לָכֶם *Vobis* incumbit, seu *vestrum est.* Syrus et Arabs: *nonne nobis convenit?* Idem particulae ל usus 2 Paral. 13, 5. הֲלֹא לָכֶם לָדַעַת *nonne vos scire debetis, Jovam Davidi regnum dedisse:* 20, 17. לֹא לָכֶם לְהִלָּחֵם בָּזֹאת *non est vestrum hic praeliari.* Prov. 31, 4. אַל לַמְּלָכִים שְׁתוֹ־יָיִן *non est regum*, non convenit regibus, *potare vinum.* לָדַעַת את־המשפט *Nosse jus*, idemque curare et administrare. דַּעַת enim non solum cognitionem et scientiam, verum etiam opus et actionem significat. Ita Jer. 9, 23. *scire* dicitur *Deum* qui illius obsequitur voluntati. מִשְׁפָּט *Jus*, quatenus ad forum spectat, ut infra Vs. 9., et Jes. 1, 17. monentur judices, ut juri exercendo operam dent, atque viduarum et orphanorum causam tueantur. Quum igitur principes et magistratus creditum sibi populum invigilando et legitimis judiciis in officio continere deberent, neque alios continuerunt ab injuria, verum et ipsi per vim et fraudes ab imbelli turba, quae contra majorem potentiam obniti non auderet, facultates et opes extorserunt.

2. Jus omne penitus ejurasse videmini, quippe שֹׂנְאֵי טוֹב וְאֹהֲבֵי רָעָה *odio habentes bonum, et amantes malum* estis. טוֹב et רָעָה capiunt nonnulli interpretes de personis, ut sensus sit: pro malo contra bonum suscipitur a vobis patrocinium. Verum praestat, illa nomina neutraliter capere, ut Amos 5, 14. דִּרְשׁוּ־טוֹב וְאַל־רָע *quaerite bonum, non* vero *malum.* Et Vs. 15. שִׂנְאוּ רָע וְאֶהֱבוּ טוֹב *odio malum habete et bonum diligite.* Praeterea nostro loco quod in textu scriptum, רָעָה (in margine enim legitur רָע), manifeste est *femininum*, et latino sermone in *neutro* vertendum. Hoc igitur Noster dicit: *bonum*, quod amare deberetis, i. e. virtutem et beneficentiam, *odistis*, *et malum*, quod odisse deberetis, vitium aut vexationem pauperum *amatis.* Plus autem est *odio habere bonum*, quam, fugere illud, aut, *amare malum*, quam, fugere malum. Id vero jam exaggerat, dum addit: גֹּזְלֵי עוֹרָם מֵעֲלֵיהֶם *rapientes* estis *cutem eorum*, populi mei, Jacobi et domus Israelis (Vs. 1. 3.), et in his maxime innocentium pauperumque *a super ipsis*, q. d. cutem ipsis per vim paene detrahentes. Tanta exactionum onerumque vis est. וּשְׁאֵרָם מֵעַל עַצְמוֹתָם *Et carnem illorum ab ossibus ipsorum*, quas fovere deberetis ac tegere, sic spoliatis violenter et callide, ut non solum pellem, sed etiam ex ossibus carnem detraxisse videamini. Exsucci et exsangues sunt, opibus suis a vobis penitus exhaustis.

3. וַאֲשֶׁר אָכְלוּ שְׁאֵר עַמִּי *Qui vorant*, inquam, *carnem populi mei.* Repetit membrum posterius Vs. 2., synonymicis usus phrasibus, eum ut rei indignitatem exaggeret, tum ut novum quid superaddat. Eadem imago Ps. 14, 4. *comedentes populum meum* quasi *vorarent panem.* וְעוֹרָם מֵעֲלֵיהֶם הִפְשִׁיטוּ *Et pellem eorum ab ipsis exuunt*, velut pecora a laniis decoriantur. Sic de pelle victimae detrahenda verbum הִפְשִׁיט dicitur Levit. 1, 6. Cf. supra 2, 8. וְאֶת־עַצְמֹתֵיהֶם פִּצֵּחוּ *Et ossa eorum frangunt.* Forma Piel verbi פִּצַּח hoc solo loco occurrit. In Cal est *frangere* vel *rumpere jubilum*, ut Jes. 14, 7. פָּצְחוּ רִנָּה *prorumpunt in jubilum.* Ita verbum הֵרִיעַ *jubilare*, unde תְּרוּעָה *jubilus*, proprie *fractionis* notionem habet, coll. Jer. 15, 12. הֲיֵרֵעַ בַּרְזֶל *num frangetur ferrum?* Et VIRGILIUS *Aen.* 2, 129. *rumpere vocem* dixit pro *erumpere voce.* Graecis quoque ῥηγνύω et ῥήσσω est *frango*, *scindo*, itemque *in clamorem erumpere.* וּפְרָשׂוּ כַּאֲשֶׁר בַּסִּיר *Et dividunt*, i. e. concidunt in frusta *quasi* frusta *in ollam* essent conjicienda et excoquenda. Graecus Alexandrinus reddidit: *καὶ ἐμέρισαν ὡς σάρκας εἰς λέβητα.* De suo addiderunt *σάρκας*, quia illud judicabant hic subaudiri. Idem fecit Chaldaeus: *dividunt eos tanquam qui concidunt membra in frusta in medium lebetis.* Eadem imagine ollae carnibus ossibusque coquendis repletae utitur Ezechiel 24, 4. 5. ad describendam obsidionem et eversionem urbis Hierosolymitanae. וּכְבָשָׂר בְּתוֹךְ קַלָּחַת *Et sicut carnem* ingerunt *in medium lebetis*, seu, dividunt *carnis instar*, quae est *in medio lebetis.* קַלָּחַת, quod praeter hunc locum semel, I Sam. 2, 14. occurrit, ubi cum aliis similis significationis nominibus, דּוּד, כִּיּוֹר, פָּרוּר, סִיר, componitur, alii conferunt eum Graeco *χαλκίον (aeramentum, ahenum)*, quod e Graecia in Orientem migrasse putant; alii malunt, *χαλκίον* cum suo primitivo *χαλκός* esse orientalis originis ab Hebraico et Arabico חָלַק, خَلَقَ *malleo laevigavit*, *expolivit* (Jes. 41, 7. *artifex* מַחֲלִיק פַּטִּישׁ *qui expolit malleo*), indeque nostrum קַלָּחַת per metathesin pro חַלָּחַת. J. D. MICHAELI in *Supplemm.* p. 2193. est *olla cooperta*, Germanice *Stülpkessel*, collato Aethiopico קלח *Kualĕchĕ (Kelch) calyx floris antequam aperiatur.*

4. אָז *Tunc*, cum supplicii tempus ingruet, cum hostis eorum regionem vastabit, urbes expugnabit, ipsosque captivos abducet, de quo tempore et supra 2, 3., יִזְעֲקוּ אֶל־יְהוָה וְלֹא יַעֲנֶה אוֹתָם *clamabunt ad Jovam, sed eos non exaudiet.* Similiter Zach. 7, 13. *quemadmodum quum vocasset* Jova, illi *non audiverunt, ita quando* illi *clamaverint, ego non exaudiam, inquit Jova.* Jer. 11, 11. *malum eis inducam, quo non exibunt, et clamabunt ad me, ego vero eos non exaudiam.* Prov. 21, 13. *qui obstruit aurem ad clamorem tenuium, etiam ipse clamabit nec exaudietur.* Vid. et Job. 35, 12. Hos. 5, 6. Ps. 18, 42. Jac. 2, 13. וַיַּסְתֵּר פָּנָיו מֵהֶם *Et abscondet faciem suam ab eis*, non

amplius respiciet eos, non amplius erit eis propitius. Vid. Jes. 8, 17. 59, 2. coll. 1, 15. בָּעֵת הַהִיא *In tempore illo*, quo illis accidet calamitas supra 2, 3. commemorata. Quae adduntur, כַּאֲשֶׁר הֵרֵעוּ מַעַלְלֵיהֶם, nonnulli vertunt: *quia malas fecerunt actiones suas*, כאשר pro particula causali capientes, ut Num. 27, 14., ubi Deus dicit de Mose, eum non ingressurum esse terram Cananaeam, sed ad patres suos concessurum, ut jam concesserit Aaron, כאשר *quia rebellastis contra mandatum meum.* Et 1 Sam. 28, 18. Samuel praedicit Saulo, erepturum ei Deum regnum, כאשר *quia non auscultasti voci Jovae.* Ita hic LXX: *ἀνθ' ὧν ἐπονηρεύσαντο ἐν τοῖς ἐπιτηδεύμασιν αὐτῶν ἐπ' αὐτούς.* Sed rectius Hieronymus: *sicut nequiter egerunt in adinventionibus eorum.* Ita caussalis significatio includitur, magis tamen justitia talionis in relatione poenae ad culpam consimilem exprimitur, quasi diceret: sicut proceres illi clamantes viduas, pupillos, aliosque ab eis oppressos nec audiverunt, nec respexerunt, ita indigni sunt, qui a Deo, cum ejus opem et auxilium implorabunt, exaudiantur.

5. Jam invehitur in falsos prophetas, quorum vaticiniis adulatoriis atque fallacibus adscribit Jeremias Thren. 2, 14. suae gentis interitum. Et hos quidem malis jungit principibus ducibusque, quod et nequitiam eorum adprobarent, et collaudarent, et cum illis in commune damnum conspirare viderentur; cf. infra Vs. 12. כֹּה אָמַר יְהוָה עַל־הַנְּבִיאִים *Ita loquitur Jova super*, contra *prophetas*, i. e. *pseudoprophetas*, ut recte Chaldaeus reddidit. Tales enim erant ex rei veritate, licet *prophetarum* nomen sibi arrogarent. Sunt iidem, quos 2, 11. dixerat ad palatum de *vino* et *sicera* docere. הַמַּתְעִים אֶת־עַמִּי *Qui errare faciunt populum meum*, dum laeta securis pollicentur, infausta contra comminantur aliis, quibus talia non erant comminanda. De hujusmodi vatibus Jesajas 3, 12. *Populе mi*, *ductores tui sunt seductores* (מַתְעִים). Quod ipsum 9, 15. repetit. Cf. Ezech. 13, 10. 19. — הַנּוֹשְׁכִים בְּשִׁנֵּיהֶם וְקָרְאוּ שָׁלוֹם *Qui mordent dentibus suis et proclamant pacem*, i. e. qui dum prospera omnia promittunt, et contribules suos securos esse jubent, populum stultum et ipsorum oraculis nimium credulum in illud periculum conjiciunt, quod non putabat cavendum. נָשַׁךְ *morsum infligere noxium* significat, et proprie de serpentum morsu dicitur, ut Gen. 49, 17. de cerасte prope viam, הַנּשֵׁךְ *qui admordet calcem equi.* Num. 21, 6. *misit Jova serpentes ardentes*, וַיְנַשְּׁכוּ *qui morderent populum.* Et Vs. 8. נָשׁוּךְ est is qui horum serpentum morsu laesus erat. Vid. et Amos 5, 19. Indicantur igitur nostro loco הנשכים בשניהם *iis qui dentibus mordent*, ejusmodi prophetae, qui instar serpentum venenatos atque lethales ictus aliis infligunt. Recte Kimchi: „Dum pacem clamant, et populo blandiuntur, perinde faciunt, ac si mordcrent cum dentibus." שָׁלוֹם *Pax*, i. e. prospera quaeque, ut Ezech. 13, 10. — וַאֲשֶׁר לֹא־יִתֵּן

עַל־פִּיהֶם *Et qui non dat pro ore illorum*, quod edant et commissentur. Ita פֶּה de *victu* Gen. 25, 28. *Isaacus amabat Esavum*, כִּי־צַיִד בְּפִיו *quia ferinum in ore ejus*, quod LXX recte verterunt: ὅτι ἡ θήρα αὐτοῦ βρῶσις αὐτῷ. Et Cohel. 6, 7. *omnis labor hominis* לְפִיהוּ *pro ore*, victu *suo*. וְקִדְּשׁוּ עָלָיו מִלְחָמָה *Contra eum sanctificant bellum*, ei bellum indicunt, contra eum bellum parant aut denuntiant. Loquutio inde desumta, quod omnes fere antiquitatis populi bellum ritibus certis et ceremoniis sacris auspicare solebant. Eadem phrasi Jer 6, 4. utuntur hostes Judaeorum ad urbem Hierosolymitanam oppugnandam sese animantes: קַדְּשׁוּ עָלֶיהָ מִלְחָמָה *sanctificate*, praeparate *contra eam bellum!* Hinc in universum verbum pro *parare* usurpatum, vid. Joel 1, 14. 4, 9.

6. לָכֵן לַיְלָה לָכֶם מֵחָזוֹן *Ideo*, quod tales estis, quales Vs. 5. descripti, *nox vobis a visione*, i. e. tot vobis mala ingruent, et ea erit rerum vestrarum perturbatio, ut non sitis amplius visiones visuri. לילה h. l. de nocte rerum adversarum capiendum. Cf. ad Amos 5, 18. Partilulam מ ante חָזוֹן nonnulli sumunt causaliter: *ob visionem* (ita LXX: ἐξ ὁράσεως, et Hieronymus: *ex visione*), i. e. vaticinia vestra, quibus alios decepistis, fient vobis causa et origo ingentium malorum. Quia tamen jam praecessit causalis particula לָכֵן, praestat מ hic *privative* capere, q. d. ut *a visione* desistere cogamini. Ita Jerem. 28, 2. *exscinderis* מִגּוֹי *ne sis* amplius *gens*. 1 Sam. 15, 23. *reprobabit te* Jova מִמֶּלֶךְ *ut non sis rex*. Cf. Jes. 7, 8. Concinit Chaldaeus: *ideo confundemini quo minus prophetetis*. וְחֶשְׁכָה לָכֶם מִקְּסֹם *Et tenebrae vobis* erunt, *ne* amplius *divinetis*. מקסם proprie: *a divinatione*, est enim nomen formae סָגוֹר, יָסוֹד. In libris nonnullis וְחִשְׁכָה (cum Metheg) scribitur, quomodo erit tertia feminina Praeteriti persona, impersonaliter capienda (nam ad לילה referri non potest, quum nomen illud masculinum sit): *obtenebrescet*. Sed rectius חָשְׁכָה arbitramur, ut nomen nomini (לַיְלָה) respondeat. וּבָאָה הַשֶּׁמֶשׁ עַל־הַנְּבִיאִים *Et occidet sol super prophetis* falsis istis, eos in spissa malorum caligine, a qua subito obruentur, destituens. Chaldaeus: *operietque angustia velut caligo pseudoprophetas*. וְקָדַר עֲלֵיהֶם הַיּוֹם *Et ater fiet super eis dies*, sicut coelum, cum conglobatis per tempestatem nubibus gravidum est, atram diei caliginem inducit. Significat, fortunam eorum prorsus commutandam fore ex prospera in adversam, et quidem subito, ipsis saltem non opinantibus, qui sibi, et aliis fortunatum et florentem reipublicae statum persuaderent. Similiter Jerem. 15, 9. *occidit sol ejus dum* adhuc *est interdiu*. Et Amos 8, 9. *faciam ut sol occidat in meridie, terramque clara die tenebris obducam*. Cf. not. ad eum loc.

7. וּבוֹשׁוּ *Et* tum quidem *pudefient* (Praeteritum Cal, ut Jes. 19, 9.), turpitudo eorum patescet, cum alia omnia evenerint,

quam ipsi praedixerant. הַחֹזִים *Videntes* scil. vana, שָׁוְא הַחֹזִים, ut Ezech. 13, 9. vocantur. וְחָפְרוּ הַקֹּסְמִים *Et pudore suffunduntur divini* mendaces, הַקֹּסְמִים כָּזָב, uti laudato Ezech. loco dicuntur. Chaldaeus: *et pudefiant ita ut non doceant.* וְעָטוּ עַל־שָׂפָם כֻּלָּם *Et operient* (propr. *tegmen imponent super*) *mystacem omnes illi*, ut quos pudebit, qui cognosci nolent, ac leprosorum instar detestabiles fient, miseramque suam sortem lugebunt. Fuit enim hic ritus tam leprosorum (Levit. 13, 45. *leprosus vestimentis dissolutis esto, capite retecto*, וְעַל־שָׂפָם יַעְטֶה *oreque velato*), quam lugentium, vid. ad Ezech. 24, 17. Sic Esth. 6, 12. Haman domum se proripuisse dicitur *lugens capiteque obvelato.* Hinc caput obvelare est pudefactorum, veluti Jer. 14, 4. agricolae, carente pluvia spe sua delusi, *pudefacti operiunt caput suum.* Vid. et ibid. Vs. 3. שָׂפָם propr. *labrum superius* (ut Chaldaicum שִׂפְמָא, quod a Paraphraste saepius de *limbo*, seu *extremitate rei*, Hebraico שָׂפָה, dicitur), praesertim *ejus pilos*, *mystacem* notat, hic vero per synecdochen pro *ore inferiore* usurpatur. Formatur a שָׂפָה *labrum*, ut פַּחַם *princeps*, Neh. 5, 14., a פַּחָה, מַלְכָּם a מֶלֶךְ *Molochus*, in quibus מ est afformativum. כִּי אֵין מַעֲנֵה אֱלֹהִים *Quia non est responsum Dei*, scil. id, quod ipsi dixerant; quod apparebit eos esse mendaces et fallaces; hinc pudore suffundentur. Prophetae consulebant Deum nomine populi, unde eis *respondere* dicitur, ut Jer. 42, 4. *Omne verbum quod responderit vobis Jova, indicabo vobis.* Hoc vult: effata eorum non erant effata a Jova eis suggesta; id ex eventu patebit. Et quum populus tandem animadvertet, vana esse, quae praedixerunt, in summum contemtum apud illum venient. Chaldaeus: *neque enim in eis est spiritus prophetiae a facie Domini.* Minus recte alii haec verba intelligunt de verorum Jovae oraculorum defectu, ut Michas hoc diceret: responsa Dei finxerunt, quae non dederam; itaque in poenam hujus temeritatis vera quoque responsa auferam, ita ut tempore calamitoso habituri sint neminem, quem consulant. Pro מַעֲנֵה (cum *Zere* sub *Nun*), quod est forma status constructi nominis מַעֲנֶה *responsum*, in codicibus nonnullis legitur מַעֲנֵה, quod qui probant habent pro Participio Hiphil, et Cohel. 5, 19. obvio (*nam Deus* מַעֲנֶה *respondet*, votis annuit, *per gaudium cordis* pii), vertuntque: (pudefient) *eo quod non sit respondens Deus.* In libris tamen plerisque iisque correctioribus legitur מַעֲנֵה, quod nos quoque sequimur.

8. Falsis istis vatibus jam Noster sese opponit, et testatur, se spiritu divino afflatum loqui intrepide, nec formidare principum improborum tyrannidem, ut mendaces illi prophetae. וְאוּלָם — יְהוָה *Verumtamen ego repletus sum virtute, spiritu* nempe *Jovae*, vi divina afflante plenus sum, non dapibus, sicut illi, adeoque quicquid loquor, non temeraria quadam audacia (ut Esth. 7, 5. *ubi est iste quem impleverit cor suum ad hoc*

patrandum, i. e. qui tam audax fuerit?), sed Jovae impulsu eloquor. Cf. Jer. 6, 11. *ira Jovae ego plenus sum.* Dictionem אֶת־רוּחַ יְהוָה nonnulli vertunt: *a spiritu Jovae*, quasi אֵת h. l. idem esset quod מֵאֵת, quomodo אֵת Gen. 49, 25. capiunt: מֵאֵל אָבִיךָ *a Deo patris tui, qui tibi auxilium tulit*, וְאֵת שַׁדַּי *et ab Omnipotente.* — Alii: *cum spiritu Jovae.* Quorum neutrum nobis placet, reputantibus quippe, verbum מָלֵא nomini, quod rem aut materiam repletam indicat, modo interventu voculae אֵת, ut allato Jeremiae loco, nec non 1 Reg. 7, 14. Exod. 1, 7. al., modo absque eadem jungi, prorsus eodem sensu utrimque manente. Sic quum 2 Reg. 3, 17. dicitur: *rivus hic* יִמָּלֵא מַיִם *aqua replebitur*, mox Vs. 20. legitur: *et repleta est terra* אֶת־הַמַּיִם *aqua.* Et Ezech. 10, 4. *repleta est domus* אֶת־הֶעָנָן *nube;* sed Jes. 6, 4. *et domus repleta fuit* עָשָׁן *fumo.* Quae duplex verbi constructio nostro loco conjuncta est, duobus nominibus, כֹּחַ et רוּחַ יְהוָה, per appositionem junctis, ita ut posterius, explanationis ergo adjectum, ostendat, cuinam haecce virtus ceu suae origini sit vindicanda. וּמִשְׁפָּט *Et judicio* scil. repletus sum, ad disceptandum cum populo meo, et exprobrandum ei impietatem suam. Sic Ezechiel 20, 4. jubetur suis popularibus litem intendere (לַשְׁפּוֹט), eorumque malefacta arguere. וּגְבוּרָה *Et fortitudine*, constantia, ne a mandato divino dimovear cujusque reverentia aut metu. לְהַגִּיד *Ad indicandum* libere et sine metu. Meticulosae et adulatoriae dissimulationi opponitur, ut Job. 21, 31. מִי־יַגִּיד *quis indicabit*, indicare audebit, *in faciem ejus viam suam* impiam et perditos mores? Cf. not. ad eum loc. לְיַעֲקֹב פִּשְׁעוֹ *Jacobo*, Jacobaeis, *scelus suum*, crimina sua? ut supra 1, 5. Sic Jes. 58, 1. vati a Deo injungitur: *Clama gutture effuse! attolle instar tubae tuam vocem*, וְהַגֶּד לְעַמִּי פִּשְׁעָם *et indica populo meo scelera sua, et domui Jacobaeae peccata sua.*

9. Incipit re ipsa ostendere propheta quod nuper dixit, se repletum esse virtute spiritus divini, dum in proceres sanguinarios et iniquos libere invehitur. Utitur in illis alloquendis verbis iisdem, quibus supra Vs. 1. usus erat. הַמְתָעֲבִים מִשְׁפָּט *Qui abominamini judicium* rectum et aequum, quod vestrum erat, diligere et curare. In iis quae subjiciuntur verbis, וְאֵת כָּל־הַיְשָׁרָה יְעַקֵּשׁוּ, post ו subaudiendum est אֲשֶׁר, ut secunda persona mutetur in tertiam, qua verbum ponitur, ut vertendum sit: *et* qui *omne rectum pervertunt*, curvum faciunt, quicquid rectum est, bonas causas intricando. Translatum a via ad caussam forensem, ut Jes. 59, 8. *integritati* in dijudicandis causis opponitur. *Viam pacis nesciunt*, *nullum jus est in eorum callibus*, נְתִיבוֹתֵיהֶם עִקְּשׁוּ לָהֶם *semitas suas pervertunt sibi.*

10. בֹּנֶה צִיּוֹן בְּדָמִים וִירוּשָׁלַם בְּעַוְלָה Quorum *aedificat* quisque *Zionem sanguinibus, et Hierosolymam iniquitate.* Quibus verbis plerique existimant vatem impios illos proceres objurgare,

quod domos exstruerent ex opibus vi et rapinis, atque innocentium damnatione partis. Rectius alii בָּנָה ironice capiunt, hoc sensu: videmini quidem vobis praeclare Zionem aedificare, i. e. pulchre de ea merere ejusque commoda promovere: ac debebatis quidem; sed quomodo aedificatis? *sanguinibus* temere fusis, injustis caedibus saeviendo *et iniquitate.* Locus geminus plane Habac. 2, 12. Ob eadem crimina Judaicos sui aevi proceres increpat Ezechiel 22, 27.

11. רָאשֶׁיהָ בְּשֹׁחַד יִשְׁפֹּטוּ *Capita*, principes (ut Vs. 1. 9.) *ejus*, Zionis et Hierosolymae (Vs. 10.), *pro munere judicant*, quibus verbis non tam hoc dicitur, illos non judicare nisi accepto munere, quam hoc potius, pretio illos non aequitate jura describere: non sicut causae justitia exigit, sed prout munera dantur. שֹׁחַד constat esse *munus quod datur ad corrumpendum judicem.* Exod. 23, 8. וְשֹׁחַד לֹא תִקָּח *neve donum accipito*, *nam donum caecat etiam perspicaces*, *bonorumque virorum orationem pervertit.* Quod ipsum repetitur Deut. 16, 19. Jes. 1, 23. *principes tui sunt malefici et furum socii*, *omnes* אֹהֵב שֹׁחַד *donorum cupidi, et mercedibus inhiantes.* Cf. Ezech. 22, 12. et infra 7, 3. — וְכֹהֲנֶיהָ בִּמְחִיר יוֹרוּ *Et sacerdotes ejus pro pretio docent.* Sacerdotum erat docere legem, ut diserte injungitur Aaronis filiis Levit. 10, 11. nec non Levitis Deut. 33, 10. Cf. Mal. 2, 7. Sed quos Noster castigat sacerdotes pecunia accepta non quae Deus praescripserat docebant, verum quae regibus ac populo placerent atque talia, quae lucelli aliquid allatura sperarent. וּנְבִיאֶיהָ בְּכֶסֶף יְקַסֵּמוּ *Et prophetae ejus pro argento divinant*, ut quisque nummos liberaliter erogaverit, ita ei ominatur, prophetias, qualcs quisque amat, venales habent. Apposite utitur verbo קָסַם, cum de falsis prophetis loquitur; nam in vitio poni solet, unde Bileam Jos. 13, 22. הַקּוֹסֵם *divinator* vocatur. Cf. supra Vs. 7. et Ezech. 22, 28., quo loco inde a Vs. 25. uti et Zeph. 3, 3. 4., ut nostro loco proceribus improbis junguntur sacerdotes et prophetae tanquam nequitiae socii. וְעַל־יְהוָה יִשָּׁעֵנוּ *Et* tamen *super Jova nituntur*, de ejus favore sese jactant, et optima quaeque sibi ab eo pollicentur. Falsae istius persuasionis pertinaciam exprimit interrogatio eorum: לֵאמֹר הֲלֹא יְהוָה בְּקִרְבֵּנוּ *dicendo: nonne est Jova in medio nostri?* Nonne apud nos sedem suam, templum, habet, quod non patictur exscindi? Ac proinde non est, quod metuamus: לֹא־תָבוֹא עָלֵינוּ רָעָה *non veniet super nos malum*, quod minantur Michas, Jesajas, aliique eis similes prophetae. Fiduciam templi Judaeos securos fecisse, videmus quoque ex Jer. 7, 4. *nolite falsis rebus confidere*, *dicentes: Jovae templum! Jovae templum!* In ejusmodi prophetas, qui fausta omnia populo promitterent, negarentque supervcntura ei mala, quae minabantur Jovae prophetae, invehitur quoque Jeremias 5, 12. sqq. 23, 17.

12. לָכֵן בִּגְלַלְכֶם צִיּוֹן שָׂדֶה תֵּחָרֵשׁ *Quare propter vos*, judices, sacerdotes et prophetae, *Zion ager arabitur*, ita evertetur, ut vix ullum civitatis restet vestigium, quando pars in arva, pars in rudera, pars in sylvam abibit. Cf. supra 1, 6. — וִירוּשָׁלַם עִיִּין תִּהְיֶה *Et Hierosolyma acervi erit*, redigetur destructione in acervos lapidum. Ita et Jer. 9, 10. *redigam Hierosolymam in acervos lapidum.* וְהַר הַבַּיִת לְבָמוֹת יָעַר *Et mons domus* scil. Jovae (ut 4, 1.), i. e. templi (cf. not. ad Jes. 2, 2.), erit *in excelsa sylvae.* Talis erit, quales montes in sylvis esse solent, arboribus, feris et virgultis obsitus. Referuntur haec ipsa prophetae nostri verba, et quidem sub ejus nomine, a Jeremia 26, 18.

CAP. IV.

Argumentum.

Aevi aurei felicitatem describit, quo Jovae fanum cetera omnia sanctitate et celebritate superabit, quippe ex quo divina institutio inter omnes exibit populos (Vs. 1. 2.). Altissima per orbem regnabit tranquillitas solo Jova imperante (Vs. 3. 4. 5.). Dispersae in exteris terris reliquiae Israeliticae in patriam tellurem exibunt, in potentem evasurae populum, qui subactis hostibus eorum opes ac divitias Jovae sacrabit (Vs. 6—14.).

1. 2. 3. Quum (3, 12.) *Zioni, urbi Hierosolymitanae* atque *monti templi* excidium propter peccata populi ac procerum inprimis fuisset comminatus, jam in solatium piorum iisdem illis locis bene ominatur; diserte enim nominat *montem domus Domini* Vs. 1. 2., atque *Zionem* et *Hierosolymam* Vs. 2. Ceterum hi tres priores Versus leguntur Jes. 2, 2. 3. 4., ad quem locum de iis satis est disputatum, unde lectores illuc amandamus. A loco Jesajano noster discrepat solo in eo, quod post verba וְהוֹכִיחַ לְגוֹיִם עֲצֻמִים, quae apud Micham Vs. 3. leguntur, in eodem additur עַד־רָחוֹק, quod in Jesaja deest. Potest haec dictio ad *locum* vel ad *tempus* referri. De *tempore* dicitur 2 Sam. 7, 19., ubi Davides, accepto a Deo promisso de throno suo stabili permansuro in aeternum, in haec verba erumpit: *Parum tibi fuit me hucusque adduxisse, nisi etiam servi tui domui prospiceres* לְמֵרָחוֹק *in tempus longinquum.* Et de *tempore* quidem nostrum עַד־רָחוֹק cepit Chaldaeus: *arguet reges fortes usque in seculum*, i. e. perpetuo potentibus praesidebit. Atque tamen sensus erit quoque, si de *locis longinquis* accipias, in quae regnum suum Messias sit protensurus. Et promittit Jova Ps. 2, 8. se Messiae *orbis fines* in possessionem daturum.

4. וְיָשְׁבוּ אִישׁ תַּחַת גַּפְנוֹ וְתַחַת תְּאֵנָתוֹ *Et habitabunt* scil. secure (quae vis est verbi etiam nude positi, et infra 5, 3.)

quisque sub vite sua et sub ficu sua, quibus ipsis verbis I Reg. 5, 3. describitur felicissima illa tranquillitas, qua populus fruebatur sub florentissimo Salomonis regno. Loquutio adagialis aliquid habet. Sensus est: vites ficusque secure colent, nullis hostium invasionibus inquietandi, id quod saepius inter aurei seculi bona memoratur, ut Jes. 32, 18. *habitabit populus meus in mansione pacata, sedibusque tutis et stationibus quietis.* Zach. 3, 10. *illa die vocabitis alius alium subter vitem, subterque ficum.* וְאֵין מַחֲרִיד *Et non erit qui terreat*, ut Levit. 26, 6. Jova piis suis cultoribus promittit. Quum vero quae hic propheta promittit hominibus sui temporis incredibile videri deberet, confirmat ea Jovae auctoritate: כִּי־פִי וגו׳ *nam os Jovae, agminum* Dei, *loquutus est.* Ea formula solent prophetae ad confirmanda sua effata saepius uti, vid. e. c. Jes. 1, 20. 40, 5. 58, 14. Ceterum יְהוָה צְבָאוֹת ponitur pro יְהוָה אֱלֹהֵי צְבָאוֹת, quod plene exstat Hos. 12, 6., cf. not. ad Jes. 1, 9.

5. כִּי כָל־הָעַמִּים וגו׳ *Nam omnes populi ambulant in nomine Dei sui, nos vero ambulamus in nomine Jovae, Dei nostri, in perpetuum et aeternum*, i. e. quum Jova vobis spem faciat tam praeclarae restitutionis, oportet vos bono animo stare, et hac promissione fretos pergere in vero ejus cultu, utcunque aliae gentes suis diis serviant, et in suis superstitionibus superbiant. Quum *ambulare* Hebraeis generatim notet actionum studiorumque perpetuam rationem et cursum; *ambulare in nomine Dei alicujus* erit: res suas sub Dei alicujus praesidio et auspiciis agere, quem quis patronum suum colat, et in eo fiduciam ponere. Similis phrasis Zach. 10, 12. *roborabo eos per Jovam incedentque in nomine suo.*

6. בַּיּוֹם הַהוּא *Die*, tempore *illo*, aevo felicissimo, de quo Vs. 1. אֹסְפָה הַצֹּלֵעָה *Colligam claudicantem* unamquamque, i. e. Israelitas dolentes et male sese habentes. Metaphora ab ovibus itinere ac aestu solis defatigatis desumta, quam illustravimus ad Ps. 35, 15. Chaldaeus *translatos*, et Syrus *remotos* vertit. וְהַנִּדָּחָה אֲקַבְּצָה *Et dispulsam* a grege vel caula *colligam.* Idem promittit Zephania 3, 19. *Illo tempore conficiam omnes tuos oppressores, et salvabo claudicantem, et dispulsam colligam.* Eadem gregis dispersi sed a Jova congregandi imagine in promissione de reducendis e terris exteris Israelitis utitur Ezechiel 34, 15. 16. coll. Deut. 33, 4. — וַאֲשֶׁר הֲרֵעֹתִי *Et quam malo adfeceram*, quos vexaveram et variis malis adfixeram, colligam (quod repetendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ) et in patriam reducam.

7. וְשַׂמְתִּי אֶת־הַצֹּלֵעָה לִשְׁאֵרִית *Ponam*, reddam, *claudicantem in reliquias*, i. e. curabo, ne tot tantisque malis prorsus consumatur populus, sed ut reliquiae aliquae supersint, e quibus nova eaque melior progenies prodeat. וְהַנִּדָּחָה לְגוֹי עָצוּם *Et procul dispulsam* reddam *in validum* numero et potentia *popu-*

lum. Quod ipsum aevo aureo futurum promittit Jesajas 60, 22. הַנֶּהֱלָאָה forma Participii, ab הָלְאָה *ultra*, procul a natali solo translatum significat, convenit igitur cum הַנְּדָחָה Versu 6. — צִיּוֹן — וּמָלַךְ *Et regnabit Jova super eos in monte Zion*, hostibus populi Hebraei deletis, duce Jova (vid. 2, 13.), is solus regnabit, regnique sedes erit prisca illa arx domus Davidicae in monte Zion. Adhuc quidem, ubi imperium tenuerunt posteri Davidis, Jovae nomine ac mandato uncti, potuit censeri hoc ejus regnum, sed ab hominibus administratum; nunc autem Jova ipse conspicua forma conscendet solium, ita ut nemo dubitet, ipsum esse regem populi sui. Cf. Jes. 24, 23. 33, 23. Obad. Vs. 21. Zach. 14, 9. Et Daniel 7, 14. mente prospicit *senem dierum*, i. e. Messiam, cui tanta potestas, dignitas, et regnum datum, ut omnes omnium linguarum populi ac nationes eum colerent, aeterna ac immutabili potestate, imperditoque regno praeditum. מֵעַתָּה *A nunc*, quod non de tempore, quo haec praediceret prophetа, intelligendum, sed de illo, cujus mentionem Vs. 6. fecerat. Cf. not. ad Jes. 9, 6.

8. וְאַתָּה מִגְדַּל־עֵדֶר *Quod autem te attinet turrim gregis.* Interpretes sunt haud pauci, quibus *Migdal Eder* h. l. est nomen proprium viculi in vicinia Ephratae sive Bethlehemi, uti apparet ex Gen. 35, 21. Appellative *turrim gregis* sonat, forsan quod esset ad colligendos illic vel tutandos greges. Per eum locum vero figurate Bethlehemum significari putant, et per Bethlehemum stirpem regiam Davidicam, quae inde ortum habuit, ut idem h. l. dicatur, quod aliis verbis legimus infra 5, 1. Sed quum ad significandam domum regiam minus apte adhibeatur nomen turris urbi patriae progenitoris illius familiae vicinae, nec locus ille recte dici potuerit pristinum imperium recuperaturum; accedo Aben-Esrae, notanti Zionem seu Hierosolymam h. l. per metaphoram dici *turrim gregis*, quod ad illam, edito in loco sitam *grex*, i. e. populus Hebraicus, grege ovium haud raro comparatus, tanquam ad caput regni, et sedem sacrorum, confluere solebat. Additur per asyndeton: עֹפֶל בַּת־צִיּוֹן *clivus filiae Zion*, significatur mons, cui arx regia Davidica superstructa erat. Alioquin הָעֹפֶל est locus Hierosolymis, et quidem pars montis Zion orientalis, juxta quam mons Moria; memoratur Neh. 3, 26. 27. 2 Paral. 27, 3. 33, 14. De eo tamen hic non videtur cogitandum. Quod autem pro monte arcis regiae *clivi* nomen posuit, indicare voluit regnum Davidicum prorsus debilitatum et deminutum, quod tamen ita emersurum promittit, ut pristinum suum splendorem iterum nanciscatur: עָדֶיךָ תָּאתָה *ad te veniet* scil. מַמְלָכוּת *regnum*, quod ex hemistichio altero huc assumendum. עָדֶיךָ pro אֵלֶיךָ, ut Job. 4, 5. 32, 11. 12. וּבָאָה הַמֶּמְשָׁלָה הָרִאשׁוֹנָה *Et veniet dominatus pristinus*, i. e. adipisceris florentissimam illam dignitatem, qualis celebratur sub Davide et Salomone.

מַמְלֶכֶת לְבַת־יְרוּשָׁלַם *Regnum*, inquam, erit *filiae Hierosolymae*, regni totius capiti, uti sub priscis illis regibus. Hierosolyma recuperabit veterem illam dignitatem, quam perdiderat, et totus populus Israele ortus iterum in unum corpus coalescet, ne sint duo membra divisa.

9. Alloquitur velut praesens populum ab hostibus devictum, rege privatum, et in terras exteras deportatum. עַתָּה לָמָּה תָרִיעִי רֵעַ *Nunc quare vociferaris vociferando* s. *vociferatione?* quid ita misere exclamas? הֵרִיעַ, quod generatim notat *vociferari*, *clamare*, pluribus quidem locis *jubilum edere* significat, veluti Jud. 15, 14. Esr. 3, 11.; nonnumquam tamen usurpatur de *clamore luctus gravitate* et *doloris impatientia expresso*, ut Jes. 15, 4., ubi parallelo זָעַק respondet. הֲמֶלֶךְ אֵין בָּךְ *Num rex non est in te?* an quia rex tibi non est? nempe in tua gente. אִם־יוֹעֲצֵךְ אָבַד *An consiliarius tuus periit?* an quia senatores tui perierunt? est enim enallage numeri. LXX haud male: ἡ βουλή σου. כִּי־הֶחֱזִיקֵךְ חִיל כַּיּוֹלֵדָה *Quod apprehenderit te dolor sicut parturientem*, i. e. gravissimus et acerbissimus. Cf. Jes. 13, 8. Hos. 13, 13. et ad ea loca not. nec non Jer. 6, 24.

10. Ingemisce, inquit, non veto te dolere, causa justa est; sed solatium adfero. חוּלִי וָגֹחִי בַּת־צִיּוֹן כַּיּוֹלֵדָה *Parturi et enitere*, *filia Zion*, *ut parturiens*, et talis instar dole et ingemisce. Verba חוּלִי et גֹּחִי per metonymiam causae pro effectu suspiria et gemitus feminae parturientis indicant. De נוּחַ vid. not. ad Ps. 22, 10. כִּי עַתָּה תֵּצְאִי מִקִּרְיָה *Quia nunc*, mox, *exibis e civitate*, quam incolis, Hierosolyma, וְשָׁכַנְתְּ בַּשָּׂדֶה *et habitabis in agro*. Solebant veteres, quos captos ex urbe expugnata eduxerant, aliquamdiu in agro detinere sub pellibus, dum reliqua turba captorum advenisset; tum simul omnes abducebantur. וּבָאתָ עַד־בָּבֶל *Et venies* captiva abducta *usque Babyloniam*, quam regionem tanquam ultimam et extremam, quae ipsi cognita esset, Noster commemorat, quemadmodum sub idem tempus Hiskias, rex, Jesajae interroganti undenam legati venerint, quos rex Babyloniae, Merodach Baladan, ad ipsum miserat, respondet (Jes. 39, 3.): *e terra procul distante*, *e Babylonia*. Quamquam, vates inquit, in ultimas terras abduceris, שָׁם תִּנָּצֵלִי וגו׳ tamen *illic eripieris*, *illic te redimet*, s. *vindicabit*, tanquam suum peculium, *Jova e manu*, potestate *hostium tuorum*.

11. וְעַתָּה נֶאֶסְפוּ עָלַיִךְ גּוֹיִם רַבִּים *Et jam congregabunt se* quidem *contra te gentes multae*, animo penitus te exscindendi. Idem praedicit Zacharias 12, 3., quod magis exaggerat Ezechiel Capitibus 38. et 39. Cf. quae de hac veterum Hebraeorum opinione monuimus in Commentario in Ezechielem p. 464. הָאוֹמְרִים תֶּחֱנָף *Qui dicent: polluatur*, ut quae sancta quondam urbs dicta fuit, foeda in posterum et profana sit. וְתַחַז בְּצִיּוֹן עֵינֵינוּ *Et videat* cum voluptate *in Zionem oculus noster uterque*,

pollutam laeti inspiciamus. Quasi de femina loquuntur. Sensus est: illudamus gentis Judaicae miseriis. Praesagit mente populorum finitimorum de eversa Hierosolymitana urbe ἐπιχαιρεκακίαν, de qua plures prophetae, qui istis temporibus vixerunt, querunturn, ut Jeremias Thren. 1, 20. Obad. Vs. 12. 13. Ezech. C. 35. Verba *videndi* cum ב constructa significare: *aliquid cum voluptate et oblectatione intueri*, observavimus ad Ps. 22, 18. Observa ternam tribus hisce Versibus (9. 10. 11.) praemisso עַתָּה mali denuntiationem, ac ternam pariter adjunctam consolationem; atque tertia quidem illa sequitur Versu 12.

12. וְהֵמָּה לֹא יָדְעוּ מַחְשְׁבוֹת יְהוָה *Verum illi*, qui animo hostili te vastatum venient, *ignorant cogitationes Jovae* arcanas, et ab illorum cogitationibus nimium diversas tendentes ad bonum vestrum, et ad infligendum contra hostibus tuis excidii supplicium. Similiter Jeremias 29, 11. *Scio enim, quas de vobis habeam cogitationes, inquit Jova*, מַחְשְׁבוֹת שָׁלוֹם *cogitationes salutis et non ad malum* vobis inferendum, *ut exitum spemque dem vobis.* וְלֹא הֵבִינוּ עֲצָתוֹ *Nec intelligunt consilium ejus*, quod eo tendit, ut populus suus per hostes castigatus ad gratiam redeat, illi vero ob truculentiam suam male pereant. כִּי קִבְּצָם כָּעֳמִיר גֹּרְנָה *Nam colliget eos* Jova *sicut manipulum ad aream*, sicut manipuli resectae messis ad aream convehuntur, ut ibi triturentur, sic et populi Hebraici hostes justo tempore frangentur atque conterentur. Cf. Jer. 51, 33. Jes. 21, 10.

13. קוּמִי וָדוֹשִׁי בַת־צִיּוֹן *Surge!* agedum *et tritura filia Zion!* Tralatio a bobus frumentum in area triturantibus, de quo more vid. not. ad Deut. 26, 4. et quos ibi laudavimus. כִּי קַרְנֵךְ אָשִׂים בַּרְזֶל *Nam cornu tuum faciam ferrum*, ferreum, quo feries hostes. Quum Judaicus populus bovi trituranti comparetur, apte illi non solum ungulae, verum et cornua tribuuntur. Quo pertinet, quod 1 Reg. 22, 11. pseudovates Zedekias narratur sibi *cornua ferrea* fecisse, quibus Josaphato, regi Israelis, promitteret, se arietaturum esse in Syros ad eorum internecionem. וּפַרְסֹתַיִךְ אָשִׂים נְחוּשָׁה *Et ungulas tuas reddam aes*, aeneas. נְחוּשָׁה h. l. est substantivum, ut Jes. 45, 2. *diffringam* דַּלְתוֹת נְחוּשָׁה *portas aeris*, aeneas. Vid. et Job 40, 18. — וְהָדַקְתְּ עַמִּים רַבִּים *Et comminues*, velut paleam, extrito frumento, *populos multos.* Cf. Jes. 41, 15. — וְהַחֲרַמְתִּי וגו׳ *Et devovebo* mihi *Jovae quaestum illorum, atque opes eorum* mihi *domino universae terrae.* הַחֲרִים est *Deo consecrare et totum addicere*, synonymum quodammodo cum הַקְדִּישׁ, sed multo fortius; ager enim, quem quis voto sacraverat, redimi poterat anno Jobilaeo, *devotum* vero (חֵרֶם) redimere non dabatur, vid. Levit. 27, 14. sqq. et 28. Ante לַיהוָה subaud. לִי, praecedunt enim verba Jovae loquentis in prima persona: vel nomen ponitur pro pronomine primae personae, ut Deus de se in tertia persona loquatur, cujus-

modi subitae personarum permutationes apud poetas Hebraeos frequentes occurrunt. Cum eo, quod hic Michas pollicetur, convenit Jes. 23, 18. Hausta talia inde, quod nonnumquam ex urbibus per חֵרֶם devotis aurum, argentum, aes et ferrum in thesaurum Jovae inferebatur, vid. Jos. 6, 24. In aliis bellis aliquando etiam praecipua praedae pars a ducibus Deo offerebatur, exempla vid. Num. 31, 50. 2 Sam. 8, 11. 12.

14. Sequitur *quarta*, praemisso עַתָּה, mali denuntiatio (vid. ad Vs 11.), cui 5, 1. seqq. itidem consolatio subjungitur. עַתָּה תִּתְגֹּדְדִי *Jam turmatim coi* (cf. Jerem. 5, 7. *ad lupanar* יִתְגֹּדָדוּ *turmatim congregantur*), collectis copiis irrue; hosten alloquitur, quem compellat בַּת־גְּדוּד *filia turmae*, i. e. turmatim grassari solita. גְּדוּד dicitur de expeditione turmae militum al praedandum 2 Sam. 3, 22. *venerunt Davidis servi cum Joabo*, מֵהַגְּדוּד *ab incursione, et multum praedae secum duxerunt.* נָצוֹר שָׂם עָלֵינוּ *Obsidionem ponit* hostis *contra nos*, transit a secunda persona ad tertiam. מָצוֹר *coarctatio*, hinc *apparatus ad urbem obsidendam*, turres, machinae, vallum, ut Deut. 20, 20. *et aedificabis* מָצוֹר *obsidionem contra urbem, quam debellatis.* Vil. et Ezech. 4, 7. Prima Pluralis persona utitur (עָלֵינוּ), quod civis Hierosolymitanos, quibus se ipsum adsociat, loquentes induct. בַּשֵּׁבֶט וגו׳ *Virga percutient super maxillam judicem Israels*, i. e. indignissimis modis tractabunt ipsum regem Israelis, vel, nomine שֹׁפֵט cum Chaldaeo collective sumto, *judices*, magistratus, proceres *Israelis;* cf. ad Hos. 13, 10. *Percutere aliquem in maxillam* est ignominiose et cum quodam singulari contentu aliquem laedere, veluti vile mancipium, aut alioqui imbelem hominem indignumque in quem gladium stringas, ut etiam vulgo talis laesio accipi solet. Sic pseudopropheta Zedekias contumeliose percutit verum prophetam, Micham, Jemlae filium, 1 Reg. 22, 24. Et Jobus 16, 10. queritur, adversarios suos cum opprobrio percutere maxillam suam. Vid. et Ps. 3, 8. Marc. 14, 65. Joh. 19, 3.

CAP. V.

Argumentum.

Promittit e Bethlehemo oriundum servatorem divinum, qui populum afflictum et laborantem ab hostium vexationibus ac oppressione sit vindicaturus (Vs. 1 — 5.), illumque talem redditurus, qui alias quidem gentes beet, alias vero sibi adversarias perdat (Vs. 6. 7. 8), quibus exoptatissimis tempo ibus praesidia omnia inania et nefanda, quibus olim confisus erat populus, auferantur (Vs. 9 — 14.).

1. וְאַתָּה *Tu vero*, opposita sunt quae jam sequuntur iis quae sub finem Capitis superioris denuntiata sunt malis, quasi dicat: quamvis urbs Hierosolymitana expugnetur, ipseque rex indignissime tractetur; tamen non desperandum est fidis Jovae cultoribus; liberatorem enim ac dominatorem populo Hebraico Bethlehema suo tempore dabit, quem herois divini locum natalem poetice compellat: בֵּית־לֶחֶם *Bethlehem*, in tribu Judae, patria urbs Isaei exortaeque ab illo familiae Davidicae, 1 Sam. 17, 12. Illa urbs dicebatur quoque אֶפְרָתָה, ut diserte dicitur Gen. 35, 19. 48, 7. 1 Paral. 4, 4., unde 1 Sam. 17, 12. David dicitur filius viri אֶפְרָתִי *Ephratensis*, מִבֵּית לֶחֶם יְהוּדָה. Addit vero Noster illud synonymum evitandae ambiguitatis causa, erat enim et alia Bethlehem in sorte tribu Sebulon, inter cujus urbes memoratur Jos. 19, 15. — צָעִיר לִהְיוֹת בְּאַלְפֵי יְהוּדָה *parva* quidem nimis es *ut sis inter chiliadas Judae*, i. e. videris quidem parva adeo urbs, ut praefectum mille hominum creare non possis. Populus Hebraicus in suas distributus erat *chiliadas* (sic Jud. 6, 15. Gideon ait: *mea chilias tenuissima est inter Menassitas*, quarum singulis singuli praeerant duces, שָׂרֵי אֲלָפִים *principes chiliadum* dicti. Exod. 18, 21., et רָאשֵׁי אַלְפֵי יִשְׂרָאֵל *capita chiliadum Israelis* Num. 1, 16., unde Matthaeus, qui 2, 6. nostrum locum laudat, dicit: *ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα*, intelligendo nimirum principes cum suis chiliadibus. Masculinum צָעִיר, uti et suffixum masculinum in מִמְּךָ, respicit terminationem nominis בֵּית־לֶחֶם, quum alioquin, ut nomen proprium civitatis, significatione sua sit femininum; cf. not. Ezech. 22, 4. Hos. 10, 4. Matthaeus verba nostra sic refert: *Καὶ σὺ Βηθλεὲμ γὴ Ἰούδα οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα.* Unum tamen idemque dicunt tum Michas, tum Matthaeus, licet pugnantibus in speciem verbis. Nam quum Michas dicit, Bethlehem esse nimis parvam, ut censeatur *ἐν χιλιάσιν Ἰούδα*, respicit ad urbis illius statum humilem atque contemtum, qualis fuit tempore prophetae [*κώμη*, *vicus*, vocatur et ab Johanne, evangelista, 7, 42.], eamque de abjecto illo statu consolatur et evehit promissione gloriosa orituri ex ea Messiae. Matthaeus vero quum negat, Bethlehem esse minimam in illis *ἡγεμόσι*, respicit ad Christi nativitatem, qua condecoranda erat et illustranda illa urbs. Dicit igitur vates noster: etsi tu, Bethlehem, parvum sis oppidum, et vix dignum, quod chiliadibus Judae adnumeretur, nihilominus tamen, non obstante tua tenuitate, מִמְּךָ לִי יֵצֵא לִהְיוֹת מוֹשֵׁל בְּיִשְׂרָאֵל *ex te mihi egredietur* aliquis *ut* s. *qui sit dominator in Israele.* לִי *mihi*, i. e. meo bono, inquit propheta, nomine totius populi sui, ut supra 4, 14. עָלֵינוּ *contra nos*, vid. ibid. not. יֵצֵא *egredietur*, i. e. nascetur, ut Gen. 17, 6. *reges ex te* יֵצְאוּ *nascentur.* Vid. et 25, 25. et Jes. 11, 1. Post יצא Chaldaeus interpres recte *Messias* posuit. לִהְיוֹת *ut sit*, finem notat, ut *ἵνα* apud Graecos. Idem, quod hic Michas, de Messia praedicit Zacharias (qui eum

צֶמַח, *germen*, vocat) 6, 13. — וּמוֹצָאֹתָיו מִקֶּדֶם *Et egressus*, origines *ejus ab olim*, i. e. originem trahet a domo illustri antiquitus. Chaldaeus: *cujus nomen dictum est ab aeternitate.* מִימֵי עוֹלָם Imo *a diebus aeternitatis*, i. e. priusquam natus fuerit, jam ab aeterno exstitit. Indicatur Messiae divina origo atque natura, qui et ab Jesaja 9, 6. אֲבִי־עַד *pater aeternitatis*, i. e. *aeternus* vocatur. Alii simpliciter hoc dici putant: originem trahit a domo regia Davidica, illustri antiquitus.

2. לָכֵן *Propterea* igitur, quia hoc consilium Dei, populum Judaicum propter peccata prius castigare, ac tum demum per Messiam, Bethlehemae nasciturum, liberare, coll. Vs. 1. cum 4, 14. et iis quae antecedunt. יִתְּנֵם *Tradet* quidem *eos* Jova hostibus affligendos vexandosque. עַד־עֵת יוֹלֵדָה יָלָדָה *Usque ad tempus pariturae*, seu quo *quae paritura est* Bethlehemae *pepererit* divinum illum heroem (Vs. 1.), qui populum ab hostibus liberabit. *Virginem* innuit, e qua modo prodigioso Messiam nasciturum sperabant istius aetatis homines; cf. not. ad Jes. 7, 14. Aenigmatice, more prophetico, sonant verba: *donec quae paritura est pepererit*. Tum vero וְיֶתֶר וגו׳ *et residuum fratrum ejus redibunt ad filios Israel*, i. e. qui reliqui fuerint dispersi in terris exteris Hebraei, redibunt in patriam, atque suis popularibus, sub rege Messia tranquille et pacate ibi degentibus, sese adsociabunt. Suffixum in אֶחָיו non dubium esse potest, ad divinum illum heroa referendum esse, qui Vs. 1. Bethlehemae nasciturus praedicitur. *Residuo* vero *fratrum ejus* significantur Hebraei in exteris terris dispersi, id quod clarissime illud ostendit, quod de eis dicitur, ipsos *redituros esse* (יָשׁוּבוּן) *ad Israelitas*, eos puta, qui in terra Cananaca degunt. עַל pro אֶל, ut 2 Sam. 15, 4. וְעָלַי יָבוֹא *ut ad me veniat omnis homo, cui lis et causa.* 2 Reg. 25, 20. *et deduxit eos* עַל־מֶלֶךְ *ad regem Babelis Riblam.* Simile ei quod hic legitur promissum Jes. 35, 10.

3. וְעָמַד וְרָעָה בְּעֹז יְהוָה *Et stabit et pascet in fortitudine Jovae*, non humana sed divina virtute perpetuo gubernabit Messias Hebraeos, in unius populi corpus coalitos. *Stabit et pascet*, i. e. permanebit pascens, nam *stare* est *permanere*, ut Gen. 45, 2. וְלֹא־עָמַד *nec stetit*, mansit, *cum eo quisquam.* Levit. 13, 5. *plaga* עָמַד בְּעֵינָיו *mansit in sua specie.* Alii: *surget et pascet*, ut Jes. 41, 5. וְעָמְדוּ *surgent alieni et pascent oves vestras.* ורעה *et pascet*, i. e. reget, gubernabit, vid. not. ad Ezech. 34, 2. Et ibid. Vs. 23. seqq. Messias boni pastoris imagine sistitur. Subaudiendum est e fine Vs. 2. בני ישראל, *Israelitas.* בִּגְאוֹן שֵׁם יְהוָה אֱלֹהָיו *In excellentia*, majestate, *Jovae*, *Dei sui*, majestate divina praeditus. שֵׁם יְהוָה *Nomen Jovae*, pro *ipso Jova* frequens Hebraeis, ut Ps. 5, 12. *exsultant in te* אֹהֲבֵי שְׁמֶךָ *diligentes nomen tuum*, i. e. te. Prov. 18, 10. *turris fortis* שֵׁם יְהוָה est *nomen Jovae*, Jova. וְיָשָׁבוּ *Et habi-*

tabunt, reversi secure, *quisque subter vitem suam et subter ficum suam*, ut supra 4, 4. dixerat. Cf. Ezech. 28, 25. 26. — כִּי־עַתָּה וגו׳ *Nam nunc magnus, potens erit usque ad terminos terrae*, rationem reddit, cur secure habitaturi sint, ob amplitudinem regni Messiae. Quandoquidem enim universa terra eum ut dominum reverebitur, universos quoque auctoritate continebit, et compescet potentia, ut populum sibi peculiarem nemo cum successu infestaturus sit עַתָּה *nunc*, illico postquam reversi fuerint, cf. not. ad 4, 10. Messiae universus orbis terrarum (אַפְסֵי־אָרֶץ ut h. l.) possidendus promittitur et Ps. 2, 8.

4. וְהָיָה זֶה שָׁלוֹם *Eritque tunc pax*, tranquillitas et securitas ab hostibus. Status hic temporum florentissimus ac felicissimus erit. זֶה h. l. est temporis nota, subaudito עֵת *tempus*, sive עַתָּה. Ita 1 Reg. 18, 24. זֶה יָדַעְתִּי *nunc scio, te esse virum divinum.* Sunt, qui Kimchium sequuti vertant: *eritque hic*, Messias, *pax*, i. e. pacis auctor, qui pacem nobis ab hostibus praestabit, tuebitur nos, si nos hostis invaserit; coll. Ephes. 2, 14. *αὐτὸς γάρ ἐστιν ἡ εἰρήνη ἡμῶν.* Et Zach. 9, 10. dicitur de Messia: *loquetur pacem gentibus.* אַשּׁוּר כִּי־יָבוֹא בְּאַרְצֵנוּ *Assyrius cum veniet*, i. e. cum venire voluerit, *in terram nostram*, a quo potentissimo hoste Hebraei tunc temporis reipublicae suae interitum timuere, cf. Jes. 8, 7. 8. — וְכִי יִדְרֹךְ בְּאַרְמְנוֹתֵינוּ *Et cum calcaverit in palatiis nostris*, si palatia nostra pervaserit, s. pervadere volucrit. וַהֲקֵמֹנוּ וגו׳ *Tum constituemus adversus eum septem pastores et octo principes hominum*, i. e. opponemus illi duces quamplurimos, synecdoche numeri certi pro incerto, et quidem majori, ut Cohel. 11, 2. *da portionem septem* indigentibus, *imo etiam octonis.* Alia ejusmodi numerorum synecdoches exempla vid. not. ad Amos 1, 3. Usurpant etiam *semper* simpliciter pro *multis*, ut Jes. 4, 1. *apprehendent septem*, i. e. plures *mulieres virum unum* רֹעִים *Pastores*, i. e. principes, cf. Vs. 3., et Jer. 23, 4., ubi Jova pollicetur, se reductis e terris exteris Israelitis praepositurum *pastores*, i. e. principes alios melioresque, quam priores (quos Vs. 1. compellaverat, qui eos pascant. Chaldaeus nostro loco *reges* posuit. Significantur autem pastores vel duces non soli, sed cum suis gregibus vel copiis, quemadmodum Jer. 6, 3. de hostibus Hierosolymam oppugnantibus dicitur: *Ad eam venient* רֹעִים וְעֶדְרֵיהֶם *pastores et greges eorum*, i. e. duces hostiles cum suis copiis. נְסִיכֵי אָדָם *Unctos hominum*, i. e. principes hominibus vulgaribus praepositos, principes populi. Ita Jos. 13, 21. נְסִיכֵי סִיחוֹן sunt *principes Sihonis*, et Ezech. 32, 30. נְסִיכֵי צָפוֹן *principes septentrionis.* Sensus nostri loci haud obscurus esse potest: cum res Hebraeorum in summo videntur esse discrimine, hostesque jam adsunt, opponemus eis copias multas, quas duces fortissimi educent.

5. וְרָעוּ אֶת־אֶרֶץ אַשּׁוּר בַּחָרֶב *Et pascent* pastores s. duces Vs. 4. memorati, *terram Assur* non pastorali pedo, sed *gladio*,

i. e. non solum hostes e patria tellure expellent, verum et in hostilem regionem impressione facta eam depopulabuntur. Id enim est *gladio depascere*, *ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ ποιμαίνειν*, Apoc. 2, 27. 12, 5. 19, 15. Sunt, qui רָעָה h. l. vertant *conferent*, quasi referendum sit ad רָעַע, quod ex Aramaismo idem cum רָצַץ *confringere*, cf. not. ad Ps. 2, 9. Verum *pastorum* mentio Vs. 4. suadet, nostrum רָעוּ ad רָעָה referre. Est autem tralatio desumta a pecoribus herbam depascendo consumentibus et vastantibus. Eadem similitudo Jer. 6, 3. *venient ad eam* (Zionem) *pastores cum gregibus, et ad eam per circuitum figent sua tabernacula,* רָעָה אִישׁ אֶת־יָדוֹ *et suum quisque spatium pascet.* וְאֶת־אֶרֶץ נִמְרוֹד בְּפִתְחֶיהָ *Et terram Nimrod* depascent pastores s. principes illi suis cum copiis *intra portas ipsius.* ארץ נמרוד est vel *Babylonia*, in qua regnum Nimrodus inchoavit, uti dicitur Gen. 10, 10., vel, per epexegesin praecedentis, ipsa potius *Assyria*, in qua idem ille, prolato dominio, postea regnavit, coll. ibid. Vs. 11. 12. בְּפִתְחֶיהָ Aben-Esra et Kimchi interpretantur *strictis suis*, scil. חַרְבוֹת *ensibus*, quemadmodum Ps. 55, 22. פְּתִחוֹת *stricti* enses sunt, vid. not. ad eum loc. Quod tamen duplici de causa admitti non potest. Primo, quod חֶרֶב *ensis* feminei generis nomen est, nostra vox vero in masculino posita; tum, quod suffixum, illa interpretatione adscita, masculinum esse deberet, quippe ad רעים et נסיכי אדם (Vs. 4.) referendum, ut igitur בְּפִתְחוֹתֵיהֶם scribendum fuisset. Verum suffixum femininum in בְּפִתְחֶיהָ manifeste respicit nomen אֶרֶץ, quod proxime praecedit. פִּתְחֶיהָ autem sunt *portae ejus*, Jes. 3, 26. Recte igitur Symmachus et Theodotion verterunt: *ἐντὸς πυλῶν αὐτῆς.* Sensus est: sedem belli praestantissimi illi duces ex nostra in hostium terram devolvent, ut quum Assyrii nos bello oppetierint in terra nostra, ipsi contra in suis finibus debellentur. וְהַצִּיל מֵאַשּׁוּר כִּי־יָבוֹא בְאַרְצֵנוּ *Et* sic *eripiet*, liberabit nos Messias *ab Assyrio, si venturus sit in terram nostram*, vid. Vs. 4.

6. In iis, quae jam sequuntur, duo promittit vates de futuro statu populi Hebraei: primum, fore, ut Deus eum tueatur sine opera et adminiculo hominum, deinde, ipsum etiam vires suppeditaturum, ut superior futurus sit cunctis hostibus. Priore loco ut ostendat conservationem populi pendere a mera Dei gratia, neque opus habere terrenis subsidiis, utitur pulchra similitudine: dicit enim, populum Hebraeum similem fore prato roscido. וְהָיָה שְׁאֵרִית — יְהוָה *Eritque residuum Jacobi inter populos multos sicut ros a Jova*, quae verba non sunt ita capienda, quasi populus Hebraeus cum rore imbreque comparetur; sed hoc dicit vates: Jova populum suum florentem reddet, quemadmodum augescit herba, quae tantum coelesti rore viget, nulla cultura nulloque hominum labore accedente. Quia vero supra (3, 12. 4, 9. 10. 11.) universam rempublicam Hebraicam subvertendam

populumque deportandum in terras longe dissitas minatus fuerat, jam non pronuntiat totum populum fore incolumem, sed שְׁאֵרִית יַעֲקֹב *residuum Jacobi* tantum, in illo exitio servandum, et e regionibus exteris in solum natale reducendum, 2, 12. 4, 7. Utcunque igitur, dicit, populus fere totus pereat, erit tamen aliquid residuum בְּקֶרֶב עַמִּים רַבִּים *inter populos multos et magnos*. Subest antithesis inter *reliquias* et *populos multos* validosque, q. d. etiamsi populus Jacobo ortus non praevaleat multitudine, imo tanta sit hostium multitudo, sub qua possit videri obrutus; Deus tamen faciet, ut augeseat et propagetur כְּטַל מֵאֵת יְהוָה *sicut ros a Jova*, i. e. sicut herba, quae alitur coelesti rore, ut diximus. Cf. Hos. 14, 6., ubi Deus promittit, *se Israeli fore sicut ros*. Poterat simpliciter dicere *sicut ros*, sed addit *a Jova*, ut discernat hic inter Deum et hominem, ac ostendat, solam Jovae virtutem sufficere ad fovendum populi sui statum, etiamsi nihil adjumenti homines afferant. Quod clarius exprimitur reliqua Versus parte: כִּרְבִיבִים וגו׳ *sicut guttae* imbris *super herbam*, *quae non exspectat virum*, quae alibunde, nisi a Deo et ex coelis rigari nequit, *nec sperat in filios hominis*, nihil exspectat de humana cultura.

7. Non solum tuebitur Deus atque fovebit populum suum, verum eum et instruet virtute invicta et inexpugnabili, ut superior sit cunctis hostibus. צֹאן — וְהָיָה *Eritque residuum Jacobi inter gentes*, *in medio populorum multorum sicut leo inter bestias sylvestres et sicut leunculus inter greges ovium*, sicut leo robustus praevalet animalibus reliquis, et leunculus ferociter audet greges ovium invadere, quarum nulla stragem edenti resistere potest, ita Israelitae terrorem incutient hostibus suis, imo rapient et eos dissipabunt, sic ut nemo audeat se opponere. אֲשֶׁר אִם־עָבַר וגו׳ *Qui*, leo juvenis, *cum transit*, pervadit greges ovium, *tum proculcat* oves pedibus, *et discerpit*, *nec est*, *qui eripiat*, qui praedam ei eriperc possit. Eadem ad Judaici populi robur et potentiam describendam similitudine utitur Bileamus Num. 23, 24.

8. Quod Versu superiore per similitudinem expresserat, jam propriis verbis declarat, apostrophe ad populum Israeliticum directa, cui victoriam promittit adversus inimicos. תָּרֹם יָדְךָ וגו׳ *Exaltabitur manus tua super hostes tuos*, superior iis redderis ut victor, *omnes hostes tui exscindentur*. Quod ipsum promittit alius vates Jes. 60, 12.

9. Omnia in quibus fiduciam ponere solerent Israelitae, se ademturum eis esse dicit Jova, cum ut sciant, eorum salutem a se solo pendere, nec alii, quam ipsi, victoriam adscribant, tum quod omnia pacata futura sint, ita ut munimentis ceteroque bellico apparatu opus amplius non sit. וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא *Fiet autem illo die*, illis, de quibus inde a Vs. 1. loquutus est, Messiae

temporibus. נְאֻם־יְהוָה *Effatum Jovae*, qui quae promittit certo praestabit, cf. 4, 4. וְהִכְרַתִּי סוּסַיִךְ מִקִּרְבֵּךְ *Exscindam equos tuos e medio tui*, de quorum magno in regno Judaico numero, quum lege Deut. 17, 16. prohibitus esset, queritur et Jesajas 2, 7. וְהַאֲבַדְתִּי מַרְכְּבֹתָיִךְ *Et perdam currus tuos* bellicos. Quod seculo aureo futurum praedicit quoque Zacharias 9, 10.

10. וְהִכְרַתִּי עָרֵי אַרְצֵךְ *Et exscindam urbes terrae tuae*, scil. munitas, ut alterum hemistichium epexegetice declarat. Habitabit populus Hebraeus in pagis, sine vectibus et muris, tutus nihilominus contra hostium molimina futurus. Significat altam et diuturnam pacem, cujus tempore negliguntur moenia, et paulatim collabescunt. וְהָרַסְתִּי כָּל־מִבְצָרֶיךָ *Diruamque*, solo aequabo, *omnia munimenta tua*, quibus amplius non egebis.

11. Alia commemorat, in quibus fiduciam posuerant, artes superstitiosas. וְהִכְרַתִּי כְּשָׁפִים מִיָּדֵךְ *Exscindamque incantamenta e manu tua*, i. e. non amplius iis uteris, nec uti aliis permittes. כשפים, quod proprie *preces* significarit, in V. T. libris in malam partem de *incantamentis artibusque magicis* (vid. c. c. 2 Reg. 9, 22. Nah. 3, 4.), hic vero per synecdochen de ritu superstitioso quolibet dicitur. וּמְעוֹנְנִים לֹא יִהְיוּ־לָךְ *Et fascinatores non* amplius *tibi erunt*. De מעוננים vid. not. ad Jes. 2, 6.

12. וְהִכְרַתִּי פְּסִילֶיךְ וגו׳ *Exscindamque sculptos* deos *tuos* e ligno aut lapide, *et statuas tuas* fusas ex auro et argento *e medio tui*, faciam ut sublatis idolis me unice et sincere colas; *nec procumbes amplius ad opera manuum tuarum*, non adorabitis porro idola facta manibus artificum, qui inter vos. Eadem Messiae tempore futura praedicit Zacharias 13, 2.

13. וְנָתַשְׁתִּי אֲשֵׁרֶיךָ מִקִּרְבֶּךָ *Et diruam statuas tuas e medio tui*. De אֲשֵׁרִים vid. not. ad Jes. 17, 8. וְהִשְׁמַדְתִּי עָרֶיךָ *Et perdam urbes tuas*, ne quis locus immunis mancat a ruina, quem idololatriae sordes inquinarint. Chaldaeus vertit: *exscindam hostes tuos*. Sanc עָר est *hostis* (i. e. צָר, e permutatione literarum ע et צ Aramaeis usitata) 1 Sam. 28, 16. *Jova te deseruit et inimicus tuus factus est*. Vid. et Ps. 139, 20. et ibid. not. J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1969. collato Arab. عَرْعَرٌ *arbor perennis*, *semper virens* nostra verba vertenda vult: *arbores tuas virentes exscindam*, lucos intelligens deastris sacros.

14. וְעָשִׂיתִי בְאַף וגו׳ *Ultionem sumam iracundus et indignatione incensus de populis, qui non audiverint*, obtemperarint. Idem dicit Jova apud Ezechielem 25, 17. *sumam de eis graves ultiones irata animadversione, ut intelligant, me esse Dominum, quum de eis ultionem sumsero.* Cf. Ezech. 5, 15. Jes. 34, 2 3. Pronomen relativum אֲשֶׁר plerique interpretes referunt ad proximum nomen גּוֹיִם, ut sensus sit, ultionem sumam

de gentibus, quae non audiverint, i. c. rebelles fuerint in Jovam, ejus potentiam contumaciter spreverint. Ita et Chaldaeus: *quae non susceperunt doctrinam legis.* Potest tamen אֲשֶׁר et ad נְקָמוֹת referri: faciam vindictam in gentibus, quam non audiverunt, i. c. modo inaudito et incredibili populos ulciscar. Ex priore interpretatione indicabitur, non universalem fore vindictam, sed tantum rebellium et refractariorum. Aliis אֲשֶׁר est causale: *quod*, propterea quod non obtemperarint Jovae. Cf. Jes. 60, 12. Zach. 14, 17. sqq.

CAP. VI.

Argumentum.

Jova populum Israeliticum ad solenne judicium evocat (Vs. 1. 2.), quem commemoratis beneficiis, quae in illum olim large contulerat, stuporis et ingratitudinis coarguit (Vs. 3. 4. 5.). Deinde ostendit, quo praecipue modo offensum Dei animum placare possint (Vs. 6. 7. 8.). Tandem, quum varia commemorasset peccata, maxime quae a fraude et avaritia nascuntur (Vs. 9. 10. 11. 12.), grave denuntiat ab hoste victore et barbaro supplicium (Vs. 13—16.).

1. Ab exoptatis illis temporibus, quae Cap. 4. et 5. populares suos propheta sperare jusserat, nunc ad arguendum sui temporis statum redit. Praefatione autem utitur, ad populum directa, qua refert Jova mandatum de lite populo intendenda, ut attentius ipse audiatur, quippe causam dicturus non effictam a se, sed a Jova ipso imperatam: שִׁמְעוּ־נָא אֵת אֲשֶׁר־יְהוָה אֹמֵר *Audite! quae dicit Jova* mihi, prophetae. Ita enim vatem alloquutus est Jova: קוּם *Surge!* agedum! strenue et intrepido animo quod tibi impero exsequitor. לִיב *Litem institue*, non tuo quidem, sed meo nomine, coll. Vs. 2., ubi idcirco Jova ipse litigans inducitur. Scopus vero hujus litigationis est, ut cum benignitas Dei in exhibitis beneficiis, tam justitia in irrogandis ingrato populo poenis patescat, vid. Vs. 5 sqq. אֶת־הֶהָרִים *coram montibus*, quomodo אֵת usurpatur Gen. 5, 24. *ambulavit Chanoch* אֶת־הָאֱלֹהִים *coram Deo*, quae phrasis alias, veluti Gen. 17, 1. 24, 40. 48, 15. 2 Reg. 20, 1. הִתְהַלֵּךְ לִפְנֵי הָאֱלֹהִים sonat. Ita et Ps. 140, 14. *habitabunt recti* אֶת־פָּנֶיךָ *coram facie tua.* Sic verba *litem institue coram montibus* belle conveniunt iis quae subjiciuntur: וְתִשְׁמַעְנָה הַגְּבָעוֹת קוֹלֶךָ *et audiant colles vocem tuam.* Montes intelligit collesque terrae Judaicae, ut Ezech. 36, 1. *Tu, homo vaticinare ad montes Israelis, et dicito: montes Israelis! audite Jovae sermonem!* Advocat igitur Noster montes, ut testes sint et propheticae admonitionis, qua gens illa

rebellis ad pietatem et officium vocatur, et Judaici populi stuporis et perfidiae, quippe qui norint quidnam a Dei benignitate in populum illum beneficiorum manarit, ac quomodo a populo vecorde et ingrato pro gratiarum actione et obsequio debito relata sit injuria.

2. Jam propheta incipit quod ipsi mandatum erat exsequi. שִׁמְעוּ הָרִים אֶת־רִיב יְהוָה *Audite, montes, litem Jovae!* Ut hic montes testes evocantur, sic alias terra, ut supra 1, 2. et insuper coelum Jes. 1, 2. Deut. 32, 1., et certus lapis Jos. 24, 27. Innuit Noster, rebus inanimatis plus esse mentis et officii, quam Judaeorum genti. De dictionis ריב יהוה sensu vid. not. ad Hos. 4, 1. וְהָאֵתָנִים מוֹסְדֵי אָרֶץ *Et o fortes* petrae, *fundamenta terrae!* אֵתָנִים propr. *stabiles*, *fortes* (cf. Gen. 49, 24.) h. l. designant *petras*. Hinc Jer. 49, 19. נְוֵה אֵיתָן est *habitatio petrae*. Chaldaeus *radices* posuit. מוֹסְדֵי אָרֶץ *fundamenta terrae* sunt *montes* firmiter atque immoti consistentes. Cf. Ps. 104, 5. *fundavit terram super bases suas, ut nullo commoveatur aevo.* Causam addit postulatae attentionis: כִּי רִיב לַיהוָה וגו׳ *nam lis*, contentio, est *Jovae cum populo suo, et cum Israele disceptabit*, quasi in foro, sicut facere solet, qui alterum, a quo laesus est, in jus ducit, suasque contra eum querimonias exponit. Forma *Hithpael* יִתְוַכַּח hic non tam reciprocam, quam *mutuam* actionem significat, ut 2 Reg. 14, 8. 11. נִתְרָאֶה *videamus nos invicem*, et מִתְחַשִּׁים *mussitantes invicem*, 2 Sam. 12, 19.

3. Nunc se Deus hominum judicio judicandum summittit, et rogat, an aliquid habeant, quod in ipsius natura et moribus accusandum putent. Blando vero alloquio utitur: עַמִּי *populo mi*, quo et in pudorem dat homines ingratos, dum isto nomine beneficiorum in Israelitas collatorum summam animis illorum insinuat, et culpam eorum auget. Nam quo humanius et quo majore indulgentia cum homine ingrato agis, eo gravius fit ejus crimen. מַה־עָשִׂיתִי לָךְ *Quid feci tibi?* quidnam habes, in quo me accuses? וּמָה הָלְאֵתִיךָ *Et quid molestus tibi fui?* quod me tam turpiter deseruerís, atque tam graviter offenderis? Simili modo cum populo suo disceptaturus inducitur Jova Jes. 43, 26. *disputemus una; expone quae ad tui defensionem faciant.* Cf. Jer. 2, 5. 6. 9. 13. — עֲנֵה בִי *Responde contra mo*, responde, si quid contra me habes. Ita 1 Sam. 12, 3. עֲנוּ בִי *respondete*, testemini *contra me coram Jova, eccui bovem aut asinum eripuerim?* Recte Chaldaeus et Syrus nostro loco: *testare contra me.* Quasi dicat: adsunt testes (Vs. 2.), jam tu profer in mediam tuam causam per singula capita; ego paratus sum ad defensionem.

4. Jam autem, inquit, non immerito ex te quaero, כִּי הַעֲלִתִיךָ מֵאֶרֶץ מִצְרַיִם *quoniam eduxi te ex Aegypto*, adeoque te non solum non laesi, sed et multis contra magnisque beneficiis te ornavi, e quibus unum tantum, sed maximum adducit, quo

efficiebatur, ut Hebraei in libertatem asserti peculiaris reipublicae formam acciperent, unde magnum illud beneficium Israelitis in memoriam revocatur quoque a Jeremia 2, 6. et Amoso 2, 10. מִבֵּית עֲבָדִים פְּדִיתִיךָ *E domo servorum redemi te*, e pristino, in quo conclusi detenti eratis tanquam mancipia ad serviles operas praestandas; ita Aegyptus vocatur quoque Exod. 13, 3. 20, 2. Cf. Deut. 8, 8. et vid. not. ad Amos 2, 10. וָאֶשְׁלַח לְפָנֶיךָ *Misi ante te* tanquam duces, qui te ducerent. Chaldaeus addit: *tres prophetas.* אֶת־מֹשֶׁה *Mosen*, tanquam primarium legatum, quippe cui Jova dixit Exod. 3, 10. *I! mittam te ad Pharaonem. Educito populum meum, Israelitas, ex Aegypto.* Cf. Jes. 63, 11. 12. Chaldaeus addit: *ut doceret traditionem judiciorum.* אַהֲרֹן *Aaronem*, collegam et interpretem Mosis ad Pharaonem et populum, Exod. 4, 15. 16. 27. 29. Cf. Ps. 77, 2. *duxisti tanquam oves populum tuum per Mosen et Aaronem.* Chaldaeus Aaronis mentionem factam ideo putat, quod sacris praesset. Addit enim: *ut expiaret populum.* וּמִרְיָם *Et Mirjam*, s. Mariam, utriusque sororem, quae et ipsa prophetis erat, sueque sexui post transitum maris rubri sacra praeibat musica et hymno, Exod. 15, 20. Magna eam fuisse auctoritate apud populum, etiam ex Num. 12, 1. 2. colligitur, ubi Aaron et Maria contra Mosen, propter ductam ab eo Aethiopissam obloquutos esse narratur; et quum Maria lepra adfecta e castris exclusa esset, populus castra non movit ante Mariam admissam, ibid. Vs. 15. Chaldaeus: *et Mariam ut instrueret mulieres.*

5. Commemorat Jova aliqua, quae in longa peregrinatione praestiterit ab eo tempore, quo populus ex Aegypto excessit, ad illud usque, quo in Cananaeam intulit pedem. עַמִּי — מוֹאָב *Populе mi, recordare quaeso, quid consilii iniverit Balacus, rex Moab*, ut te perderet, eo quod vatem mercede conduxit, qui populo Hebraeo male precaretur (Num. 22, 2. sqq.). וּמָה־עָנָה אֹתוֹ בִּלְעָם בֶּן־בְּעוֹר *Et quid responderit ei Bileamus, Beori filius*, impeditus quippe Jovae potentia ne ita responderet, ut Balacus volebat, sed coactus potius, ut populo Hebraeo bene precaretur; vid. Num. 22, 13. 18. Quae quis in alterum precaretur, sive bona, sive mala essent, numen rata habere, vetus omnibus paene populis insita opinio erat. Sic e. e. Horatius *Epod.* 5, 38. *Diris agam vos: dira detestatio nulla expiatur victimis.* Quum igitur tam efficaces crederentur dirae, praesertim si a vate pronuntiatae essent, haud mirum, inter magna in populum Hebraeum a Jova collata beneficia illud referri, quod diras averteret, quibus populum Hebraeum Balaci jussu Bileamus devovere voluerat. Quod ipsum, ut ingens beneficium, Israelitis in memoriam revocat Josua in ultima ista concione sua, 24, 9. 10. Ante hemistichii posterioris verba priora, מִן־הַשִּׁטִּים עַד־הַגִּלְגָּל, repetendum est e superiore membro זְכֹר־נָא, et vertendum: *re-*

cordare quae *a Schittim ad Gilgalem* usque in te contulerim beneficia. *Schittim* is ipse locus erat, in quo populus gravissime in Deum peccaverat, quia deceptus eo consilio, quod Moabitarum regi praebuit Bileamus, cum feminis Moabiticis scortatus est, et illarum suasu ad impurum simulacrorum cultum traductus, Num. 25, 1. *Gilgal* vero ille locus fuit, qui transmisso Jordane primus occurrit in terra Cananaea, quo populus castra habuit, donec maxima terrae pars subacta fuisset, Jos. 4, 20. 5, 9. 10. Quum ergo in Schittim, ante ingressum in terram Cananaeam, tam gravia populus ille commisisset, dignus erat, quem Jova ad illam servitutem, et quasi pistrinum (Vs. 4.) iterum compingeret, unde anno jam ante quadragesimo evocarat. At ea fuit in suos lenitate, ut ad Gilgalem, id est, in terram promissam, perduceret, et ut prius mare rubrum aperuit, sic tunc Jordanem, quo tempore ripas aquarum incrementis impleverat, ita divisit, ut populus vestigio sicco sine difficultate transicrit, Jos. 3, 14—16. — לְמַעַן דַּעַת צִדְקוֹת יְהוָה *Ut cognosceres beneficia Jovae.* צדקות h. l. sunt *beneficia*, ut Ps. 24, 5., ad quem loc. vid. not. Sic et Dan. 9, 16. צדקות dicitur de *misericordia* Dei peccata remittente. Alii sensu judiciali capiunt, quasi dicat: recordare istorum a Jova in te collatorum beneficiorum, ut cognoscas, quam justa sit Dei causa, nec quicquam esse, quo jure cum eo expostules.

6. Jam inducit propheta populum, hoc Dei judicio justo compunctum, deliberantem secum, quo sacrificii genere, aut quo obsequio iratum sibi Deum conciliet. בַּמֶּה אֲקַדֵּם יְהוָה *Cum quo*, quo munere instructus, *veniam ante Jovam?* supplex coram eo comparebo? אִכָּף לֵאלֹהֵי מָרוֹם Num *incurvabor?* incurvabo me, adorantium ritu, *Deo excelsi?* Cf. Jes. 58, 5. מָרוֹם synonymum frequentiori שָׁמַיִם, quod ipsum proprie *alta* significat, ut Jes. 33, 5. Jova dicitur שֹׁכֵן מָרוֹם *habitans altum*, i. e. coelum. Alii אֱלֹהֵי מָרוֹם *Deus altitudinis*, i. e. altissimus, volunt esse periphrasin nominis עֶלְיוֹן, cf. not. ad Ps. 92, 9. הַאֲקַדְּמֶנּוּ בְעוֹלוֹת בַּעֲגָלִים בְּנֵי שָׁנָה *Num comparebo coram eo cum holocaustis, cum vitulis anniculis?* offeram ei holocausta, quae sint vituli anniculi? quales, ut lectissimas victimas, ad holocausta ipse requisivit Deus Levit. 9, 2. 3.

7. הֲיִרְצֶה יְהוָה בְּאַלְפֵי אֵילִים *Num delectabitur Jova millibus arietum?* an potius hostiarum placabitur multitudine? Sunt, qui haec verba non populi, sed *prophetae* interrogationem existiment, et eam quidem, quae vehementer neget, quasi diceret: sacrificiorum multitudine nequaquam delectatur: absonum foret, talia vel cogitare de Jova. Cf. not. ad Jes. 1, 11. Sed quum altero hemistichio aperte populus indicatur, plane ut Versu superiore; nec hoc hemistichium alio modo accipiendum arbitramur. Nunquid placabitur, inquiunt, nobis Deus, si arietum millia ei

offeramus? In hac vero deliberatione, quam non tam convicti, et a sua conscientia exagitati peccatores instituunt, quam a se conceptam et omnino simulatam Michas inducit, aliquid admixtum videtur irrisionis ironicae. Quasi dicat propheta, non minus stolidos esse Judaeos in adhibendo placationis genere, quam impios in deferenda religione patria et amplexanda peregrina. Aut delectetur, addit, Deus forsan בְּרִבְבוֹת נַחֲלֵי־שָׁמֶן *myriadibus torrentum olei?* oleum intelligit, quod sacrificiis farreis quotidianis affundebatur, Levit. 2, 1. 15. Hyperbole hoc loco est, ad significandam tantam olei abundantiam, quantum torrentes secum aquarum evolvunt; qualis Job. 20, 17. *torrentes mellis et lactis.* LXX: ἢ ἐν μυριάσι χιμάρων πιόνων. Pronum est conjicere, pro χιμάρων scribendum esse χειμάῤῥων, quod hebraico נַחֲלֵי respondet, ipsumque in Theodoreto legitur. At repugnat non solum vetus latina versio, e Graeco facta, et ab Hieronymo h. l. retenta: *aut in multis millibus hircorum pinguium;* verum et Arabica. In codice Alexandrino pro χιμάρων est ἀρνῶν. Videtur Graecus interpres *torrentes* seu *valles pinguedinis*, seu *pinguium* sumsisse pro stabulis pecorum, pro quibus in vallibus et pascua plena sunt, et opportuna statio. Pascua vero, stabula, et si qua sunt hujus generis, pro *gregibus* sumi difficile non est. Sic sane sumsit MARTIALIS *Epigr.* 8, 28. *Iberum stabulum* pro Beticis gregibus, quorum lana commendata maxime. הַאֶתֵּן בְּכוֹרִי פִּשְׁעִי *Num dabo primogenitum meum pro scelere meo?* recte Hieronymus vertit, nam ante פשעי est בַּעֲבוּר subaudiendum. Nisi פשעי significet λύτρον *sceleris mei*, quum, uti e proximo חטאת colligere licet, Hebraei piamenta *peccatorum* nomine appellare solerent. Ne primogenitis quidem filiis, ceteris liberis carioribus, si placatum sibi Deum illis redderc possint, se parcituros prae se ferunt. פְּרִי בִטְנִי חַטַּאת נַפְשִׁי Num dabo *fructum ventris mei*, natos meos (ut Deut. 7, 13. 28, 4. Ps. 127, 5), piaculum pro *peccato animae meae?* חטאת *victima pro peccato*, ut Levit. 4, 3. Non indecens existimabant, si Jovae devoverent liberos, quos ante deastris immolassent; vid. Ezech. 16, 21. Hos. 13, 2. et ibi not.

8. Respondet propheta ad superiores interrogationes. הִגִּיד לְךָ אָדָם מַה־טּוֹב *Indicavit tibi, o homo!* scil. Deus, *quid bonum* sit. Potest et impersonaliter verti: *indicatum tibi* est, quasi sit הֻגַּד מַגִּיד לָךְ. Non est, inquit, quod quaeratis, quid bonum sit, i. e. quid Deo gratum, et vobis prosperum ac salutare; satis enim a divinae voluntatis interpretibus, prophetis, vobis est inculcatum. וּמָה־יְהוָה — מִשְׁפָּט *Et quid Jova requirit a te, nisi judicium facere*, ut jus exerceas? quod tamen non ad judices tantum pertinet, sed latius patet, significatque tribuere cuique quod suum est, neminem laedere, sese omnibus praebere aequum et innoxium, ut Jes. 5, 7. Hos. 12, 7. וְאַהֲבַת חֶסֶד *Et amorem misericordiae,*

s. *benignitatis*, i. e. ut bene aliis faciatis, et aliorum bene merendo levetis misericordiam. Ita et Hos. 6, 6. *benignitatem* s. pietatem *requiro, non sacrificium.* וְהַצְנֵעַ לֶכֶת עִם־אֱלֹהֶיךָ *Et humiliare τὸ ambulare*, humiliter ambulare *coram Deo tuo*, i. e. ut Deo te humiliter subjicias, eique res tuas committas, et ab eo solo pendeas, atque ex praescripto ipsius vitam instituas. Verbum הַצְנֵעַ, praeter hunc locum in codice Hebraeo non obvium, Hebraeis *modestum, submissum se gerere*, valuisse, colligimus e Prov. 11, 2., ubi זָדוֹן *superbiae* opponuntur צְנוּעִים *modesti, humani.* עִם h. l. est *coram*, ut Job. 9, 2. *quomodo justificaret se homo* עִם אֵל *coram Deo?* Vid. et Ps. 78, 37. 1 Reg. 15, 14. Chaldaeus: *et sis humilis ambulando in timore Dei tui.* Idem docet Samuel 1 Sam. 15, 22. *Num placent Jovae ita hostiae et sacrificia, quam ejus dicto audientem esse? Obedientia melior est sacrificiis, et obtemperatio, adipe arietino.* Cf. et Deut. 10, 12. 13.

9. Nullum Judaeis ignorantiae praetextum esse ait prophetа, quia promiscue Deus omnes per voluntatis suae interpretes, prophetas, cos officii commonefaciat. קוֹל יְהוָה לָעִיר יִקְרָא *Vox Jovae urbi adclamat.* Non susurrat Deus in aurem unius aut alterius, sed vult audiri ab omnibus vocem suam. Chaldaeus: *prophetae Jovae voce urbem inclamant.* לָעִיר τῇ πόλει, sive πρὸς τὴν πόλιν. Articulo (est enim contracte pro לְהָעִיר) vel innuitur Hierosolyma, quae κατ' ἐξοχὴν *civitas* dicebatur, quemadmodum Roma *urbs*, vel Samaria, quae regni Israelitici caput erat. Quidquid autem metropoli dicitur, ad ceteras quoque urbes pertinere merito creditur. Sunt, qui לָעִיר pro Infinitivo Hiphil verbi עוּר habeant, ut sensus sit: clamat Deus *ad excitandum* eos, qui somno vitiorum oppressi ac sopiti tenentur, ad poenitentiam. וְתוּשִׁיָּה יִרְאֶה שְׁמֶךָ *Et sapiens videt nomen tuum*, i. e. te curat. Clamant quidem, inquit, prophetae, at soli sapientes, et qui cordatiores sunt, divina monita curant cordique habent. De תושיה *sapientia, intelligentia*, vid. not. ad Job. 5, 12. H. l. ponitur pro איש תושיה *viro sapientiae*, i. e. intelligente, quemadmodum Ps. 109, 4. תְּפִלָּה *preces* pro איש תפלה *viro precum*, precibus dedito, cf. not. ad eum loc. Jungitur vero nomen femineum verbo masculino יִרְאֶה, quod sensus ratio habetur, non grammaticae nominis formae. Sapiens, inquit, solus יִרְאֶה שְׁמֶךָ *videt* et intelligit *nomen tuum*, i. e. te. Deum novit, qui ejus praeceptis obtemperat, et ex ejus praescripto vivit. *Nomen Dei* pro Deo ipso, ut supra 5, 3. Pro יִרְאֶה legitur יִרְאֵי in codicibus quatuor Kennicottianis (in quorum numero Regiomontanus posterior) et tribus Rossianis in textu, nec non in tribus aliis Kennicottianis in margine. Idem exhibent raro consensu veteres omnes, etsi in sensu exprimendo inter se diversi. LXX: καὶ σώσει τοῖς φοβουμένοις τὸ ὄνομα αὐτοῦ (לְיִרְאֵי שְׁמוֹ). Hieronymus: *et salus erit timentibus nomen tuum.* תוּשִׁיָּה non-

numquam *auxilium, salutem* notare, observavimus ad Job. 5, 12. Non dubitaremus, Hieronymi interpretationem nostram facere, si לְיִרְאֵי שְׁמֶךָ in codicibus reperiretur. Haud minor interpretum discrepantia deprehenditur in explicando hemistichio altero: שִׁמְעוּ מַטֶּה וּמִי יְעָדָהּ. Graecum interpretem, qui vertit: *ἄκουε φυλή, καὶ τίς κοσμησει πόλιν;* apparet מַטֶּה significatione *tribus, familiae* accepisse, quomodo sane usurpatur Num. 2, 5. 7. Jos. 20, 8. de tribubus populi Hebraei, ut synonymum שֵׁבֶט. Verbum יְעָדָהּ vero retulit ad עָדָה *ornavit*, Ezech. 16, 11. 13, 40., suffixum femininum vero ad עִיר hemistichio priori expressum. Syrus: *audi, o tribus, eum qui contestatur*, i. e. prophetam. Retulit יְעָדָהּ ad עוּד, הָעִיד *contestari, cohortari.* Chaldaeus: *audi, rex et princeps, residuusque terrae populus.* מַטֶּה cepit pro *sceptro, rege*, ut Jer. 48, 17. מַטֵּה־עֹז *baculus* s. *sceptrum roboris* est Moabi regnum validissimum. Pro וּמִי יְעָדָהּ autem conjici possit eum וְעֵדָה *et coetus*, i. e. populus, legisse; cf. Exod. 16, 22. נְשִׂיאֵי עֵדָה *principes coetus*, populi. Jarchi: „Inclinate aurem et *audite virgam* poenae, quae vos castigabit, de qua prophetae vos praemonent, et audite *quis* ille sit, qui *testificetur* de *illa* poena, an potestas penes ipsum existat, id implendi, quod ipse (Deus) decernat. Jarchio adstipulantur Aben-Esra et Kimchi, qui מטה figurate de *poena* intelligunt, quomodo sane indubitate Jes. 10, 5. Ezech. 7, 10. sumitur. יָעַד est *constituere, destinare*, ut 2 Sam. 20, 5. *tempus* אֲשֶׁר יְעָדוֹ *quod destinaverat.* Suffixum femininum ad מטה est referendum, quod licet aliis locis in singulari numero masculinum est, in plurali tamen terminatione feminea (מַטּוֹת) occurrit Num. 17, 22. 24. Unde Aben-Esra utriusque generis illud autumat, uti nomina plura alia. Alii suffixum femineum referunt ad גְּזֵרָה *decretum*, aut רָעָה *malum*, aut aliud simile, quod in dictione tropica מַטֶּה latere volunt. Vel suffixum neutraliter sumi potest: audite et advertite, *quis constituerit illud*, quod per virgam significatur. Quidquid horum sumas, sententia concinna erit: videte, quae mala vos maneant, et a quo.

10. עוֹד הַאֵשׁ בֵּית רֶשַׁע אֹצְרוֹת רֶשַׁע *Suntne adhuc in domo impii thesauri impietatis?* impie et per nefas parati? Propheta quasi de re prodigiosa interrogat: qui fieri potest, ut adhuc maneant thesauri ex rapinis et sceleribus collecti, quum toties admoniti sitis, et Deus vos quotidie ad resipiscentiam sollicitet? הַאֵשׁ pro יֵשׁ *est, exsistit* positum esse, quod cum Chaldaico et Syriaco אִית convenit, quo et h. l. Chaldaeus est usus, recte Jarchi aliique Hebraei interpretes observarunt. Ita et 2 Sam. 14, 19. *Ita vivat Rex!* אִם־אֵשׁ *non est ad dextram aut sinistram abeundum ab omni quod dominus meus, rex, dixit*, i. e. plane ita res sese habet, uti rex dixit. הַיֵשׁ nostro loco exstat in codice Kennicottiano numero 201 signato, antiquissimo, judice Kennicotto, quippe ineunte seculo XII. exarato, et praestantis-

simo. Ante בֵּית subaudiendum ב *in*, ut Hos. 6, 9. ante דֶּרֶךְ, vid. ibid. not. בְּבֵית legitur quoque in nonnullis codicibus. In codicibus haud paucis pro אֹצְרוֹת exstat וְאֹצְרוֹת, quod ipsum et Syrus expressit, quod si sequaris vertendum erit: *adhucne exstat domus impii? exstantne thesauri impietatis?* Cf. Prov. 10, 2. לֹא יוֹעִילוּ אֹצְרוֹת רֶשַׁע *nihil prosunt inique parta.* LXX: *μὴ πῦρ καὶ οἶκος ἀνόμου θησαυρίζων θησαυροὺς ἀνόμους* (pro עוֹד, initio Versus, legerunt עִיר, quod ad superioris Versus finem traxerunt). E quibus verbis tolerabilem sensum vix exsculpas. Patet tamen, pro הָאֵשׁ interpretem הַאֵשׁ legisse, uti et Syrus: *quod iterum ignis in domo impii, et thesauri iniquitatis.* Nec non Hieronymus: *adhuc ignis in domo impii, thesauri iniquitatis.* Thesauros inique partos comparari existimat igni, qui domos iniquas, multorum scelerum officinas, in favillas rediget. הַאֵשׁ exhibet inter codices Rossianos unus (715, seculo XII. exeunte, vel ineunte XIII. exaratus), et in duobus aliis seculi XV. est הָאֵשׁ. — In pluribus codicibus et libris typis exaratis legitur הָאִישׁ, quod sequutus Aben-Esra nostrum Versum ita exponit: *vir illustris* in civitate *adhuc* suam retinet impietatem, audita voce admonitionis; sunt in *domo impii thesauri impietatis.* Cepit אִישׁ de viro illustri, *ἀντιδιηρημένως* a plebejis (ut Ps. 49, 2). Sed plura Aben-Esra plane arbitrario textui inserit. וְאֵיפַת רָזוֹן *Et* estne adhuc in domo improbi *Epha maciei*, i. e. mensura nimis macra, justo minor, ad defraudandum alios, opposita אֵיפַת צֶדֶק *Ephae justae*, Levit. 19, 36., aut אֵיפָה שְׁלֵמָה *Ephae integrae*, Deut. 25, 15. — וְעוּמָה *detestanda*, quam Deus detestatur, ut Prov. 22, 14. זְעוּם יְהוָה dicitur *cui Deus succenset.* Cf. Prov. 20, 23. nec non 11, 1.

11. Deus loquens inducitur. הַאֶזְכֶּה בְּמֹאזְנֵי רֶשַׁע *An purus ero*, i. e. an purum et sanctum numen esse et haberi possem, *cum bilancibus improbis*, si bilancia fraudulenta adhiberi impunite admitterem? Cf. Ps. 51, 6. לְמַעַן תִּזְכֶּה בְשָׁפְטֶךָ *ut purus sis cum judicaris.* Sensum non satis recte expressit Chaldaeus: *numquid justi habebuntur in stateris impietatis?* nec Syrus: *quomodo justificarentur cum statera iniquitatis?* מאזני רשע *bilances improbae* vocantur, quae alias, ut Hos. 12, 8. Amos 8, 5. מֹאזְנֵי מִרְמָה *bilances fraudulentae*, quia qui eis utitur improbe facit; ut cum mercator alia lance vendit merces, alia emit. וּבְכִיס אַבְנֵי מִרְמָה *Et* an purus ero *cum sacculo lapidum doli?* crumena, in qua sunt pondera dolosa, fraudulenta? *Pondera* Hebraei dicuntur *lapides*, talibus enim utebantur in venditione et rerum permutatione, uti apparet e Deut. 25, 13. *Ne sit tibi in sacculo tuo duplex pondus, magnum et parvum.* Hinc Prov. 21, 11. אַבְנֵי־כִיס *lapides crumenae* sunt pondera in crumena adservari solita. Vid. et Prov. 20, 10. Chaldaeus: *et cum sacculo, in quo sint pondera magna et parva*, magna, si tibi,

parva, si aliis appendatur. Syrus: *et cum marsupio ponderum fraudulentorum.*

12. אֲשֶׁר עֲשִׁירֶיהָ מָלְאוּ חָמָס *Quia divites ejus pleni sunt*, scatent, *violentia.* אֲשֶׁר causaliter sumendum pro *quia*, ut Gen. 31, 49. וְהַמִּצְפָּה אֲשֶׁר אָמַר *et Mizpam* vocavit Laban locum quendam, *quia dixerat: speculetur Jova te inter et me.* Deut. 23, 5. וַאֲשֶׁר *et, quia conduxit contra te Bileamum.* Continuat Noster explicare causam, ob quam immittenda Judaeis sit virga Dei, Vs. 9. Hic vero Versus cum proximo 13. ita cohaeret, ut prior protasin, alter apodosin constituat. Propheta significat, populum ita deditum esse avaritiae et rapinis, ut quicquid coacervarunt opum, hoc totum conflatum sit ex injustis praedis. עשיריה *divites ejus*, urbis Hierosolymae, עִיר, Vs. 9., ut statim et Vs. 16. יֹשְׁבֶיהָ *incolae ejus.* Alloquitur vero cives Hierosolymae, regni capitis, qui quum aliis exemplo suo praeire deberent, reliquum populum sceleribus superabant. מלאו חמס *pleni sunt* scatent *violentia*, scil. significatu activo, quam aliis inferunt, de qua saepe vates queritur, veluti supra 2, 1. 2. 8. 9. 3, 2. 3. Alii sub חמס intelligunt opes violentia et iniquitate partas, quibus *divites* pleni dicantur, pro *domibus eorum*, figura loquendi neque Latinis inusitata. Ita apud Plautum in *Sticho* Act. V. Sc. 1. Vs. 8. *Cadum modo hinc a me* (i. e. a domo mea) *huc cum vino transferam.* Nec non in *Milite Glor.* Act. II. Sc. 3. Vs. 68. *Scin' tu nullum commeatum hinc esse a nobis?* i. e. a domo nostra. Hunc sensum expressit Chaldaeus: *quia divites ejus* (urbis) *replent thesauros suos rapina.* Syrus autem: *quia divites ejus pleni sunt oppressione.* וְיֹשְׁבֶיהָ דִּבְּרוּ־שָׁקֶר *Et incolae ejus loquuntur mendacium*, falsum, nulla apud eos est sinceritas, nulla rectitudo, dedita sunt prorsus fraudibus et dolis. יֹשְׁבִים *incolae* reliqui, praeter עֲשִׁירִים, pauperes; tales enim quia vi nihil possunt, utuntur dolis ac fraudibus. וּלְשׁוֹנָם רְמִיָּה בְּפִיהֶם *Et lingua eorum* est lingua *fraudis* (vid. not. ad Ps. 120, 2.), fraudulenta *in ore eorum.* Vel: *quod ad linguam eorum attinet*, *fraus* est *in ore eorum.* Simulatque os aperiunt statim produnt fallacias; non est, quod quisquam ab istis hominibus exspectet veritatem vel fidem.

13. Incipit jam declarare, quae sit *virga* illa, ad cujus annuntiationem supra Vs. 9. attendi jusserat. וְגַם אֲנִי הֶחֱלֵיתִי הַכּוֹתֶךָ *Itaque* (pendet enim hic Versus ab אשר Vs. 12.) *aegritudine afficiam percutiendo te.* וגם־אני *et etiam ego*, i. e. vicissim ego te malis afficiam, quemadmodum tu aliis aegritudinem attulisti fraudando et opprimendo eos. החליתי transitive capiendum: *infirmabo percutiendo te*, i. e. te feriam ita, ut infirmum, aegrum reddam. Ita Jes. 53, 10. *Jova eum conterere voluit*, חִלָּהוּ *infirmum reddidit*, s. aegritudine affecit. Et Hophal 1 Reg. 22, 34., ubi Josaphatus vulneratus dicit: *educ me e castro*,

כִּי הֶחֱלֵיתִי *nam infirmus factus sum* vulnere. Cf. Piel ejusdem verbi Deut. 29, 21. *cum viderit* אֶת־מַכּוֹתֶיהָ *morbos ejus* terrae, incolarum terrae, אֲשֶׁר־חִלָּהּ יְהוָה בָּהּ *quibus Jova eam infirmam reddidit.* Verbum finitum הֶחֱלֵיתִי regit Infinitivum cum suffixo (הַכּוֹתֵךְ), ut Ps. 33, 3. הֵיטִיבוּ נַגֵּן *benefacite pulsare*, s. *pulsando*, i. e. bene pulsate. Utraque quae hic usurpatur imago exstat et Jes. 1, 5., ubi *percutere* de Deo tanquam actus, *infirmitas* vero vel *morbus* de populo tanquam effectus dicitur. Est autem Praeteritum hic pro Futuro, quod docent Futura, quae sequuntur, et contextus. Plagas enim non praeteritas narrat, sed futuras comminatur. At LXX: καὶ ἐγὼ ἄρξομαι τοῦ πατάξαι σε. Hieronymus: *et ego ergo cepi percutere te.* Syrus: *ego etiam incipiam percutere te.* Legerunt הַחֵלִתִי *incepi* (Deut. 2, 31.) pro הֶחֱלֵיתִי, quod repetendum ante alterum hemistichium: הַשְׁמֵם עַל־חַטֹּאתֶיךָ aegritudine te afficiam *devastando*, desolationem tibi inferendo, *propter peccata tua.* Chaldaeus: *destruam te propterea quod peccasti.*

14. Magis declarat, quodnam sit futurum supplicium. אַתָּה תֹאכַל וְלֹא תִשְׂבָּע *Tu quidem comedes, sed non satiaberis*, aut quia parcus erit cibus, ut famem non solum non expleat, sed potius excitet, aut quia cibo Deus auferet nutriendi atque roborandi facultatem, quemadmodum est inter minas Levit. 26, 26. coll. Hos. 4, 10. Hagg. 1, 6. וְיִשְׁחֲךָ בְּקִרְבֶּךָ *Et depressio tua erit in medio tui*, in terra tua, i. e. etiamsi tibi nulli exteri hostes sint, tamen intestinis malis plane conficieris, ut non amplius elate incessurus sis, ut supra 2, 3. dicitur. Nomen יְשַׁח Hebraei pleriquc cum Kimchio, nec non Hieronymus, qui *humiliatio tua* vertit, referunt ad יָשַׁח, quod ejusdem significationis cum שׁוּחַ, שָׁחָה et שָׁחַח existimant, quae verba *deprimi*, *humiliari* notare constat. Ita יְשַׁחֲךָ erit a יָשַׁח formatum, ut יְשָׁעֲךָ *salus tua*, Ps. 85, 8. Alii *depressione* intelligunt *languorem*, *morbum.* Ita Chaldaeus: *et erit tibi* cibus *in infirmitatem in visceribus tuis.* Syrus: *et dysenteria erit in medio tui.* Simonis in Lexico nostrum יָשַׁח literarum trajectione retulit ad Arabicum وحش, quod in quarta conjugatione denotat: *fame exinanitus*, *famelicus fuit*, in quinta: *inani ventre fuit prae fame;* hinc verti posset: *inania sunt omnia in medio tui*, i. e. in ventre tuo. LXX: καὶ σκοτάσει ἐν σοι, *caligabit in te*, quasi pro וישחך legissent וַיַּחְשֵׁךְ. Sententia minus concinna. וְתַסֵּג וְלֹא תַפְלִיט *Et semovebis quidem*, i. e. conaberis tuos tuaque e periculo salvare, occultando, vel ad tutiora loca ducendo, *nec* tamen *evadere facies*, salvabis ad loca tuta. Verbum נָסַג (cum Samech scriptum) in Hiphil constanter *amovendi*, *semovendi* significatu usurpatum deprehenditur. Sed חָשִׂיג (cum Sin scriptum) *apprehendendi* notionem obtinet, quam praeter LXX (qui verterunt: καὶ ἐκτεύσει, καὶ οὐ μὴ διασωθῇς) veteres omnes

h. l. exprimunt. Aquila: *καὶ καταλήψῃ, καὶ οὐ μὴ διασωθῇς.* Symmachus: *καὶ ἥξεις, καὶ οὐ μὴ διασωθῇς.* Hieronymus: *et apprehendis, et non salvabis.* Chaldaeus: *et assequeris, et non eripies.* Syrus: *et assequeris, sed non servabis.* Porro והשׂג cum Sin exhibent quoque Biblia Bombergiana Venetiis annis 1517. fol. et 1518. in quat. edita ad marginem, ut in codicibus nonnullis exstans. Quod si sequaris, sensus hic erit: etiamsi apprehenderis liberos vel cognatos tuos, aut opes tuas ab hostibus direptas, non tamen tibi vindicare poteris. וַאֲשֶׁר תְּפַלֵּט לַחֶרֶב אֶתֵּן *Quod autem liberaveris, gladio tradam*, si quos etiam tuorum liberaveris, non tamen effugient servati ensem hostilem.

15. אַתָּה חִזְרַע וְלֹא תְקָצוֹר *Tu seres, nec tamen metes*, sive ob sterilitatem terrae immittendam, coll. Hagg. 1, 6. *seritis multum, et infertis parum*, et Jer. 12, 13. *quum seminaverint triticum, spinas metent;* sive quod hostes messuri aut vastaturi eam sunt. Hausit haec Michas e comminationibus, quae Levit. 26, 16. leguntur: *seminabitis frustra semen vestrum, comedentque illud inimici vestri.* Deut. 28, 33. *fructum terrae tuae, et omnem laborem tuum absumet populus, quem non novisti.* אַתָּה תִדְרֹךְ־זַיִת *Tu calcabis*, calcando exprimes, *olivas;* oleo enim ex olivis premendo aeque quam musto ex uvis, torcularia adhibita, coll. Joel 2, 24. Job. 24, 11., et Celsii *Hierobot.* P. II. p. 346. seq. וְלֹא תָסוּךְ שֶׁמֶן *Nec* tamen *unges* te *oleo*, ut Deut. 28, 40. *Oleae erunt tibi in toto termino tuo, sed oleo non unges te, quia* oleas *dejiciet oliva tua.* Olei frequentissimus usus apud veteres, quod adhibebant vel propter luxum, ut in conviviis, vel sanitatis causa, ut in balneis et unguentis medicis, vid. Jes. 1, 6. et ad eum loc. not. וְתִירוֹשׁ וְלֹא תִשְׁתֶּה־יַיִן *Et mustum* scil. ex uvis exprimis (quod in praecedente תִדְרֹךְ latet), *sed non bibes vinum.* Ita Deut. 28, 39. *vineas conseres et coles, sed vinum non bibes neque comportabis, quia absument illas vermes.* Unde Amos 5, 11. *vineas desideratissimas consevistis, sed non bibetis vinum earum.*

16. Tot ac tanta mala, inquit Deus, meo populo contingent non tantum ob mores summopere corruptos, Vs. 11. 12. taxatos, verum potissimum ideo, quod perfide a me, Deo suo, descivcrit ad idola, nec ullo modo ab hac impietate se abduci patitur: וַיִּשְׁתַּמֵּר חֻקּוֹת עָמְרִי *nam observat statuta Omri*, regis Israelitici, qui omnibus antecessoribus suis pejor, et cultus superstitiosi stator insignis fuit, vid. 1 Reg. 16, 25. 26. Alii cum antecedentibus haec ita connectunt: tot malis vexati tamen perseveratis in impio cultu. חֻקּוֹת h. l. sensu malo de institutis moribusque pravis atque superstitiosis dicitur, ut Levit. 20, 23. Jer. 10, 3. יִשְׁתַּמֵּר propr. *observanda sibi sumsit*, vel *assidue observat* unusquisque. Hithpael reciprocam notionem habet, ut Ps. 18, 24., etsi paulo alio flexu ac h. l., וָאֶשְׁתַּמֵּר מֵעֲוֹנִי *et*

custodiebam me a peccato meo, cavebam mihi a peccatis. LXX: *καὶ ἀφανισθήσεται νόμιμα λαοῦ μου, καὶ ἐφύλαξας τὰ δικαιώματα Ζαμβρί.* Ita legitur in codice Romano et Alexandrino, eademque accurate expressit interpres Arabicus. Verum duplicem verborum hebraeorum interpretationem graecam in unam coaluisse, inde apparet, quod HIERONYMUS ut Graecae Alexandrinae versionis verba haec tantum latine adfert: *et dissipabuntur legitima populi mei*, „pro quo," inquit in Commentario, „nos posuimus propter sermonis consequentiam: *et custodisti praecepta Amri*, licet et in Hebraeo scriptum sit: *et custodita sunt praecepta Amri et omnia opera domus Achab.* Si enim in Hebraeo scriptum esset *Ammi* [עמי], recte LXX transtulissent *populi mei;* nunc vero quum scriptum sit *Amri* [עמרי], et *Res* litera addita, non *populi* nomen, sed patrem Achab sonat, de quo Regum narrat historia, errorem esse, nulli ambiguum est." Unde colligitur, genuinam *τῶν* LXX interpretationem his tantum verbis contineri: *καὶ ἀφανισθήσεται νόμιμα λαοῦ μου*, cetera esse glossema, satis vetustum tamen, quippe quod non solum duo antiquissimi codices, Romanus et Alexandrinus, verum et Cyrillus, Theodoretus et Arabicus interpres exhibent. Ceterum Graecus interpres pro וישתמר חקות עמרי mendose legit: וישתמר חקות עמי, hebraeum נִשְׁמַר et הַשְׁמִיד graeco *ἀφανίζεσθαι* saepius expressit. וְכֹל מַעֲשֵׂה בֵּית־אַחְאָב *Et omne opus domus Achabi* observat unusquisque vestrum, quicquid domus Achabi in rebus ad religionem pertinentibus instituit. Achabus autem, Omri filius, vitulis aureis non contentus, Baaliticum cultum, instigante Jesabele, addidit, 1 Reg. 15, 30. sqq. וַתֵּלְכוּ בְּמֹעֲצוֹתָם *Et ambulatis in consiliis eorum*, quid Omri et Achab vobis suaserunt, id fecistis; sequuti estis consilia eorum. לְמַעַן תִּתִּי אֹתְךָ לְשַׁמָּה *Ut darem te in desolationem*, quibus verbis non hoc vult: *ideo hoc fecisti, ut in desolationem te redigerem;* sed: *ideo in desolationem te redigam, quia hoc fecisti.* לְמַעַן h. l. est *τελικὸν*, eventum significans, ut Graecum *ἵνα*, cf. not. ad Amos 2, 7. Eo, inquit, rem deduxisti, o stulta et proterva civitas, ut jam statuerim te funditus delere. וְיוֹשְׁבֶיהָ לִשְׁרֵקָה *Et ut incolas ejus sibilo* traderem; idque consequutus es, ut te funditus delendam aliis derisui ac sibilo exponerem. Ita 2 Paral. 29, 8. *tradidit eos desolationi ac sibilo.* Sibilare enim gestus est irridentium et subsannantium. Thren. 2, 15. *plaudunt super te manus suas omnes viatores*, שָׁרְקוּ *sibilant et movent caput contra filiam Jerusalem.* יוֹשְׁבֶיהָ *Incolas ejus*, scil. urbis, עִיר, Vs. 9., cf. Vs. 12. Debebat scribi יוֹשְׁבֵיךְ, quum praecesserit אֹתְךָ, sed nil frequentius tali personae mutatione apud prophetas. וְחֶרְפַּת עַמִּי תִּשָּׂאוּ *Et ut probrum populi mei portetis*, i. e. quo probro antea vos, divites, populi mei pauperes affecistis (Vs. 11. 12.), eodem afficient vos gentes barbarae; poenam probri, quod intulistis populo meo, luetis. Alii *probrum populi mei* interpretantur: quod

meis comminatus sum, si desciverint ab obedientia mea, qualcs minae habentur 1 Reg. 9, 8. 9. LXX: *καὶ ὀνείδη λαῶν λήψεσθε.* Quasi pro עַמִּי legissent עַמִּים; nisi forsan עַמִּי pro Plurali ceperint, uti 2 Sam. 22, 44. Ps. 144, 2. Thren. 3, 14. usurpatur.

CAP. VII.

Argumentum.

Dolet queriturque propheta, quod nullum ex longo studio atque opera fructum retulerit, quum suorum contribulium mores ita sint corrupti, ut non vindicet ab injuria aut publicum nomen, quale habent magistratus et principes, aut familiae sanguisque communio (Vs. 1 — 6.). Quumque in hominibus nihil esse videat, aut constans, aut fidele, a Deo solo sperandum esse dicit, quod ex voto aut usu futurum sit (Vs. 7.). Deinde regno hostili talem praedicit ignominiam et cladem, qualem ipsum prius Judaeis intulerat, hos autem erigit spe status futuri felicioris, quem promittit propinquum (Vs. 8 — 12.), populusque desiderat precibus (Vs. 14.). Repetit Jova promissionem de populo Hebraeo non solum reducendo, sed ceteris omnibus populis illustriorem quoque faciendo (Vs. 15 — 17.). Commendat ad extremum Dei clementiam oratque, ut quae benigne promisit olim Abrahamo, antiquisque Israelitici generis parentibus, id in eorum posteris fideliter impleat (Vs. 18 — 20.).

1. אַלְלַי לִי כִּי הָיִיתִי כְּאָסְפֵי־קַיִץ כְּעֹלְלֹת בָּצִיר *Vae mihi! quia fui sicut collectiones aestatis, et sicut racemi vindemiae.* Accidit mihi, inquit propheta, quod viatori, qui fruges post messem, aut uvas post absolutam vindemiam quaerit; sed aut nullos plane fructus reperit, aut sane paucissimos. Ita ego bonos quaero, sed nullos invenio. אַלְלַי *Vae mihi!* particula lamentantis, practer hunc locum tantummodo Job. 10, 15. obvia, i. q. אוי לי Jes. 24, 16. q. d. ah me miserum et infelicem! Confer Aethiopium אַלַ *vae*, et אַלַ לְהָ *vae mihi!* Moses Kimchi, Davidis frater, nostrum אַלְלַי recte refert ad אָלַל *ululavit*, ejusdem significationis cum אֲלָה Joel 1, 8. et יָלַל, Aleph et Jod permutatis, ut supra 6, 10. הַאִשׁ pro יֵשׁ. Causam, cur dolendum sibi sit, subjungit, quod sibi videatur esse כְּאָסְפֵי־קַיִץ *sicut collectiones aestatis*, i. e. tanquam cum frugibus aestivis demessis et collectis, paucae tantummodo spicae relictae a messoribus fuerint. Innuit ergo, se relictum inter paucos et raros bonos. אָסְפֵי Jarchi observat non esse Participium aut Infinitivum, ut יוֹשֵׁב aut אֹמֵר, sed nomen, ut Jes. 33, 4. אָסְפַ חָחָסִיל *collectio bruchi.* קַיִץ *Aestas*, pro fructibus aestivis, ut Jes. 16, 9. Amos 8, 1. 2., ubi vid. not. Jarchi intelligit *extremos fructus ficuum*, qui post

collectionem remanent; et sane de *ficubus* nostrum קַיִץ usurpatur 2 Sam. 16, 1. Jer. 40, 10. כְּעֹלְלֹת בָּצִיר *Sicut* in *racemationibus vindemiae*, post vindemiam. Intelliguntur racemi, qui a vinitore peracta vindemia relinquuntur, aut quia illius oculos effugerunt, aut quia contemti sunt, quia nondum illis advenerat tempestiva maturitas. אֵין־אֶשְׁכּוֹל לֶאֱכֹל *Non est botrus ad comedendum*, quemadmodum si quis vineam ingrediatur spoliatam fructibus, non invenit botrum, qui esui sit idoneus, quia si quid reliquum est in vitibus, illud immaturum est, et peracerbum gustu; sic propheta in Judaeorum populo nihil invenit, ex quo voluptatem illam caperet, quam vinitor ab uvis maturis. בִּכּוּרָה אִוְּתָה נַפְשִׁי *Ficum praecocem desiderat anima mea*, sed frustra. בכורה significat *ficum praecocem* ante aestatem maturescentem, cum nondum est *καιρὸς σύκων* (Matth. 21, 19.), quae eo gratiores esuque suaviores, quo rariores adhuc pro tempore sunt, vid. not. ad Jes. 28, 4. Jer. 24, 2. Tales ficus Hispanis vocantur *albacoras*, voce arabica hebraicae cognata, nam بَكُور est *palma praecox*, *nec non fructus omnisque alia res cito ad maturitatem pertingens.* Cf. *Bibl. Alterthumsk.* T. IV. P. I. p. 285. sqq. Nostri loci sensus igitur est hic: desidero in populo meo virum aliquem probum ea aviditate, qua quis ficus desiderat praecoces, i. e. vehementer. Recte Chaldaeus: *bonos appetit anima mea.*

2. Quae allegorice dicta fuerant Vs. 1. nunc verbis propriis declarantur. אָבַד חָסִיד מִן־הָאָרֶץ *Periit pius e terra* Israelitica; pius in terra plane non reperitur. וְיָשָׁר בָּאָדָם אָיִן *Et* qui *rectus* sit *inter homines nullus* est. Adeo cuncta, inquit, inter istos homines video corrupta, ut difficile sit, ullum in iis deprehendere justum et pium. כֻּלָּם לְדָמִים יָאֹרֵבוּ *Omnes illi sanguinibus insidiantur*, alii aliis insidiantur, ut eos perdant, eorumque bona ad se rapiant. אִישׁ אֶת־אָחִיהוּ יְצוּדוּ חֵרֶם *Unus alterum venantur* tanquam *reti*, sicut auceps insidiari solet aviculae, jacto jam reti ut eam decipiat, sic hi pessimi miras artes et dolos excogitant, quibus alios perdant. חרם quidam interpretes, subaudito ל ex לְדָמִים, vertunt *ad necem*, q. d. ut faciant eum *anathema*, ut Levit. 17, 28. Ita Hieronymus: *vir fratrem suum ad mortem venatur.* Chaldaeus: *vir fratrem suum tradunt consumtioni.* Syrus: *et vir fratrem suum venantur ad interitum.* Verum ob *venandi* verbum (צוד) malumus חרם *retis* significatu capere, quo et Ezech. 26, 5. Habac. 1, 15—17. usurpatur. Ita ב ante nomen erit subaudiendum. LXX: ἕκαστος τὸν πλησίον αὐτοῦ ἐκθλίβουσιν ἐκθλιβῇ.

3. עַל־הָרַע כַּפַּיִם לְהֵיטִיב הַשַּׂר שׁוֹאֵל *Super malefacere* s. *praeter malefacere*, i. e. praeterea quod malefaciunt *manibus egregie faciendo*, *princes poscit*, i. e. praeterea quod alios vi aperta opprimunt, ut scelera addant sceleribus, turpibus quoque

largitionibus corrupti jus pervertunt. Ita nos hunc locum interpretamur cum Kimchio, qui scite observat, Infinitivum להיטיב sensum intendere, et significare *cumulare*, *adaugere* (ut Deut. 9, 21. 2 Reg. 11, 18.). Storrius quoque in *Observatt.* p. 313. לְהֵיטִיב h. l. vim adverbii obtinere putat, propr. *bene faciendo*, i. e. probe, et verba nostra sic interpretatur: *ad malefaciendum manus* sunt, tendunt *probe*, i. e. ad malum *vehementer* intentae sunt manus, *probe* decipiunt et auferunt. Ceterum in hoc loco interpretando veteres et recentiores vehementer inter se discrepant. LXX: ἐπὶ τὸ κακὸν τὰς χεῖρας αὐτῶν ἑτοιμάζουσιν, ὁ ἄρχων αἰτεῖ. Ceterum interpres להיטיב significatione Syriaci ܛܝܒ *parare*, uti et Syrus: *manus eorum paratae*, promtae sunt, *ad malum* (addit: *nec benefaciunt*, pro להיטיב legendum conjiciens לֹא הֵיטִיב); *princeps postulat* (dicens): *affer!* עַל cepit pro אֶל, vel simplici ל *ad*. Quod ipsum Chaldaeus interpres expressit: *mala operantur suis manibus, nec benefaciunt; dominator poscit*. R. quidam Marinus, ab Aben-Esra commemoratus, ל ante היטיב *pro*, *loco*, capiendum censet, ut Gen. 11, 3. *erat eis* הַלְּבֵנָה לְאָבֶן *later pro lapide*. Ita vertendum esset: *super* s. *praeter malefacere manuum pro benefacere princeps poscit* munera, i. e. proceres, qui aliis benefacere deberent, non solum id minime faciunt, verum etiam praeter alia scelera quibus manus eorum contaminatae sunt, eo impudentiae procedunt, ut pro jure dicendo munera poscant. Ludov. de Dieu: „*Contra malum manus* sunt *ad benefaciendum; princeps interrogat*, *et judex de retributione*, i. e. turpiter manibus abutuntur; quum enim datae sint, ut adversus malum benefacerent, videntur non in alium usum eas nacti, quam ut munera caperent.“ Coccejus: „*Super malo* sunt *manus ad bonum faciendum*, i. e. fingunt et plasmant malum ut bonum videatur.“ Quarum explicationum quum nullae Grammaticae aut Syntaxi Hebraeae repugnet, eligenda ex iis erit ea, quae toti orationis tenori optime conveniat; talem autem arbitramur eam, quam supra primo loco posuimus. הַשֵּׂר שׁוֹאֵל *Princeps poscit* scil. שֹׁחַד *munus* quo corrumpatur, quod Jarchi supplet, vel שִׁלּוּם *retributionem*, e verbis proximis, וְהַשֹּׁפֵט בַּשִּׁלּוּם *et judex pro remuneratione* scil יִשְׁפֹּט, jus dicit, quod e Participio est repetendum. Cf. supra 3, 11. *proceres ejus* urbis *pro munere judicant*. Chaldaeus: *judex dicit: fac pro me, ut retribuam tibi*. Quam interpretationem sequutus Jarchi nostra verba sic explicat: Qui dijudicat causam etiam ipse pro retributione dicit alii judici, collegae suo, quando ipse raptor est reus in judicio: retribue mihi gratiam in alio judicio, et ego te absolvam in hoc (judicio, sive in hac causa). Hieronymus: *Et judex in reddendo est*, sic alium judicans quomodo ipse ab alio judicatur, ut praestent sceleribus suis mutuum favorem, et in alterius crimine se defendant. וְהַגָּדוֹל דֹּבֵר הַוַּת נַפְשׁוֹ

הוּא *Et magnum* quod attinet, *loquitur cupiditatem animae suae ille*, i. e. proceres pro lubitu suo judicant. Alii: *magnus eloquitur pravitatem animae suae*, q. d. jam nihil est metus vel pudoris, quod retineat divites ab inferenda injuria, sciunt enim negotium sibi esse cum mercenariis judicibus, quos facile corrumpant; audent ergo *loqui pravitatem animae suae*, nequitiam, quam apud se conceperunt. Ita הוּא *ipse* erit emphaticum, non exspectat dum alii exprobrent si quid deliquit, sed impudenter audet gloriari in suis sceleribus, quia certa est impunitas, quum os concludere possit judicibus. Sane הַוָּה *pravitatis*, *nequitiae* significationem obtinere non est dubium, vid. Ps. 5, 10. et ad eum locum not. Hic tamen prima et propria sua significatione, *cupidinis* capiendum, ut Prov. 10, 3. 11, 6., quam veteres omnes exprimunt. Vel arctius connectendum est hoc hemistichium cum praecedente, hoc sensu: statuit judex reddere, quod gratum est principi, aut ab eo definitum, quia vir ille magnus atque potentior suam illi voluntatem expressit. וַיְעַבְּתוּהָ *Et contorquent*, pervertunt *eam*, voluntatem suam, הוֹת נפשׁו, quod praecessit. Chaldaeus: *vae iis*, *quia depravarunt eam.* Vel suffixum femininum ad יְעַבְּתוּ neutraliter est capiendum, ut ex sermonis contextu aliquid intelligendum sit accommodatum: veluti causa quae disceptatur in judiciis, quam illi corruptionibus atque technis suis quovis modo pervertunt et confusam reddunt. Conspirant inter se et gubernatores et judices, et qui volunt sibi acquirere peccandi licentiam; confirmantque hoc modo pravitatem, ut tyrannidem ea occupet.

2. טוֹבָם כְּחֶדֶק יָשָׁר מִמְּסוּכָה *Bonus eorum instar spinae* est, *rectus vepreto* pejor. Confirmat quod Vs. 2. dixerat, adeo refertam esse terram quovis scelerum genere, ut qui optimi reputantur sint tamen sicut spinae et vepres, id est, acerrimi ad pungendum aliosque laedendum; quasi diceret: optimus inter eos est latro, rectissimus inter eos est praedo. Si vero tales sunt, qui pro optimis habentur, quid de reliquo vulgo statuendum erit? De חֶדֶק vid. *Bibl. Alterthumsk.* T. IV. P. I. p. 195. sq. Significatur vero hac similitudine morum asperitas et rapacitas. ישׁר ממסוכה *Rectus*, qui rectus inter eos habetur, *prae sepe spinosa*, scil. pejor est. Cf. שָׂךְ Hos. 2, 8. Chaldaeus: *bonum quod attinet qui inter eos est*, *durum* s. ita difficile est *exire e manu sua tanquam e spina*, *et rectus qui inter eos* existit *sepe spinosa pejor est.* Quam paraphrasin Jarchi ita illustrat: *aeque difficulter quidquam exit e* manu ejus, atque spinae exeunt lanis implexae. Jam ad populum ipsum sermonem convertit: יוֹם מְצַפֶּיךָ פְּקֻדָּתְךָ בָּאָה *dies speculatorum tuorum*, *visitatio tua venit*, adest jam tempus a prophetis dudum praedictum, quo vestra scelera Deus ulciscetur. Prophetae saepius comparantur speculatoribus militaribus, qui futura tanquam e specula praevident, populoque fideliter annuntiant, atque de imminente peri-

culo admonent, vid. Jes. 56, 10. Jer. 6, 17. Ezech. 3, 17. 33, 2. 7., et ad haec loca not. *Dies speculatorum* s. *prophetarum populi Judaici* vero erit dies ab eis praenuntiatus. Alii *speculatoribus* populi cum KIMCHIO intelligunt h. l. falsos prophetas, qui suis blanditiis et vanis felicium temporum promissionibus populum deceperant. Tum יוֹם erit *dies supplicii*, ut Obad. 12. יוֹם אָחִיךָ, ubi vid. not. Chaldaeus: *dies, qua bonum exspectabas, tempus visitationis malitiae tuae pervenit.* Hinc JARCHI: Eo die, quo bonum vobis eventurum exspectastis, veniet poena vestra. פְּקֻדָּתְךָ *Visitatio tua*, iniquitatis tuae, animadversio in scelera tua. Ita Hos. 9, 7. *veniunt dies animadversionis, veniunt dies retributionis.* Addit vates: עַתָּה תְּהִיָה מְבוּכָתָם *nunc erit perplexitas*, s. *confusio eorum*, i. e. brevi adeo perplexi erunt, adeo involventur malorum varietate et magnitudine, ut quo se vertant nesciant, neque se ex iis ullo modo extricare poterunt. Verbum בּוּךְ Arabibus quoque *confusum turbatumque esse*, et in Conj. VII. *turbata mente et perturbatis rationibus esse* significat. Hinc Esth. 3, 15. *et urbs Susan* נְבוֹכָה *erat perplexa*, inops consilii. Suffixum מבוכתם referendum ad proceres, judices, magnates, qui Versu superiore memorantur.

5. Pergit propheta in describenda summa popularium suorum perversitate; adeo, inquit, cuncta occupavit perfidia, ut nusquam tuta sit fides, et unusquisque cautissimus esse debeat, nisi vel a cognatis, parentibus, filiis, conjuge et amicis prodi velit. אַל־תַּאֲמִינוּ בְרֵעַ *Ne credite in amicum*, ne creditis amico, אַל־תִּבְטְחוּ בְּאַלּוּף *ne fidite familiari*, est enim ab אָלַף *adsuescere* Prov. 22, 25., talis cui quis consuetudine penitus adsuevit, ut Prov. 16, 28. 17, 9., ubi LXX recte reddiderunt *φίλον*. Sed perperam h. l. *καὶ μὴ ἐλπίζετε ἐπὶ ἡγουμένοις*. Sane אַלּוּף locis nonnullis, veluti Gen. 36, 15. seqq. Exod. 15, 15., de *ducibus* Edomitarum dicitur, ab אֶלֶף *mille*, q. d. mille hominum praefectus; id vero huic loco minime congruit. מִשֹּׁכֶבֶת חֵיקֶךָ *A cubante in sinu tuo*, i. e. carissima tua conjuge, אֵשֶׁת חֵיקֶךָ *muliere sinus tui*, ut Deut. 13, 7. 28, 54. vocatur. Unde *γυνὴ τοῦ κόλπου* Sirach. 9, 1., אִישׁ חֵיק *vir sinus*, maritus, Deut. 28, 56. שְׁמֹר פְּתְחֵי־פִיךָ *Custodi ostia oris tui*, ne quid temere effutiant, quod alium scire nolis, vel quod tibi periculum creare possit; proditura enim te est. *Ostia* tribuit ori, quippe quod sensa animi, januae instar, vel aperit, vel claudit. Eadem imago Ps. 141, 3.

6. כִּי־בֵן וגו׳ *Nam filius deturbat*, contumelia afficit *patrem; filia insurgit* irreverenter *in*, contra *matrem suam*, quam vereri deberet; *nurus in socrum suam* scil. קָמָה *insurgit: inimici viri* cujusque *sunt domestici ejus*, adeo cuncta dissidiis oppleta sunt. Iisdem plane coloribus ferream aetatem pingit OVIDIUS *Metamorph.* 1, 144—148.

7. Ego vero, inquit propheta in persona eorum inter suos populares, qui a Jovae cultu non defecerunt, in hoc deplorato reipublicae statu rerumque omnium perturbatione oculos habeo conversos in Deum, in quo uno spem et fiduciam pono, nihil dubitans, quin mihi opem laturus et ex his malis suo tempore me sit liberaturus. וַאֲנִי בַּיהוָה אֲצַפֶּה *Ego vero ad Jovam speculor*, tanquam in specula constitutus observo unde auxilium mihi a te veniat, sicut qui ab hostibus obsidentur e turribus continuo prospiciunt, promissasque suppetias exspectant. Verum אֲצַפֶּה ope particulae ב nomini יְהוָה jungitur, ut Ps. 66, 7. עֵינָיו בַּגּוֹיִם תִּצְפֶּינָה *oculi sui gentes speculantur*. Alii constructionem putant quam dicunt *praegnantem*, quasi diceret: speculor *fretus in Jova* ejusque benignitate et fide. אוֹחִילָה לֵאלֹהֵי יִשְׁעִי *Exspecto* cum spe certa fore ut meae salutis rationem habeat, *Deum salutis meae*, qui mihi salutem, ut antea saepe, ita nunc quoque praestabit. יִשְׁמָעֵנִי אֱלֹהָי *Audiet me Deus meus*, recte Chaldaeus: *suscipiet preces meas Deus meus*.

8. Continuat vates loqui in persona melioris partis populi Hebraei ab hostibus devicti et oppressi. אַל־תִּשְׂמְחִי אֹיַבְתִּי לִי כִּי נָפַלְתִּי קָמְתִּי *Ne gaudeas de me*, de infortunio meo, o tu, quae *inimica mihi* es! *quod* s. *licet ceciderim*, tamen *resurgam*. לִי pro בַּעֲבוּרִי *propter me*, propter calamitatem meam. *Cadere* in calamitates incidere, et *surgere* ex iis emergere, notum. Recte Syrus: *iterum resurgo*. כִּי־אֵשֵׁב בַּחשֶׁךְ *Cum* vel *licet sedeam in tenebris* malorum et calamitatum, velut in tenebroso carcere, cf. Jes. 47, 5. 49, 9. יְהוָה אוֹר לִי Tamen *Jova lux mihi* est, praestat mihi lucem in tenebris, i. e. salutem in adversis. Cf. Ps. 27, 1. 97, 11. 112, 4.

9. Pergit propheta sub populi, sive capitis regni, Hierosolymae, nomine loqui, unde Chaldaeus huic Versui recte praemittit: *dixit Hierosolyma*. Occurrit autem hostium exprobrationi, cur igitur Deus, in quo confidat (Vs. 8.), populum tam graviter sinat adfligi? Quibus respondet, verum quidem esse, se multa pati, patienter tamen se ista ferre, cum quod peccatis suis utique illa meruerit, tum quod sciat, perpetua non fore, sed ad tempus tantummodo. זַעַף יְהוָה אֶשָּׂא כִּי חָטָאתִי לוֹ *Iram Jovae*, poenas ab eo mihi irato inflictas, *feram*, sufferam patienter, *quia peccavi in eum*, quia commerui. עַד אֲשֶׁר יָרִיב רִיבִי *Donec litiget litem meam*, causam meam agat contra hostes. Ita Ps. 43, 1. *Judica me, Deus*, וְרִיבָה רִיבִי *et age causam meam contra populum immisericordem*. וְעָשָׂה מִשְׁפָּטִי *Et fecerit judicium meum*, i. e. jus mihi reddiderit, ut judex justus, aut vindicaverit me ultusque fuerit sumto supplicio de hostibus meis. Chaldaeus: *et ulciscatur contumeliam meam*. Vid. Ps. 9, 4. 5. — יוֹצִיאֵנִי לָאוֹר Donec *educat me ad lucem* e tenebris malorum, in quibus jam versor. אֶרְאֶה בְּצִדְקָתוֹ *Videbo justitiam suam*, fruar adhuc

beneficiis justitia sua in me redundandis, qua populum suum poenitentem salvat, feroces vero ac insolentes adversarios perdit. Verbum רָאָה cum ב constructum significare *aspicere cum voluptate* rem aliquam, ea frui, ostendimus ad Ps. 22, 18.

10. וְתֵרֶא אֹיַבְתִּי וּתְכַסֶּהָ בוּשָׁה *Videbit hoc*, cum me restituet Deus, *inimica mea*, *et operiet eam pudor*, cum haec audierit, undique pudore obtegetur, ut homo veste tegitur. Cf. not. ad Obad. Vs. 10. הָאֹמְרָה אֵלַי *Illa* ipsa, *quae* jam *dicit ad me* insolenter: אַיּוֹ יְהוָה אֱלֹהָיִךְ *ubi est ille* scil. *Jova Deus tuus?* de quo adeo gloriabaris, quemque dicebas Deum *tuum*, in oppositione eum ad nos, tum ad Deos nostros. In אַיּוֹ est pleonasmus suffixi, ut Exod. 2, 6. *aperiebat arcam*, וַתִּרְאֵהוּ אֶת־הַיֶּלֶד *et vidit eum* scil. *puerum.* Ita Joel 2, 17. precatur Jovam, ne suum populum probro addicat, ita ut inter gentes quaeratur: אַיֵּה אֱלֹהֵיהֶם *ubi est Deus eorum?* Ita et Psaltes 42, 4. *lacrymis pascor dies noctesque, dum hoc mihi quotidie objicitur:* אַיֵּה אֱלֹהַיִךְ *ubi est Deus tuus?* Similia loca vid. Ps. 79, 10. 115, 2. עֵינַי תִּרְאֶינָּה בָהּ *Oculi mei adspicient eam*, inimicam meam intereuntem cum voluptate (ראה cum ב vid. Vs. 9.). Alii: *videbunt in ea oculi mei* quae diu optavi, interitum ejus. Chaldaeus: *oculi mei videbunt ruinam eorum.* עַתָּה תִּהְיֶה לְמִרְמָס כְּטִיט חוּצוֹת *Jamjam*, mox *fiet inimica mea in conculcationem ut lutum platearum*, teretur pedibus victoris. Eadem imago Jes. 10, 6. Zach. 10, 5.

11. יוֹם לִבְנוֹת גְּדֵרָיִךְ *Dies ad reaedificandum macerias tuas* instat s. venit. Populum Hebraeum sub imagine urbis Hierosolymitanae alloquitur, ac promissionibus hisce solatur. גדריך *macerias tuas*, περίφραξις, pro: *muros tuos;* nam גָּדֵר proprie horti aut vineae septum ex lapidibus. Chaldaeus: *illo tempore aedificabuntur*, restaurabuntur *coetus Israelis.* Locus parallelus Amos 9, 11. *Erigam tugurium Davidis collapsum, obsepiamque macerie rupturas eorum.* Die illo, inquit vates, quo res tuae instaurabuntur, יוֹם הַהוּא יִרְחַק־חֹק *eodem die longe discedet statutum* scil. hostis, i. e. non amplius obnoxius eris tyrannidi hostium. Chaldaeus: *tempore illo irrita fient decreta gentium.* Sensu plane diverso nostrum comma capit JARCHI: „Respiciunt haec ad illud Vs. 10. הָאֹמְרָה אֵלַי *quae dicit mihi*, i. e. praeterea illa dicit mihi: dies aedificandi macerias tuas, quem tu exspectas, dies, inquam, ille elongabit statutum suum, et tempus suum producet, nec unquam veniet.“ Sane de *tempore statuto*, et quidem vitae humanae, dicitur חק Job. 14, 5. Verum concinnior est sensus a Chaldaeo expressus. Alii: *elongabit se*, aberit *decretum* Dei de infligendis tibi malis; desinet te Deus male habere.

12. Urbis Hierosolymitanae restauratae tantam fore dignitatem promittit, ut futura sit quasi orbis caput; acquiret sibi

novum et insolitum splendorem, ut undique illuc populi confluant. יוֹם הוּא וְעָדֶיךָ יָבוֹא לְמִנִּי אַשּׁוּר וְעָרֵי מָצוֹר *Die illo ad te venient ex Assyria urbibusque Aegypti.* Dictio Hebraea h. l. paulo insolentior, quae planior talis erat: בַּיּוֹם הַהוּא עָדֶיךָ יָבֹאוּ מֵאַשּׁוּר וְעָרֵי מָצוֹר *die illo*, quo muri tui, o Hierosolyma, resurrexerint, Vs. 11. ו ante וְעָדֶיךָ non est copulativum, nec tempus denotat, sed tantum consequutionem, et Latine redundat, plane ut Gen. 22, 3. *die tertio* וַיִּשָּׂא *elevavit Abrahamus oculos suos.* Vid. et Gen. 3, 5. יָבוֹא scil. בָּא *veniens*, s. אִישׁ *aliquis*, *quicunque*, i. e. venietur. לְמִנִּי pro simplici מִן, ut לְמִן Jer. 7, 7. לְמִן עוֹלָם וְעַד־עוֹלָם *a seculo usque in seculum.* Cf. 2 Paral. 15, 13. — מָצוֹר, quod alias *munitionem*, vel *obsidionem* notat, hoc loco, ubi Assyriae opponitur, pro Aegypti nomine capiendum est, ut 2 Reg. 19, 24. Jes. 19, 6 37, 2. 5. Bochartus *Phaleg.* L. IV. Cap. 24. p. 293. nomen מָצוֹר, i. e. *muniti loci*, Aegypto inditum inde putat, quod nulla regio sit naturali situ tutior. Ab occasu enim desertum habet inaccessum, a meridie Nili cataractas et montes Aethiopiae, ab ortu item eremum, et paludem Sirbonidis, ab aquilone mare prope importuosum. Bocharto adstipulatur P. E. Jablonskius in *Opusc.* T. I. p. 219., ita tamen, ut nomine Hebraeo Delta potissimum designetur, s. illa Aegypti pars, quam Nilus totus alluit et circumdat. Vid. *Bibl. Alterthumskunde* P. III. p. 190. וְלִמְנִי מָצוֹר וְעַד־נָהָר *Et* e terris *inde ab Aegypto usque ad fluvium*, i. e. Euphratem (פְּרָת, ut recte Chaldaeus posuit, cf. not. ad Jes. 7, 20.), quem Assyrii accolunt, coll. Jer. 2, 18. וְיָם מִיָּם *Et ad mare a mari*, ab uno ad alterum; gentes inter remotissima et opposita prorsus maria ac montes positae ad te venient. Sunt, qui existiment, describi hisce verbis terminos terrae Hebraeorum, ut verba ita sint intelligenda: *ad mare* occidentale, magnum *a mari* altero orientali s. mortuo, *et a monte* Libano *usque ad montem* Sinai, coll. Jos. 1, 4. Joel 4, 20. Sed prior ratio praestat, quum verbis hisce וְיָם מִיָּם וְהַר הָהָר haud dubie orbis terrarum fines describantur ex veterum notionibus, *a mari* quidem *ad mare*, i. e ab oriente ad occasum, cf. Amos 8, 12. et ibi not. Verbis autem postremis וְהַר הָהָר (pro וּמֵהַר עַד הָהָר, sunt enim particulae ex antecedentibus subaudiendae) *et a monte* uno usque *ad montem* oppositum, orbis terrarum fines a septentrione ad austrum describi haud dubitamus. Videntur enim Hebraei opinati esse, terminari terram utraque illa coeli plaga montibus, quemadmodum prisci Graeci et Latini ultimis septentrionem versus terrae oris Rhipaeum montem, austrum versus Atlantem posuerunt. Et de illo quidem Pomponius Mela *de situ orbis* Lib. I. extremo: *Ultra surgit mons Rhipaeus, ultraque eum jacet ora, quae spectat Oceanum.* Virgilius *Georg* 1, 240.: *Mundus ad Rhipaeas arduus arces consurgit.* De Atlante vero ad austrum coelum fulciente idem Virgilius *Aeneid.* 4, 246.: *Jamque volans apicem et latera ardua*

cernit Atlantis duri, coelum qui vertice fulcit. Montem conventus deorum in extremis septentrionis Hebraeos existimasse, vidimus ad Jes. 14, 13. Cf. *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. I. p. 154. Sensu hoc nostrum oraculum non differt ab illo supra 4, 1. 2. Jes. 60, 5. de populis undique ad Hierosolymam confluentibus. Chaldaeus, Hieronymus, nec non Syrus nostrum Versum capiunt de reversuris undique exsulibus in patriam terram.

13. Quemadmodum alias saepe promissionibus prophetae minas immiscere solent, ita et Noster, postquam loquutus esset de restitutione terrae et futura ejus dignitate, ut depellat impios a vana sua, qua turgebant, confidentia, atque ne irrita fore existimarent, quae supra 6, 13. sqq. comminatus fuerat, ut istas minas confirmet, jam addit: וְהָיְתָה הָאָרֶץ לְשַׁמָּמָה עַל יֹשְׁבֶיהָ Jam tamen *erit haec terra in devastationem propter incolas ejus*, i. e. prius tamen, quam impleantur magnificae istae promissiones de instauranda urbe Hierosolymitana, et adducendis in sinum ejus variis gentibus, incolis hujus terrae promeritae poenae erunt luendae, tota eorum regio ab hostibus vastabitur. הארץ *haec terra* scil. Israelitica, praepositum enim est *He* articuli *δεικτικῶς* sumendum. על יושביה *propter incolas ejus* impios (cf. Jes. 24, 5.). מִפְּרִי מַעַלְלֵיהֶם *Ob fructum facinorum suorum*, ut prout sementem fecerint ita metant. *Fructus* hic est *praemium*, ut Ps. 58, 12. אַךְ־פְּרִי לַצַּדִּיק *certe fructus est justo*, pio certa sunt praemia sua. Jes. 3, 10. *pii fructum factorum suorum comedent*, benefactorum suorum praemia ferent. Parum commode nonnulli interpretes hoc Versu terrae hostilis devastationem denuntiari existimant.

14. Postquam repetiisset vates comminationem de terra Israelitica vastanda Vs 13., convertit se ad preces et vota, velit suum populum Jova in veterem libertatem et dignitatem vindicare: רְעֵה עַמְּךָ בְשִׁבְטֶךָ צֹאן נַחֲלָתֶךָ *pasce populum tuum pedo tuo, gregem hereditatis tuae*, rege populum tuum, quem tanquam jure hereditario possidendum tibi asseruisti. Reges pastoribus conferri, notum (cf. not. ad 5, 3.), hinc *pascere* pro gubernare, cf. Ezech. 34, 13. Ps. 23, 1. Locus huic parallelus Ps. 95, 7. ubi vid. not. שֹׁכְנִי לְבָדָד *Habitantem* s. habitaturum *seorsim*, i. e. qui non amplius inter alios populos dispersus sit, sed e terris exteris collectus a reliquorum populorum communione segregatus habitet, inque patria tellure sub rege Jova rempublicam constituat peculiarem, quae non ex alieno arbitrio pendeat. Hoc sensu Bileamus in vaticinio, quo, licet invitus, populo Hebraico fausta quaeque ominatur, inter alia Num. 23, 9. (al. 13.) haec dicit: *en populus*, qui *solus habitat*, *et* aliis *gentibus se ipsum non annumerat*, i. e. religione, legibus et institutis vitae ab omnibus aliis segregatus est. Ad quem ipsum Bileamitici vaticinii locum respexisse hic Micham, verisimile facit illud, quod Noster supra

6, 5. inter beneficia a Jova in populum Hebraicum olim collata discrte hoc memorat, quod Bileamus populo illi bene precari vi divina coactus fuerit. Alii interpretes nostro לָבֶטַח *securitatem* innui existimant, nam securitatis est, habitare solum, nec cinctum esse vicinis, a quibus hostile quid metuendum sit. Ita Jer. 49, 31. *Surgite, ascendite ad gentem tranquillam, habitantem secure, cui non sunt valvae neque vectes,* בָּדָד יִשְׁכְּנוּ *soli habitant.* Et Deut. 33, 28. וַיִּשְׁכֹּן יִשְׂרָאֵל בֶּטַח בָּדָד *habitet Israel secure seorsim,* non commixtus Cananaeis, inter quos secure vivere non possit. De שִׁכְנִי cum Jod paragogico vid. not. ad Obad. Vs. 3. Pergit vates: יַעַר בְּתוֹךְ כַּרְמֶל (pasce gregem tuum) in *sylva in medio Carmeli,* subaudito ב ante יער, vel, repetito שכני *habitantem,* incolentem, *sylvam Carmeli,* ut pendeat יער a verbo שָׁכַן, quod apud Hebraeos cum Accusativo non minus, quam cum praefixo ב jungitur, vid. Prov. 2, 21. 10, 30. Quum vates Jovam pastori, populum gregi comparasset, in hac similitudine persistens, orat, velit Deus suam gregem in pascuis optimis pascere, qualia sunt agri saltuosi et irrigui. Cf. VIRGILIUS *Georg.* 2, 195. sqq. 3, 322. sqq. De Carmele pascuis praestantissimis nobilitato vid. not. ad Amos 1, 2. יִרְעוּ בָשָׁן וְגִלְעָד *Pascantur in Basan et Gilead,* quae utraque regio pascuis laeta erat, de priore vid. not. ad Amos 4, 1., de altera Num. 32, 1. et ad eum loc. not. כִּימֵי עוֹלָם *Sicut diebus priscis,* Salomone regnante, quo regni finibus ampliatis alta pax regnabat, 1 Reg. 5, 5. Cf. not. ad Amos 9, 11. sub fin.

15. Respondet Deus ad petitionem prophetae: כִּימֵי וגו׳ *sicut diebus egressionis tuae,* ut cum majores tui egressi sunt *ex Aegypto, ostendam ei* populo *miranda,* tanta in ejus gratiam potentiae meae documenta edam, ut omnes gentes ad ea obstupescant. Cf. Ezech. 20, 35. 36.

16. יִרְאוּ גּוֹיִם וְיֵבֹשׁוּ מִכֹּל גְּבוּרָתָם *Videbunt gentes* facta illa admiranda, *et pudefient ab omni fortitudine sua,* i. e. pudebit eos universae potentiae ejus, qua confisi putabant se nihil non effecturos. Cum ergo frustra erunt, ea res ipsos in ruborem dabit. Cf. Ezech. 32, 30. מִגְּבוּרָתָם בּוֹשִׁים *a potentia sua erubescentes.* יָשִׂימוּ יָד עַל־פֶּה *Ponent manum ad os,* prae tacita admiratione, et ut innuant nullam sibi jam superesse gloriationis materiam. Gestus ille eorum, qui sibi aut aliis silentium imperant, vid. Jud. 18, 19. Job 21, 5 אָזְנֵיהֶם תֵּחָרַשְׁנָה *Aures eorum obsurdescent,* adeo erunt consternati, ut quae dicentur non percipiant. Ita 1 Sam. 3, 11. *Ecce ego facturus sum rem in Israelem, quam quisquis audiverit, tinnient ambae aures ejus,* ut prae horrore sensus ejus hebetentur.

17. יְלַחֲכוּ עָפָר *Lingent pulverem,* supplices terram deosculabuntur ad testificandam servitutem, quemadmodum adhuc hodie solent in Asia cum regem adeunt terram deosculari. Reperitur

haec loquutio et Ps. 72, 9. Chaldaeus: *expandent se super faciem suam in terram.* כַּנָּחָשׁ *Sicut serpens*, qui super pectus ambulat, ac proinde humum lingit, quam etiam *edere* dicitur, Gen. 3, 14. Jes. 65, 25. כְּזוֹחֲלֵי אֶרֶץ *Sicut serpentia terrae*, reptilia, quae serpunt in terra, ut Deut. 32, 24. Ceterum accentus docent, hoc simile non esse jungendum verbo, quod praecedit, sed ei quod sequitur: יִרְגְּזוּ *movebunt se* trepidi, de tali enim motu verbum dicitur Jes. 14, 9. 64, 1. — מִמִּסְגְּרֹתֵיהֶם *E claustris suis*, id est, ut recte Chaldaeus, *ex arcibus suis*, quibus inclusi degunt, ut tuti sint. Cf. Ps. 18, 46. Dicit igitur vates: etiamsi putaverint populi Hebraeis inimici, se esse tutos in arcibus suis bene munitis, tamen ubi Jova ad opem suo populo ferendam surrexerit, tanta formidine percellentur, ut trepidi et supplices prodeant, quemadmodum cum fodiendo terra movetur, statim erumpunt vermes, et trepide huc et illuc diffugiunt. אֶל־יְהוָה אֱלֹהֵינוּ יִפְחָדוּ *Ad Jovam, Deum nostrum, pavebunt*, pavidi accurrent, deposita pristina ferocia; cf. Hos. 3, 5. — וְיִרְאוּ מִמֶּךָּ *Et timebunt a te*, Jova, quod praecessit. Ita Jer. 10, 7. *quis te non timeat, rex gentium?* Possit tamen sermo et ad populum Hebraicum directus esse, quomodo planius fluet oratio, innueturque reverentia populo Hebraeo obventura. Cf. Deut. 28, 10. *Videntes omnes orbis terrarum nationes vos Jovae nomine censeri, a vobis metuent.*

18. Vates tantorum, quae in populum Hebraeum Jova conferre promittit, beneficiorum cogitatione in admirationem abreptus, in laetam exclamationem erumpit: מִי־אֵל כָּמוֹךָ נֹשֵׂא עָוֹן *quis est Deus* ita clemens et benignus, *tui similis tollens culpam*, ut non imputetur, ut condonetur, s. poenam peccati tollens; cf. Exod. 34, 7. Num. 14, 18. וְעֹבֵר עַל־פֶּשַׁע *Et transiens*, impunitam transmittens, *praevaricationem*, ita se gerens, quasi eam omnino non videret. Similitudo a victore sumta, qui quae intro spicere non vult praeterit. Cf. not. ad Amos 7, 8. לִשְׁאֵרִית *Reliquiis hereditatis suae*, populi sui, quem peculii instar habet, Vs. 14. *Reliquias* dixit pro iis, qui reliqui erunt liberationis tempore, ut VIRGILIUS *Aeneid.* 1, 30. *Reliquias Danaum atque immitis Achilli.* לֹא־הֶחֱזִיק לָעַד אַפּוֹ *Non retinet in perpetuum iram suam*, non ostendit se implacabilem. Quod ipsum de Deo praedicatur Ps. 103, 9. כִּי־חָפֵץ חֶסֶד הוּא *Nam cupiens benignitatem ipse est*, benignitate, clementia delectatur; *amat benefacere*, ut recte Chaldaeus posuit, id ei proprium est et naturale; poenae et supplicia ei extorquentur.

19. יָשׁוּב יְרַחֲמֵנוּ *Revertetur miserebitur nostri*, iterum nostri miserebitur. Verbum שׁוּב *reverti*, ubi alio verbo jungitur, notare iterationem actus, sed adverbialiter pro *iterum*, *denuo* sumendum esse, notum. Solent autem tum duo illa verba saepius eodem tempore et persona adhiberi, idque vel intercedente par-

ticula conjunctiva ו, ut Jud 19, 7. וַיָּשָׁב וַיָּלֶן שָׁם *et reversus est et pernoctavit ibi*, i. e. iterum pernoctavit illic; vel etiam nude et absque illa, ut Ezech. 8, 15. עוֹד תָּשׁוּב תִּרְאֶה *adhuc denuo majores abominationes prae illis videbis.* Alii nostrum יָשׁוּב sensu non multum diverso a יְרַחֲמֵנוּ accipiunt, quod quemadmodum Deus *recedere a populo* quodam, aut *illum relinquere* dicitur, quando eum praesidio suo orbatum hostium potestati tradit, Deut. 31, 17. Jud. 16, 13. 20. 1 Sam. 18, 12.; ita contra *reverti* dicitur, quando se ejus curam gerere postliminio ostendit, eique nova amoris et auxilii documenta exhibet, Deut. 30, 19. Ps. 6, 5. 60, 3. Jes. 63, 17. Ita hic duo conjungerentur, Deum, qui se ad illud tempus quasi averterat a Judaeis, jam ad eos reversurum, eisque in statu miserrimo subventurum, et misericordia sua eos complexurum esse, quod Zach 1, 16. est *reverti in s. cum misericordia.* יִכְבּוֹשׁ עֲוֹנֹתֵינוּ *Calcabit nostras iniquitates*, i. e. supprimet eas, premet pedibus, ut earum perpetuo obliviscatur. וְתַשְׁלִיךְ בִּמְצוֹלוֹת יָם כָּל־חַטֹּאתָם *Et projicies in profunditates maris omnia eorum peccata*, aeterna oblivione delebis memoriam peccatorum nostrorum. Nam quae mari immersa sunt, eorum non est amplius apud nos memoria. Quae funditus deleta quis cupit, et quorum etiam vestigia aut memoriam remanere nolit, ea *in mare projici* dicuntur et Graecis et Latinis. Ad sensum cum nostro loco comparandus est Jes. 43, 25. *Ego ipse deleo defectiones tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordor.*

20. תִּתֵּן אֱמֶת לְיַעֲקֹב *Dabis veritatem Jacobo*, praestabis te veracem in praestandis promissis. אמת hic ut alias est fides et constantia in servandis promissis. *Jacobo* pro Jacobaeis, Israelitis. Praestabis, inquit, Jacobi posteris, quod Jacobo promisisti, Gen. 35, 9—15. Dabis, pergit, חֶסֶד לְאַבְרָהָם *benignitatem Abrahamo*, bonitatem tuam ostendes erga Abrahami sobolem. Solent enim posteri vocari nomine majorum. אֲשֶׁר־נִשְׁבַּעְתָּ לַאֲבֹתֵינוּ מִימֵי קֶדֶם Praestabis *quae jurasti patribus nostris inde a diebus antiquitatis*, i. e priscis, jam olim. *Patribus*, i. e. Abrahamo ipsi, Gen. 12, 2. 15, 7. 17, 7. sqq., Isaaco, Gen. 26, 24., Jacobo, Gen. 28, 13. In hac bonitate promissa et hoc comprehenditur, quod numquam interitura sit illorum patrum progenies, et ut quoties se universam ad Deum convertat, restituatur in veterem possessionem, Deut. 30, 1—4.

IN NAHUMUM PROOEMIUM.

Quae ad Nahumi vitam et res pertinent aeque omnia latent. Hoc unum in libri inscriptione traditur, eum fuisse Elcositam. De qua appellatione etsi variae variorum sint sententiae (vid. not. ad Cap. 1, 1.), maxima tamen veri specie se commendat illa, qua statuitur, vatem a loco natali, vico quodam Galilaeae, illud cognominis nactum esse. Quod si ita se habeat, Nostrum, ortu Israelitam, everso per Assyrios regno Israelitico, in Judaicum regnum transiisse, ibique suum vaticinium edidisse credibile est. Nam Judam alloquutus 2, 1. in ea terra degisse stataque per annum solemnia una cum reliquis incolis celebrasse videtur. Longe difficilior est quaestio de aetate Nahumi definienda, quum neque in fronte libri princeps, cujus tempore vixerit, ut in pluribus aliis fatidicis Hebraeorum libris, commemoretur, neque aliunde quidquam de eo innotuerit. Quare nihil superest, nisi ut ex indiciis nonnullis in ipso vaticinio obviis colligamus, quid ea de re verisimiliter statui queat. Hebraeos, tam Judaici quam Israelitici regni, vatis nostri aetate ab Assyriis jam dudum multis et gravibus malis affectos fuisse, non solum universum arguit vaticinium, quod acerbissimum in illos, ut hostes feroces et insolentes, odium spirat, verum et illud, quod e verbis 2, 3. patet, Nostri aetate veterem utriusque regni splendorem atque dignitatem evanuisse. Thebas Aegyptias expugnatas, et qui eis auxilium tulerant, Aegyptios, Aethiopas, aliosque plures a victoribus deportatos memorat vates 3, 8. 9. Quod ipsum quidem a quonam et quo tempore factum sit haud certo liquet. Neque tamen improbabilis est conjectura, accidisse illud in expeditione a Tartane, duce exercitus Assyriaci, Sargone rege, in Aegyptum sus-

cepta, primis Hiskiae annis, uti ex Jes. 20, 1. (vid. Argument. illius Cap.) colligi potest. Quarto decimo Hiskiae anno passus est exercitus Assyriacus insignem illam prope Hierosolyma stragem, qua Sanheribus salutem fuga quaerere domumque reverti coactus fuit, 2 Reg. 19, 35. Post tantam vero deleto exercitu cladem acceptam, et parricidium in ipso Sanheribo a filiis ejus commissum (2 Reg. 19, 36. 37.), quo tempore Medi quoque aliique populi ab imperio Assyriaco defecisse videntur, inclinari coeperunt res Assyriacae, ita ut Hiskias reliquo regni sui tempore ab hoc hoste quietus sederet. Sub illud igitur ipsum aevum, quo Judaeis spes affulgeret, fore, ut regnum ipsis adeo infensum brevi potentiori hosti succumbat, et caput regni, Ninus, expugnetur atque subvertatur, nostrum vaticinium consignatum esse, non sine veri specie sumi posse arbitramur. Totum illud versatur in eo, ut graves denuntiet suppliciorum calamitates, quas Assyriis ob crudele, quo Judaeos premebant, imperium, summus et aeternus omnium rerum inflicturus sit arbiter. Postquam igitur, exordio gravi et magnifico, Jovam, gentis suae vindicem potentissimum, celebrasset, qui illam ab Assyriorum insolentia ac minis luculenter ulturus esset, de exitio imminenti gentis Assyriacae, nulla emendabilis admonitione, severum Ejusdem exponit decretum. Ingentes porro belli describit apparatus, hostilium agminum ad proelium incessum, cruentas ab illis clades acceptas, gemitus infelicis populi flebiles, cuncta obsidionis mala, quin et oculis quasi triste sistit spectaculum, quo Ninus, regni Assyriaci ingens potensque caput, ineluctabili involvenda sit ruina. Quae omnia Nahumus tanta exsequutus est sententiarum gravitate, tantis verborum ponderibus, tanta augustarum vividissimisque coloribus pictarum imaginum copia, ut non dubitemus accedere Lowthi, facultatis poeticae arbitri maxime idonei, judicio (*de sacra poesi Hebraeorum*, p. 434. ed. Gotting., seu p. 246. ed. Lips.), ex omnibus minoribus prophetis neminem aequare sibi videri sublimitatem, ardorem et audaces spiritus Nahumi.

NAHUM.

CAP. I.

Argumentum.

Post inscriptionem totius libri (Vs. 1.) propheta vaticinium suum exorditur a descriptione Jovae, tanquam severi vindicis adversus hostes (Vs. 2—6.), benigni autem valde erga suos resipiscentes (Vs. 7. 8), cui minas subjicit adversus Ninevitas (Vs. 8—11. 14.), insertis ad consolandos Israelitas promissionibus (Vs. 12. 13.).

1. Inter ceteros omnes V. T. libros solus hic noster geminam praepositam habet epigraphen, quarum priorem, מַשָּׂא נִינְוֵה, desumtam esse e locis, quibus Ninive nominatim commemoratur, veluti 2, 9., et a librario quodam aut editore, vel fortassis a collectore librorum V. T. adjectam conjicit EICHHORN *Isagog. in V. T.* P. III. p. 325. edit. tert. De מַשָּׂא nequaquam *onus*, sive prophetiam onerosam et infausta denuntiantem, significante, sed *effatum*, *oraculum*, a נָשָׂא *sustulit*, *protulit*, vid. not. ad Jes. 18, 1. נִינְוֵה *Ninives*, i. e. contra Niniven, est Genitivus objecti, ut Jes. 13, 1. מַשָּׂא בָבֶל *oraculum adversus Babelem*, et 19, 1. מַשָּׂא מִצְרָיִם *oraculum contra Aegyptum*. De urbe Ninive s. Nino, Assyriaci imperii capite, vid. not. ad Jon. 1, 2. Ceterum una cum metropoli Ninive totum imperium Assyriacum significatur. Altera nostri libri inscriptio est: סֵפֶר חֲזוֹן נַחוּם הָאֶלְקֹשִׁי *liber visionis Nahumi Elkoschitae*. De חָזוֹן, proprie *visionem*, hinc *rerum futurarum imaginem viso objectam* vatis alicujus phantasiae, eamque verbis descriptam, i. e. *vaticinium* denotante, vid. not. ad Jes. 1, 1. Vatis nostri nomen נַחוּם, apud LXX *Ναοὺμ*, Hieronymus in Prooemio ad suum in hoc vaticinium Commentarium interpretatur *consolator*, a נִחַם *consolatus est*. Abarbenel quoque in *Praefat. ad Ezechielem* fol. 153. col. 4. Nahumum ita appellatum tradit, quod de Sanheribi interitu 2, 1. sqq. vaticinatus, Israelem in sua angustia נִחַם *consolatus sit*. Hinc nomen illud conferendum putat cum נֹחַ, *Noachi* nomine, cujus rationem reddens Lamech pater, זֶה יְנַחֲמֵנוּ inquit, *iste consolabitur nos*, Gen. 5, 29. Verum נַחוּם potius Participii passivi significationem sustinere videtur, et cum notare, *qui solatio affectus*, vel *ad-*

jutus fuit. Causam ceterum, cur in Graeca Alexandrina versione Nahumi vaticinium post Jonae librum ponitur, HIERONYMUS reddit hanc, „quia videntur de eadem urbe prophetare. Uterque de Ninive, Assyriorum metropoli, quae nunc vocatur Ninus, texunt vaticinium.“ Cum Jonae libro nostrum vaticinium jungit quoque Chaldaeus, qui Versum hunc primum sic exponit: *onus calicis maledictionis propinandi Ninivae* (cf. 3, 11.), *contra quam vaticinatus est prius Jona, filius Amitthai, propheta, qui fuit ex Gath-Chepher, quando illa etiam conversa fuit a peccatis suis; sed quum perrexisset peccare, iterum contra eam vaticinatus est Nahum.* Quod additur הָאֶלְקֹשִׁי, formatum ab אֶלְקוֹשׁ *gramen serotinum*, vel *pluvia serotina*, formae אֶגְרֹף *pugnus*, אֶשְׁכֹּל *botrus*, num vatis genus, an locum natalem indicet, dubitatur. Nos quidem non dubitamus accedere HIERONYMO, qui patriam vatis ea appellatione indicari docet: „Quidam putant, Helkeseum patrem esse Nahum, et secundum Hebraeam traditionem etiam ipsum prophetam fuisse; quum *Helkesei* usque hodie in Galilaea viculus sit, parvus quidem, et vix ruinis veterum aedificiorum indicans vestigia, sed tamen notus Judaeis, et mihi quoque a circumducente monstratus.“ Qui nomine האלקושי prophetae familiam (familiam *Koschiorum*) significari putant, potissimum hoc urgent, quod in recensione locorum Palaestinae apud Josuam urbs aut vicus, cui *Elkosch* nomen, frustra quaeritur. Verum Josuae institutum minime illud fuit, ut omnium totius Palaestinae oppidorum et vicorum iniret censum, sed delineare tantum voluit singularum tribuum sedes, terminos, urbes celebriores. Ut taceamus, fieri potuisse, ut dudum post Josuae aetatem hoc oppidum, invalescente populi multitudine, conderetur. Multas praeterea haud dubie Palaestina continuit urbes ignobiliores et tenuiores, quarum nulla fit mentio in V. T. libris. Hieronymi igitur, testis oculati, cur elevare fidem, et viculum nomine *Elkosch* in Palaestina olim exstitisse, cur negare velimus, causa idonea apparet nulla. Quemadmodum itaque Michas המורשתי a patria *Morescheth*, non a parentibus aut familia dicebatur, et Jeremias 29, 27. הענתתי *Anathothensis*, i. e. e vico *Anathoth* oriundus, ut diserte 1, 1. dicitur, sic et, eadem forma grammatica vocis, noster *Elkoschita*, a patria *Elkoscha*, denominari recte creditur. Non desunt inter recentiores libri nostri interpretes, qui Nahumum existiment in Assyria natum, a parentibus Israeliticis, qui exsules in regionem istam deportati essent. In quam opinionem illud eos perduxit, quod haud procul ab eo loco, quo antiqua Ninive fuit, vicus quidam, *Elcosch* dictus, exstat, ubi ex veteri fama, a Judaeis ad Christianos nunc ibi habitantes perlata, natus sit Nahumus, cujus sepulchrum magna veneratione persequuntur. Vid. librum nostr. *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 100. Recte observat JAHN *Isagog. in V. T.* Vol. II. p. 509., vicum illum Assyriacum *Elkosch*, recentiore haud

dubie aetate conditum, temporis progressu ob aliquam nominis אֶלְקוֹשִׁ similitudinem pro ipso Nahumi loco natali habitum esse.

2. Ordítur vates magnifica descriptione divinae majestatis ac potentiae, ut, quod postea subjiciet de Ninives excidio plus habeat ponderis et magis afficiat auditores. אֵל קַנּוֹא *Deus aemulator*, ut recte Hieronymus vertit; aut, si placet Graeco vocabulo uti, *zelotes*. Ita autem Jova dicitur duabus de causis; una est, quod non fert in cultu suo rivalem, i. e. Deum alium praeter se, quemadmodum maritus consortis impatiens (cf. de hoc usu verbi קִנֵּא Num. 5, 14.), vid. Exod. 34, 14. Jes. 42, 8. Altera causa haec est, quoniam aegerrime fert, si quis populum suum, quem unice amat, indigne habeat, et injuria afficiat. Quo sensu, recte monente Abarbenele, קַנּוֹא hic sumitur, uti et Joel 2, 18. *Deus zelat pro terra sua*, q. d. animo aestuat ex indignatione de iis concepta, quae indigne facta sunt adversus terram suam et populum in ea commorantem. Bene Grotius: „qui neque amicos suos oppressos, neque inimicos florentes diu conspicere possit.“ וְנֹקֵם יְהוָה *Et vindex* s. *ultor* est *Jova*, non solum indigne fert injurias suis illatas, sed etiam severe eas ulciscetur, unde Ps. 94, 1. *Deus ultionum* vocatur. נֹקֵם יְהוָה וּבַעַל חֵמָה *Ultor*, inquam, est *Jova, et dominus excandescentiae*, i. e. ira graviore commovetur, in eos videlicet, qui male tractant sibi caros et amicos. Nomen בַּעַל, plane ut nomina בֵּן et אִישׁ, alii nomini adjunctum, ad exprimenda adjectiva usurpari, notum. Ita בַּעַל שֵׂעָר, 2 Reg. 1, 8. proprie *dominus*, possessor, *pilorum*, habens pilos, denotat *pilosum*, בַּעַל כָּנָף *dominus alae*, Prov. 1, 17. *alatum*, בַּעַל־אַף Prov. 22, 24. *iratum*. Vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 647. נֹקֵם יְהוָה לְצָרָיו *Ultor* est *Jova in hostes suos*. Bene Chaldaeus: *paratus est Jova ut vindictam sumat de hostibus populi sui*. Cf. Jes. 59, 18. *ira hostibus suis, retributio inimicis suis*. Trina formulae נקם יהוה repetitio vehementer affirmat. Cf. not. ad Jes. 6, 3. וְנוֹטֵר הוּא לְאוֹיְבָיו *Et servat hostibus suis* scil. חֵמָה *iram*, aut memoriam injuriarum. Verbo נָטַר *servare* Hebraei sine adjectione uti solent de eo, qui animum iratum diu retinet, nec memoriam injuriarum cito aut facile deponit. Ita Jer. 3, 12. *benignus ego sum, inquit Jova*, לֹא אֶטּוֹר לְעוֹלָם *nec servo in perpetuum iram*. Vid. et Vs. 5. et Ps. 103, 9. Chaldaeus: *et in ira vehementi* ultionem sumet *de hostibus suis*. Jova enim adversarios suos tarde quidem, sed eo gravius punit, juxta illud Valerii Maximi *Dictor. et factor. memorabil.* L. I. Cap. I. *Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat.*

3. יְהוָה אֶרֶךְ אַפַּיִם *Jova* est *tardus* quidem *ad iram*, longanimis; tarde irascitur, et injurias diu fert aequanimiter. Cf. Exod. 34, 6. Contra קְצַר־אַפַּיִם Prov. 14, 17., dicitur qui cito levique de causa irascitur. וּגְדַל־כֹּחַ Idem tamen *magnus*

est *fortitudine*, uti Hieronymus vertit; i. e. quamquam posset improbos perdere, si vellet, uno momento, quippe maximo robore praeditus est, tamen differt poenam, idque ea potissimum de causa, ut habeant spatium resipiscendi. וְנַקֵּה לֹא־יְנַקֶּה *Et mundando non mundabit*, i. e. attamen haud quaquam tanquam innocentes dimittet, et insontes aut inultos esse sinet populi sui hostes, qui ipsi pro suis adversariis reputantur. Cf. Exod. 20, 7. 34, 7. Chaldaeus: *quando ulturus est Jova, parcit iis, qui conversi fuerint ad legem, qui vero non conversi fuerint, non dimittet insontes.* יְהוָה בְּסוּפָה וּבִשְׂעָרָה דַּרְכּוֹ *Jovam* quod attinet *in procella et turbine est via ejus*, incessus ejus vehementia turbinem aequat; si quando constituit ultionem sumere de hostibus, aggreditur eos summo cum impetu ac vehementia, cui nihil potest resistere. Sistitur Deus quasi dux bellicus, qui quum hostes suos invadit, non telis hastisque, verum turbinibus ac procellis, tanquam armis, utatur. בְּסוּפָה, quod Hieronymus recte *in tempestate* vertit, graviorem procellam notat, cum tonitrubus, fulminibus, omnibusque quae summum horrorem incutiant, conjunctam. Chaldaeus: *Jova in turbine et vento ducem se praebet.* וְעָנָן אָבָק רַגְלָיו *Et nubes pulvis pedum ejus.* Continuatur figura a duce bellico desumta; ut enim hic suis pedibus densum pulverem excitat, quando agmina citata adversus hostes educit; ita Deus, quando turbines et procellas, tanquam agmina militaria educit, figuratur suis pedibus concitare et condensare magnas moles nubium, ut existat atra tempestas. Chaldaeus: *et nubem caliginis subjecit coram se.*

4. Dei potentiam describit a vi, qua pollet in res creatas, ut sunt mare, flumina, pascua, arva, loca arboribus consita, item montes, colles, terra cum culta tam inculta cum omnibus inhabitantibus eam. Subest autem vis argumenti a majori. Si potest elementa mutare cum vult, quomodo non poterit populi sui hostes, cum volet, evertere? גּוֹעֵר בַּיָּם *Increpat mare*, ut dominus servum, aut imperator militem sibi subditum. Sub imperio habet illud. Cf. Luc. 8, 24. *ἐπετίμησε τῷ ἀνέμῳ καὶ τῷ κλύδωνι τοῦ ὕδατος.* וַיִּבָּשֵׁהוּ *Et arefecit illud*, futuri Piel forma contracta pro וַיְיַבֵּשֵׁהוּ, ut 2 Paral. 32, 30. וַיְיַשְּׁרֵם pro וַיְיַשְּׁרֵם *recta eos deduxit.* Cf. יְרֵה Obad. Vs. 11. et ibi not. וְכָל־הַנְּהָרוֹת הֶחֱרִיב *Et omnia flumina exsiccat.* Hieronymus: *ad desertum deducens*, i. e. deserti instar aquis vacui illa reddit. Cf. Jes. 50, 2. *mea increpatione mare exsicco, flumina deserta reddo.* Quo loco, uti et nostro, respicitur ad exsiccatum mare algosum, Exod. 14, 21. coll. Ps. 106, 9., et arefactum Jordanem, Jos. 3, 13. — אֻמְלַל בָּשָׁן וְכַרְמֶל *languescit* Jova increpante *Basan et Carmelus*, regiones maxime aptae pascendo pecori, quae ideo saepe conjunguntur, vid. Amos 1, 2. Mich. 7, 14. Illae *languere* dicuntur cum humore destitutae non possunt solitos fructus edere. Chal-

daeus: *vastatus est Mathnan.* Syrus: *ingemiscit Mathnin.* Ita Aramaei eam regionem vocant, quae Hebraice בשן; gemina mutatione literae ב in מ aeque labialem, et שׁ in ת, e dialecti Aramaeae proprietate. וּפָרַח לְבָנוֹן אֻמְלָל *Et germen Libani*, s. id quod in Libano germinat, crescit, *languescit.*

5. Magnifica descriptio terrae motus: הָרִים רָעֲשׁוּ מִמֶּנּוּ *montes commoventur ab eo*, prae metu divinae potentiae, *et colles liquescunt*, instar nivis aut cerae a calore et igne dissolvuntur et evanescunt. Sic et Davides terram concuti vehementiusque contremuisse, adventante Jova irato, fingit Ps. 18, 8. — וַתִּשָּׂא הָאָרֶץ מִפָּנָיו *Elevatque se terra* commota *a facie ejus.* Bene LXX: *ἀνεστάλη ἡ γῆ, sublata est terra;* nam in terrae motu, de quo hic aperte agitur, illa ita concutitur, ut in altum tolli videatur. וְתֵבֵל וְכָל־יוֹשְׁבֵי בָהּ *Et orbis terrarum omnesque habitantes in eo* sustolluntur, commoventur, quod e וַתִּשָּׂא, quod praecessit, subaudiendum. Dicitur hic de hominibus subita consternatione percussis atque hinc se subito attollentibus subsaltantibusque prae metu Numinis ad vindictam advenientis.

6. Quemadmodum Deus immensae est potentiae, qua cuncta sibi subjicere potest, prae cujus metu fugit mare, concutiuntur montes, terra tota contremiscit; sic et irae ejus atque indignationis tanta vis est, ut nemo hominum, quanta etiam potentia polleat, resistere eidem possit. לִפְנֵי זַעְמוֹ מִי יַעֲמֹד *Et quis consistet in excandescentia irae ejus?* זעמו חֲמָתוֹ נִתְּכָה כָּאֵשׁ *Aestus ejus effunditur sicut ignis*, qualis est fulmineus, aut pluviae illae sulphureae et igneae, quibus Sodoma et vicinae urbes eversae sunt, Gen. 19, 24. Syrus: *aestus ejus ardet sicut ignis.* Alii נתכה sumunt pro Piel; ita Chaldaeus: *ira ejus sicut ignis liquat*, ut ignis metalla, sic indignationis divinae effectus obvia quaeque fundunt et dissolvunt. Sed priorem interpretationem, ex qua imago a *pluvia* desumta est (de qua נִתַּךְ dicitur Exod. 9, 33.), sese in terram effundente, commendat locus parallelus Jer. 7, 20. *excandescentia mea fusa est in locum istum super homines, bestiasque, et arbores campi, atque fruges agri, et accendetur, nec exstinguetur.* Cf. 44, 6. וְהַצֻּרִים נִתְּצוּ מִמֶּנּוּ *Et* ipsae *petrae dissolvuntur ab eo.* Jova irato fulminaque mittente et ipsae durissimae rupes in frusta dissiliunt.

7. Gravissimis minis, quibus prohpeta hostes terret, solatium propter Judaeos admiscet, ac tam esse bonum, ait, Jovam erga pios, quam sit ira adversus malos accensus. טוֹב יְהוָה *Bonus*, benignus est *Jova*, לְיִשְׂרָאֵל *Israeli*, addit Chaldaeus ex Ps. 73, 1. לְמָעוֹז בְּיוֹם צָרָה *Praesidio* est piis *die angustiae.* De nomine מָעוֹז vid. not. ad Ps. 27, 1. וְיֹדֵעַ חֹסֵי בוֹ *Et novit qui confugium quaerunt in ipso.* *Nosse* hic est amare, probare,

tueri, curae habere, q. d. non sinet eos perire. Cf. not. ad Ps. 1, 6. De חָסִי בוֹ vid. not. ad Ps. 2, 12.

8. Minatur propheta Ninevitarum urbi et regno Assyriorum horrendam cladem atque excidium, sumta metaphora ab inundatione vehementer erumpente atque omnia loca magno impetu pervadente. וּבְשֶׁטֶף עֹבֵר כָּלָה יַעֲשֶׂה מְקוֹמָהּ *Et per inundationem transeuntem*, pervadentem omnia, *consummationem faciet loci ejus*, quemadmodum ingens aquarum vis subito erumpens omnia secum rapit et prosternit, agros devastat atque domos subvertit, sic copiarum hostilium impetu Ninive ita delebitur, ut ne locum quidem ejus quisquam agnituras sit. *Inundationis* imago saepius a poetis Hebraeis usurpatur, rarius tamen in bonam partem, ut Jes. 66, 12., ubi torrenti inundanti (נַחַל שׁוֹטֵף) comparatur gloria, qua respublica Hebraea restaurata longe lateque sit decoranda, plerumque in malam partem, ut notet magnas et horrendas calamitates, veluti Jes. 28, 17. 30, 30., speciatim vero per inundationem aquarum multarum omnia abripientem, dejicientem et destruentem significatur potentissimus hostis omnia celerrime perdens, Jes. 27, 2. Dan. 9, 26. 11, 10. 26, 40., atque exercitus omnia vastans, Jes. 8, 7. 8. Jer. 42, 2. עֹבֵר *Transgrediente* ripas videlicet, torrentis instar, vel cui nulli obices objecti, nulla obstacula, quin liberrime omnia possit pervadere; cf. Jes. 8, 8. כָּלָה יַעֲשֶׂה מְקוֹמָהּ *Consummationem faciet locum ejus*, prorsus delebit locum, in quo sita nunc Ninive, ut illum nemo inventurus sit. Suffixum femineum in מְקוֹמָהּ spectat regni hostilis metropolin, Niniven, quae diserte nominatur supra Vs. 1. et infra 2, 9. Quod vero hic Ninive per solum suffixum designatur, haud praecedente ipsius nomine, id est e more poetarum Asiaticorum, qui quum ingenio vegeto fervidoque et acerrimo cogitationum impetu ferantur, saepe re, quam oratione tractabant, subito relicta, ad aliam vix nomine designatam transgredi solent, quod circa quae animi magno affectu occupantur, et in quibus ipsi sunt toti, ea neminem latere putant. Arabibus quoque in suis carminibus nihil est tritius, quam ut de re quadam longe lateque differant, ea tamen haud nominata. Graecus interpres מקומה vertit: *τοὺς ἐπεγειρομένους*. מְקֻמָיָה, vel קָמִיו, vel מִתְקוֹמְמָיו *insurgentes contra eum*, legisse apparet. Chaldaeus in paraphrasi: *sed in ira forti et furore vehementi exterminationem faciet cum gentibus, quae insurrexerunt, et vastarunt aedem sanctam Domini.* Verba postrema, וְאֹיְבָיו יְרַדֵּף־חֹשֶׁךְ, ambigua sunt; nam significare possunt: *fore, ut persequantur tenebrae hostes Jovae*, vel, ut *hostes ipsi persequantur tenebras*, i. e. ut tanquam amentes persequantur id, quod ipsis exitium adferet. Sed non dubitamus, quin prior sententia genuina sit, ut locus sit intelligendus de tenebris calamitatum, quae hostis instar Jovae populique sui inimicos persequi dicantur. יְרַדֵּף, quod quidam transitive

vertunt: *faciet* Deus, *ut persequantur tenèbrae* hostes ipsius, rectius *persequentur* redditur, nam forma Piel summum persequendi studium indicat, vid. not. ad Hos. 2, 6. (al. 9.). Chaldaeus: *et hostes suos tradit Gehennae*, orco.

9. Apostrophe ad hostes, Assyrios. מַה־תַּחְשְׁבוּן אֶל־יְהוָה *Quid cogitatis contra Jovam?* Quaenam vestra est de Deo opinio? an putatis eum non posse perficere, quod per prophetas minatur? Persuasi secum erant insolentissimi Assyriorum reges, omnem potentiam, ne divina quidem excepta, se facile superaturos atque fracturos. Ita enim Sennacheribus de Israelitarum deo per legatos ad Ezechiam Jes. 36, 18. 37, 10. *Ne te decipiat Deus tuus in quo tu confidis*, et quae sequuntur. *Quis est ex omnibus diis terrarum, qui eruerit terram suam de manu mea? ut eruat Jova Hierosolymam de manu mea?* Ad tales igitur insanas verborum jactationes propheta, *quid*, inquit, *contra Jovam cogitatis?* cur tam in ipsum estis insolentes, ut non reformidetis dicere, non posse eum praestare, quod secum constituit, non posse populum a tyrannide vestra liberare, aut contra eam defendere? Chaldaeus: *gentes, quae expilaverunt Israelem, quid vos cogitatis coram Jova?* Brevi sentietis, stare ejus contra vos decretum, nam כָּלָה הוּא עֹשֶׂה *consummationem ille faciet*, omnino vos perdet, delebit et exterminabit, hanc enim phraseos vim esse clarum est ex aliis locis, veluti Jer. 30, 11. Ezech. 11, 13. 20, 17. Chaldaeus: *futurum est ut fiat exterminatio vobiscum.* לֹא־תָקוּם פַּעֲמַיִם צָרָה *Non consurget bis adversitas*, non oborietur itcranda calamitas, sed una vice res excidii vestri tota conficietur. Infliget vobis Jova unam plagam tam validam, tam horrendam, ut non sit necesse, secundam aut plures adhiberi, nihil enim relinquet, ex quo colligendarum virium spem concipere possitis, aut instaurationem vobis polliceri. Similis loquutio 1 Sam. 26, 8., ubi Abisai, homo castrensis, proverbio militari ait ad Davidem: *Percutiam Saulem lancea semel in terram, ita ut non repetam ei* ictum, i. e. ut secunda vice non indigeat. Et 2 Sam. 20, 10. Joabus Amasam sica sua semel perfodisse narratur, ut altera plaga non fuerit opus. Alii: *non resurget bis*, vel *iterum*, *inimica*, scil. urbs et imperium Assyriorum. Ut Jer. 51, 64. *Submergetur Babel*, וְלֹא תָקוּם *nec resurget, prae malis, quae ei inveham.* Ab his recedit Chaldaeus: *non consurget vobis, sicut domui Israel, bis respiratio post angustiam.*

10. *Nam quum aeque ac spinae perplexi, et tanquam mero suo inebriati* futuri sint, *consumentur velut stipula arida plene.* Causam tradit, cur Versu superiori dixerit eos consumendos esse, nec calamitatem bis surrecturam: quia tanta est eorum perplexitas, tanta ebriae mentis vertigo, ut brevi, instar stipularum aridarum, consumantur. כִּי עַד סִירִים סְבֻכִים *Nam usque ad spinas implexi* sunt hostes, Assyrii, i. e. eo usque, ut

perplexitate spinas aequent. Ita עַד 1 Paral. 4, 27. *Non multiplicaverunt* filios עַד בְּנֵי יְהוּדָה *usque ad filios Judae*, i. e. numerum filiorum Judae non adaequarunt, non instar posterorum Judae creverunt. Nec non 2 Sam. 23, 19. וְעַד־הַשְּׁלִשָּׁה לֹא־בָא *et ad tres* illos *non pervenit* fortitudine, tres illos fortitudine non aequavit. Idem igitur h. l. עַד valebit, quod similitudinis particula כ nomini סְבָאִם praeposita. Comparat hostes spinis, quae in unum acervum aut fasciculum collectae flamma brevi consumuntur. Quum impii ob studia sua noxia spinis conferri soleant, veluti Mich. 7, 4. Ezech. 2, 6., iidem commode et sicut illae delendi dicuntur. Sic Jes. 33, 12. populi *tanquam spinae evulsae igne comburendi* sistuntur. וּכְסֹבְאִם סְבוּאִים *Et sicut mero suo*, seu *compotatione sua* (vid. Jes. 1, 22. Hos. 4, 18.) *poti*, inebriati; instar eorum, qui vino obruti in terra jacent, inepti tam ad pugnandum, quam ad hostes effugiendum. Haud diffitendum tamen, hanc ab ebriis desumtam figuram huic loco non satis aptam esse. Nam poeta Assyrios modo proposuerat sub imagine spinarum implicatarum, atque hanc imaginem per totum hunc Versum continuari, inde apparet, quod in posteriore ejus membro adhibetur metaphora ab igne desumta, quo horrentes illae spinae ad instar stipularum aridarum sint exurendae et prorsus consumendae. Quare incongruens est, ut interseratur sententia quaedam ab hac imagine plane abludens, qualis foret illa, qua Assyrii hic ut ebrii sistantur. Quod incommodum ut removeatur, sunt qui verbum סָבָא سَبَأَ proprie *radere*, *deradere* notare perhibeant, idque de *spinis* usurpatum dicant, quae suis aculeis cutem *destringunt et lacerant*. Unde verbis וכסבאם סבואים ita vertendis: *et secundum destringere eorum destricti* erunt, hunc sensum inesse ajunt: quemadmodum Assyrii spinarum ad instar infestis aculeis alios homines et populos laeserunt, et quasi destrinxerunt, ita nunc ipsi vicissim destringentur et deglubentur instar earundem spinarum, quarum cortex et aculei ferro destringuntur, ne laedere amplius possint. Verum enimvero Arabicum سَبَأَ in *septima* quidem Conjugatione *excoriata fuit pellis* denotat; sed Hebraeis in prima Conjugatione *destringere* illud valuisse, haud constat. Nec magis certa *comburendi* significatio, quam verbo סָבָא ex Arabico سَبَأَ et شَبَّى h. l. tribuendam censet Steudel (*Archiv* Vol. II. p. 413.), ut vertendum sit: *sicut illi combusserunt*, igne vastarunt alias terras, sic *ipsi comburendi* consumentur *stipulae aridae instar*. Nobis tamen quem verbum סָבָא ceteris V. T. locis obtinet significatus et h. l. retinendus videtur, etsi fateamur, vatem ab imagine a spinis desumta haud satis congruenter transire ad aliam plane diversam. Assyrios fastu turgentes comparat igitur ebriis, qui licet exultent et audaces sint, enerves tamen sunt, et impetu suo ruunt. Ita, inquit,

saturitas et petulantia eorum erit causa sui exitii, et Deus facile eos praecipitabit. Hunc subitum eorum interitum nova imagine exprimit: אֻכְּלוּ כְקַשׁ יָבֵשׁ מָלֵא *consumentur* bellici furoris igne *velut stipula arida plene*, quae subito flammam concipit, et levi ardore combusta perit. Eadem imago Jes. 5, 24. 47, 14. Joel 2, 5. Obad. Vs. 18. מָלֵא *Plene*, pleno numero et acervo, prorsus, penitus, omnino. Ut Gen. 23, 9. בְּכֶסֶף מָלֵא *argento pleno.* Jer. 12, 6. *clamant post te* מָלֵא *plene*, alta voce. Aliis *plena* dicitur stipula, cum *matura* est, adeoque facilius flammam concipit. Ita Hebraei unanimi fere consensu, coll. Exod. 22, 28. מְלֵאָתְךָ וְדִמְעֲךָ *fruges tuae maturae et liquor tuus.* Item Deut. 22, 9. הַמְּלֵאָה הַזֶּרַע *fructus maturus.* Proposuimus eam hunc Versum explicandi rationem, quae nobis simplicissima et planissima visa, a qua non multum diversa est Kimchii interpretatio, qui postquam observasset, עַד h. l. *similitudinem* indicare, sensum hunc esse ait: accidet illis, quod spinis perplexis et implicatis, quas cum solvere non potest agricola simul omnes in ignem conjicit; ita fore ut simul omnes neci dedantur. *Similes* item *erunt ebriis*, qui sua sponte et nemine impellente concidunt, nam prorsus viribus destituentur. Sed veteres et recentiores in hoc commate interpretando maximopere inter se dissentiunt. LXX: Ὅτι ἕως θεμελίου αὐτοῦ χερσωθήσεται, καὶ ὡς σμίλαξ περιπλεκομένη βρωθήσεται, καὶ ὡς καλάμη ξηρασίας μεστή. Quae Hieronymus sic reddidit: *Quia usque ad fundamenta sua redigentur in vepres, et sicut volvola circumdata comedetur, et quasi stipula ariditate plena. Volvolam*, qua Graecum σμίλαξ reddidit Hieronymus, in Commentario ait esse herbam similem hederae, quae vitibus et virgultis circumdari solet et in longum serpere. Ceterum pro עַד־סִירִים Graecum interpretem עד יסודם legisse apparet, סְבֻכִים vero eum pro *vepreto* accepisse. Hieronymus: *Quia sicut spinae se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium consumetur, quasi stipula ariditate plena.* Chaldaeus: *quia principes gentium, qui depraedati sunt domum Israel, quemadmodum erraverunt in vino, ita seduxerunt atque consumserunt eos, sicut consumit ignis stipulam aridam multam.* Syrus: *propterea quod vel ipsi principes eorum refractarii sunt, et in ebrietate sua ebrii, comederuntque et impleverunt se stipula arida.* Uterque interpres videtur סִירִים *remotos*, i. e. refractarios, malos accepisse, quasi esset a סוּר *recedere*, quam interpretationem et Jarchi commemorat. Ipse tamen usitata *spinarum* notione nomen סִירִים accipit, particulam עַד vero capit pro עוֹד *dum*, ut Job. 1, 18. Jon. 4, 2., sensumque hujus Versus talem esse putat: Repente superveniet eis plaga, nec a gloria sua paulatim decident, sed dum adhuc vepres et spinae sunt perplexae, violenter eradicabuntur; et dum adhuc mero obruti, inebriati sunt, i. e. dum inter convivia et voluptates versantur, consumentur veluti stipula arida, cujus maturitas ad perfectionem pervenit.

11. מִמֵּךְ יָצָא חֹשֵׁב עַל־יְהוָה רָעָה יֹעֵץ בְּלִיָּעַל *Ex te exibit cogitans adversus Jovam malum, consiliarius nequam.* Suffixum femininum in מִמֵּךְ ad Niniven urbem referendum (coll. Vs. 9), seu Assyriam, cui quum jam tot calamitates, ipsumque adeo extremum excidium praedixerit, nunc causam exponit tam severi supplicii. Recte Chaldaeus nostri Versus sensum expressit: *Ex te, Ninive, prodiit rex, qui cogitat contra populum Jovae malum, qui inivit consilium impietatis.* Dictiones חֹשֵׁב עַל־יְהוָה רָעָה atque יֹעֵץ בְּלִיָּעַל sunt collective intelligendae de omnibus illis regibus Assyriacis, qui de evertenda republica Judaica consilia agitarunt. De בְּלִיָּעַל vid. not. ad Ps. 18, 5. Addimus illis quae ibi dicta sunt, vocem illam proprie significare *hominem non eminentem* (coll. Arabico بعل *ascendit, eminuit*, et *altus fuit*, haud nobilem, adeoque abjectum, vilem, quemadmodum Arabum غَيْرُ طَائِلٍ *minime longus, haud altus*, de nullius frugis ac vilissimo mortalium usurpatur, et de re noxia, perniciosa. Unde nostrum יעץ בליעל est is, *qui consilium iniit exitiale* populo Judaico. LXX h. l. verterunt *βουλευόμενος ἐναντία*. Hieronymus: *mente pertractans praevaricationem.*

12. Jam sermonem convertit ad Hierosolymam, cui in persona Dei omnia laeta ac fausta, Assyriis autem contraria vaticinatur. Quum vix credibile videretur, munitissimam, opulentissimam, populosissimam urbem, regnum potentissimum et florentissimum, everti; haec contra inquit, quantumcunque rebus omnibus ex voto abundent, sintque cunctis iis, quae ad bellum gerendum requiri possunt, instructissimi, nihilominus certo futurum, ut Jovana potentia facillime exscindantur. *Sic dicit Jova:* אִם־שְׁלֵמִים וְכֵן רַבִּים וְכֵן נָגוֹזוּ וְעָבַר *etsi integri* sint hostes, *et sic etiam*, adeoque multi, *et sic* tamen, i. e. attamen *tondebuntur, et praeteribit*, peribit hostium unusquisque. שְׁלֵמִים *Integri*, incolumes (ut Gen. 33, 18.), illibati et integris suis viribus gaudentes. וְכֵן רַבִּים *Et sic*, i. e. adeoque *multi* et magni, fortissimi. Chaldaeus: *etsi fuerint perfecti*, s. perfecte consentientes *in consilio*, *et multae etiam numero gentes*, *quae congregantur ut te ad angustias adigant*, *Jerusalem.* וְכֵן נָגוֹזוּ *Et sic* tamen *tondebuntur*, metaphora desumta vel a forfice, quae pilos detondet tum ab hominum capitibus, tum ab ovibus, vel ab armentis, quae gramina et herbas camporum depascunt. Usus est consimili imagine Jesajas 7, 20. cum ait: *Die illa radet Dominus novacula mercenaria, iis qui sunt trans flumen, rege Assyriae, caput et pilos pedum, sed et barbam absumet.* וְעָבַר *Et transibit*, quilibet illorum, omnes et singuli peribunt. *Transire* enim haud raro *evanescere, cito et facile perire.* Veluti Ps. 37, 36. de improbo: *transit*, perit, *et en! non est ipse.* Vid. et Job. 34, 20. Ps. 90, 6. Hieronymus: „*Et pertransibit* Assur,

vel esse desistet, sive, vastato exercitu suo, revertetur ad patriam, te sospitem derelinquens.“ Rursum, ut recte idem notat Hieronymus, ad Judam et Jerusalem sermo dirigitur: וְעִנִּיתִיךָ *afflixi te*, quo quidem respicit ad cladem, quam Assyrii intulerant occupatione urbium haud paucarum, cf. 2 Reg. 18, 14.; addit vero solatium: לֹא אֲעַנֶּךָּ עוֹד sed *non affligam te amplius*, non permittam, ut hostis occupando populandoque longius progrediatur. Chaldaeus verba hebraea inde a נָגוּדוּ sic vertit: *et* licet *trajecerint* (populi hostiles, qui adversum te congregantur) *Tigrim, et transiverint Euphratem, venerintque ad te affligendum, attamen quum te subjecerim, non amplius te subjiciam* barbarorum tyrannidi. Pro נָגוּדוּ legit Chaldaeus נָגוּדוּ (*Zain* sine Dagesch), ut in codice primo et tertio Erfurtensi atque in Bibliis Bragadinis, Venetiis 1614. et 1678. editis reperitur, retulitque ad נגד *trajicere*, unde נֶגֶד Ps. 90, 10., ad quem loc. vtd. not. In alia omnia abeunt LXX: *Τάδε λέγει Κύριος κατάρχων ὑδάτων πολλῶν, καὶ οὕτως διασταλήσονται, καὶ ἡ ἀκοή σου ἐνακουσθήσεται ἔτι.* Quae Hieronymus expressit: *Haec dicit Dominus regnans aquis multis: et sic dividentur, et auditus tuus non audietur amplius.* Ex Graeci interpretis mente increpantur illi, quos vates Vs. 11. contra Jovam malum cogitare dixerat. Horum igitur potentiam, quam cum ingentium fluctuum impetu comparari illic existimavit, ita infringendam esse, atque dissipandam, ut et fama ejus evanescat. Ceterum Graecus interpres pro וכן אם־שלמים רבים videtur legisse כמושל מים רבים; verbum עָנָה autem, unde h. l. אֲעַנֶּךָּ et וְעִנִּיתִיךָ, cepit *loquendi* significatu, quam Deut. 26, 8. et alias obtinet. Syrus: *Sic dicit Dominus de capitibus aquarum multarum, quae rapuerunt et elapsae sunt; et qui te* alias *exaudivi, nonne iterum te exaudiam?* In verbis אם־שלמים וכן רבים vertendis interpres imitatus est Graecam versionem, verbum עָנָה vero accepit *exaudiendi* significatione.

13. Pergit suos consolari: וְעַתָּה אֶשְׁבֹּר מֹטֵהוּ מֵעָלָיִךְ *et nunc frangam jugum ejus a te;* jugum ab hoste tibi impositum frangam, ne amplius tibi incumbat. Imago Hebraeis familiaris, qua liberatio a servitio indicatur, vid. Levit. 26, 13. Jes. 10, 27. 14, 28. Jer. 2, 20. 28, 2. sqq. Vates forsan eo respicit, quod Hiskiam, regem Judae, Sennacheribus tributarium sibi fecerat, 2 Reg. 18, 14. LXX pro מֹטֵהוּ posuerunt [illegible] *ῥάβδον αὐτοῦ*, et Hieronymus: *virgam ejus.* Legerunt מַטֵּהוּ, quod ipsum reperitur in codice Erfurtensi tertio, et exstabat olim in codice quinto. Cf. Jes. 9, 3., ubi מַטֶּה parallelum est nomini עֹל *jugum.* וּמוֹסְרוֹתַיִךְ אֲנַתֵּק *Et vincula tua*, quibus tu, Juda, constricta ab hoste teneris, *confringam.* Cf. Ps. 2, 3. Jer. 2, 20. 30, 8.

14. Apostrophe ad regem hostilem, cui denuntiat, Deum decrevisse ipsum perdere, et nominis sui memoriam penitus abolere. וְצִוָּה עָלֶיךָ יְהוָה *Praecepitque super te, Jova*, o rex

Assyriae, hunc enim intelligi, arguit suffixum in עָלֶיךָ, i. c. decrevit de te Jova id quod sequitur. צִוָּה *Praecipere* h. l. constituere aliquid, ut firmum ratumque maneat, vid. Ps. 70, 3. 111, 9. לֹא־יִזָּרַע מִשְׁמְךָ עוֹד *Non seminabitur*, propagabitur *de semine tuo amplius* quisquam, stirps tua regia penitus delebitur. Quod jam Hieronymus, quem plures recentiorum interpretum sequuti sunt, eo retulit, quod Sennacheribus Niniven reversus a filiis suis occisus traditur 2 Reg. 19, 37. Verum Sennacheribo filium Asarhaddinum successisse legimus illo ipso loco Vs. 38. In universum gentis regiae excidium praedicitur, ut Jes. 14, 20. regi Babelis vates minatur: לֹא יִקָּרֵא לְעוֹלָם זֶרַע מְרֵעִים *nec vocabitur in aeternum semen impiorum*, nulla fiet unquam stirpis improborum mentio. מִבֵּית אֱלֹהֶיךָ אַכְרִית פֶּסֶל וּמַסֵּכָה *E domo deorum tuorum exscindam sculptile et conflatile*, i. e. in urbis tuae primariae expugnatione confringentur ab hostibus deorum, quos colis, simulacra e lapide vel acre confecta, quemadmodum ipsi etiam Assyrii fecerant aliarum gentium diis, 2 Reg. 19, 18. Jes. 37, 19. אָשִׂים קִבְרְךָ *Ponam sepulchrum tuum*, scil. בית אלהיך *aedem deorum tuorum*, i. e. templum ipsum erit tibi sepulchrum, ut nec locus nec dii te servare possint, sed inter ruinas eorum sepeliaris. Hebraei eo referunt, quod Sennacheribus in dei sui, Nisrochi, templo occisus est, 2 Reg. 19, 37. — כִּי קַלּוֹתָ *Cum evilueris*, postquam apud omnes in contemtum veneris. Kimchi: Sicut contemsisti me, cum dixisti me non posse liberare populum meum e manu tua, ita reddam te contemtum. Sed Chaldaeus: *quoniam leve* h. e. facile *hoc coram me*. Syrus: *cito*. Vel legerunt כִּי קַלּוּת (sine Camez sub *Thau*), i. e. *nam facilia* scil. haec sunt, vel, si ita ut nos, כִּי קַלּוֹתָ legerunt, sensum hunc fecere: *quia levis es*, et nullius ponderis coram me.

CAP. II.

Argumentum.

Praemissa ad Judaeos apostrophe, qua eis tranquillitatem et pacem, hoste deleto, annuntiat (Vs. 1.), urbis illius, quae regni hostilis caput esset, obsidionem, expugnationem, direptionem, incolarumque perturbationem et pavorem graphice describit (Vs. 2—10.). Additur exclamatio sarcastica, qua propheta captae urbi amarulenter insultat (Vs. 11. 12. 13.). Clausula continet orationem Dei, in qua se auctorem profitetur eorum, quae Assyriis acciderunt, modum etiam exponit, quo sint perdendi (Vs. 14.).

1. Particula הִנֵּה *ecce!* quae aliquando in sermone redundare, aut vim exiguam habere videtur, hoc loco omnino ἐμφατικὴ est, et rei valde mirabilis ac magni momenti nota. Mox enim

subjicitur, futurum, ut veniant, qui laeta adferant nuntia, qui prosperitatem, tranquillitatem, pacem proclament: עַל־הֶהָרִים רַגְלֵי מְבַשֵּׂר מַשְׁמִיעַ שָׁלוֹם *super montes pedes* adsunt *nuntiantis, promulgantis pacem.* Super montes Judaeae, quibus cingitur urbs Hierosolymitana (*super montes terrae Israelis*, habet Chaldaeus), subito adveniunt cursores laetum afferentes nuntium, et proclamantes res prosperas Judaeis. Cf. Jes. 52, 7. Num fausti illius nuntii materia fuerit plaga, qua exercitus Assyriacus subito fuit percussus, an vero regis ipsius, Sennacheribi, caedes et interitus, curiose hic inquirere, nihil opus est; intelligenda omnino sunt omnia, quae exitiosa hostibus, ac salutaria Judaeis erant. Dubio procul Hiskias, quamprimum Assyriorum exercitum prostratum comperit, ac non multo post de Sanhcribi caede certior fuit factus, ea per universam Judaeam nuntianda curavit, unde omnibus locis incredibile gaudium exortum. Addit vates: חֲגִי יְהוּדָה חַגֶּיךְ שַׁלְּמִי נְדָרֶיךְ *celebra, Juda! festa tua, et persolve vota tua.* Dum Hierosolyma ab Assyriaco exercitu obsessa erat, non licuit eam urbem adire, ibique sacris faciundis vacare. At nunc, inquit propheta, omnia remota sunt impedimenta, jam undique secure proficisci Hierosolymam licet, ibique sacrificia offerre, et vota persolvere, quae fecisti, si ab Assyriorum metu liberareris. כִּי לֹא יוֹסִיף עוֹד לַעֲבוֹר־בָּךְ בְּלִיַּעַל *Neque enim addet transire per te nequam*, hostis impius, ut te vastet, vid. not. ad 1, 11. Chaldaeus haud male haec collective cepit: *quia non amplius per te transibunt impii.* כֻּלֹּה נִכְרָת *Omnis*, totus *ille excisus est.* Chaldaeus: *omnes deleti sunt.* Hieronymus: Et rex, et imperium Assyriorum penitus conciderunt.

2. Jam ad Niniven converso sermone, vates eam urbem ab hostibus oppugnatam tanquam praesentem vidit: עָלָה מַפִּיץ עַל־פָּנַיִךְ *ascendit qui perfringit contra faciem tuam.* Hostis Niniven aggressurus ut praesens sistitur. Vocatur is מַפִּיץ *qui perfringit*, sive *dissipat*, i. e. vastat, quemadmodum Demetrius πολιορκήτης, i. e. urbium expugnator et destructor appellatur, et Jer. 50, 23. rex Chaldaeus *malleus totius terrae.* Εἰρωνικῶς vates Ninevitas ad urbem defendendam excitat. Solent qui hostes a finibus suis repulsuros, aut impetum eorum superaturos esse confidunt, propugnacula undique firmare et custodire, speculas erigere, e quibus adventantes hostes cernere possint, arma sumere, et ad proelium sese parare, omnes denique colligere et roborare vires. Haec omnia sollicite facturos Assyrios videt, sed nihil quicquam effecturos, unde eos false ridens eis acclamat: נָצוֹר מָצוֹר *custodiendo* custodi *munimentum*, s. collective *munimenta.* Similis ellipsis verbi finiti s. Imperativi post Infinitivum est Exod. 20, 8. זָכוֹר *recordando* scil. תִּזְכּוֹר *recordaberis*, s. זְכֹר *recordare.* Vid. et Ezech. 24, 5. et not. ad eum loc. Quatuor Infinitivi, qui in hoc commate occurrunt, habent vim Imperativorum,

per constructionem abruptiorem, quae aliquam emphasin addit, et non tantum fortius imperat, sed etiam animum indicat subito periculo consternatum. Ita et Jes. 32, 11. similis est talium Infinitivorum accumulatio. Nota paronomasiam in נָצוֹר מְצוּדָה, Orientalibus adamatam. צַפֵּה־דָּרֶךְ *Speculare viam*, mitte speculatores, qui observent, qua via hostes venturi sint. חַזֵּק מָתְנַיִם *Confirma lumbos*, in quibus virium sedes (cf. Job. 40, 16.), unde Deut. 33, 11. *percute lumbos eorum, qui contra eum insurgunt*, i. e. prosterne eos. Vel nostrae dictionis sensus hic est: para te ad pugnandum, capesse arma; solebant enim qui ad iter faciendum sive ad pugnam se pararent, vestes prolixiores cingulo lumbis adstringere, ut expeditior incessus vel opera sit; vid. not. ad Jes. 45, 1. Cf. Ephes. 6, 14. 1 Petr. 1, 13. אַמֵּץ כֹּחַ מְאֹד *Robora vires valde*, intende quantum potes vires ad resistendum hosti, nil tamen efficies.

3. Nominis גָּאוֹן, in priori hujus Versus hemistichio bis obvii, ambiguitas, quum tam in meliorem partem, de *gloria*, *excellentia*, quam in deteriorem, de *fastu*, *superbia* usurpari soleat, sensum reddit dubium, et diversas explicationes peperit. Nos quidem iis adstipulamur, qui nomen גָּאוֹן hic in meliorem partem capiunt, ut *gloriam excellentiamque*, sive *felicem rerum statum* notet, adeoque his verbis contineatur benigna promissio, qua Jova recuperandae pristinae dignitatis Judaeis spem facit, fore, ut quum eos hactenus sat dure castigaverit, iram porro suam in Assyrios effusurus, illos vero pristinae felicitati redditurus: כִּי שָׁב יְהוָה אֶת־גְּאוֹן יַעֲקֹב כִּגְאוֹן יִשְׂרָאֵל *nam reducit*, s. restituet, *Jova gloriam Jacobi*, i. e. Judae, *sicut gloriam Israelis*, i. e. decem tribuum, restituet. Rationem bellici apparatus ad obsidendam et expugnandam Niniven instruendi, de quo Versu superiore, reddit hanc, quod Jova priscam populi sibi chari dignitatem restituere decrevit; quod ut efficiatur prius hostis illius potentissimi sedes delenda est; unde in Versibus proximis vates exercitus Niniven aggredientis descriptionem, ipsiusque urbis expugnationem subjecit. שָׁב h. l. transitive, ut Piel שׁוֹבֵב, aut Hiphil, הֵשִׁיב, i. e. *reducere*, *restituere* capiendum, quemadmodum Num. 10, 36. Ps. 85, 5. et saepe alias. Restituet igitur Jova pristinae suae gloriae Hebraeos universos, tam Judaeos, quam Israelitas, כִּי בָקָקִים בֹּקָקִים *quamvis evacuaverint eos evacuantes*, i. e. quantumvis hostes rapinis eos exinaniverint. Cf. Jes. 24, 1. Chaldaeus: *nam diripuerunt eos direptores.* Hieronymus: *quia vastatores dissipaverunt eos.* וְזִמְּרֵיהֶם שִׁחֵתוּ *Et propagines eorum corruperunt*, destruxerunt, i. e. recte explicante Chaldaeo, *civitates gloriae eorum*, i. e. urbes florentes, quae quasi propagines et palmites fuerunt vitis Jovanae (qua imagine populus Hebraeus sistitur Jes. 5, 1. sqq. Ps. 80, 9.), hostes vastarunt atque everterunt.

4. Describitur exercitus contra Niniven veniens graphice et eleganter: מָגֵן גִּבּוֹרָיו מְאָדָּם *clypeus fortium ejus ruber*, sive collective, *clypei fortium ejus rubri.* גבוריהו insolentius et poetice pro usitatiore גִּבּוֹרָיו. Suffixum masculinum referendum vel ad חַיִל, *exercitus*, e verbis proximis subaudiendum, vel ad Jovam, Versu superiore memoratum, qui barbaris gentibus ad Assyrios puniendos utitur. *Fortes* vocat *δυνατοὺς καὶ μαχίμους*, quos Latini *bellatores* dicunt. Eorum clypeos esse ait מְאָדָּם *sanguineos* s. *rubros*, vel, quod eum colorem olim scuta referrent ad metum incutiendum hostibus, vel quod antiquos sanguine rubefactos clypeos gestarent, quod signum esse credebatur boni militis, utpote qui ex hostium sanguine clypeum tinxisset. Hieronymus מְאָדָּם vertit *ignitus.* Quod placuit N. G. SCHROEDERO, nostrum locum tractanti in libro *de Vestitu mulierum Hebraearum* Cap. 6. p. 72. sqq. Indicari existimat igneum fulgorem aeris vel aurichalci, vel etiam auri clypeis olim obducti. Sane Hebraeum מְאָדָּם notionem fulgoris candentis, et cum rubore conjuncti vel commixti, non respuit, ut pluribus BOCHARTUS *Hieroz.* P. II. Lib. V. Cap. 6. T. III. p. 611. probat (cf. not. nostr. ad T. I. p. 539.), exponens locum Thren. 4, 7., ubi אָדָם tanquam *margaritis* proprium adhibetur. Pertinet huc 1 Macc. 6, 39. Similiter Virgilius *Aeneid.* 2, 734. *Ardentes clypeos atque aera micantia cerno.* LXX: ὅπλα *δυναστείας αὐτῶν ἐξ ἀνθρώπων.* Pro מְאָדָּם perperam legerunt מֵאָדָם. Subjungitur: אַנְשֵׁי־חַיִל מְתֻלָּעִים *viri exercitus vermiculati* s. *coccinati*, quod recte Chaldaeus vertit: *viri bellum gerentes induti sunt coccineo*, i. e. coccineis vestibus, a תּוֹלַע sive תּוֹלָעַת, quod *vermiculum cocci* notat, vid. BOCHARTI *Hieroz.* P. II. L. IV. Cap. 27. T. III. p. 524. seq. ed. Lips. Milites ab antiquissimis inde temporibus rubris vestibus fuisse amictos, patet e Jud. 8, 27., ubi Israelitae Midianitis praelio superatis *vestes purpureas* detraxisse narrantur. De Lacedaemoniis idem proditum est apud AELIANUM *Varr. Histor.* L. VI. Cap. 6. *In conflictu indutis purpura venire necesse erat, ut color etiam aliquam gravitatem praeferret, et, si ad hanc adspergerentur sanguinis guttae de vulneribus, terribilis existeret hostibus, adspectu magis sensum penetrante et formidabiliore.* Et VALERIUS MAXIMUS L. II. Cap. 6. *Ad dissimulandum*, inquit, *et occultandum vulnerum suorum cruorem, Poeniceis in proelio tunicis utebantur, non ne ipsis adspectus ejus terrorem, sed ne hostibus fiduciae aliquid afferret.* LXX: *ἄνδρας δυνατοὺς ἐμπαίζοντας.* Pro מתעללים legerunt מתעלים. Nam הִתְעַלֵּל est ἐμπαίζειν, et תַּעֲלוּלִים *ἐμπαίγματα*, quomodo idem Graeci interpretes aliis locis reddunt. Alexandrinum sequutus Syrus: *et viri heroes illudunt.* בְּאֵשׁ־פְּלָדֹת הָרֶכֶב *in igne falcium currus* s. *curruum*, i. e. currus falcati, e quibus illi depugnaturi sunt, videbuntur quasi versari in igne; nam ferrum rotarum illorum excutiet ignem e petris, super quas transituri sunt. Falcibus

apud complures gentes antiquas currus bellicos munitos fuisse constat. Cf. not. ad Ps. 20, 8. Hebraei פלדת fere per metathesin synonymum nomini לַפִּידִים *lampades* existimant, et *taedas* s. *faces* intelligunt. Ita Chaldaeus: *cum igne faces curruum suorum.* Nec non Syrus: *in* s. *cum facibus* ignis. Tum vates alluderet ad veterum morem, quo, instructa acie, et jamjam in hostes movente, *facem ardentem* ceu ineundae pugnae signum, agitabant, et mox in medium spatium, quod utrumque exercitum separabat, projiciebant, ut ita se ad proelium paratos et inflammatos profiterentur; vid. Lydius *de Re milit. Veter.* L. IV. Cap. 2. בְּיוֹם הֲכִינוֹ *In die praeparare se* s. die qua sese praeparabit s. exercitum suum hostis, ut veniat oppugnatum Niniven. Alii suffixum in הכינו ad Deum referunt, hoc sensu: quando Deus ad bellum eos parabit. De praeparatione ad bellum verbum כון et Ezech. 7, 14. dicitur. וְהַבְּרוֹשִׁים הֶרְעָלוּ *Et abietes quassantur*, sive, ut Schroederus l. l. p. 76. vertit, *hastae fraxineae librantur.* Nempe בְּרוֹשׁ, quod *abietem*, vel, uti alii volunt, *fraxinum* denotat, h. l. metonymice de *hastis* fraxineis sive abietinis dicitur. Simili ratione Graecorum *μελίη*, *fraxinus*, adhibetur. Unde passim apud Homerum *Πηλίας μελίη*, *hasta Peliaca*, veluti *Iliad. Φ.* 162. Sic *Odyss. Ξ.* 281. *Ἦ μέν μοι μάλα πολλοὶ ἐπήϊσσον μελίῃσιν· certe me valde multi adoriebantur fraxineis hastis.* Ita Hesiodus *Scut. Hercul.* 188. *χρυσέας ἐλάτας aureas fraxinos* dixit pro *aureis hastis.* Statius *Thebaid.* 6, 102. *infandos belli potura cruores fraxinus.* Virgilius *Aen.* 11, 667. *Adversi longa transverberat abiete pectus.* הֶרְעָלוּ *Librantur*, motitantur. Chaldaeis et Syris רְעַל, ܪܥܠ, est *tremere*, *labascere*, deque *genubus labantibus* usurpatur a Chaldaeo interprete Jes. 35, 3., in Aphel vero denotat *concutere.* Arabibus رَعَلَ dici de hastis trementibus, dum *librantur*, infligendi ergo, ostendit Schroederus l. l. p. 68. seq., qui observat, vatem nostro loco ad priscorum bellatorum morem alludere, ante congressum hastas in medio comprehensas quassandi, earumque extremitates sursum deorsum metiendi, ut ita animum pugnandi cupidum testarentur. Cf. Hom. *Iliad. Γ.* 344. Chaldaeus verba nostra sic vertit: *et magnates exercitus eorum operti sunt vestibus coloratis.* Videtur בְּרוֹשִׁים, *abietes*, metaphorice cepisse de proceribus, qui super ceteros eminent sicut abietes super arbores humiliores. Verbum רְעַל vero *operiendi* significatu accepit, quod רְעָלוֹת Jes. 3, 19. de peplis dicitur, quibus mulieres Hebraeae operiebantur. LXX: *καὶ οἱ ἱππεῖς θορυβηθήσονται.* Pro ברושים legit interpres פרשים *equites*, רְעַל vero de tremore metu consternatorum intellexit. Id sequutus Syrus: *et equites obstupescunt.*

5. בַּחוּצוֹת יִתְהוֹלְלוּ הָרֶכֶב *Per vicos insaniunt currus*, i. e. hostes Ninives citato cursu ac maximo cum impetu, quasi furore

acti, currus suos bellicos in adversas partes agitant. Ita Jer. 46, 9. *ascendite equi*, עֲלוּ הַסּוּסִים וְהִתְהֹלְלוּ הָרֶכֶב *et facite currus!* יִשְׁתַּקְשְׁקוּן ? בָּרְחֹבוֹת *Discursitant per plateas.* Hithpael verbi quadriliteri שַׁקְשֵׁק, a שָׁקַק *discurrere*, unde Participium מִשְׁקָּק *discursitans* Jes. 33, 4. Cf. Joel 2, 9. Alii exponunt: *allidunt* s. *collidunt se discurrendo*, ut crura solent, quasi a שׁוֹק mutanda sit significatio. Liberius sensum Chaldaeus exprimit: *sonitus concussionis armorum eorum auditur in plateis urbium.* HIERONYMUS: Tanta est multitudo venientium, ut commixtum agmen sit in itinere, et discerni nequeat. Ipsae quoque quadrigae, dum viam non reperiunt, prae multitudine inter se colliduntur in plateis.“ מַרְאֵיהֶן כַּלַּפִּידִים *Adspectus eorum sicut lampadum*, terribilis erit, et oculi ita ardentes, „ut ante visu adversarios terreant, quam mucrone prosternant,“ dicit Hieronymus. Ut Dan. 10, 6. *oculi ejus sicut lampades* s. *faces ejus.* Suffixum femineum in מַרְאֵיהֶן vel neutraliter ponitur, vel רֶכֶב alias masculinum h. l. est femininum. In tribus codicibus Kennicott. legitur מַרְאֵיהֶם, cum suffixo masculino. כַּבְּרָקִים יְרוֹצֵצוּ *Sicut fulgura discurrunt*, i. e. velocissime. Nihil enim fulgure velocius, cujus ea vis est, ut ante oculos feriat, quam plene cerni aut coeuntibus palpebris vitari possit. ירוצצו est Piel verbi רוּץ *currere.* Alii vertunt: *instar fulgurum diffringunt*, perrumpunt omnia, quasi esset a רָצַץ, coll. Jud. 10, 8. וַיִּרְעֲצוּ וַיִּרְצְצוּ *concusserunt et confregerunt* Ammonitae Israelitas.

6. Postquam vates praedixisset, quales Assyriorum s. Ninevitarum hostes sint futuri, quae eorum vis, potentia, furor, iracundia in oppugnanda urbe, jam paucis indicat, qua cura ad urbem tuendam et se suosque defendendos rex sese sit paraturus. Audito hostium adventu jubet nobilibus suis, ut properent in muros ad propugnandum; quod quamvis velocissime faciant, tamen offendunt jam paratas ab hoste machinas. יִזְכֹּר אַדִּירָיו *Recordabitur fortium suorum*, i. e. seliget rex Assyrius e militibus suis fortiores, qui eant ad tuenda moenia. יִכָּשְׁלוּ בְּהֲלִיכוֹתָם *Impingent* s. *corruent in incessu suo*, prae trepidatione et festinatione, dum properabunt ad moenia, ut statim subjicitur: יְמַהֲרוּ חוֹמָתָהּ *properabunt ad murum ejus*, scil. Ninives. וְהַסֹּכֵךְ הָכֹן *Et paratur* ab hoste urbem oppugnante *tegumentum*, sub quo tecti milites murum subeunt. Instrumenta bellica intelligit, qualia Romanorum *vineae* aut *testudines.* Recte KIMCHI סכך dicit esse *tabulationem pellibus obductam*, sub qua *ceu clypeo quodam tecti milites adversum missilia oppidanorum invadunt et muros subeunt, submoliunturque atque cuniculos agunt.*. Proprie סכך est Participium verbi סָכַךְ *tegere, protegere*, ut quando tegumento aliquid munitur, ut fiat tutum et laedi non possit, ut Ps. 5, 12. 91, 4. 140, 8. Ex usu participiali per ellipsin accepit notionem substantivam, atque, quum hic agatur de urbis obsidione, videtur

notare *testudinem*, vel aliam id genus machinam bellicam, qua oppugnatores semet protegebant contra tela, quae ex muris vibrabantur.

7. Hostes ruptis moenibus in urbem irruunt. שַׁעֲרֵי הַנְּהָרוֹת נִפְתָּחוּ *Portae fluviorum*, i. e. portae, quibus hostes fluviorum instar omnia inundantium, irrumpant, *apertae sunt*, per aperturas machinis bellicis in muro factas copiae hostiles instar fluvii rapidissimi in urbem irruunt. *Fluminibus* hostes magna vi et vehementi impetu terram aliquam invadentes comparantur et Jes. 8, 7. 18, 2. 59, 19. Jer. 46, 7. 8. Alii *portis fluviorum* indicari existimant portas urbis sitas juxta flumina, i. e. ea parte, qua fluunt amnes, sive qua urbs alluditur. Quasi hoc dicatur, hostes ingredi per eam partem urbis, quam Tigris praeterlabitur. Verum quis non intelligit, latum rapidumque Tigridis amnem hostes ab illa urbis parte aditu potius arcere debuisse? Quare nec probanda Chaldaei interpretatio: *pontes fluviorum disrupti sunt.* Longius a veritate discedit Syrus: *portae Judae aperientur.* וְהַהֵיכַל נָמוֹג *Et palatium dissolvitur*, diruitur. הֵיכָל accipi potest tam de palatio regis, quam de templo. Et de hoc quidem accepit HIERONYMUS: *Et templum*, i. e. regnum ejus, destructum est. Chaldaeus *palatium regium* pro rege illud habitante accepit, vertit enim: *et rex in palatio suo tremit.*

8. וְהֻצַּב גְּלוּיָה הָעֲלָתָה *Et licet constitutus sit*, s. *constituti sint*, qui defendant urbem, tamen *nudata abducitur.* הֻצַּב Hebraeorum plerique pro nomine *reginae* habent, vel proprio, vel synonymo τῷ מַלְכָּה, ex levi illa ratione, quod Ps. 45, 10. regina נִצָּבָה *stans* ad dextram regis dicitur. Chaldaeus: *et regina currui insidens cum deportandis exit.* Suspicor, eum pro הֻצַּב legisse הַצַּב *vehiculum*, *pilentum*, Num. 7, 3. Jes. 66, 20., et quemadmodum Versu superiore *palatio* regem, ita hic *pilento* reginam in eo abducendam intellexisse. J. H. MICHAELIS הוצב recte explicat: *ac licet constituatur protector* muri et urbis (Vs. 6.), tamen etc. Verbum יָצַב s. נָצַב videtur Hebraeis sensu militari usurpatum fuisse, uti ex usu nominis נְצִיב 1 Sam. 13, 3. 4. 1 Paral 11, 16. colligere licet. ו ante הוצב *ac licet* commode vertitur, ut Ezech. 14, 14. וְהָיוּ *et si fuerint.* Quum verbum גָּלָה in *Piel* constanter *retegere* significet, h. l. Pyal cum Kimchio exponimus *retecta est*, s. *retegitur*, scil. Ninive, ignominiose a victoribus tractabitur, tanquam infimae conditionis femina, quemadmodum Babylon Jes. 47, 2. 3. imagine ancillae, facie et cruribus nudatae abducenda sistitur. Cf. et infra 3, 5. הָעֲלָתָה Salomo Ben Melech interpretatur: *vehiculo imponitur* abducenda cum captivis reliquis, eo haud dubie motus, quod Hophal, bis praeter h. l. obvium, Jud 6, 28. de victima, quae in altare sustollitur, dicitur. Sed quia verbi עָלָה forma *Hiphil* interdum est *tollere*, *auferre*, Ps. 102, 25., et Niphal *tolli*, *ab-*

duci, ut Num. 16, 24. 27. 2 Sam. 2, 27., rectius h. l. vertitur: *abducitur* ab hostibus deportanda. Verba וְאַמְהֹתֶיהָ מְנַהֲגוֹת כְּקוֹל יוֹנִים si vertas: *et ancillae ejus*, Ninives, *deducentes instar vocis columbarum*, sensum non bene quadrare senties. Chaldaeus, inserto verbo, quod comparationi a vate institutae aptum sit, ita interpretatur: *et ancillae ejus ducentes incedunt post eam strepentes*, gementes *voce columbarum*. Quod sequuti Kimchi atque Salomon Ben Melech, ad מנהגות haec notant: *est transitivum, et sic explicandum: ducentes eam et frementes voce lamentationis instar vocis columbarum.* Similiter HIERONYMUS, edoctus a magistro suo Hebraeo: *et ancillae ejus minabantur, gementes ut columbae.* Quae in Commentario ita illustrat: „*Ancillas* vero *Ninive* per metaphoram minores urbes et viculos et castella intellige. Vel certe captivae mulieres minabuntur ante ora victorum, tantusque terror erit, ut ne in singultus quidem et ululatum erumpat dolor, sed intra se tacite gemant, et obscuro murmure devorent lachrymas, in morem mussitantium columbarum.“ Quum הָגָה Hebraeis sit *gemere*, possit quis conjicere, esse pro מְנַהֲגוֹת legendum מַהְגּוֹת. Sed non est tali conjectura opus. Quod hebraico נָהַג respondet arabicum نَهَجَ si media radicalis in Praeterito et Futuro vocali *a* enuntietur, inter alia denotat *trivit et sequutus fuit viam*, cum vero idem verbum, نَهِجَ, vocali *i* media radicali profertur, et in Futuro *a*, significat: *anhelavit continue, vix interrupto spiritu, quomodo quis valde lassus respirare solet.* Syris quoque ܢܗܓ est idem quod ܢܗܩ et ܢܗܩ *clamavit, rugiit, suspiravit.* Quemadmodum igitur apud Arabes نَهَجَ duplicem obtinet significatum, ita et apud Hebraeos נָהַג tam *deducere*, quam *singultire, suspiria ducere* notabat (cognat. נָהַק *rudit*, Job. 6, 5. 30, 7.), quae posterior significatio hic locum habet. Eam Syrus expressit, qui *gementes* reddidit. מְתֹפְפוֹת עַל־לִבְבֵהֶן *Tympanizantes*, i. e. מְטַרְפָן *pulsantes*, ut Chaldaeus vertit, *super corda sua*, tundentes pectora palmis, more plangentium et lamentantium mulierum. Cf. Luc. 23, 27. לבבהן defective scriptum pro לִבְבֵיהֶן. Ceterum quum nomen לְבָב alias in plurali terminationem femininam habeat, לְבָבוֹת, hic cum terminatione masculina usurpatur.

9. וְנִינְוֵה כִּבְרֵכַת־מַיִם מִימֵי הִיא *Ninive instar piscinae aquarum a diebus* fuit, i. e. Ninive quidem jamdudum populosa fuit et multis referta hominibus, qui ad eam undique, veluti aquae, confluxerunt. Videlicet ὕδατα, ut Apoc. 17, 15. dicitur, λαοὶ καὶ ὄχλοι εἰσὶ, καὶ ἔθνη καὶ γλῶσσαι. Niniven populosam admodum fuisse, vel patet e Jon. 4, 11., ubi in illa fuisse dicuntur plus quam duodecim myriades parvulorum. Nec dubium

est, in tam numerosa ejus multitudine multos eo se contulisse ex imperii partibus remotissimis, urbis maximae et populorum dominae fama allectos. Cf. infra 3, 15. sqq. כברכת־מים *Instar piscinae aquarum*, i. e. aquis refertae, quae undique accurrentem suscipit aquam. מימי היא *A diebus* quibus *fuit illa*, i. e. jamdudum, a pristinis temporibus, quibus condita fuit. מִימֵי prio מִימִים, aut subauditur קֶדֶם *antiquitas*. Ita Chaldaeus: מִיוֹמֵי קַדְמַיָּא. — וְהֵמָּה נָסִים *At* nunc, cum urbs expugnatur, *fugiunt illae* aquae, subito Ninive vacuefit ingenti incolarum suorum multitudine. Ante verba quae sequuntur, עֲמֹדוּ עֲמֹדוּ, subaudiendum: etiamsi eis acclametur: *state! state!* Gradum sistite, et viros vos praestate. Eodem sensu verbum עָמַד et Amos 2, 15. Jes. 47, 12. 13. usurpatum. וְאֵין מַפְנֶה *Sed nullus respicit*, addit Chaldaeus: *ad resistendum.* Ita Jer. 46, 5. *fugiunt nec respiciunt.* Cives, inquit, capta urbe, cum revocarentur et stare juberentur, ne quidem semel respexerunt, nedum ut a fuga eos avertere aut retrahere quisquam potuerit.

10. בְּזוּ כֶסֶף בְּזוּ זָהָב *Diripite argentum! diripite aurum!* Apostrophe ad victores, quos tanquam in re praesenti in persona Dei alloquitur vates, ut eos ad diripiendam urbem animosiores reddat. Alii verba militum esse putant ad direptionem urbis se cohortantium. Illud magis probamus. Eodem modo Jeremias 50, 26. 27. hostes Babelis advocat ad eam expugnandam et diripiendam. וְאֵין קֵצֶה לַתְּכוּנָה *Nec finis est apparatui*, maxima et fere infinita divitiarum est in hac urbe copia. תכונה *apparatum* vocat opes vel ad luxum, vel ad usum necessarium praeparatas, videlicet pecuniam, thesauros et cimelia Ninevitarum. Recte Chaldaeus *thesauros* vertit. Syrus: *non est finis ornatui ejus.* כָּבֵד מִכֹּל כְּלֵי חֶמְדָּה *Copia* adest *ex omnibus vasis desiderii*, rerum omnis generis pretiosarum. כבוד, proprie *gravitas*, hic denotat *ingentem copiam*, *opes* et *divitias amplas*, ut Gen. 31, 1. Esth. 5, 11. Particula מִן ante כל Genitivo hic commode exprimitur. כלי חמדה *vasa desiderii*, i. e. pretiosa, talia, quae avide desiderantur et expetuntur, ut Hos. 13, 15.

11. בּוּקָה וּמְבוּקָה *Vacuitas et evacuatio* scil. illi urbi erit, i. e. prorsus evacuabitur et spoliabitur. Geminatio duorum ab uno verbo derivatorum nominum intendit sermonis emphasin facitque ad rei atrocitatem fortius exprimendam. Simili ratione conjunguntur Ezech. 6, 14. שְׁמָמָה וּמְשַׁמָּה *vastitas et vastatio*, et cf. Zeph. 1, 15. Utrumque nostrum nomen derivatum a בוק, significatione haud diversum a בָּקַק *evacuavit*, supra Vs. 3. Sunt, qui בוקה habeant pro Participio Paul, *vacua*, s. *evacuata*, omni scilicet illa opulentia. Sed melius pro nomine formae בּוּרָה *torcular* capitur. Sic מְבוּקָה est nomen formae מְנוּחָה *quies*. LXX: ἐκτιναγμὸς καὶ ἀναπτυγμὸς, *excussio*, *rediscussio*, uti Hieronymus vertit. Chaldaeus hasce duas voces pro Participiis

habuit; vertit enim: *direpta et expilata.* Minus accurate Syrus: *conculcata et destructa.* Hieronymus: *dissipata est et scissa.* Quod sequitur וּמְבוּלָקָה Chaldaeus exponit: *et aperta est porta hosti.* Similiter Syrus: *et perfracta est* urbs. Verum melius ei, quod praecessit convenit, collato arabico بَلُوقٌ *desertum, terra nihil producens*, nostram vocem interpretari: *deserta est.* Quae significatio et egregie apta alteri, quo idem verbum occurrit, loco, Jes. 34, 1., *Jova evacuat terram* וּבוֹלְקָהּ *eamque desertam reddit.* LXX: ἐκβρασμὸς reddiderunt, quod nomen Hieronymus proprie in ejusmodi rebus poni observat, quum quod latebat intrinsecus erumpit in faciem. „Unde papulae quoque, inquit, quae post aegrotationem nascuntur in labiis, vocantur ἐκβράσματα, et sanitatis videtur indicium, morbum in superficiem prorupisse.“ וְלֵב נָמֵס *Unde cor liquefiet* Assyriis prae metu, nil animi eis supererit. Dictio hebraea ad designandum summum metum satis frequens, vid. Jos. 5, 7. Jos. 13, 7. 8. Ezech. 21, 7. — וּפֶק בְּרֵכַיִם *Et titubatio genuum* erit Assyriis, labarit enim genua in metu et debilitate corporis. פֶּק, defective scriptum pro פִּיק, idem quod פּוּקָה *titubatio*, 1 Sam. 25, 31., a פּוּק *vacillare, titubare*, Jer. 10, 4. Jes. 28, 7. — וְחַלְחָלָה בְּכָל־מָתְנַיִם *Et tremor in omnibus lumbis* erit, in quibus sedes roboris. חלחלה proprie *dolorem vehementem*, tum et *tormina*, spasmos, qui ex illo oriuntur, indicat, ut Jes. 21, 3., cf. not. ad Ezech. 30, 4. Chaldaeus non male *commotio*, et Syrus *tremor* vertit. Cf. not. ad Ezech. 21, 11. Eodem modo summus metus describitur Dan. 5, 6. — וּפְנֵי כֻלָּם קִבְּצוּ פָּארוּר *Et vultus omnium retrahunt pulchritudinem*, vid. de hac phrasi not. ad Joel 2, 6., ubi et nostri loci ratio habita.

12. Jam Assyriis devictis amarulenter prophetа insultat, tyrannidem et rapacitatem regis et procerum eorum eadem opera perstringens. אַיֵּה מְעוֹן אֲרָיוֹת *Ubi* est *habitaculum*, lustrum *leonum?* quod Chaldaeus explicat: *ubi sunt habitacula regum?* q. d., ubi nunc est illa regia Assyriorum Ninive, plena tot gentium spoliis, ut leonum spelunca praedis? Cf. Vs. 13. Reges Assyriorum leonibus comparat ob dominandi praedandive libidinem. וּמִרְעֵה הוּא לַכְּפִירִים *Et* ubi est *pascuum* quod erat *leunculis?* Chaldaeus: *et* ubi est *domus habitationis principum?* אֲשֶׁר הָלַךְ אַרְיֵה לָבִיא שָׁם גּוּר אַרְיֵה *Ubi ambulabat*, versabatur *leo*, *leaena*, et *catulus leonis*, ἀσύνδετα. אשר cum שם conjunctum, *quo loco*, *ubi* significat. De לָבִיא *leaena* vid. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* P. IV. T. II. p. 112. וְאֵין מַחֲרִיד *Et non* est, *qui exterreat*, i. e. (catulus leonis) quem nemo exterreat, Deut. 28, 26. Jes. 17, 2. Nemo erat, qui regnum tam potens aggredi auderet.

13. אַרְיֵה טֹרֵף דֵּי גֻרְיֵהוּ *Leo rapiens pro sufficientia catulorum suorum*, quantum satis esset soboli suae. Licet etiam

Michaelis

vertere: *leo rapiens pro catulis suis*, ut דֵּי sit adjectio syllabica, ut Job. 39, 25. בְּשׁוֹפַר דֵּי pro בְּשׁוֹפָר. Ante haec verba subaudiendum est vel ex priori Versus superioris hemistichio אַיֵּה *ubi est?* vel ex posteriori: אֲשֶׁר שָׁם הָלַךְ *ubi versatus est* leo rapiens etc. וּמְחַנֵּק לְלִבְאֹתָיו *Et strangulans*, prehenso gutture suffocans et enecans pecudes *pro leaenis suis.* Chaldaeus prius hoc hemistichium sic exponit: *reges adducunt raptum uxoribus suis, et praedam filiis suis.* וְיַמֵּלֵא־טֶרֶף חֹרָיו וּמְעֹנָתָיו טְרֵפָה *Et* qui *praeda replebat foramina*, s. *antra sua*, *et lustra sua rapina*, raptis animalibus, quippe in lustris leones praedam colligunt, qua et ipsi vescantur, et catulos suos alant. *Antris* et *speluncis* arces et oppida indicantur, ad quae spolia a devictis hostibus portata sunt. Chaldaeus: *et implent thesauros suos rapto et palatia sua praeda.*

14. הִנְנִי אֵלַיִךְ *Ecce ego ad te*, i. e. contra te, i. q. עָלַיִךְ (quod ipsum positum in eadem hac formula Ezech. 28, 22.) scil. insurrecturus sum, Ninive; ad hanc urbem enim supra Vs. 9. nominatam sermonem dirigi, ostendit suffixum femininum. Chaldaeus: *ecce ego emittam furorem meum adversus te.* Addit subita personae mutatione: וְהִבְעַרְתִּי בָּעָשָׁן רִכְבָּהּ *et ardere faciam*, comburam, *fumo currum ejus*, i. e. succendam igne magnum fumum emittente currus bellicos, unde depugnare solebant principes tui. בעשן *in fumo*, i. e. igne maximo, cujus fumus procul conspiciatur, et versus coelum ascendat. Chaldaeus *igne* posuit. *Currus* pro toto bellico apparatu, ut Zach. 9, 10. — וְכִפִּירַיִךְ תֹּאכַל חָרֶב *Et leunculos tuos absumet gladius.* Chaldaeus כפריך explicavit *oppida tua*, i. e. incolae oppidorum tibi vicinorum gladio interficientur. Rectius Abarbenel *regios principes*, et Hieronymus *nobiles quosque et subregulos* significari observant. וְהִכְרַתִּי מֵאֶרֶץ טַרְפֵּךְ *Et exterminabo de terra praedam tuam*, i. e. efficiam, ne posthac orbem depraederis et rapinis exhaurias. Chaldaeus pro טרפך posuit *commercia tua*, minus commode. וְלֹא־יִשָּׁמַע עוֹד קוֹל מַלְאָכֶיהָ *Nec amplius audietur vox nuntiorum tuorum*, edicta ferentium, aliorumque praeconum, quibus terrere solebas alios populos, urgendo eos ut se dedant tibi, cujusmodi praeco erat Rabsace, 2 Reg. 19, 22. 23. Pro מַלְאָכֶיהָ positum מַלְאָכֶיהָ cum *He paragogico*, quod hic in *Zere* quiescit, ut alias in *Camez*.

CAP. III.

Argumentum.

Perstat vates in descriptione funestissimi excidii potentissimae urbis Ninives, cujus varias commemorat causas, tyrannidem, crudelitatem, fraudes, rapinas, nefandas superstitiones, ad quas

et alias gentes seduxerit (Vs. 1 — 4.), ob quae ait fore, ut penitus evertatur, et cum summa quidem ignominia ac detestatione (Vs. 5 — 7.). Cui comminationi ut eo magis fidem praebeant Ninevitae, adducit exemplum urbis Aegyptiae No-Ammon, quam, licet fuerit potentissima, firmissimis propugnaculis, ipso mari, quin et sociis atque auxiliariis nationibus munitissima, tamen ait expugnatam fuisse, deportatos incolas, proceres in vincula conjectos, multos trucidatos (Vs. 8 — 10.), atque eadem quoque Ninives futura fata praedicit (Vs. 11 — 13.). Et quum urbem videt variis praesidiis, incolarum et civium multitudine, propugnaculorum firmamentis, vicinorum populorum auxiliis, ducum militumque solertia, aliisque id genus pluribus confidere, omnia vana, irrita, nihil profutura vaticinatur (Vs. 14 — 19.).

1. הוֹי עִיר דָּמִים *Vae* tibi *urbs sanguinum*, in qua effundi solet a principibus et potentibus innocuorum sanguis, ut Ezech. 24, 9. Habac. 2, 11. — כֻּלָּהּ בַּחַשׁ פֶּרֶק מָלְאָה *Omnis illa mendacio* et *dilaceratione plena*, i. e. cujus incolae omni generi fraudum violentisque rapinis dediti sunt. כחש פרק *ἀσύνδετον*. פרק *dilaceratio*, i. e. violentia et rapina; tralatio a leonibus, qui praedam, quam rapuerunt, discerpunt ac dilacerant. Vid. Ps. 7, 3. et supra 3, 13., ad quem locum hic videtur respicere. לֹא יָמִישׁ טָרֶף *Non recedit praeda* a te undique congesta, i. e. praedatio. Continenter et sine intermissione incolae tuae praedantur. ימיש h. l. intransitive capiendum, ut Exod. 13, 22. לֹא־יָמִישׁ *non recedebat columna interdiu.* Et 33, 11. לֹא יָמִישׁ *non discedebat e tentorio.* Sic etiam accipitur Jes. 46, 7. Nam idem verbum activc s. transitive sumitur cum alibi, tum Mich. 2, 3., unde et nostra verba nonnulli vertunt: *non amovebit praedam.* LXX: *οὐ ψηλαφηθήσεται θήρα.* Syrus: *nec sentitur in ea contritio.* Quod vatis menti prorsus repugnat. Retulerunt illi interpretes ימיש perperam ad מָשַׁשׁ *palpavit*, *contrectavit.* Recte Hieronymus: *non recedet a te rapina.* Chaldaeus: *non desinit occisio.*

2. Elegans hypotyposis exercitus, qui alacri atque incitato cursu properat ad sumendum de Ninive supplicium, aspirans caedem et sanguinem, et ad paratam sibi praedam anhelans. Jam auditur, inquit, קוֹל שׁוֹט *vox* s. *sonus flagri* equitis hostilis equos agitantis. Cf. Prov. 26, 3. שׁוֹט לַסּוּס *scutica equo.* וְקוֹל רַעַשׁ אוֹפָן *Et sonitus strepitus rotarum* scil. curruum bellicorum. Plene est Exod. 14, 25. וַיָּסַר אֶת־אַפַּן מַרְכְּבוֹתָיו *semovit rotas curruum.* וְסוּס דֹּהֵר *Et* sonitus *equorum concitato cursu currentium.* De voce דהר, praeter hunc locum non obvia, et דַּהֲרוֹת *concitati cursus*, Jud. 5, 22., vid. Schnurreri *Dissert. ad Cantic. Deborae* Vs. laud. in *Dissertt.* p. 80. et J. D. Michaelis *Supplemm.* p. 401. seqq. וּמֵרְכָּבָה מְרַקֶּדֶת *Et* sonitus *currus subsultantis*, curruum subsultantium; subsilire enim solent currus, cum citato cursu et rapide feruntur.

3. Verba פָּרָשׁ מַעֲלֶה Kimchi cum iis, quae proxime sequuntur, וְלַהַב חֶרֶב וּבְרַק חֲנִית, conjungit hoc sensu: *eques* scil. superveniet tibi *adducens tibi flammam ensis et fulgur lanceae*, i. e. gladium flammantem et hastam coruscantem. *Vav* ante לַהַב redundare observat, ut Gen. 22, 4. *die tertio* וַיִּשָּׂא *elevavit Abrahamus oculos suos.* Alii *Vav* utrumque, vocibus לַהַב et בְּרַק praepositum, capiendum volunt ut Latinorum *et — — et*, vel *cum tum*, *tam quam.* Kimchius addit, posse et ellipsin phraseos בְּבֵי הַמִּלְחָמָה statui, ut sit: *eques* superveniet tibi adducens instrumenta bellica. Praestat sane, ob accentum distinctivum *Rbhia* voci מעלה impositum, verba פרש מעלה ut quae sensum seorsim constituant accipere. Neque tamen qui id agnoscunt inter se consentiunt. Sunt enim, qui sic interpretentur: *eques* aderit s. irruet in te *ascendere faciens* s. *adducens* subsequentem reliquum exercitum. Nos quidem cum Lud. de Dieu vertimus: *eques auferens.* „Sicuti," inquit, „Versu praecedenti minatus fuerat sonitum scuticae et sonitum motus rotarum, sic hoc Versu minatur equites auferentes, deinde flammantem gladium et coruscantem hastam. Est autem *eques auferens* qui praedam multam subducit, et quasi ascendere secum facit. Sicut enim in Cal עָלָה *ascendit* saepe usurpatur pro *abire*, *recedere*, sic in Hiphil הֶעֱלָה saepe pro *auferre*, *tollere*, ut Ps. 102, 25. אַל תַּעֲלֵנִי *ne aufer me in medio dierum meorum.*" וְלַהַב חֶרֶב *Et flamma gladii* scil. adest, seu conspicitur. Gladio vibrato et fulguranti *flamma* adscribitur, ut Gen. 3, 24. Cf. Job. 39, 23. Chaldaeus: *et flamma aciesque gladiorum.* וּבְרַק חֲנִית *Et fulgor lanceae*, hastae coruscantes, ut Habac. 3, 11. Describit milites hostiles, qui Niniven oppugnabunt: alii tenebunt manibus enses evaginatos, alii hastas fulgentes. וְרֹב חָלָל *Et multitudo occisi*, occisorum in proelio. וְכֹבֶד פֶּגֶר *Et gravitas cadaveris*, i. e. vis ingens cadaverum. כבד hic habet *multitudinis* notionem, ut Num. 20, 20. 1 Reg. 3, 9. עַם כָּבֵד est *populus multus.* פֶּגֶר *cadaverum* ab hoste occisorum. Non vocatur corpus פגר nisi fuerit mortuum. Cf. 1 Sam. 17, 46. Amos 8, 3. — וְאֵין קֵצֶה לַגְּוִיָּה *Nec finis* est *corporibus*, infinita erit corporum prostratorum multitudo. Ita loquutus est supra 2, 10. *infinitus est apparatus.* גויה hoc differt a פגר, quod de corpore vivo etiam usurpatur (ut Gen. 48, 18. Neh. 9, 37.). וְכָשְׁלוּ בְּגִוִּיָּתָם Ita ut *impingant in corpora eorum*, Ninevitarum, seu Assyriorum, q. d. vix transire aut ingredi poterunt milites prae cadaveribus vel hominibus projectis et vulneratis. In textu scriptum est יכשלו, sed nota Masorethica in margine monet legendum esse יִכָּשְׁלוּ. Alioquin dubitari possit haud immerito, sitne יִכָּשְׁלוּ legendum, an יִכְשְׁלוּ. Prius illud, Futurum Niphal, reperitur in Bibliis ex officina Sanctandreana Heidelberg. 1586. fol., in Bibliis Rob. Stephani in 12. Paris. 1544., nec non in Bibliis Hartmannianis in 4. Trajecti ad Viadr. 1595., atque in margine Bibliorum Dan. Bombergii, Ve-

netiis 1517. in fol. et 1518. in quat. Minus usitatum וְכִשְׁלוּ vero exstat in textu Bibliorum Bombergii Venet. 1517. in fol. et 1518. in quat. atque 1521. in quat. Kimchius quoque in Lexico adducit וְכִשְׁלוּ ex hoc loco. Quod ne mendum esse putes, sciendum, adduci in Cal, deinde subjici Niphal, ut certum sit, Kimchium ita olim legisse. Utrumque tamen repugnat Masorae impressae ad Hos. 1, 1., ubi inter viginti et duo illa loca, quibus pro ו initio vocis in margine ו legi praecipitur, et noster est.

4. מֵרֹב זְנוּנֵי זוֹנָה טוֹבַת חֵן *Ob multitudinem scortationum meretricis gratiosae* ista illi urbi evenient. Reddit propheta causam, cur Ninive sit evertenda ab exercitu hostili, quem Vs. 2. 3. descripsit, nempe quod abusa fuerit opulentia atque potentia sua in perniciem aliarum gentium, quas primum allexit quibus potuit insidiis, donec vires imperii obtinuit; tunc pro libidine nationes quasque vicinicres sibi subegit vi bellica et technis aliis. Comparat autem Niniven eximiae meretrici, quae arte quadam imponere solet amatoribus suis atque eos ad se allicere. *Scortationibus*, זְנוּנִים, plerique interpretes intelligunt aliorum deorum cultum, artesque quibus usa finitimis persuadebat, optime coli numen secundum morem ritumque, quem ipsa sequebatur. Sane זנונים si de populo Hebraico dicitur, de cultu aliorum, praeter Jovam, deorum dici, notum, vid. c. c. Jer. 13, 27. Ezech. 16, 30. Hoc vero loco, ubi de Assyriis agitur, qui Jovam numquam coluerunt, זנונים cum Abarbenele intelligere malumus de *dolosis foederibus*, quibus alias gentes ad se pertraxerunt Assyrii, et sibi tandem subjecerunt. Ita Jes. 23, 17. Tyrus inducitur tanquam meretrix, quae cum omnibus regnis terrae scortata fuerit. Cf. not. nostr. ibi ad Vs. 15. Ceterum de nomine זְנוּנִים observat Kimchi, illud a זָנָה derivatum geminare secundam radicalem, ad augendam et exaggerandam significationem, quemadmodum ab הָגָה *gemuit* הֲגִיג Ps. 5, 2. est *multus gemitus*. Chaldaeus זוֹנָה interpretatur: *civitatis quae fuit sicut meretrix excurrens foris*, i. e. propudiosa. טובת חן *bonae gratiae*, i. e. decorae et gratiam habentis. Chaldaeus et Syrus: *formosae adspectu*. Abarbenel: Instar meretricis formosae et blandulae, quam appetunt, qui eam vident, eamque respiciunt et studiose observant, sicut Israelitae fecerunt, temere fidentes regi Assyriae, spe auxilii, quos tamen irritos plane oppressit. Cf. 2Paral. 28, 20. 21., ubi narratur, Tiglathpilesarem, Assyriae regem, *gravasse Ahasum, non levasse. Et quamvis templi Jovae, et regiae procerumque facultatem partem cepisset Ahasus, et regi Assyriae dedisset, nihil eum juvit.* בַּעֲלַת כְּשָׁפִים *Magistrae*, peritae, *praestigiarum*, quae magicis artibus homines incantat, eorumque res intervertit. הַמֹּכֶרֶת גּוֹיִם בִּזְנוּנֶיהָ *Quae gentes vendidit scortationibus suis*, i. e. libertate sua exutas in servitutem redegit et sibi mancipavit. וּמִשְׁפָּחוֹת בְּכִשָּׁפֶיהָ *Et familias* s. *nationes*

fascinavit et decepit *praestigiis suis.* מִשְׁפָּחוֹת sunt h. l. *nationes, gentes*, ut Amos 3, 2. Chaldaeus vertit *regna.* Praestigiarum atque artium magicarum studium exprobratur et Chaldaeis Jes. 47, 9. 12.

5. הִנְנִי אֵלַיִךְ Ideo *ecce ego contra te* ero. Chaldaeus ut supra 2, 14., ubi eadem phrasis, ita et hic: *ecce ego mitto furorem meum contra te.* Quia vero Niniven Versu superiore meretrici comparaverat, et nunc in poena ei destinata describenda perstat in metaphora, atque talia ei minatur, qualia digna sunt meretricia impudicitia. וְגִלִּיתִי שׁוּלַיִךְ עַל־פָּנָיִךְ *Et retegam*, rejiciam *fimbrias tuas*, imam vestem tuam, *super faciem tuam*, vestibus autem sublatis supra caput apparent quas partes natura occultari jubet, omniaque vitia corporis produntur. Ita et Jer. 13, 26. *ego quoque nudavi fimbrias tuas super faciem tuam, ut opprobrium tuum conspiciatur.* Chaldaeus nostra verba sic interpretatur: *patefaciam turpitudinem sceleris tui contra faciem tuam.* Similes poenae prostibulo dignae praenuntiantur Babyloni Jes. 47, 2. 3., Hierosolymae aut Judae Ezech. 16, 36. 37., Ephraimo Hos. 2, 5. 12. — וְהַרְאֵיתִי גּוֹיִם מַעֲרֵךְ *Et ostendam populis nuditatem tuam.* Non ut honestam matronam, sed ut foedum prostibulum te tractabo. וּמַמְלָכוֹת קְלוֹנֵךְ *Et regna* adspicere faciam, regnis ostendam *ignominiam tuam*, verenda tua, quo nihil magis probrosum esse potest mulieri. „Haec autem omnia sub metaphora mulieris adulterae, quae cum fuerit deprehensa, producitur in medium, et ante oculos omnium depompatur," inquit HIERONYMUS.

6. וְהִשְׁלַכְתִּי עָלַיִךְ שִׁקֻּצִים *Et projiciam super te abominationes*, res abominandas, cujusmodi sunt coenum, lutum, stercus, et alia quae conjici solent in meretrices publica infamia notatas. וְנִבַּלְתִּיךְ *Et contumeliis te adficiam*, recte Hieronymus vertit, quo eodem sensu hoc verbum et Mich. 7, 6. Deut. 32, 15. Jer. 14, 21. usurpatur. וְשַׂמְתִּיךְ כִּרְאִי *Et ponam*, reddam *te tanquam spectaculum.* רְאִי Jarchi *fimum*, Aben-Esra *inquinamentum* interpretantur. Cujus explicationis rationem declarat Abarbenel, qui ad כראי haec notat: *vult dicere: quasi rem pollutam ac spretam, quam quilibet intuetur propter vilitatem suam;* ut Zeph. 3, 1. *Vae* urbi מוֹרָאָה *adspectui exhibitae et contaminatae.* Sequuti hi interpretes sunt Chaldaeum, qui sic vertit: *reddamque te foedam oculis omnium qui te adspiciunt.* Verum רְאִי h. l. commode proprio ac simplici *spectaculi* significatu sumitur, ut sensus sit: *spectaculo*, publicae ignominiae, *te exponam.* LXX παράδειγμα recte reddiderunt, quod Arabs *spectaculum* vertit.

7. וְהָיָה כָּל־רֹאַיִךְ יָדוּד מִמֵּךְ Unde *fiet*, ut *universitas videntium te a te refugiat*, quisquis foedatam faciem tuam, i. e. te dirutam atque vastatam conspexerit, vultum a te, tanquam

a re foeda, avertet. Verbum נָדַד notare: *aufugit tanquam a re foeda*, docet arabicum نَدَّ *aufugit*, atque syriacum ܢܕ *nauseavit, abominatus est*, unde ܢܕܘܬܐ *foeditas*, *βδέλυγμα*, nec non hebraicum נִדָּה *immundities*, q. d. res quam quis abominatur et a qua aufugit. שֻׁדְּדָה נִינְוֵה *Diruta*, vastata (Chaldaeus: *expilata est*) *Ninive*, quae gentium domina et potentia, divitiis atque splendore omnibus urbibus superior esset; vid. infra Vs. 16. sq. מִי יָנוּד לָהּ *Quis condolebit ei?* Vid. de verbo נוּד not. ad Job. 2, 11. Subitus a persona secunda ad tertiam transitus, ut fit in sermone affectu pleno. Statim revertitur ad personam secundam: מֵאַיִן אֲבַקֶּשׁ מְנַחֲמִים לָךְ *unde quaeram consolatores tibi?* q. d. nusquam, qui te consolentur, inveniam, in omnium enim odium et offensionem irruisti, quia eis in rebus tuis secundis insultasti; cf. infra Vs. 19. Hieronymus: „Quis dolebit super te, quis tuus poterit esse consolator? quae quamdiu potens fuisti, quasi crudelis domina, non miserebaris senis, nec parvulum respiciebas, nec praeparasti luctus tui socium, quae noluisti consortem habere regnandi.“

8. Missa jam imagine, qua Niniven publicae ac meritissimae ignominiae expositam depinxerat poeta, ipsam iterum compellat, non lugentis, imo insultantis potius personam inducens, quo declaret, dignissimam eam esse, quae haud melius tractetur, quam celeberrima quaedam urbs, per ipsam naturam munita et auxiliaribus etiam copiis adjuta, quaeque tamen capta, expugnata, ac miserrime desolata fuerit, Versu hoc et duobus sequentibus. הֲהֵיטִבְי מִנָּא אָמוֹן הַיּשְׁבָה בַּיְאֹרִים מַיִם סָבִיב לָהּ *Nunquid melior es, quam No-Ammon, quae habitat inter amnes, in cujus circuitu* sunt *aquae?* quae aquis undique est circumdata atque munita. Nomine נא אמון significari eam Aegypti urbem, quae Graece *Διόσπολις* vocabatur, ostendimus in not. ad Ezech. 30, 14. At quum duae potissimum fuerint hujus nominis urbes, altera in superiore, altera in inferiore Aegypto sita, disputatur, quaenam hic intelligenda sit. Illa fuit maxime nobilitata, et Thebarum nomine celeberrima. Hanc vero, Aegypti superioris Diospolin a Nahumo significari contendit P. Zorn in *Libro singulari de historia et antiquitatibus urbis quondam in Aegypto superiori longe celeberrimae* נוֹא אָמוֹן *seu* הָמוֹן־נוֹא *sive* נוֹא, *id est, Thebarum, sive Διοσπόλεως majoris ad illustrationem Jerem.* 46, 25. *Ezech.* 30, 15. *et Nahumi* 3, 8. 9. 10. in *Opuscc. SS.* T. II. p. 322. seqq. Is postquam veterum scriptorum de Thebarum Aegypti superioris magnitudine et splendore testimonia attulisset, addit p. 349.: „Nahumus autem urbem convenienter naturae ejus congruenterque descripsit, siquidem ad Nilum sita erat, et praeter ejus VII alveos mare rubrum ac mediterraneum habuit, quae velut munimenta invicta hostes ab Aegypto prohi-

berent. *Aquae*, inquit Nahumus, *muri ejus*, ubi Joa. Marshamus, *Can. Chron.* Sec. XVIII. p. 584. *διώρυχας*, sive fossas ingentes, ut labore, ita utilitate insignes intelligit, quas fecit Sesostris, quasque luculenter descripsit idem Marshamus Sec. XV. p. 395. Praeterea quemadmodum multa alia oppida erant intra decursus Nili, ita No-Amon circumdedisse videntur *Nili ostia manu facta*, quae Plinio *falsa ora*, Ptolemaeo *ψευδοστόματα*, Straboni *διώρυχες ἐπὶ διώρυξι τεθῆναι*, *fossae super alias fossas actae* dicuntur. Neque vero dicant Drusius et Calmetus, Thebas Aegyptiacas quum a mari abessent longius disjunctae, a Nahumo vix nominari potuisse. Mitto mare rubrum ac mediterraneum, utrumque, Bocharto judice, hoc in loco designatum; יָם *mare* est ipse Nilus una cum paludibus aestuariisque, quibus undique urbs cincta fuit. De Nilo dicitur יָם et Ezech. 32, 23. Jes. 27, 1. Job. 41, 22.“ Sententiam ab A. Müllero Greiffenhagio atque Calmeto defensam, intelligi a Nahumo alteram Diospolin prope Mendetem, quam praeter Nili alveos Busiritem et Athribitem varii lacus instar marium undique cingebant, speciosam quidem esse fatetur Zornius p. 354., sed debiliora esse judicat illius argumenta, quam ut ipsum a sua sententia dimoveant. „Urbs enim,“ inquit, „Ninevitis ob oculos ponenda erat, quae non magis natura et mirificis molibus munita, quam propter imperii amplitudinem et diuturnitatem florentissima esset, ut Ninevitae illud e fatis tantae urbis cognoscerent, quod ipso usu etiam mortales docentur.“ Nos quidem haud dubitamus Zornio adstipulari. Plura vid. in *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* P. III. p. 299. sqq. יְאֹרִים de rivis e Nilo deductis usurpari, observatum ad Ezech. 29, 2. Gen. 41, 1. אֲשֶׁר־חֵיל יָם *Cujus antemurale*, seu *praemunitio mare*, quo, recte monente Steudelio l. l. p. 416., Nilus fluvius h. l. intelligendus, Arabibus quoque اَلْبَحْرُ *mare* dictus, vid. not. ad Jes. 19, 5.; ad אֲשֶׁר vero est לָהּ *cui*, urbi, subaudiendum. Negat quidem Ludov. de Dieu, verba ita, ut cum interpretibus plerisque aliis, recte verti, quod חֵיל forma constructa sit, unde vertendum sit: *quae* est *antemurale maris*, cui quod sequitur, מַיִם חוֹמָתָהּ *a mari* est *murus ejus*, bene cohaereat; si enim mare sit murus No-Amonis, eandem urbem esse antemurale maris. Verum errat Lud. de Dieu, quod חֵיל formam constructam esse ait, quum חֵיל, quod et defective חֶל scribitur, 2 Sam. 20, 15. Jes. 26, 1. et alias forma sit absoluta. Neque חֵיל, id est, fossa, quae urbem circumdat cum antemurali, commode *antemurale maris* diceretur.

9. Pergit in describendis urbis No-Amon praesidiis atque sociorum auxiliis. כּוּשׁ עָצְמָה וּמִצְרַיִם *Cusch robur*, praesidium *ejus* fuit *et Aegyptus*. De כּוּשׁ *Aethiopia* vid. not. ad Gen. 10, 6. et Ezech. 30, 4. וְאֵין קֵצָה *Ita ut finis non esset* copiarum auxiliarium. Ita de Schischako, Aegypti rege, Rehabeamo, regi

Judaeorum, bellum inferente, dicitur 2 Chron. 12, 3. *innumerum fuisse populum, qui cum eo ex Aegypto venerit.* פוּט וְלוּבִים הָיוּ בְּעֻזָרֶיךָ *Phuthaei et Libyes erant in auxilio tuo*, o No-Amon, cujus Versus praecedens meminit, ad quam per apostrophen propheta se hic convertit, ac si ipsam alloqueretur. De פוּט gente quadam Africae, Aegyptiis vicina vid. not. ad Gen. 10, 6. לוּבִים una cum Cusehaeis inter auxiliares Aegyptiorum copias memorantur 2 Chron. 12, 3, et ibid. 16, 8. iidem dicuntur *exercitu* esse *numeroso cum curribus et equitibus.* Dan. 11, 43. Lubaei et Cuschaei inter eos, qui Antioeho subjecti sunt, nominantur.

10. גַּם־הִיא לַגֹּלָה הָלְכָה בַשֶּׁבִי Attamen *etiam haec* tam potens et tam valide munita No-Amon *in deportationem* s. exilium *abiit inter captivos*, captiva abiit in exilium. Quando autem et a quibusnam victoribus urbs illa fuerit expugnata, et eives ejus extra patriam fuerint deportati, definiri nequit. Varias variorum conjecturas percensuit Zornius l. c. p. 374. seqq. Ipse (p. 387.) Salmanassarem, regem Assyriorum, Senacheribi patrem vel avum, Cusehacorum et Aegyptiorum victorem exstitisse putat. Nostram conjecturam vid. in Prooemio. גַּם עוֹלָלֶיהָ יְרֻטְּשׁוּ בְּרֹאשׁ כָּל־חוּצוֹת *Etiam parvuli ejus collisi sunt in capite*, in compitis *omnium vicorum*, ut fieri solet in urbibus vi captis. Verbi רָטַשׁ est peculiaris usus in describenda immanitate militis in tenellam aetatem saevientis, ut patet e locis 2 Reg. 8, 12. Jes. 13, 17. Hos. 14, 1. Poeta Ps. 137, 9. utitur verbo נָפַץ, i. e. allidendo dirumpere. Futurum ירטשו Praeteritis intermistum in Praeterito capiendum est, ut saepe in narrationibus, ut Jud. 2, 1. — וְעַל־ נִכְבַּדֶּיהָ יַדּוּ גוֹרָל *Et super honoratos ejus*, No-Amonis, *jecerunt sortem* victores, cives nobilissimos ut mancipia victores sorte inter se diviserunt. Cf. Joel 4, 3. Obad. Vs. 11. — וְכָל־גְּדוֹלֶיהָ רֻתְּקוּ בַזִּקִּים *Et omnes magnates ejus vincti sunt compedibus*, sive *manicis*, i. e. catenis ferreis, quibus manus insertae, ut Jer. 40, 1. 4. Ita LXX: χειροπέδαις. De verbo רָתַק praeter h. l. semel tantummodo, Cohel. 12, 6. obvio, vid. not. ad Ezech. 7, 23.

11. Jam propositum exemplum vates in suos usus convertit, et Ninivae praedicit sortem haud minus aeerbam ea, quam passa fuerat Diospolis, imo illam describit ut longe miseriorem Vss. sqq, quippe cum universi imperii interitu conjunctam. גַּם־אַתְּ תִּשָּׁכְרִי Sic *etiam tu*, o Ninive, *inebriaberis* irae divinae poculo, sicut et No-Amon de eodem bibit. Vid. de hac imagine not. ad Obad. Vs. 16. תִּהְיִי נֶעְלָמָה *Eris abscondita*, ignorata, ac si unquam in orbe fuisses, ut in loco parallelo Obadiae Vs. 16.: *Bibent et absorbebunt*, וְיִהְיוּ כְלֹא הָיוּ *eruntque ac si nunquam fuissent.* Tolleris de medio, ita ut desinas esse in rerum natura. Alii: abscondes te prae metu et trepidatione. HIERONYMUS: „Dives quondam atque speciosa, quae tantos amatores habebas, *despi-*

cieris ab omnibus." Is igitur *absconditam* accepit pro ea, quae sese prae pudore abscondat, uti solent qui cladem insignem acceperunt, aut dedecore aliquo affecti sunt, latere, non ausi prodire in conspectum hominum prae verecundia. גַּם־אַתְּ תְּבַקְשִׁי מָעוֹז מֵאוֹיֵב *Etiam tu*, quae a multis annis toti mundo fuisti terrori propter potentiam et tyrannidem tuam, jam in tua angustia *quaeres robur*, praesidium, *ab hoste*, i. e. auxilium et opem cogeris quaerere, ut inimicis resistas. Alii sensum hunc esse volunt: adeo in angustiis eris, ut ad eos, qui tibi vel aperti vel clandestini hostes sint, confugere coactus sis, et ab iis auxilium quaerere. Sed מאויב ita esse capiendum, ut nos fecimus, docet similis loquendi formula Esr. 8, 22. *Puduit me ab hoste petere exercitum et equites* לְעָזְרֵנוּ מֵאוֹיֵב בַּדֶּרֶךְ *ad auxilium nostrum ab hoste*, i. e. contra hostem, *in via.*

12. Declarat poeta, vanam esse fiduciam, quam Assyrii in Ninives munimentis, in militibus suis, et copiis etiam auxiliaribus collocaturi essent, quoniam haec omnia urbis totiusque imperii meritissimum interitum avertere non possent: atque hac in re versatur usque ad vaticinii finem. In hoc autem Versu imago est, quae incredibilem paene facilitatem, qua moenia Ninives expugnanda essent, eximie ponit ob oculos. Comparantur illa cum ficubus maturis et praecocibus, quae ex arbore concussa in os cadant ejus, qui eos comedere cupiat. כָּל־מִבְצָרַיִךְ תְּאֵנִים עִם־בִּכּוּרִים *Omnes munitiones tuae* erunt sicut *ficus cum praecocibus*, i. e. et praecoces scil. fructus, עִם enim pro *et* sumitur interdum, ut 1 Sam. 17, 42. *ruber* עִם־יְפֵה *et pulcher adspectu.* Alii capiunt תְּאֵנִים de ipsis *arboribus*, minus apte. Alii hoc nomen subaudienda comparandi particula כ, cf. not. ad Ps. 80, 11. De בכורים vid. ad Mich. 7, 1. — אִם־יִנּוֹסוּ וְנָפְלוּ עַל־פִּי אוֹכֵל *Si quatiantur* arbores, *tum decidunt* fructus *super os comedentis*, i. e. ejus, qui illas quassavit, ut fructus decidentes comedere possit. Sic etiam munimenta tua omnia facile expugnabuntur, ut sine ullo negotio in hostium potestatem sis venturus.

13. הִנֵּה עַמֵּךְ נָשִׁים בְּקִרְבֵּךְ *En populus tuus*, milites tui, o Assyria, *mulieres* erunt *in medio tui.* Chaldaeus: *infirmi sicut mulieres* erunt, ut hostibus resistere non possint. „עַם *populus* ex contextu saepe dicitur de *militibus;* sic etiam Vs. 18., uti et Graecum λαὸς, Homeri *Iliad. A.* 10. et saepius alias. Comparantur hi milites cum mulieribus, quibus scilicet animo imbelli similes se ostenderent. Eadem comparatione utitur Jesajas 19, 16. de Aegyptiis, et Jeremias 50, 37. 51, 30. de Chaldaeis. In nostro autem loco, ubi Nahumus effoeminatum animum exprobrat Assyriis, simul tangere videtur vitam mollem ac voluptatibus deditam, cui indulserint Assyrii, et in qua nec opinati opprimendi essent. לְאֹיְבַיִךְ פָּתוֹחַ נִפְתְּחוּ שַׁעֲרֵי אַרְצֶךָ *Hostibus tuis aperiendo aperientur portae* urbium *terrae tuae*, quum milites tui effoeminati

sint atque imbelles, hostes facillimo negotio urbes tuas occupabunt. פתוח נפתחו *aperiendo aperientur*, i. e. quasi sponte sua, statim ac sine mora aperientur. שַׁעֲרֵי אַרְצֵךְ *portae terrae* non sunt angustiae seu fauces, quibus per medios montes aditus in regionem clauditur aut aperitur, sed *portae* hic commodius pro *portis urbium* regni Assyriaci capiuntur, ut Jer. 15, 7. שַׁעֲרֵי הָאָרֶץ sunt *urbes terrae.* Portis urbium et melius convenit quod additur: אָכְלָה אֵשׁ בְּרִיחָיִךְ *consumet ignis vectes tuas*, quibus urbium tuarum portae sunt communitae. Conf. Amos 1, 5. et ibid. not.

14. Expugnatis ab hoste urbibus minoribus futurum erit, ut Ninevitae suae urbi metuere incipiant, et munitiones ejus hic illic collapsas restaurare aggrediantur. Quibus eorum conatibus illudit propheta, jubens per ironiam, ut reparent urbis munitiones quantocunque studio voluerint, atque ad strenuam defensionem sese accingant, quum certum sit, omnia illorum molimina irrita fore: מֵי מָצוֹר שְׁאָבִי־לָךְ *aquas obsidionis*, i. e. aquam in obsidione necessariam, *hauri tibi*, cisternas tibi fac servandis aquis ne obsessis desit potus; nam eo deficiente deditio protinus facienda est. חַזְּקִי מִבְצָרַיִךְ *Firma*, refice, *munitiones tuas*, propugnacula tua, ne facile capiantur ab hoste. בֹּאִי בַטִּיט וְרִמְסִי בַּחֹמֶר *Ingredere*, subige *lutum*, *et calca argillam*, ad lateres conficiendos, unde additur: הַחֲזִיקִי מַלְבֵּן *firma*, refice *officinam laterariam*, ad coquendos latcres, quibus urbs, ob lapidum inopiam, muniatur. Ita qui in planitie Sinear turrim aedificare moliebantur, pro *lapidibus lateres* adhibuisse narrantur Gen. 11, 3. — מלבן *officinam laterariam*, aut *fornacem* in qua lateres coquuntur, notare, patet ex Jer. 43, 9., ubi vates jubetur magnos lapides in מלבן abdere. Et verbum הֶחֱזִיק de *reficiendis muris* dicitur Ezech. 9, 27. Neh. 3, 4. 5. sqq.

15. Sed quum illa omnia facturi sitis magno studio et nihil praetermissuri, quod ad urbem defendendam sit necessarium, nihil tamen vobis proderit, nam שָׁם תֹּאכְלֵךְ אֵשׁ *ibi*, in ipsis munitionibus tuis (מבצריך Vs. 14.), *ignis devorabit te*, o Ninive, incendio absolventur munitiones tuae, injectis ab hoste facibus. Sunt, qui *igne* intelligant hostes, qui ignis instar omnia consumunt. Ita Chaldaeus: *ibi venient contra te gentes, quae fortes sunt sicut ignis.* תַּכְרִיתֵךְ חָרֶב *Exscindet te gladius.* Chaldaeus: *exscindent te occisores gladii.* תֹּאכְלֵךְ *Comedet te* scil. gladius; quum *os gladii*, פִּי חֶרֶב, appellare soleant Hebraei aciem ejus, eleganter hic *comedendi* verbo de illo utitur, uti supra 2, 14. Vid. et 2 Sam. 2, 26. — כַּיֶּלֶק *Sicut locusta* olera depascit, ita te consumet gladius. De ילק locustae specie vid. not. ad Joel 1, 4. Hieronymus: „Et quum haec omnia feceris, quasi a brucho humus, ita a gladio devoraberis.“ Ad quae Hieronymi verba Victorius notat: „Est autem *bruchus* parva illa locusta

absque alis, nigra, gryllis vocalibus simillima, in terrae foraminibus sese abdens, et ad pastum egrediens, quam Reatini ab atro Maurorumque colore *morulam* vocant. Arrodit enim mirum in modum hujusmodi insectum quicquid virens invenerit.“ הִתְכַּבֵּד *Multiplica te* modo, o Assyrie, nam verbum hic est *masculinum*, uti sequens de Ninive femininum. כַּיֶּלֶק *Sicut locusta*, i. e. conscribito exercitum numerosissimum instar agminis locustarum. Cf. Joel 1, 6. et ibid. not. הִתְכַּבְּדִי כָּאַרְבֶּה *Et multiplica te*, o Ninive, tam numerosa et copiosa esto civibus et militibus, quam sunt locustae, quibus a *multitudine* (רֻבָּה) nomen est, quum nullum animal sit foecundius. Cf. not. ad Exod. 10, 15.

16. הִרְבִּית וגו׳ *Multiplicasti* quidem *mercatores tuos magis quam stellas coeli*, splendore et divitiis insignes, tamen evadent sicut *locusta*, quae sese *diffundit*, *et* mox iterum *avolat*, ita etiam illi cum suis mercibus, hoste appropinquante, aufugient. Sed Lud. de Dieu verba וָיָלֶק פָּשַׁט וַיָּעָף ita exponit: sicut *bruchus exspoliabit et avolabit.* „Sensus est: sicut bruchus denudat agros eosque virore suo, quo tanquam vestimento ornantur, quasi exuit, deinde avolat; ita hostis, tanquam bruchus quidam, ornatissimos tuos et praestantissimos viros, negotiatores nempe, quos plurimos habes, exuet, denudabit et spoliabit, deinde abibit. Praeterita sunt pro futuris. פָּשַׁט proprie est *exuere*, *vestem detrahere et exspoliare*“ Verum ex interpretatione priore, quae est Hebraeorum plerorumque, hic Versus melius congruet cum eo, qui proxime sequitur.

17. מְנֻזָּרֶיךָ כָּאַרְבֶּה *Coronati*, s. *diademate* (נֵזֶר) *insignes tui*, i. e. principes, proceres tui, innumeri sunt *sicut locusta*. Dagesch forte in litera נ vocis מנזריך est euphonicum, ut in מְקֻדָּשׁ Exod. 15, 17. Vocem Abarbenel cum Kimchio explicat: *principes quorum capitibus diadema et corona inest.* Non differt igitur significatu a נָזִיר Gen. 49, 26. Deut. 33, 16. Vulgatus *custodes tui* reddidit, quasi מנזריך idem esset quod מְנֻצָּרֶיךָ, ob literarum ז et צ cognationem. וּטַפְסְרֶיךָ כְּגוֹב גֻּבִּי *Et duces tui sicut locusta locustarum*, i. e. sicut ingens multitudo locustarum. Alii: *sicut praegrandes locustae*, ad analogiam phrasium קדש קדשים *sanctitas sanctitatum*, omnium sanctissimus, Dan. 9, 24., aut רעת רעתכם *summa malitia vestra*, Hos. 10, 15. Verum nil obstat, quo minus et magnam copiam ea phrasi indicari existimemus, quod rei magis est accommodatum. Vocis טַפְסְרִים singularis, טִפְסָר, occurrit Jer. 51, 27., ex quo loco non minus atque e nostro intelligitur, esse *dignitatis* nomen, qualis vero, aut quaenam illius nominis significatio, definiri vix poterit. Chaldaeus interpres utroque loco, quo occurrit, V. T. hanc vocem, ut vernaculam, retinet; atque in Targum Jonathanis Deut. 28, 12. est *angeli* nomen. Hebraeum טַף non solum *parvulos*, *infantes* significare, verum etiam *totam familiam*, apparet

e 2 Chron. 20, 13. 31, 18. Videtur cum طَائِفَة *turba hominum*, *agmen*, uti sono, ita significatu cognatum. Quare non absona fuerit conjectura, סַפְסַר propric notare *agminis principem*. הַחוֹנִים בַּגְּדֵרוֹת בְּיוֹם קָרָה *Quae* locustae *considunt in maceriis* hortorum et vinearum *in die*, tempore *frigoris*, hyeme, שֶׁמֶשׁ זָרְחָה וְנוֹדָד sed cum *sol oritur*, *tum fugit* quaevis illarum, omnes avolant, וְלֹא־נוֹדַע מְקוֹמוֹ אֵיָּם *nec agnoscitur locus ejus*, uniuscujusque illarum, *ubi fuerint*. Bene HIERONYMUS sensum hujus Versus atque superioris declarat hoc modo: „Sed et cum multiplicata fueris ut bruchus, et ut locusta in unum pariter congregata, et congregaveris sicut astra coeli divitias tuas, sicut locustae et bruchus, et parva genimina locustarum, quae vocantur *attelabi*, sole incalescente, avolant, nec reperiuntur; sic tu dispergeris et fugies. Natura enim haec locustarum est, ut in frigore torpentes per calorem volitent.“ Consentit BOCHARTUS *Hieroz.* P. II. L. IV. Cap. 2. T. III. p. 276. edit. Lips.: „Quasi diceret: tu quidem es urbs populosissima, ut incolae tui tibi videantur esse *locustis* numero pares, et *moenibus tuis* multi mercatores et principes asylum quaerunt, quomodo locustae in sepibus, quum frigent. Sed non est, quod confidas tam numerosae multitudini, aut horum mercatorum opibus, vel principum et ducum tuorum viribus intumescas. Quippe, orto sole locustae avolant, et sepem eam deserunt, quae in tempore frigoris pro suffugio ipsis fuerat; sic populi, mercatores, principes, qui, cum res tulit, ad moenia tua confugerant, quamprimum rei alibi melius gerendae occasio ac spes affulgebit, unanimi consensu te ita derelinquent, ut ne minimum quidem illorum supersit vestigium.“

18. נָמוּ רֹעֶיךָ מֶלֶךְ אַשּׁוּר *Dormuerunt pastores tui, o rex Assyriae*, negligenter se gesserunt praefecti et duces tui, eos enim pastorum imagine sisti, notum, vid. e. c. Jer. 22, 22. et not. ad Ezech. 34, 2. יִשְׁכְּנוּ אַדִּירֶיךָ *Cubabunt*, quiescunt per somnum, *magnifici tui*. Verbum שָׁכַן h. l. et Ps. 16, 9., ut Arabicum سَكَنَ de *quiete nocturna* intelligendum. Verba נום et שָׁכַן quidam interpretes intelligunt de *somno* et *quiete mortis*, de qua verbum שָׁכַן et Ps. 7, 6. dicitur, ut sensus sit, occisis gladio hostili ducibus et praefectis exercitus regis Assyrii, fore ut totus exercitus dissipetur et pessum eat. Sed magis ad rem accommodatum videtur, de procerum, quorum curae reipublicae salus concredita erat, summa incuria et secordia cogitare. נָפוּשׁ עַמְּךָ עַל־הֶהָרִים וְאֵין מְקַבֵּץ *Dispersus est populus tuus super montes, et nemo est qui colligat*, milites tui dispersi more ovium errantium, et quae pastore carent, et nullus dux superest, qui dispersos in agmen recolligat. Eadem imago Jes. 13, 14. Ad נָפוּשׁ LUDOV. DE DIEU haec notat: „Ponitur hic pro נָפוּץ, quod

mirum videri non debet, quum ejusdem ea sint pronuntiationis. Hebraei enim נָפְשׁוּ non pronuntiant *Naphosch*, sed *Naphosu*, neque נָפְצוּ pronuntiant *Naphotsu*, sed etiam *Naphosu*, et sic passim apud Orientales ש et צ per simplex *S* efferuntur.“ Jarchius quoque jam longe antea נָפְשׁוּ idem esse quod נָפְצוּ observaverat, literis ejusdem organi (dentalibus) inter se permutatis. Exstant penes De-Rossium duo codices, in quibus נפצו est scriptum.

19. אֵין כֶּהָה לְשִׁבְרֶךָ *Non est sanatio fracturae tuae*, ruina tua irreparabilis est. De nominis כֶּהָה significatu non plane consentiunt interpretes. Chaldaeus: לֵית דְּכָאֵב לַיהּ עַל תֻּבְרָךְ, totidemque verbis Syrus: ܠܝܬ ܕܟܐܒ ܠܗ ܥܠ ܫܒܪܟ *non est, cui doleat ob fractionem tuam*, quia omnes gaudent de ruina tua, ut mox in altero hemistichio dicitur. Sane nomen כֶּהָה de *spiritu hebete*, i. e. de *animo perculso et tristi* ponitur Jes. 61, 3. ut radix Arabica كهى inter alia denotat *imbecillis*, *pusillanimis et meticulosus fuit*, et Chaldaicum כְּהָה in Aphel, *doluit*, *doloro adfectus fuit*. Coccejus *mitigationem* interpretatur, proprie *hebetationem* notare existimat, ut minus acris sit et vehemens dolor. Hebraei *curationem*, *sanationem* vulneris interpretantur, a *corrugandi* notione, quam hebraeo כָּהָה tribuunt, quod cum incipit sanari vulnus, tunc cutis circumcirca corrugatur. Ita Lev. 13, 6. כֶּהָה תַּנְגַּע de plaga quae sanari incipit dicitur. Ita h. l. LXX: *οὐκ ἔστιν ἴασις τῇ συντριβῇ σου*, quod Arabs sic reddidit: *nec est medela fracturae tuae.* Quo sensu si verba accipias, optime conveniunt iis, quae statim subjuncta sunt: נַחֲלָה מַכָּתֶךָ *aegra*, aegerrima, *pessima* (ut recte Hieronymus) est *plaga tua.* Ita Chaldaeus: *aegra est plaga tua*, quomodo eandem phrasin reddit Jer. 10, 19. LXX: *ἐφλέμανεν ἡ πληγή σου.* Grotius: „*Inflammata* vulnera solent exitium adferre. Quasi dicat: quum Ninus sit dedita, milites dispersi, duces torpidi, nonne vides periisse res tuas sine remedio?“ Ceterum ad *regem* Assyriae hoc Versu orationem converti, non ad *urbem*, ut Vs. 11—17., docent suffixa masculinae personae secundae. כֹּל שֹׁמְעֵי שִׁמְעֲךָ תָּקְעוּ כַף עָלֶיךָ *Omnes audientes famam tuam plaudent manibus*, quicunque audierint famam cladis tuae summo gaudio afficientur. שמעך, proprie *auditio tua*, hic est *quod alii de te audiunt*, fama cladis tuae, ut Jes. 23, 5. שֵׁמַע צֹר est *fama ruinae Tyri.* *Complodere manus* est gestus laetantium, vid. Ps 47, 1.; quare recte Chaldaeus hic addidit: *gaudent.* Cf. Jes. 55, 12. — כִּי עַל־מִי לֹא־עָבְרָה רָעָתְךָ תָּמִיד *Nam super quem non transiit malitia tua semper?* Nullus est populus, qui non fuerit a te vexatus continenter, quem non assiduis malis et incommodis affeceris. Quocirca quicunque certiores fient de clade tua, plaudent manibus laetantes.

IN HABACUCUM PROOEMIUM.

De Habacuci patria et aetate nihilo certiora, quam de Nahumo aliisque pluribus vatibus Hebraeorum proferre possumus. Quid vestigando tamen et scrutando reperire queamus, experiamur. Primae Chaldaeorum in terram Judaicam irruptionis tempore Nostrum aetatem egisse intelligitur ex iis, quae 1, 5. 6. leguntur: *Adspicite per gentes, et cernite admirabundi, quoniam fiet opus vestro tempore, quod vobis dictu videatur incredibile. Nam ego Chaldaeos suscito, acerbam festinamque gentem, vadentem quam late terra patet, ad occupandas habitationes non suas.* Chaldaeos tum non longe antea emersisse, rerumque potitos esse illud arguit, quod illorum irruptionem *rem incredibilem* vocat, illosque tum primum Hebraeis innotuisse, inde colligitur, quod vates ipsorum mores accuratius describit, quam ut hostis jam diu noti mores ac indoles describi solent. Jam quum in Hebraeorum monumentis nulla ante Jojakimi tempora hostium Chaldaeorum mentio fiat (2 Reg. 24, 1. sqq.), haud longe a vero aberrabimus, si primum saltem nostrorum vaticiniorum Caput Jojakimi aetati assignemus. Quod ut faciamus et illud nos movet, quod tum, cum vates quae 1, 12. 13. legimus scriberet, Judaea quidem eam, quae 2 Reg. 24, 2. memoratur, Chaldaeorum invasionem experta esse videtur, spei tamen adhuc locus relictus fuit, rempublicam Judaicam non penitus eversum iri. Quae vero Cap. II. de Chaldaeorum alienas terras invadendi cupiditate, eorumque in devictos populos tyrannide exstant querimoniae, Jechoniae tempori, quum Chaldaeorum potentia magis invaluisset, eorumque saevitia Judaeae quoque gravissima vulnera inflixisset,

rege proceribusque e patria abductis, atque terra vastata et expilata (2 Reg. 24, 10. sqq.), magis videntur convenire. Denique quod Capite III. continetur carmen, quo vates Jovam ardentissimis precibus orat, ne populum sibi electum penitus perdi sinat, ipso illo tempore, quo urbs Hierosolymitana a Chaldaeis per triennium dura obsidione premeretur (2 Reg. 25, 2. 3.), effusum credidcrim. E quibus omnibus conficitur, Habacucum tristissimis sub Jojakimi, Jojachini et Zedekiae temporibus vitam egisse. Quocum congruit, quod vetus fama in apocryphis Danielis additamentis (in Graeca Alexandrina versione 14, 32.) servata Habacucum tradit cibaria ad Danielem inter leones jacientem, ab angelo vectum, detulisse. Quod vates noster in apocrypha Danielis appendice *filius Jesu de tribu Levi* dicitur, in medio relinquimus. Nec magis curamus, quae Pseudo-Epiphanius atque Dorotheus de Habacuco tradunt, omni fundamento destituta. Ad argumentum potius hujus libri contemplandum nos convertimus.

Totus hic liber versatur tam in querimoniis de Chaldaeorum ferocia, insolentia atque tyrannide, quam in praesagiendis poenis, quae illos maneant, quod se immitius et iniquius gererent in populum, quem Jova sibi peculium elegerat. Quae singula ita persequitur vates, ut in medias res rapiens lectores, statim in exordio oculis eorum repraesentat tumultus bellici et eversi ordinis et status civilis triste spectaculum, hostiumque humanas divinasque leges migrantium furorem, cujus adspectu ipsius poetae animus maxima perculsus fuerat moestitia (1, 2 — 11.). Tunc surgit vatis mens ad divini numinis contemplationem, in eaque aliquantum requiescit, dum Deum cogitat, qui ferre insanos hostium conatus aequo animo, illorumque injurias inultas tolerare nequeat (1, 12 — 17.). Cap. II. eorum, qui imminentis exitii metu perculsi meliora tempora fere desperarent, animos erigit oraculoque divinitus accepto, quo vana futura esse barbarorum et rebellium molimina, edocet, numinisque praesidium piis ejus cultoribus promittit (2, 1 — 4.). Quo in loco exornando mire sibi placens poeta, depingit ferocientis victoris interitum, poe-

nasque illi eo consilio inferendas, ut omnibus appareat, Jovam scelera aversari, eumque solum pie colendum esse, frustra ab idolis auxilium exspectari, Jovam vero omnia, quae gentibus barbaris minatus sit, certissimo eventu comprobare, ejusque voluntati universam rerum naturam obsequentem se praebere (2, 5 — 20.). Subjungitur Cap. III. carmen, in quo timoris et spei, angoris et fiduciae affectus ex argumento eorum, quae in superioribus vaticiniis poetae mens praesagierat, mire alternant, denique tamen firma auxilii divini fiducia omnes dubitationes vincit, atque vates futurae salutis spe confirmatus in laudes Jovae effunditur.

Carmina, quae hoc libro continentur, prophetica, dramatico schemate vestita, prophetae cum Deo mutua colloquia referunt, in quibus vates piorum suae gentis personam sustinens, eorum cogitationes et querelas Jovae judici quasi cum expostulatione proponit. Hinc eum audias concitatius loqui sub initio, rationes divinae gubernationis a Jova exigere, et cur tantum impiis permittat conqueri. Stylo utitur pro rerum ac instituti diversitate vario, gravi tamen, puro, terso, conciso, atque argumenti, quod tractat, indoli sic attemperato, ut verba sensui respondeant, et nunc humillimae supplicationi, nunc gravissimae denuntiationi, nunc laudibus, quibus divina in Israelem collata beneficia extollit, exacte congruant. Quidquid Hebraeorum dicendi genus habuerit vehemens, grande, magnificum, id vatem nostrum assequutum esse, nemo negaverit.

HABACUC.

CAP. I.

Argumentum.

Moestus deplorat propheta reipublicae Judaicae calamitatem, queritur de violentia et injuria, populo ab hostibus inflicta, opemque divinam ardentissimis precibus implorat, Vs. 2 — 4., jamque Deum majora adhuc mala populo per hostes barbaros, regnaque ubique evertentes, infligenda esse, tristis auguratur, atque ferociam Chaldaeorum, omnia vastantium, omniaque divina humana proterve spernentium vividis imaginibus depingit, Vs. 5 — 11. Sed ipsa haec victorum insolentia et sacrilegia temeritas ad Deum convertit poetae animum, eumque spe erigit fore, ut Jova impatiens injuriae genti sibi sacrae illatae, auxilium afflictis ferat, neque permittat, ut cultores veri numinis prorsus exstirpentur, atque barbarorum superstitio victoriis porro propagetur, Vs. 12 — 17.

1. De מַשָּׂא *effato* vid. not. ad Jes. 13, 11. אֲשֶׁר חָזָה vid. not. ad Jes. 1, 1. De nomine חֲבַקּוּק haec observat Hieronymus in Prologo: „Scire nos convenit, corrupte apud Graecos et Latinos nomen *Ambacum* prophetae legi, qui apud Hebraeos dicitur *Abacuc*, et interpretatur *amplexus*, sive, ut significantius vertamus in Graecum, περίληψις, id est, *amplexatio*. Qui vel ex eo quod amabilis Domini est vocatur *amplexatio*, vel quod in certamen et luctam et, ut ita dicam, amplexum cum Deo congreditur, *amplexantis*, id est, *luctuantis* sortitus est nomen. Nullius enim tam audaci voce ausus est Deum ad disceptationem justitiae provocare, et dicere ei: cur in rebus humanis et in mundi istius πολιτείᾳ tanta rerum versatur iniquitas?“ Descendit quippe nomen חבקוק (formae שַׁעֲרוּר *maxime horridus*), a חָבַק quod in Piel est *amplecti*. Geminus vero quum detur amplexus, hostilis alter luctatorum, alter amicus et suavis, qualis parentum est, tenero liberos suos affectu prosequentium, hinc duplex illa Hieronymo enata est vocis explicatio. Praestat haud dubie posterior, quae et magis congrua est verbo, ut a parentibus istud nomen Nostro esset fausti ominis causa impositum.

2. In medias rapiens res lectorem vates statim initio erumpit in querimonium sive expostulationem cum Deo, admiratus, cur populo suo oppresso atque vim ab hoste patienti non opituletur. Induit propheta personam vulgi, rationis, qua Deus gubernare solet res humanas, ignari. עַד־אָנָה יְהוָה שִׁוַּעְתִּי וְלֹא תִשְׁמַע אֶזְעַק אֵלֶיךָ חָמָס וְלֹא תוֹשִׁיעַ *Quousque, Jova, vociferabor* ad te, *et* me clamantem *non exaudis?* quousque *clamabo ad te? violentia* exercetur, *nec* tamen *eripis* ex hostium manu. Sunt, maxime inter Christianos interpretes, qui hoc Versu et duobus proximis vatem queri existiment de sui populi moribus corruptissimis, vim jure superiorem esse, sanctissimasque justitiae et aequitatis leges perverti; quam ob causam gravissima supplicia per hostes feroces et barbaros ei infligenda inde a Versu 5. minetur. Verum quam nominibus חָמָס et עָמָל hoc Versu et proximo usurpatis, infra Vss. 9. et 13. aperte hostium violentia et tyrannis significetur, illa nec alio sensu hic capienda esse arbitramur. Multum, si quid sentio, ita accedet elegantiae totius carminis structurae. De Chaldaeorum insolentia atque saevitia Nostrum conqueri, monent et Hebraei interpretes, idemque observat Hieronymus, a suo Hebraeo magistro haud dubie edoctus: „Caussatur," inquit, „adversum Deum propheta, cur Nabuchodonosor templum vastet, et Judam, cur Jerusalem quondam urbs Domini destruatur. Quare clamet populus et non exaudiatur? vociferetur ad Dominum oppressus a Chaldaeis et non salvetur? Quare etiam ipse propheta, vel populus, ex cujus persona nunc loquitur, ad hoc vixerit, et hucusque perductus sit, ut iniquitatem hostium et suum videat laborem?" חָמָס Kimchi recte exponit *propter violentiam quae Israeli infertur.* Chaldaeus hunc Versum sic expressit: *Annon manifestum est coram te, me clamitare coram te propter rapinas? annon est apud te servandi potestas?*

3. לָמָּה תַרְאֵנִי אָוֶן *Quare videre me facis*, ostendis mihi *iniquitatem*, i. e., ut Jarchi recte interpretatur, *direptionem et violentiam* ab hostibus illatam. Vel, ut vult Aben-Esra, אָוֶן positum est pro אַנְשֵׁי אָוֶן *iniquis.* Ita Chaldaeus: *quare ego video oppressores?* Quare sinis, ut homines iniqui affligant populum tuum? וְעָמָל תַּבִּיט *Et* quare ejusmodi *laborem*, aerumnam, *intueris*, sustines intueri, *neque fers opem?* ut Jarchi recte addit. Abarbenel observat, respicere vatem verba Num. 23, 21. *non adspicit iniquitatem in Jacobo, nec videt praevaricationem in Israele.* Unde colligit, prophetam hoc velle, ostensam ipsi fuisse in visione iniquitatem illam atque perversitatem, quam perpetrarent Israelitae, quemadmodum Ezechiel C. 8. meminit, ostendisse ipsi Deum in visione idolorum cultum, quem Judaei exercebant. Nos quidem vatis menti obversatum esse locum illum Numerorum minime negamus, sed verba illuc usurpata Nostrum hic in alium sensum flexisse existimamus, ut

quas Moses de sceleribus Israelitarum adhibuisset phrasca, iisdem Habacucus usus sit ad significandam injuriam et violentiam, qua Judaeos opprimerent Chaldaei. Vocem הַבִּיט omnes interpretes veteres aliter legisse judicat J. M. Faber in *Comment. Crit. in loca quaedam Habacuci contin.*: „Graecus et Vulgatus," inquit, „invenerunt in codicibus suis הַבִּיט. Nam ille habet: *ἱνατί μοι ἔδειξας κόπους καὶ πόνους ἐπιβλέπειν;* hic: *quare ostendisti mihi iniquitatem et dolorem, videre praedam et injustitiam contra me?* De hac lectione (הַבִּיט) ita statuo, ut eam hebraici textus lectioni praeferendam, et ante illas literas הַבִּיט praefixum ל, ab eadem litera praecedentis vocis ultima (עָמָל) absorptum et injuria scribarum omissum esse putem. Ita etiam hunc Infinitivum, quem Vulgatus, retenta constructione Graeca reddidit *videre*, Arabs recte interpretatus est *ut viderem.* Accedit, quod hoc idem verbum הַבִּיט ita Vs. 5. a propheta redditum esse apparet, ut ad nostrum locum necessario referri debeat; quandoquidem propheta Vs. 5. Judaeis minatur, fore, ut *ipsi* quoque mox *adspiciant* mala, quae nunc, Deo sic permittente, *se adspicere* Vs. 3. queritur. Cujus rei si quis rationem habere voluerit, nullum prorsus locum *secundae* personae, תַּבִּיט, in Vs. 3. relictum esse, intelliget. His praemissis Versum 2. et 3. ita vertendum arbitror: *Quousque ego clamabo, quum tu me non exaudias? quousque vociferabor ad te propter rapinas, quum tu me non defendas? Quare iniquitatem et miseriam me subire sinis? adeo ut calamitate et periculo me circumdatum undique esse videam?* Quod quum propheta exemplo quodam praecipuo declarasset, pergit has deinceps minas ex oraculo divino addere: subibitis etiam vos, o Dei vestri contemtores, calamitatem magnam et debitam; namque *suscitabo Chaldaeos*, qui injustitiae vestrae, qua huc usque justos affecistis, poenas a vobis repetent. Hujus concinnitatis optimus interpres Syrus fuit, sive תַּבִּיט, sive אַבִּיט expresse in codice suo, ex quo verteret, legerit [*et video rapinam*]. Eandem lectionem הַבִּיט, sive אַבִּיט in Chaldaica versione expressit Jonathan: *et* quare *ego conspicio operantes laborem falsitatis?* Quae quum ita sint, ego quidem haud video, quem ad modum hebraica lectio תַּבִּיט, utpote quae nulla, nisi sua ipsius auctoritate nitatur, defendi amplius possit." Haec Faber, cui sane concedendum, melius fluere orationem, si legatur אַבִּיט sive הַבִּיט, quippe cui optime congruat et לְנֶגְדִּי, quod proxime sequitur, et תַּרְאֵנִי, quod praecessit. Attamen quum vix credibile sit, אַבִּיט, quod legentis et scribentis animo sponte sese ingerit, si unquam in ullo codice exstiterit, nunc ita evanuisse, ut in nullo plane eorum, qui hodie exstant, codicum reperiatur; equidem prophetam ipsum in hisce verbis scribendis paulo negligentiorem atque orationis flumen minus curantem existimaverim. Inest ceterum huic phrasi, per se spectatae, sensus satis congruus reliquo contextui: mirum est, te sinere nos ab hostibus barbaris

impune vexari, quum nihil eorum quae homines faciunt te lateat. וְשֹׁד וְחָמָס לְנֶגְדִּי *Et* quare *devastatio et violentia coram me?* cur sinis, ut patriae vastatio atque hostium saevitia mihi continuo obversentur? Chaldaeus: *praedatores et grassatores* sunt *coram me.* Verba, quae hemistichium hujus Versus alterum faciunt, וַיְהִי רִיב וּמָדוֹן יִשָּׂא, Kimchi bene exposuit: *est coram me qui tollat contra me rixam et contentionem*, i. e. existunt mihi adversarii insolentes, qui me conviviis ac injuriis lacessant. Sustinet autem vates, ut monuimus, totius populi personam. Aben-Esra ante רִיב subaudiendum אִישׁ censet, ut Ps. 109, 4. תְּפִלָּה est pro אִישׁ תְּפִלָּה *vir precis*, יִשָּׂא autem *effert caput suum seseque extollit* interpretatur. Quum autem collective haec sint sumenda, totius loci, ex Aben-Esrae sententia, haec erit mens: *existunt homines litigiosi et contentiosi*, adversarii insolentes, *qui caput extollunt.* Hunc sensum expressit Chaldaeus: *qui* (praedones et grassatores) *contentione et superbia praevalent.* Simili modo Hieronymus: *et factum est judicium et contradictio potentior.* Sunt etiam, Kimchio referente, qui יִשָּׂא *ferendi, gestandi* significatione accepto, sensum hunc faciant: *litem et contentionem hostis fert et portat Israel.* LXX: *γέγονε κρίσις, καὶ ὁ κριτὴς λαμβάνει.* Quod non solum Arabicus interpres, qui e Graeco vertit, expressit, verum et Syrus imitatus est: *est judicium, et judex accipit munus.*

4. עַל־כֵּן תָּפוּג תּוֹרָה *Propterea*, quia non vindicas populum, *refrigescit lex*, negligitur; quia non sumis poenas ab hostibus, qui populum tuum vexant et opprimunt, multi a te deficiunt, et legem tuam non curant. Verbum פּוּג, quod, uti docet Syriaca dialectus, proprie *refrigescere* notat, hinc *languescendi, cessandi* notionem induit. Verba quae sequuntur, לֹא־יֵצֵא לָנֶצַח מִשְׁפָּט, Graecus Alexandrinus sic vertit: *οὐ διεξάγεται εἰς τέλος κρίμα*, quod sequutus Hieronymus: *et non pervenit usque ad finem judicium.* Sed nomine *τέλος* interpretem Graecum potius *perpetuitatis, sempiternitatis* notionem, quam נֶצַח pluribus V. T. locis obtinet, videtur expressisse. Eam sane expressit Chaldaeus: *nec prodit in aeternum judicium*, i. e. numquam animadversurus est Deus in improbos. Genuinum sensum perspectum haud dubito ab A. Schultens, qui in *Animadverss. philologg.* ad h. l. observat, נֶצַח hic sumendum esse ut Arabicum نَصَحَ, *veritas, non fucata sinceritas*, ut nostrorum verborum sensus hic sit: *verum*, justum, *non exit judicium*, sed מְעֻקָּל *perversum*, ut in fine Versus dicitur. *Veritatis* significatum nomini hebraeo vindicat Schultensius quoque locis 1 Sam. 15, 29., et Thren. 3, 18. Schultensianam explicationem commendat et confirmat locus parallelus Jes. 42, 3., ubi pro נֶצַח usitatius et minus ambiguum אֱמֶת ponitur: לֶאֱמֶת *ad veritatem proferet judicium*, i. e. verum, justum judicium proferet. Bene Syrus: *nec prodit judicium cum aequi-*

tate. Efferunt sese impii, quum videant, Deum malefacta eorum non punire, magisque saeviunt in bonos quosque viros, rumpentes leges divinas atque humanas. כִּי רָשָׁע מַכְתִּיר אֶת־הַצַּדִּיק *Nam impius cingit* (*instar coronae*, כֶּתֶר) *justum* eumque premit. מַכְתִּיר significat aliquem *circumsidere* atque circumdare nocendi causa, ut Jud. 20, 43. כִּתְרוּ *circumsederunt Benjaminitas.* Vid. et Ps. 22, 13. סְבָבוּנִי *circumdant me juvenci multi*, *robusti Basanis* כִּתְרוּנִי *cingunt me.* Chaldaeus: *nam impii devorant justos.* Syrus: *tractat male impius justum.* עַל־כֵּן יֵצֵא מְשֻׁפָּט מְעֻקָּל *Propterea prodit judicium perversum*, i. e. cum improbus opprimit pium, judicant omnes, non valere jus, nec esse, qui jus dicat, sursum deorsum verti omnia. Chaldaeus: *ideo non prodit judicium rectum.*

5. רְאוּ בַגּוֹיִם וְהַבִּיטוּ *Videte*, circumspicite *inter gentes*, *et intuemini!* Deus respondet ad superiorem expostulationem, et ipsos Judaeos alloquitur. Hieronymus: „Vox Domini respondentis inducitur, ut hanc iniquitatem, quam in solo Israel fieri putat, cernat in gentibus, et quod Chaldaeis, non ut propheta arbitrabatur, Judas tantum et Jerusalem traditi sint, sed omnes per circuitum nationes, et tantum eum esse valiturum ruiturumque postea, ut si quis praedixerit quod futurum est, pro rei magnitudine videatur incredulum.“ Verba ראו בגוים LXX verterunt: *Ἴδετε οἱ καταφρονηταί*, quae Arabicus interpres reddidit: *videte o negligentes!* Graecam versionem sequutus est non solum Syrus, qui *videte arrogantes*, sive *transgressores* vertit, verum et Paulus, apostolus, Act. 13, 41. verba haec in testimonium contra Judaeos proferens. Pro בגוים Graecus interpres in suo codice hebraeo בוגדים legisse videtur, quod etiam Vs. 13. hujus Capitis et 2, 5. nostri prophetae, nec non Prov. 13, 15. Hos. 6, 7. Zeph. 3, 4. verbo *καταφρονεῖν* pro hebraico בָּגַד usus est. וְהִתְמַהּוּ תִּמָּהוּ *et admirabimini* (Hithpael, pro הִתְתַּמְּהוּ) ac *obstupescite!* (cf. Jes. 29, 9.). כִּי־פֹעֵל פֹּעַל בִּימֵיכֶם *Nam opus operans* scil. ego, Jova, s. *operaturus sum in diebus vestris*, לֹא תַאֲמִינוּ כִּי־יְסֻפָּר quod *non credetis cum narrabitur*, si quis illud futurum esse nunc praedixerit.

6. Exponit nunc, quod sit opus illud incredibile, quod se brevi operaturum esse dixerat Versu superiore. כִּי־הִנְנִי מֵקִים אֶת־הַכַּשְׂדִּים *Nam ecce! excitaturus sum Chaldaeos.* כַּשְׂדִּים, quos non solum Graeci Alexandrini, verum et alii veteres interpretes *Chaldaeos* constanter vocant, in veterum Hebraeorum monumentis passim occurrere constat pro populo bellicoso et feroce, certae regionis, quae propter Babylonem sita fuisse fertur, et cujus metropolis fuit Babylon, unde Babylonii, sive gentes, quae circa Babylonem habitabant, dicuntur Chaldaei, et Nebucadnezar ipse, rex Babyloniae, Chaldaeus, כַּסְדָּיָא, Esrae 5, 12. Est tamen rarior mentio hujus populi in historia antiqua, nec patet etiam

accurate, unde nomen et ortum trahat. In V. T. libris primum Gen. 11, 28. 31. occurrit *Ur Chasdim*, pro quo LXX χώρα τῶν Χαλδαίων ponunt, unde egressus Abrahamus iter facturus in Palaestinam se contulerit Carrhas, quem locum Stephanus, protomartyr, Actor. 7, 2. docet fuisse in Mesopotamia, idemque ratio profectionis Abrahami suadet, ut Bochartus *Phaleg.* L. VII. C. 6. p. 87. docuit, et Josua quoque ipse id confirmat in oratione sua ad Israelitas 24, 2., quorum majores ait habitasse *trans fluvium*, scil. Euphratem, i. e. in Mesopotamia. Inde in libris V. T. historicis et propheticis altum de Chaldaeis est silentium, usque ad seriora tempora, quibus regnum Babylonicum coepit emergere, atque in carmine prophetico, quod inter Jesajana legitur 23, 13. 14. Chaldaei describuntur, ut populus qui brevi ante obscurus fuisset, et in desertis vagatus, et ab Assyriis collecti fuerint in populum. In aliis vero carminibus ejusdem voluminis, sed serioribus, 13, 19. 47, 1. 48, 14., memorantur tanquam populus potens ac celebris, terram tenens Babylonicam. *Gentem antiquam* (גּוֹי מֵעוֹלָם) Chaldaicam appellat Jeremias 5, 15. Praeterea in libro Jobi 1, 17. Chaldaei describuntur ut praedones, qui vi invaserint armenta Jobi eaque rapuerint. Graecorum et Romanorum scripta evolventi Chaldaei occurrunt *triplici* generis ac loci. Et quidem primo in illis memoratur regio *Chaldaea*, quae adjacet *Arabiae desertae.* Sic Ptolemaeus *Geograph.* L. V. c. 20., et Strabo *Geograph.* L. XVI. cap. 1. §. 6. postquam descripsisset Chaldaeos philosophos, addit: *Est et Chaldaeorum natio, et Babylonia regio ab iis habitata, Arabibus et mari proxima, quod Persicum appellatur.* Chaldaea igitur haec Strabonis est regio subjecta Babyloni, late excurrens in sinum maris Persici, quae ipsa alias Babylonia dicebatur. Praeter hos Chaldaeos Strabo L. XII. Cap. 3. §. 19. Chalybes hoc eodem nomine signat, docens simul, illud esse recentius *(Qui autem nunc Chaldaei, Chalybes olim appellabantur).* Sunt autem hi accolae Ponti, proximi Mosynoecis et Tibarenis, ut patet ex eodem Strabone l. c. §. 18. Denique memorantur Chaldaei in montibus Armeniae proximis et subjectis a Xenophonte in *Cyropaedia* L. III. Cap. 2. §. 7. 12, ubi narrat, post Armeniorum regem a Cyro ad officium et sub obsequium Cyaxaris revocatum, occupatos a Cyro cum Armeniis esse illos Chaldaeorum montes, et gentem illam, postquam pars victa esset, et a Cyro humaniter habita, assumtam in foedus. Eos l. l. §. 7. sic depingit: *Gestabant autem Chaldaei crates et tragulas binas, ac bellicosissimi feruntur esse inter ejus regionis incolas. Etiam stipendia faciunt, quum ipsorum opera quis eget, quod et periti rei militaris sint et pauperes. Quippe solum incolunt montuosum, et cujus exigua pars opulenta est.* Et §. 11. unus ex Chaldaeis, qui loquens inducitur, dicit: *quosdam Chaldaeos esse, qui rapto viverent, ac terram neque scirent colere, neque possent, quippe qui victum armis quaerere con-*

suescunt. Semper enim latrocinari solitos, stipendiaque crebro meruisse, partim apud Indorum regem, partim apud Astyagem. Chaldaeos Armeniae vicinos idem Xenophon memorat quoque *de Expedit. Cyri* L. IV. C. 3. §. 4. Nobis quidem quae scriptores exteri, praesertim Xenophon et Strabo, de Chaldaeis tradunt comparantibus cum his, quae in V. T. libris de iisdem reperimus, haec fere satis verisimiliter statui posse videntur: Casdaei, sive Chaldaei, origine Syri euro-borealcs, antiquissimis temporibus per varia se diffuderunt Mesopotamiae loca; alia septentrionalia ejus regionis Tigrim versus, ubi fuit *Ur Chaldaeorum*, coluerunt, alii vero insederunt montes, qui Armeniam a Mesopotamia dirimunt, indeque, quum plures illorum ex rapto viverent, eosdem credibile est percurrisse Mesopotamiam, media sui parte meridionali incultam, et praedae intentos, per eam late esse vagatos, saepe etiam, trajecto Euphrate, transivisse in Arabiam borealem, et praeda potitos ad sua reversos, quod hodienum facere populos quosdam illius tractus, potissimum Curdos, ex scriptis eorum, qui istas regiones adiere, satis constat. Illorum igitur Chaldaeorum, qui montana Armeniam inter et Mesopotamiam tenuere, plures, per terras Euphrati et Tigridi vicinas sparsi et vagantes, a rege quodam Assyriae, cui ipsi in bellis commode servierant, translati videntur in agrum Babylonium, maxime meridionalem, ut adversus Arabes, similis indolis homines, imperium cum Babylone ab australi illa Assyriaci imperii parte tuerentur. Hi autem praecipue, qui circa Babylonem consederant, Chaldaei, industrii, ingenio et manu promti, partim sese applicarunt ad studia disciplinarum arcanarum, inprimis divinationis ex astris, eaque de causa coeli siderumque motus diligenter observarunt, partim tractarunt artem bellicam, et servierunt Assyriae regibus, quibus subjecti erant. Hujus generis opera usi Nabopalassar, ejusque filius Nebucadnezar, ortu ipsi Chaldaei, quum deficerent ab Assyriis, sibi compararunt imperium et magnam Asiae occidentalis partem sibi subjccerunt. Cf. librum nostrum *Handbuch d. bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 36. sqq. Hos igitur Chaldaeos, nunc primum extra fines suos occidentem versus prorumpentes, Hebraeis antea nondum visos, Habacucus jam graphice depingit. Vocat eos הַגּוֹי הַמַּר *gentem amaram*, i. e. asperam, truculentam. Concinit Jeremias, qui 50, 42. de iis dicit: *crudeles sunt, nec misericordia afficiuntur.* Appellat Chaldaeos porro populum הַנִּמְהָר *festinantem*, i. c. expeditum, velocem, qui mira celeritate et agilitate bella conficit. Hebraei exponunt eum, *qui consilia sua praecipitat*, i. e. temerarium, ferocem rapidumque in consiliis, coll. Jes. 32, 4. *animus* נִמְהָרִים *temerariorum discet intelligere.* הַהוֹלֵךְ לָמֶרְחֲבֵי אָרֶץ *Qui pervadit latitudines terrae*, i. e. terram, quam late patet, invadit et occupat. LXX: ἐπὶ τὰ πλάτη τῆς γῆς. Cf. Apoc. 20, 9. לָרֶשֶׁת מִשְׁכְּנוֹת לֹא־לוֹ *Ad occupandum habitacula* quae *non ei*, non sua; terminis suis non contentus

conatur alienas terras suae subjicere ditioni. לרשת proprie *ad hereditandum*, i. e. quasi jure hereditario occupandum et possidendum.

7. אָיֹם וְנוֹרָא הוּא מִמֶּנּוּ מִשְׁפָּטוֹ וּשְׂאֵתוֹ יֵצֵא *Terribilis et formidabilis est* illa gens, *ex ipsa judicium ejus et elatio ejus egreditur*, i. e. tantum sibi licere putat quantum lubet; jus et auctoritatem faciendi quidlibet pro arbitrio a se ipsa sumit. שְׂאֵת, proprie *elatio*, cum Kimchio intelligimus de animo alta spectante et super ceteras gentes sese efferente; significat enim alias *sublimitatem*, *majestatem*, qua quis super alios eminet, vid. Gen. 49, 3. Job. 13, 11. Alii synonymum putant voci מַשָּׂא, quod ab eadem radice נָשָׂא derivatur, et quemadmodum illam alii *onus*, alii *effatum* exponunt, ita et nostrum nomen quidam interpretantur *effatum* scil. imperantis, ut significetur, Chaldaeos pro lubitu aliis imperare, non pactis aut certis legibus agere, quas inter se gentes observare solent. Ita Chaldaeus, qui *et decretum suum* vertit. *Decretum* Symmachus quoque, Hieronymo referente, reddidit. Fortasse eadem fuit mens Graeci Alexandrini interpretis, qui λῆμμα vertit, quod Suidas non solum *vaticinium*, verum et τὰ ἐξ οἰκείας καρδίας ἀποφθέγματα, *quae ex proprio corde proficiscuntur eloquia*, notare ait. Arabs, qui e Graeco vertit, habet: *et visus ejus*, i. e. quod ipsi videtur, arbitrium suum, *ab ipsa procedit.* Alii a *ferendi*, *portandi* notione, quam verbum נָשָׂא obtinet, nostrum שאת, ut diximus, *onus* interpretantur. Ita Jarchi: *ex eo* (populo Chaldaico) *judices*, *ex eo reges*, *qui omnibus onus et terrorem imponunt.* Addit, משפט h. l. esse quod lingua Gallica appellatur *justice*, i. e. supplicium. Consentit Hieronymus: „Quod autem ait: *Ex semetipsa judicium et onus ejus egreditur*, vel ita intelligendum est: de sua gente constituet principes, et potestas ejus et gladius aliarum gentium satellites non habebit, vel certe, quo modo fecit fiet ei, et sic vastabitur, ut ipsa vastavit.“ Syrus: *et frontem suam exerit.*

8. וְקַלּוּ מִנְּמֵרִים סוּסָיו *Et leves sunt prae pardis equi sui*, pardos, animal velocissimum, pernicitate superant. Oppianus *Cyneget.* Vs. 75. de pardo: *celerrime currit, et fortiter recta irruit. Diceres, cum videres, eam aëriam ferri.* Plura alia e veteribus scriptoribus collegit Bochartus *Hieroz.* T. II. p. 104. edit. Lips. LXX: ἐξαλοῦνται ὑπὲρ παρδάλεις, *exsilient super pardos.* Equos Chaldaeorum ob levitatem in saltu commendari existimarunt, quae in pardis est summa. Syrus: *Leviores sunt* ܡܢ ܢܫܪ̈ܐ *aquilis*, quarum in Hebraeo in fine demum commatis fit mentio. Sed recte Bochartus observat l. l., scribis id imputandum esse, qui, una litera mutata, scripserunt ܢܫܪ̈ܐ pro ܢܡܪ̈ܐ. Addit vates: חַדּוּ מִזְּאֵבֵי עֶרֶב *acutiores* sunt equi Chaldaeorum *lupis vesperae*, s. *vespertinis.* Verbo חַדּוּ, *acuti sunt*, quid

significetur, non consentiunt interpretes. Sunt, qui verbum חָדַד ad *oculorum* et *visus acumen* referant, de quo illud Arabibus usurpari ostendit A. SCHULTENS in *Animadverss. philologg.* ad h. l. Lupum acutissime cernere testatur, praeter alios, Bocharto l. l. p. 158. laudatos, AELIANUS *Histor. Animal.* L. X. c. 26.: *acutissimi visus est animal, quippe etiam noctu, et luna non lucente videt.* Equi autem licet Latinis et Graecis ab oculorum acie non celebrentur, Arabibus tamen hanc eorum virtutem cognitam esse satis, docet Schultens adducto proverbio: *perspicacior equo in deserto in tenebris.* A فَرَسٌ *equus* Schultens l. c. verbum تَفَرَّسَ observat notare *acerrime aliquid oculis intentis contemplari.* „Equis," addit, „hoc pacto visus ὀξύτητα tribui videmus. Hoc autem magis חַדּוּ ad *visum* referre placet, quod additur עֶרֶב, *acutiores sunt visu quam lupi vespertini;* id enim ὀξυδερκίαν immensum auget, quod *noctu* cernant." Malim tamen cum Bocharto חַדּוּ referre ad *animum*, et tam lupos quam equos hic ὀξεῖς et *acres* dici, quia quicquid agendum sibi proponunt acriter exsequuntur et summa contentione. Sic apud Virgilium *Georg.* III, 264. est *acre genus luporum*, et *Aeneid.* IV, 156. Vid. et *Aeneid.* I, 444. VIII, 3. Propter vehementiam et acritudinem igitur, qua equi Chaldaeorum irruere in hostiles acies solebant, lupis conferuntur. Quod autem lupos propheta vocat זְאֵבֵי עֶרֶב *vespertinos*, facit ad vehementiam, qua irruunt, exaggerandam, quod sub noctem grassantur truculentius, postquam fame per totum diem in rabiem versi sunt. LXX nostram dictionem verterunt *λύκους τῆς Ἀραβίας*, quia diversis vocalibus legerunt עֲרָב. וּפָשׁוּ פָּרָשָׁיו *Et gestiunt equites sui*, sive: *gestit equitatus suus.* In verbo פָּשׁוּ interpretando non consentiunt interpretes. Plures *diffundendi sese* significatu illud capiunt, quo Nah. 3, 18. נָפַשׁ pro נָפַץ usurpatum vidimus. Alii, Chaldaeum sequuti, *multiplicant sese*, seu *abundant* reddunt itidem ex verbi פּוּץ significatione, שׁ et ץ inter se permutatis. Syrus: *et volant equites ejus.* LXX ἐξιππάσονται vertunt, forsan quod pro פָּשׁוּ legerunt פָּרָשׁוּ, et Arabice فَرَسٌ est *equitare.* LUDOV. DE DIEU adscita significatione Aethiopici פּוּשׁ *sanum esse*, vertit: *sani*, i. e. robusti, validi sunt *equites ejus*, ut postquam laudasset vates equos Chaldaeorum a levitate et velocitate, jam laudet equites a sano robustoque corporis habitu. Nos adstipulamur A. SCHULTENSIO, qui in *Animadverss. philologg.* tam ad Jerem. 50, 11, quam ad nostrum locum, verbum פּוּשׁ utroque loco, uti et Malach. 3, 10., ubi de vitula lasciviente et ferocienti dicitur, illustrat ex Arabico فَاشَ (pro فَيَشَ) *gloriatus est, superbivit.* Ita sensus emergit aptissimus: *superbiunt*, fastu gestiunt *equites ejus*, ut 1 Sam. 8, 11., ut equi comprehendantur, et nomen פָּרָשִׁים

solum de *equis* usurpari, docuit Ludovicus de Dieu ad Jes. 22, 6., vid. Jes. 21, 7. 9. 28, 28. Apud Latinos idem in usu fuit, teste MACROBIO *Saturn.* L. VI. Cap. 9. *Omnes antiqui scriptores, ut hominem equo insidentem, ita et equum, quum portaret hominem, equitem vocaverunt, et equitare non hominem tantum, sed et equum dixerunt.* Quam egregie et naturae convenienter *superbia* equis tribuatur, nemo ignorat. Eos VIRGILIUS *Georg.* III, 117. dicit *gressus glomerare superbos.* Et HOMERUS *Iliad. Z.* 509. de equo: κυδίοων, ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει, *superbiens, alte caput fert. Gestiendi, superbiendi* notio, verbo פּוּשׁ tributa, quam bene quadret locis Jer. 50, 11. Mal. 3, 20., ea consideranti patebit. Equites laudat hemistichio altero: וּפָרָשָׁיו מֵרָחוֹק יָבֹאוּ *et equites ejus*, populi Chaldaici, *venient e longinquo*, nec tamen longo itinere defetiscentur, יָעֻפוּ כְּנֶשֶׁר חָשׁ לֶאֱכוֹל *advolabunt ut aquila festinans ad comedendum* praedam; aquilam rapidissime alis ferri et summo cum impetu, maxime cum in praedam ruit, veteres magno consensu testantur. Hinc Hebraei eorum, qui ad pugnam ruunt, velocitatem et impetum conferre solent cum aquilis, adeoque aquilis in praedam involantibus. Ita Deut. 28, 49. *Excitabit Jova contra te gentem remotam, ab extremis terrae finibus,* כַּאֲשֶׁר יִדְאֶה הַנָּשֶׁר *ut involat aquila.* Similiter HOMERUS de Hectore *Iliad.* X, 308. *Irruit cum impetu conversus ut aquila altivolans.* Eodem pertinet, quod Saulem et Jonathanem, viros pugnacissimos, David fuisse asserit aquilis velociores, 2 Sam. 1, 23. Et quod de Chaldaeis dicit Jeremias 4, 13. *velociores aquilis* sunt *equi eorum.* Vid. et Jer. 48, 40. 49, 22. Thren. 4, 19.

9. כֻּלָּה לְחָמָס יָבוֹא *Universitas ejus*, tota illa gens, *ad vim* faciendam *venit*, ut violentiae impetu populos opprimat. לְחָמָס pro חָמָס לַעֲשׂוֹת. Difficilioris interpretationis sunt verba quae sequuntur, מְגַמַּת פְּנֵיהֶם קָדִימָה, maxime ob harum vocum primam, hoc solo loco obviam. Eam cum Jarchio plures referunt ad verbum גָּמָא, cujus Piel Job. 39, 24. legitur, ubi de equo: יְגַמֵּא אֶרֶץ *absorbet terram*, i. e. absolvit cursu brevi temporis spatio tractum terrae, non aliter ac si absorberet et deglutiret terram ante se; unde verba nostra ita exponunt: *absorbitione* sive *haustu faciei ipsorum erunt similes euro*, vehementissimo vento. Nos vocem מגמה commode *occursum, impetum* verti posse arbitramur, quum גָּמַם Arabibus inter alia significet: *appetebat, prope fuit institit*que res, sive adventus alicujus. קָדִימָה nobis est *eurus*, ventus vehementissimus et maxime in illis terris noxius, qui alias קָדִים dicitur, cui nomini hic additum ה *emphaticum*, seu αὐξητικόν, quo significatio intenditur (vid. not. ad Hos. 8, 7.), ante illud vero כ, comparandi nota subaudienda, ut vertendum sit: *occursus* s. *impetus facierum ipsorum*, i. e. eorum, est *sicut ventus orientalis vehementissimus.* Eundem sensum expressit Chaldaeus: *antrorsum facies eorum similes sunt vento*

orientali vehementi. Ita et Symmachus. Quod sequutus Hieronymus (ita tamen ut מגמת non exprimeret): *facies eorum ventus urens.* Ad quae in Commentario: „Quomodo ad flatum venti urentis virentia cuncta arescunt, ita ad adspectum eorum omnia vastabuntur.“ Steudel (*Archiv* Vol. II. p. 418.) statum constructum nominis מְגַמַּת h. l. passivo sensu capiens, verba מְגַמַּת פְּנֵיהֶם קָדִימָה sic vertit: *impetus contra facies eorum* est sicut impetus *contra eurum*, i. e. illis sese opponere aeque vanum est, ac si quis sese euro adurenti opponere vellet. Quod nobis tamen durius videtur. Syrus: *adspectus vultuum eorum durus*, terribilis est. Kimchi quoque מְגַמַּת exponit נֹכַח *coram.* Significatione *anticae*, *oppositi* מְגַמַּת cepit quoque Graecus Alexandrinus interpres, etsi ceterum a vero sensu aberravit: *ἀνθεστηκότας προσώποις αὐτῶν ἐξεναντίας.* וַיֶּאֱסֹף כַּחוֹל שֶׁבִי *Et congregat* abripitque *instar arenae captivitatem*, i. e. captivos innumeros; ita שֶׁבִי et Num. 21, 1. Deut. 21, 10. Ps. 68, 19. usurpatum.

10. וְהוּא בַּמְּלָכִים יִתְקַלָּס *Illa quoque* gens Chaldaeorum, s. ille hostis, *regibus illudit.* Hieronymus: *et ipse de regibus triumphabit.* וְרוֹזְנִים מְשְׂחָק לוֹ *Et duces* s. principes *risus* s. *ludibrio ipsi* sunt. הוּא לְכָל־מִבְצָר יִשְׂחָק *Ille ad omnem munitionem ridet*, loca munita, sive oppida fuerint, sive castella et propugnacula, non curat. Chaldaeus: *ille omnem arcem validam in angustiam adigit.* וַיִּצְבֹּר עָפָר וַיִּלְכְּדֶהָ *Et colligit pulverem*, terram, *aggerem*, ut recte Hieronymus, *et capit eam*, scil עִיר מִבְצָר *urbem munitam*, quod ex superiore est subaudiendum. Sensus: structis aggeribus expugnat quaelibet loca munita.

11. אָז חָלַף רוּחַ וַיַּעֲבֹר *Tunc transit spiritus et supergreditur* scil. fines et terminos aequitatis et modestiae; ex tanto rerum successu crescet ei (hosti s. regi Chaldaeo) animus supra modum et insolescet plus aequo. Verba חָלַף et עָבַר hic eodem sensu usurpantur quo Jes. 24, 5. עָבְרוּ תוֹרֹת חָלְפוּ חֹק *transeunt leges, supergrediuntur statutum.* רוּחַ h. l. masculine sumitur, ut Job. 4, 15. et alias saepe. חָלַף רוּחַ sunt qui vertant: *mutat spiritum;* sed *mutandi* significatum obtinet hoc verbum tantummodo in forma Hiphil. Nec sensus, ea significatione adscita, enascitur satis concinnus. Quam nos indicavimus sententiam, commendat et verborum חלף atque עבר loco Jesajae parallelo usus, et illud quod statim additur: וְאָשֵׁם *reum se facit*, delinquit contra Jovam, tribuendo hanc potentiam, has suas vires, Deo suo, quod noster hisce verbis exprimit: זוּ כֹחוֹ לֵאלֹהוֹ quasi *haec vis ipsius Deo suo*, quorum verborum sensum Abarbenel recte ita explicat: Victoriam suam, res a se fortiter gestas, prosperumque suum successum accepta referet diis suis, immemor, haec omnia a Deo summo proficisci. Chaldaeus Versum integrum sic vertit: *ideo propter elationem spiritus sui discedit a regno*

suo, a regno abolebitur, *et peccavit eo quod multiplicaverit gloriam idolo suo.* GROTIUS: „Est ἔλλειψις participii [ante זוֹ] *dicens*, et voeulae *quod*, ut sit sensus: *dicens has suas esse vires, ut qui sibimetipsi sit pro Deo.* Vid. Dan. 3, et confer quae infra Vs. 16.“ Ad ea quae tertio Danielis Capite narrantur, hunc Versum refert quoque HIERONYMUS: „Quum autem comportaverit aggerem, et nihil viribus suis obvium fuerit, tunc mutabitur spiritus ejus in superbiam, et Deum esse se eredens, imaginem auream statuet in Babylone, quam universas gentes adorare eompellet. Quod quum fecerit transibit in bestiae figuram, et postea corruet. Quod autem in fine capituli dieitur: *haec est fortitudo ejus Dei sui*, εἰρωνικῶς est legendum, ut sit sensus: haee est fortitudo ejus, quam dedit ei Bel, Deus suus, ad eujus cultum omnes nationes etiam per scripturam et comminationem mortis saevissimo imperio eompellabat.“

12. Exeitat nunc vates spem suam, antiquam repetens memoriam eorum, quae Deus populo suo aut praestitit, aut promisit benefieia, ex quibus argumentum sumit, ut speret, non ita fore populum Judaieum premendum a Chaldaeis, ut plane opprimatur et exscindatur. הֲלוֹא אַתָּה מִקֶּדֶם יְהוָה אֱלֹהַי קְדֹשִׁי לֹא נָמוּת *Nonne tu ab antiquo Jova*, fidelis et immutabilis Deus (Exod. 6, 2. 6. 7.), *Deus meus*, numen meum tutelare, *sanctus meus*, quem saerosanetum colo et veneror, vid. Jes. 1, 4. 12, 6. 43, 3., *non* igitur *moriemur*, i. e. quum nos te talem veneremur Deum qui nos semper ab hostibus vindieavit, non permittes seio, ut Chaldaei nos ad interneeionem deleant. *Mori* enim natio aliqua dicitur, cum penitus exterminatur. Dietio לֹא נָמוּת est una ex oetodeeim illis, quae Hebraei תִּקּוּן סוֹפְרִים *ordinationem* sive *constitutionem scribarum* voeant, in quibus quidam volunt olim aliter seriptum fuisse, quam hodie legimus, et seribas veteres, id est, Esram cum suis eollegis veterem leetionem emendasse et correxisse, et hoe quidem loeo olim scriptum fuisse לֹא תָמוּת, ut sensus sit: tu aeternus es et immutabilis, nee ulli mortali conditioni obnoxius. Certe hoe expressit Chaldaeus, qui exposuit: *nonne tu, Jova, creasti mundum a principio? tu Deus es judex veritatis*, i. e. judex justus *supra omnes creaturas tuas, sanctus in operibus fidelitatis, verbum tuum manet in aeternum*, i. e. tu manes in aeternum, quod hebraico לֹא תָמוּת respondere patet. Id vero in לֹא נָמוּת immutatum fuisse a seribis illis veteribus, quod phrasin לֹא תָמוּת Dei aeterni et immortalis majestati non bene eonvenire putarent. Est tamen eum a Judaeorum legibus, quibus vel minimum in textu saero apicem mutare et innovare prohibentur, tum ab ipsorum religione ae reverentia erga scripta sua saera prorsus alienum, ut quiequam quod scriptum invenerunt sustinuerint eorrigere et mutare. Dietiones illas, quas Judaei תִּקּוּנֵי סוֹפְרִים voeant, esse meros lusus ingenii

Judaeorum, qui ut dictis suis aliqua e scriptis sacris constet auctoritas, pro recepta apud ipsos interpretandi scripta sacra methodo, interdum literas vel voces integras aliis permutarint, ut ex iis placita sua confirmarent, neque igitur illas pro lectionis varietate in codicibus reperta habendas esse, pluribus ostendit ex ipsis antiquiorum quorundam Rabbinorum monumentis Jo. Gottl. Kalinsky in Dissertatione, quam inscripsit: *Origo observationum Masorethicarum, quas* תיקוני סופרים, *ordinationes scribarum appellare solent*, Lips. 1715. 4. Cf. Buxtorfii *Anticrit.* p. 750. לֹא־נָמוּת expresserunt quoque Graecus Alexandrinus interpres atque Hieronymus. Nec aliter legisse Syrum, inde apparet, quod ܕܠܐ ܢܡܘܣ posuit. Videlicet vocem נָמוּת, recte observante J. M. Fabro in *Comment. Crit.* p. 10., pronuntiatam a praelegente audisse videtur, ut Judaei nostri, Syria oriundi. pronuntiare solent, *Namus.* יְהוָֹה לְמִשְׁפָּט שַׂמְתּוֹ *Jova, ad judicium* exercendum in populum tuum, eumque castigandum *posuisti eum*, hostem Chaldaeum, non autem, ut populum tibi charum ponitus exscindat. Sic apud Jeremiam 46, 28. Jova postquam dixisset, se omnes gentes, per quas Judaeos sit dispersurus, funditus deleturus, addit: *te vero non funditus delebo, sed castigabo te ad judicium*, ut discas, non ut percas, moderate. וְצוּר לְהוֹכִיחַ יְסַדְתּוֹ *Et, o petra! ad castigandum constituisti eum*, Chaldaeum, non ut eos funditus evertat. *Petra Israelis*, צור ישראל, appellatur Jova et Jes. 30, 29., et in carmine Mosis Deut. 32, 4. 15. 18. 37., quod sicut rupes tutissima sunt perfugia contra hostium impetus et latrocinia, ita Jova, populi Hebraici tutelare numen, ei certissimum auxilium praestat. Verum יָסַד, proprie *fundavit*, hic habet simplicem *constituendi* notionem, ut Jes. 23, 13. Esth. 1, 8.

13. טְהוֹר עֵינַיִם מֵרְאוֹת רָע *Mundior* es *oculis quam ut videas malum* idque non punias. Cf. Ps. 5, 5. 6. וְהַבִּיט אֶל עָמָל לֹא תוּכָל *Et intueri molestiam*, quam hostes tuo populo afferunt, *non potes.* Justior es et in misericordiam propensior, quam ut possis diutius pati populum tuum ab iniquis hominibus durius premi atque affligi. לָמָּה תַבִּיט בּוֹגְדִים *Quare* ergo *intueris inique agentes*, violentos hostes, eorumque ferocitatem non cohibes? תַּחֲרִישׁ בְּבַלַּע רָשָׁע צַדִּיק מִמֶּנּוּ Cur *taces cum devorat*, penitus opprimit, *impius justiorem se?* Hieronymus: „Cur pateris, inquit, ab impio Nabuchodonosor justum opprimi Israel? Non quod perfectus sit qui opprimitur, sed quod opprimente se justior sit.“

14. וַתַּעֲשֶׂה אָדָם כִּדְגֵי הַיָּם כְּרֶמֶשׂ לֹא־מוֹשֵׁל בּוֹ *Et* cur *facis homines sicut pisces maris? sicut reptile*, cui *non* est, qui *in eum dominetur?* Cur ita permittis homines alios ab aliis vexari et opprimi, quasi nullum habeant principem et patronum, ad quem in potentiorum injuria et vexatione confugiant, ut si-

miles reddantur piscibus et reptilibus, quibus nullus est qui eos defendat et tueatur, unde et sese invicem devorant, et piscatorum fraudi praeda sunt propositi. Recte HIERONYMUS hujus similitudinis vim illustrat: „Quomodo pisces, qui non habent principem, et irrationabilia jumenta, et multitudo reptilium absque providentia, subjacet fortiori, et quicunumque plus valuerit viribus, dominatur in alterum; sic inter homines, animal rationale, et ad similitudinem tuam conditum, non valebit ratio, non merita; sed vires corporis et irrationabilis fortitudo.“ רֶמֶשׂ hic intelligendum esse de *reptilibus*, quae natant in aquis, suadet et parallelum in priori hemistichio דגי הים, et illud, quod Versu proximo ea adhibet, quae non nisi aquatilibus, et piscatoribus conveniunt, qualia sunt rete, sagena, hamus. מוֹשֵׁל בּוֹ dubitari potest, num intelligendum sit de homine, qui in illa animalia dominetur, an vero de aliquo e suo genere, quem sequantur. Alunt homines ovium, caprarum, porcorum, taurorum et camelorum greges, quibus pascendis et tuendis invigilant, et si quid ex illis vi aut furto a quoquam fuerit ablatum, jure aut armis repetunt. Idem dicendum de quibusdam avibus, quas cicurant et alunt, quales sunt anseres, gallinae, columbae. At quis unquam vidit aut pisces maris aliasve maritimas bestias ab aliquo nutriri, aut illorum dominum quemquam appellari? Quare si quis in altum mare aut hamum demittat, aut rete expandat, nemo queritur, nemo prohibet, quia nemo sibi inferri putat injuriam. Deinde animantium quaedam ex suo genere duces habent, quos sequantur, et quasi gregis principes. De taurorum gregibus dixit VIRGILIUS juxta naturam utique horum animalium *Aeneid.* L. XII, 718., postquam duorum taurorum pugnam descripsisset: *Stat pecus omne metu mutum, mussantque juvencae, Quis nemori imperitet, quem tota armenta sequantur.* Tali autem duce e suo genere quum careant pisces aliaque aquatilia animantia, unde minores escae sunt majoribus, iis commode comparari possunt homines, cum ii, quibus minus est virium, potentioribus ludibrio sunt et praedae.

15. Persequitur similitudinem a piscatura desumtam, atque hostem Chaldaeum, gentes et populos imperio suo subjicientem comparat piscatori pisces undecunque reti, sagena et hamo expiscanti atque congreganti indeque gaudenti. כֻּלּהּ בְּחַכָּה הֶעֱלָה *Universitatem ejus*, i. e. omnes illos scil. pisces *hamo educit* educens, i. e. piscator. הֶעֱלָה pro הֶעֱלָה (cum *Zere* sub ה praeformativo), cui simile הֶעֱבֵרָה Jos. 7, 7. Chaldaeus: *omnes*, hostes Chaldaei, *similes sunt piscatori, qui capit piscem hamo.* יְגֹרֵהוּ בְּחֶרְמוֹ *Colligit eum*, s. eos omnes, כלה, initio Versus, *sagena sua.* Dictionem יגרהו sunt qui *attrahunt*, *abripiunt* vertant, a גָּרַר *trahere, trahendo auferre, abripere.* Ita LXX: *καὶ εἵλκυσεν αὐτὸν ἐν ἀμφιβλήστρῳ.* Hieronymus: *traxit illud in sagena sua.* Syrus: *et trahitur reti.* Sed Chaldaeus, qui

colligit vertit, eumque sequuti Hebraei interpretes nostrum verbum ad גּוֹר referunt, significatu haud diversum ab אָגַר *collegit, congregavit*, quomodo גּוֹר et Ps. 56, 87. sumitur, ad quem loc. vid. not. et cf. Ps. 59, 4. 140, 3. — וַיֶּאֱסְפֵהוּ בְּמִכְמַרְתּוֹ *et colligit eos in reti suo.* HIERONYMUS: „Quia supra *pisces* nominaverat, idcirco metaphoram piscium servat in ceteris, ut quomodo piscator mittit hamum, et rete, et sagenam, ut quod *hamus* non potuit, *rete* comprehendat, quod evaserit rete, *sagenis latioribus* comprehendetur: ita et rex Babylonius cuncta vastaverit, et universum hominum genus suam praedam fecerit." עַל־כֵּן יִשְׂמַח וְיָגִיל *Propterea*, propter felicem sagenae suae jactum, sive propter felices suos successus in subjugandis populis *laetatur et exsultat.*

16. עַל־כֵּן יְזַבֵּחַ לְחֶרְמוֹ *Propterea*, quod gentes omnes tam facile redigit sub potestatem suam, *sacrificat*, divinos honores tribuit, *sagenae suae*, i. e. *armis suis*, ut Chaldaeus vertit. Non Deo ipsum dirigenti et quasi deducenti, sed sibi, prudentiae, sagacitati, consilio, viribus, copiis, animi fortitudini atque audaciae acceptas fert victorias, atque inde insoleseit et superbit. Quod Chaldaeus dicitur sacrificare sagenae suae, s. armis suis, eo vates „insulsam quandam," inquit DOUGTAEUS *Analectt. SS.* ad h. l. p. 295., „idololatriae speciem in paganis videtur perstringere, qua *sagenam* et *rete*, h. e. arma ipsa bellica deorum loco vere habebant. *Ab origine rerum*, inquit JUSTINUS L. XLIII. c. 3., *pro diis immortalibus veteres Hastas coluere, ob cujus religionis memoriam adhuc Deorum simulacris hastae adduntur.* De acinace vero, sive hasta Persica LUCIANUS in *Tragoed. Σκύθαι μὲν ἀκινάκῃ θύουσι, Scythae nimirum acinaci sacrificant.* Id ipsum tradit ARNOBIUS *adversus Gentes* L. VI. [p. 196. ed Lugd. Bat. 1651. *Ridetis, temporibus priscis acinacem coluisse Scythiae nationes*]. AMMIANUS MARCELLINUS L. XVII. c. 12. de Quadis: *Adepti veniam jussa fecerunt eductisque mucronibus, quos pro numinibus colunt, juravere se permansuros in fide.*" Alii, veluti Kimchi et Grotius, hoc significari existimant, hostem Chaldaeum contemto Deo summo, victorias suas tribuere propriae virtuti, industriae ac viribus. Cf. not. ad Vs. 11. וְיקַטֵּר לְמִכְמַרְתּוֹ *Et suffitum facit*, sacrificia offert, ut Deo, *sagenae suae.* כִּי בָהֵמָּה שְׁמֵן חֶלְקוֹ *Nam per ista*, retia et sagenas suas, *pinguis est portio ejus*, i. e. armis suis comparavit sibi conditionem lautam et opulentam. Tralatio a conviviis. וּמַאֲכָלוֹ בְּרִאָה *Et cibus suus pingue quid.* בְּרִאָה hic ut neutrum capiendum est, quum מַאֲכָל sit masculini generis. *Sagenâ* et *reti* JARCHI intelligit simulacrum, cui suas victorias acceptas tulerit rex Chaldaeorum. Ita HIERONYMUS quoque, qui hujus Versus sensum ita exponit: „Quod ait: *Laetabit atque gaudebit et immolabit sagenae suae, et sacrificabit reti suo*, idolum significat, quod fecit in campo

Dura, cui quasi grandi sagenae immolavit pinguissimas victimas, totas quas vicerat nationes ad cultum ejus cogens [Dan. 3, 1. sqq.]. In ipsis quippe, hoc est, in idolis suis, incrassatum esse se credens, et suam partem, id est, omnes se habere divitias, quasi grandes pisces etiam principes quosque atque reges suo subjugavit imperio, quas *escas electas* vocat."

17. הַעַל כֵּן יָרִיק חֶרְמוֹ *Num propterea*, ut conditio ejus pinguior evadat, et cibus lautior, *evacuabit sagenam suam*, explet et exonerat piscibus, ut postea eam rursum jaciat ad novam capturam? Quid sibi velit statim subdit verbis propriis: וְתָמִיד לַהֲרֹג גּוֹיִם לֹא יַחְמוֹל *et* num *continuo occidere gentes non parcet?* Num tu, Jova, eum semper sines late per terras grassari et sine miseratione totas gentes perdere? Chaldaeus: *nunquid propterea mittet exercitus suos, ut perpetuo consumat gentes sine misericordia?*

CAP. II.

Argumentum.

Exspectans vates, tanquam speculator in loco alto constitutus, quid ad preces suas Deus respondeat, oraculum jubetur promulgare (Vs. 1—4.), quod hostis Chaldaei superbi, avari, violenti atque idolorum cultui dediti excidium et merita supplicia declarat (Vs. 5 — 20.).

1. עַל־מִשְׁמַרְתִּי אֶעֱמֹדָה *Super custodia mea sto*, quibus verbis Chaldaeus haec praemisit: *dixit propheta.* משמרתי sunt qui *passive* capiant, de loco, quo vatem observent, et quasi obsessum teneant illi, qui exspectant, quid Jova per ipsum sit responsurus ad quaestionem supra (1, 13.) propositam. Ita Zach. 3, 7. et Mal. 3, 14. eadem dictio passive usurpatur de mandatis Dei, quod ea servanda et custodienda hominibus tradidit. Rectius tamen מִשְׁמֶרֶת h. l. *active* capitur, metaphora desumta a vigilibus, qui per vices et certas horas stationem suam obeunt (veteres enim noctem in quatuor vigilias distribuisse, quas אַשְׁמוּרוֹת vocabant, observavimus ad Ps. 90, 4.), et quid eveniat observant. Hujusmodi vigilibus comparantur prophetae, cum exspectant, quid Deus ipsis sit patefacturus, et Jer. 6, 17. Ezech. 3, 17. Hos. 5, 1. וְאֶתְיַצְּבָה עַל־מָצוֹר *Et consisto super munimento*, arce, turri, in cujusmodi locis speculatores et vigiles stare solent. Ut miles, inquit, qui in arce aliqua vigilias agens exspectat unde auxilium veniat, sic ego exspecto tempus illud, quo Deus mihi respondeat ad interrogata. וַאֲצַפֶּה לִרְאוֹת מַה־יְדַבֶּר־בִּי וּמָה אָשִׁיב עַל־תּוֹכַחְתִּי *Ut speculer*, exspectarem, *ut viderem, quod loquuturus sit mecum* Jova, *et quid respondeam super disceptatione mea.*

Supra enim Vs. 3. sqq. cum Deo disputaverat et rogaverat, cur impios sinat impune grassari. Id autem fecit nomine populi, cui nunc responsum dare cupit, quod a Deo avide exspectat. Chaldaeus עַל־תּוֹכַחְתִּי haud male vertit *ad postulationem meam.* נוֹכַח notum est sumi pro *disceptare*, *disputare*, veluti Jes. 1, 18., similiter יִתְיַכַּח Mich. 6, 2.; hinc תּוֹכַחַת est *disputatio*, qua propheta quasi arguit adversus Deum. Verbum enim proprie *arguere*, *argumentis contendere* significat.

2. Accipit divinum mandatum: כְּתֹב חָזוֹן *Scribe visum*, i. e. quod per visionem tibi sum patefacturus; literis illud manda, ut non modo praesentibus, verum etiam posteris notum fiat. וּבָאֵר עַל־הַלֻּחוֹת *Et explana* illud visum, dilucide scribe, *super tabulis*; cf. Jes. 8, 1. 30, 8. Chaldaeus haec verba sic reddit: *scripta est prophetia haec et expressa in libro legis.* Ad quae Jarchi observat, interpretem sic vertisse, quasi pro כְּתוֹב legerit בָּתוּב (cum Schurek). Respexisse vero locum Levit. 26, 34., ubi praedicitur, fore, ut *terra quiescat in sabbathis suis*, quo innuatur septuaginta annorum spatium, quo Judaei in terris exteris exsules sint detinendi. לְמַעַן יָרוּץ קוֹרֵא בוֹ *Ut percurrat qui legerit in eo*, „ut statim assequatur qui illud legerit; *unde de plano legi posset*, dicebant Latini," uti recte Grotius. Id Jes. 8, 1. dicitur בְּחֶרֶט אֱנוֹשׁ, vid. not. ad eum loc. Hieronymus: „Scribere autem jubetur planius, ut possit lector currere, et nullo impedimento velocitas ejus et legendi cupido teneatur."

3. כִּי עוֹד חָזוֹן לַמּוֹעֵד *Nam adhuc visum*, i. e. quod futurum per visum tibi patefaciam, differtur *ad statutum tempus.* Ne igitur vaticinium jam proponendum ex hominum memoria excidat, aut oblivioni detur, vates jubetur illud literis consignare. וְיָפֵחַ לַקֵּץ *Et loquitur de fine*, i. e. de tempore futuro, sive de iis quae futuro tempore evenient. יָפֵחַ, Futurum *Hiphil* verbi פּוּחַ, proprie *flare*, *proflare*, haud raro *proloqui*, *fari* significat, vid. Prov. 6, 19. 12, 17. 14, 5. Ps. 27, 12., ad quem loc. cf. not. קֵץ, *finis*, hic idem quod alias אַחֲרִית הַיָּמִים *postremum dierum*, tempus futurum, Gen. 49, 1. Jes. 2, 2. Eodem sensu עֵת קֵץ *tempus finis* Dan. 8, 17. seu מוֹעֵד קֵץ ibid. Vs. 19., et קֵץ הַיָּמִים Dan. 12, 13. usurpantur. ל ante קץ notat *de*, *super*, ut Ps. 22, 31., ubi vid. not. Sensu nostra phrasis convenit cum ea, quae Dan. 8, 17. legitur, לְעֵת־קֵץ הֶחָזוֹן *ad tempus futurum* pertinet *haec visio*, de tempore futuro loquitur haec prophetia. Kimchio et Coccejo יָפֵחַ est nomen, *indicem*, *praeconem* notans (proprie: *proferentem*, *loquentem*), a verbo יָפַח, cui eandem cum פּוּחַ significationem tribuunt, ut sensus sit: *praeco*, vel *testis* ille, i. e. vaticinium hoc, aderit *ad finem* usque praestituti termini. Ludov. de Dieu nostra verba sic vertit: *Nam adhuc visio ad tempus constitutum* pertinget, *et loquens* (propr. *spirans*) *ad finem* pertinget. Et illi יָפֵחַ non est Futurum Hiphil

verbi פּוּחַ, sed nomen participiale verbi יָפַח, cujus forma Hithpael, הִתְיַפַּח, legitur Jer. 4, 31., nec non Ps. 27, 12. וְיָפֵחַ חָמָס *et spirans violentiam.* Sensum hunc facit: neque vitio suo complemento, neque inspirans prophetam Deus perque eum loquens, aut loquens nomine Dei propheta, sine suo frustrabitur. וְלֹא יְכַזֵּב *Nec mentietur*, s. fallet visio illa, s. prophetia. אִם־יִתְמַהְמָהּ חַכֵּה לוֹ *Si moratur*, si tibi cunctari videtur illius vaticinii exitus, *exspecta eum*, neque animum desponde. כִּי בֹא יָבֹא לֹא יְאַחֵר *Nam veniendo veniet*, certissime evenict quod hoc oraculo praedicitur, *non procrastinabitur*, non semper differetur.

4. Jam incipit oraculum, quod vates supra Vs. 2. promulgare est jussus. Et hoc quidem Versu generalem praemittit propositionem, quae totius vaticinii summam continet. הִנֵּה עֻפְּלָה לֹא־יָשְׁרָה נַפְשׁוֹ בּוֹ *Ecce tumefactus, non planus est animus ejus in ipso*, hoste Chaldaeo, i. e. temerario fastu sese effert, nec modus est ullus suae aliena ad se rapiendi cupiditati. Verbum עָפַל proprie est *tumere, intumescere*, uti collato Arabico عَفَلَ pluribus docuit N. G. Schroederus in *Observatt. selectis ad origg. Hebrr.* p. 54. sqq. Hinc עֹפֶל est *clivus*, proprie *locus tumidus*, h. e. in planitie altius elatus, prout Latinis *tumulus* a *tumendo* dicitur. „Quare quum h. l. עֻפְּלָה *tumefacta*, scil. נֶפֶשׁ *anima* dicitur esse בּוֹ *in eo*, scil. hoste Chaldaeo, non dubium esse potest indicari ejus tumidum fastum et audaciam protervam, qua contra jus et fas omne alienas terras invadit et ad se rapit (1, 6.). Quam עֻפְּלָה *tumidam* Noster vocavit animam, eandem statim dicit לֹא־יָשְׁרָה *non planam*, s. *rectam*, pro more Hebraeorum, quo id quod affirmarunt per negationem contrarii etiam fortius affirmare solent, ut modo Vs. 3. בֹּא יָבֹא לֹא יְאַחֵר, Jes. 3, 9. הַגִּידוּ לֹא כָחֵדוּ *indicarunt, non celarunt;* Ezech. 18, 21. 28. חָיֹה יִחְיֶה לֹא יָמוּת *certissime vivet, non morietur.* Eodem modo regi Chaldaeo h. l. animus inesse dicitur *tumidus, non planus*, i. e. minime modestus, qui intra justi et aequi fines se non continet. Verbum יָשַׁר a primaria notione *aequi* geminam obtinet secundariam alteram *recti*, quod *inflexo* et *curvo*, alteram *plani*, quod *elato et tumido* opponitur. Posteriore occurrit manifeste Jes. 45, 2., הֲדוּרִים אַיַּשֵּׁר *tumida*, loca clivosa, *complanabo.* Eademque *plani* notione יָשְׁרָה h. l. est capiendum oppositionis lege.“ Optime hujus hemistichii sensum declaravit Jarchi: „Anima improbi istius continuo est in excandescentia et cupiditate, anhelans ut deglutiat, nec satiatur. *Non est rectus animus in eo*, ut dicat: sufficit quod jam antea acquisivi; quocirca super illum veniet poena.“ Hosti huic fastu suo temerario atque insatiabili aliena invadendi cupiditate in perniciem ruenti altero hemistichio opponitur populus Judaicus ab illo oppressus: וְצַדִּיק בֶּאֱמוּנָתוֹ יִחְיֶה *sed justus in veritate*, s. *sinceritate sua*, i. e. sincere pius, *vivet*, salvus erit, ut Jer. 38, 2. הַיֹּצֵא אֶל־הַכַּשְׂדִּים

וְהָיָה *qui egressus fuerit ad Chaldaeos vivet.* צַדִּיק, *justum*, vocat populum Judaicum comparate ad Chaldaeos, ut supra 1, 13., ubi vid. not. Plerique haec verba sic vertunt: *at justus per fidem suam*, fiduciam, quam in Deo ponit, *salvus erit.* Sed observandum, vocem צדיק per accentum *Merca* arctissime cum באמונתו jungi, et hanc accentu distinctivo *Tiphcha* a postrema hujus Versus voce, יחיה, ita divelli, ut indicetur, באמונתו esse ad subjectum, צַדִּיק, non ad praedicatum referendum, hoc sensu: ille *qui in veritate sua*, s. *per veritatem suam justus est.* אֱמוּנָה h. l. de *sinceritate*, sincera probitate, capiendum, ut Prov. 12, 22. 28, 20. Ps. 37, 3., ad quem loc. vid. not. Sunt tamen codices et manuscripti et typis exarati haud pauci, ab J. H. Michaeli in *Nott. Critt.* ad h. l. indicati, in quibus voci צדיק *Tiphcha* est appositus, באמונתו vero cum יחיה per accentum *Merca* junctum. Sed in libris plerisque voces priore ratione distinguuntur, quam nos potiorem arbitramur. Atque is quidem genuinus hujus loci sensus nobis videtur. Ab eo tamen discedunt interpretes tam veteres quam recentiores longe plerique, qui hunc Versum tribus superioribus ita conjungunt, ut qui clausulam faciat prooemii, quod Versibus 1—3. vaticinio promulgando praemissum est. Neque hi tamen in verbis praesertim primi hemistichii interpretandis inter se consentiunt. Sunt, qui vertant: *Ecce elata est, non recta est anima ejus in ipso*, vel: *ecce cujus anima elata est, ea non recta est in ipso;* vel denique, *cujus anima non recta est in ipso, ea elata est*, hoc sensu: qui perverse sentit, impius, fastuose despicit, quae divino jussu a me praedicuntur. Ita Chaldaeus: *en! impii dicunt: omnia ista non sunt* futura. LXX: ἐὰν ὑποστείληται οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ, quae Hieronymus sic vertit: *si retraxerit se, non placebit animae meae in eo.* Arabs vero: *et si angore*, sive *taedio afficitur, non exhilaratur anima mea in eo*, i. e. cujus animus timore perturbatur, adeoque fidem non habet iis, quae a vate, meo, Jovae jussu praedicuntur, mihi non probatur. Graecam Alexandrinam nostri loci interpretationem sequutus scriptor epistolae ad Hebraeos 10, 38. Interpretem Graecum pro עֻפְלָה legisse עלפה, et נַפְשִׁי pro נַפְשׁוֹ, existimat Grotius, „sensu," inquit, „optimo. *Si quis defecerit*, in exspectando scilicet (nam עלף vertitur Graece per ἐκλείπειν et ὀλιγοψυχεῖν), *is mihi non placebit.* Dei sunt verba. Ὑποστέλλεσθαι est *minus facere quam oportet*, Act. 20, 20. 27. Gal. 2, 12. Hinc ὑποστολὴ opponitur τῇ πίστει dicto Capite ad Hebraeos Vs. 39." Ed. Pocockius tamen in *Nott. Miscellann.* Maimonidis *Portae Mosis* a se editae additis, p. 42. sqq. negat opus esse ut statuamus, Graecum interpretem עֻפְלָה et נַפְשִׁי, ut vult Grotius, atque יְשָׁרָה pro יָשְׁרָה, quae est Cappelli conjectura, legisse. Et ad prius quidem quod attinet, ὑπεστείληται non magis τῷ עֻפְלָה, quam τῷ עֻפְלָה convenire observat, „quum ex sententia R. Tanchum

עפל idem valeat ac עלף in illo Jonae 4, 8. וַיִּתְעַלָּף *et defecit*, aut Jcs. 51, 20. בָּנַיִךְ עֻלְּפוּ *filii tui defecerunt;* qui etiam praeter vulgo receptam verbi עפל notionem, qua *elatum esse* et *extolli* significat, tertiam quandam recenset a Graeco ὑποστέλλεσθαι minime alienam, videlicet تاخر, بعد, *longe remotum esse, tardari, retrahere se*, petitam ab עוּפָל *clivo*, scilicet الصعب الوصول اليه لعلوه ووعره *qui non sine difficultate prae altitudine et asperitate sua ascenditur*, quae licet eidem loco isti minus quadrare videtur, ceteris tamen praefertur ab *Ebn Jannabio*, quamvis sequius prophetiae tardanti ac quasi sc subducenti attributa. Sensus, inquit, est: لما بعدت ونات وتاخرت هذه *postquam longe remotum sit ac recesserit, et dilatum fuerit hoc* quod denuntiatum est, non recta est anima ejus in ipso, quae nihil eorum quae minatus est propheta, timet. Idem autem quod de persona, seu anima impii affirmari quod hic dicitur, non de prophetia, putat R. Tanchum, utrumvis priorum significatuum huic praefert. R. Moses Kimchius aliam adhuc interpretationem affert, etiam a fratre ipsius Davide laudatam, in qua non minus *subducendi* notionem habemus, scilicet ut sensus sit: *se ponit in clivo*, seu, *se in rupem et arcem subducit*, ἐκλείπουσα, puta, ὀλιγοψυχοῦσα, *verum justus*, qui confidit in Domino, non opus habet ut se in arcem recipiat, sed *fide sua vivit.* Glossarium Hebraeo-Arabicum aliter adhuc; עֻפְלָה, inquit, est تحير *obstupuit*, perplexus, confusus, conturbatus est. Has omnes juxta sententias, ea tantum excepta, quae *extollendi*, vel *se efferendi* intellectum praefert, non longe a scopo aberraverit, qui עֻפְלָה ὑποστείληται, verterent. Sed nondum Arabes consuluimus, qui aliam nobis suggerunt, dum غفل, quod Hebraico עָפַל respondet (ע in plerisque in غ migrante) interpretantur ترك سهوا عنه *omittere*, seu *negligere*, *alio animum avertere*, qua solum ratione motus acerrimi judicii vir, Ludov. de Dieu, non melius reddi posse עֻפְלָה quam ὑποστείληται, fidenter asserit [Ludov. de Dieu nostra verba sic interpretatur: *subductio fit*, i. e. si subductio fiat, aut, si negligatur id quod promissum est, *non placet sibi anima ejus in eo*]. Quodsi ex interpretationum diversitate de exemplarium, quae sequuti sunt interpretes antiqui, discrepantibus lectionibus concludere liceat, suspicari forsan posset quis, Syrum simplicis V. T. versionis auctorem hic pro עֻפְלָה legisse עַוְלָה, quum vertat: *et in iniquitate non delectat se anima ejus.* Quod ad ea quae sequuntur, לֹא יָשְׁרָה נַפְשׁוֹ בּוֹ, autumat Cappellus, LXX, qui verterunt: οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ, vocem illam יָשְׁרָה accepisse, quasi esset a radice Arabibus usitata سَرَّ; at si res ita se haberet, litera י ad radicem nequaquam pertineret, sed futuri formativa esset, quod forma regulari esset يَسُرّ,

adeoque ה paragogicum, et vocales prorsus mutandae. Eo autem confugere minime necessarium videtur, quum יָשַׁר alibi frequenter per *ἀρέσκειν* vertatur, quod eodem fere recidit, ac *εὐδοκεῖν*, illudque dicatur rectum esse in oculis Domini, quo ipse sibi complaceat. Verba igitur prout in textu Hebraico se habent, ita sonant: *ecce subducitur*, aut *negligitur*, vel, *subductio fit*, aut *neglectus*, seu, *desertio est* (gentem subticendo, et verbis impersonaliter positis), *non recta est anima ejus cum eo*, i. e. non delectatur anima ejus, vel, sibi complacet eo; ut ita ad Deum referantur posteriora. Nec quidquam superest difficultatis, nisi quod pro נַפְשׁוֹ, *anima ejus*, in Graeca versione persona prima effertur, quasi נַפְשִׁי legeretur. At non infrequens est in textu Biblico a persona ad personam transitus. Exempla, ni fallor, satis ad rem apposita habemus Ps. 24, 6. זֶה דּוֹר דֹּרְשָׁיו מְבַקְשֵׁי פָנֶיךָ יַעֲקֹב *haec est generatio quaerentium eum, quaerentium faciem tuam, Jacob*, uti LXX personarum enallagen statuentes reddunt: *αὕτη ἡ γενεὰ ζητούντων τὸν κύριον ζητοῦντων τὸ πρόσωπον τοῦ θεοῦ Ἰακώβ.* Et Ps. 59, 10. עֻזּוֹ אֵלֶיךָ אֶשְׁמֹרָה *fortitudo ejus, ad te respiciam*, ubi dum LXX vertunt: *τὸ κράτος μου πρός σὲ φυλάξω*, et Syrus, mutato verborum ordine, *Deus, te laudabo, quia tu es refugium meum*, affixum tertiae personae in primae proprium transtulerunt, ut ita de Deo intelligendum monerent. Quam ipsam licentiam interpretes Graeci, ut sensum commodius redderent, hic etiam sibi sumendam duxerunt, ut ita verba ad Deum referenda, atque ipsius persona efferri docerent. Nec interim absurdum forsan erit, ut si ei, in quem cadit reprehensio, tribuatur affixum, *non est recta anima ipsius in ipso*, paraphrastice exponatur, et ad sensum optime, *non oblectatur anima mea ipso;* ideo enim non plane impius Dei animae, i. e. Deo, quod ipse se in anima sua, vel apud se, non recte habeat.“ Haec Pocockius, qui in dijudicandis antiquis hujus loci interpretationibus videtur felicius versatus esse, quam Critici recentiores, a quibus neglecta sunt, quae ille de h. l. disputavit. Abarbenel עֻפְּלָה positum existimat pro אֻפְּלָה *obtenebratus est*, literis gutturalibus, א, ה, ח et ע facile inter se alternantibus. Quo posito locum nostrum sic interpretatur: „Ecce quando homo indulget menti ac cogitationibus suis, erit semper *animus ejus obtenebratus* et occoecatus, *nec* unquam *rectus* erit *in illo*, perpetuo enim manebit dubius et perplexus *in cogitationibus suis. Verum justus*, qui credit, quaelibet Dei judicia justa esse et intemerata, et approbat judicia ejus, *in fide sua vivet*, absque haesitatione animi et ingenii scrupulis. Quod pertinet ad Habacucum, qui voluerat in arenam descendere cum Deo rationibus, quod improbus fortuna uteretur secunda. Cui jam respondet Deus: omnia haec injecta dubia proveniunt a caligine mentis, non ab illuminato intellectu, Nam *ecce tenebris involutus est animus*, qui *non sincerus est* in homine, sed fovet apud se dubia,

quasi Deus deflecteret ab aequitate. *At justus* non admittit talia, nec cogitat quod pugnat cum perfectione creatoris sui, *sed in fide sua vivet*, quippe qui firmiter secum statuit (Deut. 32, 4.): *Ipse est rupes, integrum est unumquodque operum ejus; omnes enim illius viae sunt justae.*" Hanc Abarbanelis interpretationem sequutus WOLFIUS, Dessaviensis, nostrum Versum, tanquam reliquo sermoni per parenthesin interjectum, sic vertit:

Siehe! unredliches Gemüth ist stets umwölkt;
Der Fromme lebt in seinem Glauben glücklich.

Praetermittimus alias aliorum interpretationes.

5. וְאַף כִּי־הַיַּיִן בּוֹגֵד *Quin omnino vinosus protervus est!* Particula וְאַף כִּי asseverat et auget quod de hoste dictum erat Versu superiore, *tumefactus, nec modestus est animus.* Eodem sensu eadem particula Ezech. 23, 40. usurpatur. יַיִן *vinum*, ebrietas (ut Gen. 9, 24. וַיִּיקַץ נֹחַ מִיֵּינוֹ *quum expergefactus esset Noachus e vino suo*, i. e. e crapula sua) pro *vinolento*, ebrio, pro אִישׁ יַיִן, seu שׁוֹתֵה יַיִן *bibens vinum*, quemadmodum Ps. 109, 4. וַאֲנִי תְפִלָּה, pro אִישׁ תְּפִלָּה legitur, ad quem loc. vid. not., et cf. Ps. 120, 7. Sic etiam Latini *scelus* dicere solent pro *scelesto*. *Ebrietate* h. l. comprehenditur omnis generis luxuria atque lascivia, quam opulentia et divitiae pariunt. De luxuria veteris Babylonis vid. CURTIUM *de rebus Alexandri M.*, L. V. c. 1., ubi ita post alia: *Babylonii maxime in vinum, et quae ebrietatem sequuntur, effusi sunt.* בּוֹגֵד h. l. non *perfidum* notat, sed *protervum*, petulantem, ut Prov. 2, 22. Ps. 25, 3., ad quem loc. vid. not. Ita et Jes. 21, 2. hostis Babylonius שׁוֹדֵד *vastator* et בּוֹגֵד vocatur, ubi perfidiae notio parum apta. Ceterum nomen בּוֹגֵד praedicatum, quod ajunt, constituere, arguit illud, quod articulus ei non est praefixus. Ita Gen. 29, 7. עוֹד הַיּוֹם גָּדוֹל *dies est adhuc magnus*, i. e. multum diei superest. 19, 20. הָעִיר הַזֹּאת קְרֹבָה *haec urbs est propinqua.* Vel ה nomini יַיִן praepositum vim habet fortiorem demonstrandi, latine *en!* aut *ecce!* vertendum, ut Gen. 29, 2. וְהָאֶבֶן גְּדֹלָה עַל פִּי הַבְּאֵר *et ecce lapis magnus* fuit *super ore putei.* גֶּבֶר יָהִיר וְלֹא יִנְוֶה *Vir superbus*, arrogans, est ille, *nec habitat*, i. e. non commoratur in habitatione sua, non potest se continere inter fines imperii sui. Alii interpretantur: *non permanebit* scil. in suo statu, regnum ejus non diu durabit. Ita Chaldaeus: *vir superbus in impietate nec permanebit.* Sed quod nos adscivimus melius congruit totius orationis tenori, et praesertim iis quae proxime sequuntur, *quippe qui dilatat* etc. Nondum minas profert vates, sed adhuc versatur in describenda regis Chaldaei arrogantia et alienas terras invadendi cupiditate. HIERONYMUS nostrum hemistichium ita est interpretatus: *et quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus, et non decorabitur.* Quae in Commentario sic explicavit: „Quomodo vinum contra potantem facit, et postquam sur-

rexerit neque pes, neque mens suum officium tenent, omnisque laetitia et mentis exhilaratio vertitur in ruinam; sic *vir superbus non decorabitur, nec voluntatem perducet ad finem* [quae est τῶν LXX interpretatio], et juxta Symmachum: *οὐκ εὐπορήσαι*, hoc est, in rerum omnium erit penuria." יְנָוֶה Hieronymus retulit ad נַאֲוָה *decorum esse*, pro quo, ejecto א, Jer. 6, 2. הַנָּוָה scribitur. LUTHERUS nostrum locum sic vertit: *Aber der Wein betreuget den stolzen Mann, dass er nicht bleiben kann (Vinum decepit virum superbum, ut ne permanere possit)*, hoc sensu: rex Chaldaeus, dulci fortuna, tanquam vino, ebrius, non contentus imperii sui finibus, terras alienas invadit. Sed verba בוגד גבר יהיר constructione grammatica jungere eo quo Lutherus fecit modo, vetat accentus distinctivus *Sakeph-katon* voci בוגד impositus. Praeterea בָּגַד cum ב constructum notat quidem *perfide in aliquem agere*, haud vero *fallere, decipere*, quod verbo הָשִׁיא significari constat. אֲשֶׁר הִרְחִיב כִּשְׁאוֹל נַפְשׁוֹ *Qui dilatat animam suam ut orcus*, qui hominibus mortuis expleri non potest, quare recensetur inter quatuor illa, quae nunquam satiantur Prov. 30, 16. Cf. ibid. 27, 20. et Jes. 5, 14. Sic HORATIUS dicit *regnum insatiabile Ditis.* וְהוּא כַמָּוֶת וְלֹא יִשְׂבָּע *Et ille est sicut mors nec satiatur;* laborat Chaldaeus hostis insatiabili quadam regnorum siti, ut merito comparetur morti, quae quum quotidie plurimos tollat e medio, tamen nunquam satiatur. וַיֶּאֱסֹף אֵלָיו כָּל־הַגּוֹיִם *Et colligit ad se omnes populos*, ut solus imperet, redigit sub ditionem et potestatem suam.

6. הֲלוֹא־אֵלֶּה כֻּלָּם עָלָיו מָשָׁל יִשָּׂאוּ וּמְלִיצָה חִידוֹת לוֹ *Nonne illi omnes* ab eo subjugati et oppressi *de eo dicterium tollent*, et *cavillum*, et *scommata in eum* proferent? De מָשָׁל, proprie *dictum figuratum*, vid. not. ad Ps. 49, 5. Jes. 14, 4. Recte GROTIUS: „Omnia dicta acuta, aut lepida, aut sententiosa sunt מְשָׁלִים Hebraeis." Cf. Prov. 1, 6., ubi huic nomini itidem junguntur, ut hic, מליצה et חידות, quod utrumque nomen proprie *dicta inflexa*, *aenigmatica* notat, et alias quidem de gravibus et sententiosis dictis usurpatur (vid. de חידות not. ad Ps. 49, 4.), nostro loco vero de dictis aculeatis, quibus tyrannum Chaldaeum cavillantur qui ab eo oppressi sunt. Ante חידות subaudienda copula ו. לוֹ h. l. *de eo*, ut Gen. 20, 13. אִמְרִי־לִי אֲחִי הוּא *dic de me: frater meus est.* וְיֹאמַר *Et dicet* unusquisque illorum, sive impersonaliter: *dicetur*, ut Jes. 65, 8., cf. not. ad Mich 2, 4. הוֹי הַמַּרְבֶּה לֹא־לוֹ *Vae* illi *qui multiplicat* quod *non* est *ipsi*, acquirenti alienas ditiones plurimas, מַשְׂכְּנוֹת לֹא־לוֹ supra 1, 6. Chaldaeus: *opes non suas.* עַד־מָתַי *Quousque* hoc impune faciet? Vel: quem tandem finem imponet cupiditati suae? Alii: quousque i. e. quamdiu possidebit ista injuste a se corrasa? Verba hujus Versus proxima, וּמַכְבִּיד עָלָיו עַבְטִיט, plerique sic vertunt: *et* vae! illi *qui aggravat super se* (cf.

Nch. 5, 15.) *densum lutum*, עבטים statuentes compositum ex עָב *densum*, et טִיט *lutum;* ita vero per contemtum vim ingentem auri argentive appellari existimant. Describi sic volunt tyranni Babylonici non saturandam avaritiam, divitias immensis omnium gentium rapinis congestas, densissimi luti instar, coacervantis in suam ipsius perniciem, paulo post eisdem, tanquam coenosa ac voraginosa palude, penitus absorbendi. Quum tamen nondum sit satis exploratum, num istiusmodi nomina composita recte statui possint; malo accedere KIMCHII sententiae, in Lexico suo propositae, עבטים referendum esse ad radicem עָבַט, ultima radicali repetita, quemadmodum סַגְרִיר *imber vehemens*, Prov. 27, 15., a סָגַר; duplicationem illam vero vim quandam intendendae significationis obtinere. Itaque עבטים a Kimchio *abundantia pecuniarum* vel *divitiarum* exponitur. Rectius vero FULLERUS *Miscell. SS.* L. V. C. VIII. עבטים *multitudinem pignorum* exponi observat, „quippe עָבוֹט, proprie *pignus* sonet, non pecuniam, et verbum עָבַט *pignus*, non *pecuniam*, *capere* [vid. Deut. 15, 6. 8. 24, 10.]. Nec inconcinne, ut opinor, haec item significatio aptari poterit prophetae consilio. Assimilatur enim Babylonius foeneratori acerbissimo, vel praedii alicujus durissimo domino, et ingentes ipsius thesauri, avidissime pariter ac crudelissime undique corrasi, pignorum cumulis penes foeneratorem vel dominum illum congestis. Quare clausula, מכביד עליו עבטים *qui coacervat*, seu *accumulat apud se pignorum copiam*, hanc habere videtur sententiam: qui jam infinitis rapinis, quasi totidem pignoribus ablatis, per intolerabilem saevitiam, omnes gentes ubique locorum coercet, simul ac persoluta primum fuerit poenarum veluti summa divinitus constituta, continue repetent ab eodem omnes gentes pignora sua, hoc est: justissime deinceps eum spoliabunt, a quo nefarie et crudeliter antea fuerant spoliatae.“ Quam quidem interpretationem, utpote talem, quae sensum fundat optime congruum, nostram facere haud dubitamus.

7. הֲלֹא פֶתַע יָקוּמוּ נשְׁכֶיךָ *Nonne repente surgent*, insurgent contra te, *mordentes te* populi abs te oppressi? Metaphora desumta est vel a venatione, in qua canes feras agitant, morsibus appetunt et dilaniant; vel a serpentibus, qui morsu suo nocent, ut Jer. 8, 17. *ecce ego in vos serpentes immittam*, *basiliscos incantari nescios*, וְנִשְׁכוּ אֶתְכֶם *qui vos mordeant.* Alii cum Coccejo נשכיך vertunt *foeneratores tui*, suum etiam cum lucro a te repetentes. נָשַׁךְ enim est *foenerari*, et נֶשֶׁךְ *foenus*, *usura*, Deut. 23, 20. Qui quidem sensus bene congruit Versus superioris verbis postremis, si Fullerianam eorum interpretationem adsciveris. וְיִקְצוּ מְזַעְזְעֶיךָ *Et evigilabunt* tanquam e somno *concutientes*, s. agitantes, divexantes *te.* ויקצו positum abjecto י radicali, quod Metheg compensat, ut Jud. 16, 20. וַיִּקַץ scribitur pro eo quod plene exstat Vs. 14. וַיִּיקַץ. — וְהָיִיתָ לְמַשִּׁסּוֹת לָמוֹ *Ut fias in direptiones eis*, hostibus, ut praedae te habeant.

8. כִּי אַתָּה שָׁלַלְתָּ גּוֹיִם רַבִּים יְשָׁלּוּךָ כָּל־יֶתֶר עַמִּים *Quia tu spoliasti populos multos*, ideo *spoliabunt te omnes reliquiae populorum*, qui reliqui fuerint de populis a te spoliatis. Vel: omnes reliqui populi a te non spoliati. Pro יְשָׁלּוּךָ, cum Patach sub שׁ, in codice Erfurtensi tertio, nec non in libris pluribus typis exaratis, veluti Bibliis Bombergianis, Plantinianis, Buxtorfianis, legitur יִשְׁלוּךָ, cum Camez-Chatuph, nam quia accentus locum mutat, ideo Cholem, ut fit, corripitur. מִדְּמֵי אָדָם וַחֲמַס־ אֶרֶץ *Propter sanguines*, caedes *hominum*, *et* propter *violentiam terrae*, illatam habitatoribus terrae. קִרְיָה וְכָל־יֹשְׁבֵי בָהּ Et propter violentiam *urbis et omnium habitantium in ea*, propter violentiam in urbem commissam. Chaldaeus pro וַחֲמַס־אֶרֶץ et קִרְיָה posuit *et propter rapinam terrae Israel*, *urbis Jerusalem*. Alii cum Grotio collective: propter direptionem *terrarum* et *urbium*, quas plurimas Chaldaeus expugnavit, expilavit et destruxit, omniumque *in eis* habitantium. Praeferendum tamen duco prius ob Versus 17., sub cujus finem eadem formula repetitur, verba prima.

9. הוֹי בֹּצֵעַ בֶּצַע רָע לְבֵיתוֹ *Vae* illi *qui lucrificavit quaestum malum domui suae*, pro domo sua, familia sua. Alii, ut exstruat domum suam, regiam suam, quae erat Babyloniae, quae Dan. 4, 27. בֵּית מַלְכוּ *domus regni* dicitur. Chaldaeus: *vae* ei *qui violenter accumulat divitias impietatis domui suae.* בצע רע *quaestus malus* dicitur, vel quia malis artibus paratus, vel quia exitialis est dominis suis. Uterque sensus quadrat; ideo enim opes ut plurimum sunt exitiales, quia injustitia et malis artibus sunt conquisitae. לָשׂוּם בַּמָּרוֹם קִנּוֹ *Ut ponat in excelso nidum suum*, ut exstruat sibi arcem praealtam et munitissimam, qua tueatur se ab hostibus. Similitudo desumta ab avibus, quae in rupibus inaccessis nidificant, ut Obad. Vs. 4., ad quem loc. vid. not. לְהִנָּצֵל מִכַּף רָע *Ut eripiatur e manu mali*, quo tutus sit ab injuria et vexationibus hostium.

10. יָעַצְתָּ בֹשֶׁת לְבֵיתֶךָ *Consuluisti pudorem*, ignominiam, *domui tuae*, consilia cepisti in domus tuae casura dedecus. קִצּוֹת־עַמִּים רַבִּים *Succidendo populos multos*, i. e. quum animo tuo proposuisti imperium orbis occupare, gentes et populos imperio tuo adjicere, putasti te pulchre tibi consuluisse; sed contra cedit illud in tui et tuorum ignominiam et perniciem, Deus enim avaritiam illam et ambitionem tuam ulciscetur et pro merito castigabit. וְחוֹטֵא נַפְשֶׁךָ *Et peccans eras in animam tuam*, i. e. perniciem in te accersisti, causa es tui exitii. Ante נפשך subaudiendum ב, id enim praefigitur nomini ejus, *in* quem peccatur, Gen. 42, 22. אַל־תֶּחֱטְאוּ בַיֶּלֶד *ne peccatum committatis in puerum.* Deficiente illa particula, ut hic, legitur Prov. 20, 2. *qui ad iracundiam eum* (regem) *provocat*, חוֹטֵא נַפְשׁוֹ *peccat in se ipsum*, mala sibi conciliat.

11. כִּי־אֶבֶן מִקִּיר תִּזְעָק *Nam lapis e muro clamat (quod vim ei inferas*, addit Chaldaeus). Alii cum KIMCHIO: ipsi lapides clamant, regiam tuam e rapinis exstructam esse. Vel: lapides furto a te ablati testabuntur violentiam et rapinam tuam. Sed verum horum verborum cum iis quae proxime sequuntur, וְכָפִיס מֵעֵץ יַעֲנֶנָּה *et ligamentum e ligno respondebit ei*, lapidi, sensum declaravit HIERONYMUS: „In tanta crudelitate bacchatus es, ut, si dici potest, lapides civitatis et ligna parietum quos subvertisti, tuam ferociam clamitent. Tale quid et Dominus contra Pharisaeos objurgantes, quare non increparet pueros acclamantes sibi [Matth. 21, 9.]: *Osanna in excelsis filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis; Non legistis*, inquit [Vs. 16.], *quia scriptum est: ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem?* Et [Luc. 19, 40.]: *si ista tacuerint, lapides clamabunt.* Licet enim plerique ita intelligendum putent: si Judaei tacuerint, multitudo me gentium confitebitur; tamen haec est expressior et verior intelligentia: etiam si homines tacerent, et signorum meorum multitudinem lingua invidens non loquatur; tamen lapides ipsi, et fundamenta murorum, et parietum aedificatio meam poterunt magnitudinem personare.“ Hebraeum כָּפִיס Hieronymus *lignum* significare ait *quod ad continendos parietes in medio structurae ponitur, et vulgo apud Graecos appellatur ἰμάντωσις.* Graecam hanc vocem, quae proprie *corrigiam calcei* significat, Suidas exponit: *δέσις ξύλων ἐμβαλλομένων ἐν τοῖς οἰκοδομήσασι.* Sequutus est Hieronymus Symmachum, qui *σύνδεσμος οἰκοδομῆς ξύλινος*, et Theodotionem, qui *σύνδεσμος ξύλου* vertit. Quam interpretationem commendat illud quod Syris ܟܦܫ *connexuit* significat. Et in versione Samaritana verbum כפס pro hebraico קָפַץ *constrinxit* ponitur. Hinc est, quod Chaldaeis כופסידא *compedes* denotat. Quare nos *ligamentum* vertimus. Vere monet GUSSETIUS sub voce כָּפִיס, quod ea indicetur ita se habere ad עֵץ *lignum*, ut lapis ad murum. „Hic autem est ejus pars per aggregationem ex arte junctam. Atqui ad hoc requiritur, ut עֵץ sumatur quoque pro aggregato. Jam vero omnia ista in domo aedificata statuuntur Vs. 9. Ex his sequitur, עֵץ *lignum*, sumi pro omni totius domus ligno, Gallice *la cherpente.* In ea tignum et asser, *une piece de bois*, se habet ut lapis in muro. Ergo istud est, quod כָּפִיס vocatur, *asser* et *tignum*, et *trabes*, in genere.“ יַעֲנֶנָּה *Respondebit ei*, lapidi, nam אֶבֶן feminei generis esse constat. GROTIUS suffixum femineum sensu neutro capiens, vertit: *testabitur illud;* „nam quia ad interrogationem reddebantur testimonia, ideo עָנָה ponitur pro *testari*, etiam in Decalogo [Exod. 20, 13.].“ Alii: *respondet*, s. *testabitur contra eam*, animam tuam, נַפְשֶׁךָ Vs. 10., i. e. contra te ipsum. Verum id hebraice erat יַעֲנֶה בָהּ exprimendum. Nomen enim ejus, contra quem testimonium profertur, interce-

dente particula ב verbo jungi solet, vid. laudat. Exod. loc. et adde Deut. 5, 17. 19, 16. Job. 16, 8. Hos. 5, 5.

12. הוֹי בֹּנֶה עִיר בְּדָמִים *Vae* ei *qui aedificat urbem per sanguines*, i. e. opibus, quae caedibus et tyrannide sunt partae. וְכוֹנֵן קִרְיָה בְּעַוְלָה *Et* vae illi *qui stabilit*, parat *urbem iniquitate*, opibus inique partis.

13. הֲלוֹא הִנֵּה מֵאֵת יְהוָה צְבָאוֹת *Nonne ecce a Jova* deo *exercituum* videlicet hoc quod sequitur: וְיִיגְעוּ עַמִּים בְּדֵי־אֵשׁ וּלְאֻמִּים בְּדֵי־רִיק יִעָפוּ *ut laborent populi pro igne, et gentes pro inani defetiscentur?* i. e. quod populi, qui tam magno cum labore in urbe regia Chaldaeorum occupati erant, frustra operam impenderunt suam, et igni tantum alimenta dederunt, quum urbs illa postea sit diruenda et igne abolenda, id non fortuito fieri censendum erit, sed justo Dei judicio. Locum nostrum mutuatus est Jeremias 51, 58., sed ita ut dictiones בְּדֵי־רִיק et בְּדֵי־אֵשׁ transponeret: *Sic dicit Jova: Babylonis crassa illa moenia diruentur, ejusque altae illae portae igni succenduntur, ut* ita *laboraverint incassum populi, et nationes igni se defatigaverint.* דֵּי utrumque h. l. est particula mere expletiva, ut Job. 39, 28., ubi cf. not. Kimchius tamen illam adjectionem syllabicam emphasin habere existimat. Hieronymus etiam *in multo igne* vertit. Et Jarchi בְּדֵי Gallico *assez* exponit, sensumque nostri loci hunc esse dicit: quando iis ingruet ira mea tanquam ignis, donec satis poenae accipiant, s. ut satis puniantur pro merito. Chaldaeus vertit: *ecce plagae validae et vehementes veniunt a Jova, Deo exercituum, et labor gentium robustarum tanquam ignis, et regna in vanum se fatigabunt.* יִעָפוּ abjecto prima radicali י pro יִיגְעָפוּ, uti scriptum Jes. 40, 30.

14. כִּי תִמָּלֵא הָאָרֶץ לָדַעַת אֶת־כְּבוֹד יְהוָה כַּמַּיִם יְכַסּוּ עַל־יָם *Nam replebitur terra ad cognoscendum gloriam Jovae*, cognitione gloriae Jovae, *sicut aquae operiunt mare*, i. e. alveum maris, metonymia. Sensum recte explicavit Hieronymus: Quum Babylon fuerit eversa, manifesta fiet omnibus potentia virtutis Dei, quasi aquae operientes mare; sic gloria Domini terra universa complebitur, sicut aquae alveum et fundum contegunt maris.

15. הוֹי מַשְׁקֵה רֵעֵהוּ *Vae* illi *qui potum dat socio suo*, מְסַפֵּחַ חֲמָתְךָ tibi, inquam, *qui admoves*, propinas (mutatio personae) *fervorem tuum*, i. e. fervidum tuum vinum, quo incalescit cui illud propinatur. מְסַפֵּחַ J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1786. vertit *infundenti*, adhibita significatione Arabici سفح *effudit*. Ita Chaldaeus, qui *fundens*, atque Symmachus, qui ἀπό χρύσεως (מְסַפֵּחַ) θυμοῦ σου vertit; nisi hi verbum סָפַח ejusdem cum verbo שָׁפַךְ significationis putaverint. Verum quum סָפַח locis reliquis omnibus *aggregandi*, *adjungendi* notionem habeat (cf. not. ad Job. 30, 7.), eandem et hic retinendam arbitramur, quum

sensus satis commodus sic prodeat; nam formam Picl hujus verbi *admovere* rem aliquam alicui recte exponi, nemo negabit. חֲמָתְךָ quidam *utrem tuam* vertunt. Sed *uter* est חֵמָת et חֲמַת (vid. Gen. 21, 14. 15. 19.). Alii: *virus*, *venenum tuum*, quo sensu Deut. 32, 24. חֲמַת זְחֲלֵי עָפָר *venenum serpentum terrae* dicitur, vid. et ibid. Vs. 33. Eadem significatione nostram vocem et Hieronymus accepit, dum *fel* vertit, quod in Commentario *amaritudinem* exponit, quemadmodum מְרֹרָה *amaritudo* Job. 20, 14. de *veneno* dicitur. Verum quum de inebriando hic sermo sit, חֲמָה *calorem*, *fervorem* h. l. de vino fervido capere praestat, ut Horatio *Epod.* 9, 14. *merum fervidius*. Vel per metonymiam causae pro effectu חמה dicitur vinum, quod fervidum reddit bibentem. Hinc Hos. 7, 5. dicitur חֲמַת מַיִן *calor ex vino*. Cf. οἶνος τοῦ θυμοῦ Apoc. 18, 3. וְאַף שַׁכֵּר *Et* etiam *inebriando* eum, socium, ita ei fervidum merum propinavit, ut ebrius inde factus sit. Chaldaeus: *ut bibat et inebrietur*. Id imitatus Jeremias 51, 7. Babelem vocat poculum in manu Jovae, מְשַׁכֶּרֶת כָּל־הָאָרֶץ *inebrians totam terram*, *e quo vinum potant omnes gentes*, *indeque insaniunt*. לְמַעַן הַבִּיט עַל־מְעוֹרֵיהֶם *Ut adspiciat super*, s. *in nudata eorum* (sociorum) membra s. pudenda, tanquam voluptatem et delectationem inde capiens, illisque illudens, quo illi summo dedecore afficiuntur. Chaldaeus: *et patefiat ignominia tua*. Eandem imaginem vid. Nah. 3, 5. Unde haustum illud Apoc. 16, 15. ἵνα μὴ γυμνὸς περιπατῇ, καὶ βλέπωσι τὴν αἰσχημοσύνην αὐτοῦ. Alii sententiam hanc esse putant: *vae tibi*, *qui socios inebrias*, *ut amori tuo turpissime et flagitiosissime inserviant*. Nam *retegere nuditatem* alicujus est cum eo concumbere, Levit. 20, 11. 17. Ita Grotius verba nostra: *ut adspicias pudenda ejus* explicat: ut eam percidas, quod illis temporibus satis frequens in Oriente. Addit: „Sed per hanc ἀλληγορίαν intelligitur perfidia Chaldaeorum, qui foederibus illiciebant populos, quos deinde tractabant ignominiosissime."

16. שָׂבַעְתָּ קָלוֹן מִכָּבוֹד *Satiaberis ignominia prae gloria*, magis quam gloria, i. e. quo splendidior erat pristina tua conditio, qua tantopere gloriaberis, tanto majore afficieris ignominia. Recte Grotius observat, haec dicere gaudentes populos ob domitos Chaldaeos gentium dominatores. *Satiari ignominia* esse, *summa affici ignominia*, docent phrases plane similes Ps. 88, 4. *satiata est malis anima mea*. Et 123, 4. *nimium saturata est sibi anima nostra hac subsannatione opulentorum*. Cum nostro loco sensu fere convenit illud Hos. 4, 7. *gloriam eorum cum ignominia commutabo*. שְׁתֵה גַּם־אַתָּה *Bibito etiam tu*, aequum est, ut tu quoque bibas calicem ignominiae, quem illis propinasti, i. e. ut parem ignominiam sustineas. וְהֵעָרֵל *Et denudare praeputium*. Abominabiles erant Judaeis incircumcisi. Respexit ad illud, quod praecedit (Vs. 15.): *ut adspicias nuditates eorum*,

ac si diceret: quemadmodum aliis fecisti, ita tibi nunc fiet; feres ignominiam, quam sociis intulisti. KIMCHI הֶעָרֵל per metathesin literarum ע et ר pro הֶרָעֵל positum putat. Est autem רָעַל proprie *tremere*, in Hophal *concuti*, Hab. 2, 3. Hinc transfertur ad eum, qui mero somnoque gravis titubat, et vertigine e crapula corripitur. Sic Zach. 12, 2. סַף־רַעַל est *pelvis vertiginis*. Et Jes. 51, 17. כּוֹס הַתַּרְעֵלָה *calix vertiginis*. Vid. et Ps. 60, 5. Nostrum הערל pro הרעל ceperunt jam LXX, verterunt enim: *καρδία σαλεύθητι καὶ σείσθητι* (quae duo posteriora verba pro glossemate videntur esse habenda). Hieronymus: *consopire*. Ita LXX Ps. 60, 5. יַיִן תַּרְעֵלָה reddunt *ποτήριον κατανύξεως*. Haud quidem negandum est, הֶעָרֵל h. l. pro הֶרָעֵל sumtum, i. e. *vertigine correptus*, ebrius, *tituba*, bene congruere ei quod praecedit, שחה גם־אתה. Neque tamen ab interpretatione supra prolata discedendum arbitror. תִּסּוֹב עָלֶיךָ כּוֹס יְמִין יְהוָה *Vertet se* tandem etiam *ad te calix dexterae Jovae*, quae verba Chaldaeus sic vertit: *revertetur ad te calix maledictionis a Jova.* Tralatio a more compotantium, de quo vid. not. ad Ps. 75, 9. Eadem imago Jerem. 25, 15. sq., ubi vatem Jova ita alloquitur: *accipe e manu mea poculum hoc vini irae, et propina illud omnibus populis, ad quos ego te mittam, ut bibent et inde commoveantur vel ad rabiem.* Cf. etiam Jes. 51, 17. et Thren. 4, 21. *ad te quoque perveniet poculum, quo tu inebriata nudaberis.* יְמִין יְהוָה *Dextera Jovae* dixit pro ejus robore et potentia. Vel est simpliciter pro יָד positum, ut Deut. 33, 2. מִימִינוֹ *a dextera sua*, i. e. ab eo. Vocem קִיקָלוֹן interpretes tantum non omnes *vomitum ignominiae*, i. e. ignominiosum exponunt, quasi compositam e קִי *vomitus*, et קָלוֹן *ignominia*; scribitur quoque in nonnullis codicibus divisim קִי קָלוֹן. Ita jam HIERONYMUS: *et vomitus ignominiae super gloriam tuam.* Quod cum iis quae praecedunt in Commentario sic illustrat: „Quia inebriasti plurimos, tu quoque bibe de calice Domini et consopire: circumdaberis suppliciis dexterae Domini, et cum ignominia vomitus tui omnia quae absorbueras, egeres, et de sublimi gloria ad ultima deduceris mala.“ Similiter Jer. 25, 27. *bibite et inebriamini et vomite.* Et Jes. 19, 14. *errare fecerunt Aegyptum in omni opere suo, quemadmodum errat ebrius in vomitu suo.* Possit קִיקָלוֹן et *fimus*, *stercus* verti, collato Chaldaico קִיקְלָא, vid. BUXTORFII *Lexic. Chald. Talmud.* p. 2041. Chaldaeus: *et veniet ignominia super decus tuum.*

17. כִּי־חֲמַס לְבָנוֹן יְכַסֶּךָּ *Nam violentia Libani operiet te.* *Libano* haud pauci interpretum existimant *templum* Hierosolymitanum designari, quia hoc maximam partem e cedris Libani structum erat, 2 Paral. 2, 7. 15. Ita Chaldaeus: *nam rapina domus Sanctuarii operiet te.* Eodem modo HIERONYMUS: „*Quia iniquitas Libani operiet te*, superbia, inquit, tua, et eversio

templi, et rapina sanctuarii te depopulabitur atque vastabit.“ Nos tamen totam potius terram Israeliticam *Libano* existimamus designari, ut Ezech. 17, 3., ad quem loc. cf. not. Libanus, Judaeae mons et terminus a septentrione, per synecdochen partis totam terram Judaicam significat. Abarbenel: „Scias autem, eventurum esse tibi hoc, *quia violentia Libani operiet te*, i. e. violentia, quam tu intulisti Libano, quo nomine venit terra Israelitica, ut Deut. 3, 25. *mons iste optimus, et quidem Libanus. Illa*, inquit, *operiet te*, quod dictum est eum in modum, quo dicit Obadias (Vs. 10.): *propter violentiam tuam in fratrem tuum Jacobum operiet te pudor.*“ Cf. not. ad eum loc. וְשֹׁד בְּהֵמוֹת וְחִיתָן *Et devastatio bestiarum, quae eas terruit*, scil. operiet te, i. e. talis in te recedet ruina, qualis importari solet feris, cum a venatoribus capiuntur et jugulantur. *Devastatio bestiarum* est passive, ut חמס לבנון, capiendum. Quum terram Israeliticam comparasset Libano, in quo sylvae fuerunt, atque in iis ferae, pronum erat, illius incolas *animantia* appellare, quae Libanum colerent, sicut dicitur Jes. 40, 16. *Etiam Libanus*, i. e. arbores Libani, *non sufficerent ad comburendum, et animalia ejus non sufficerent holocausto.* Metaphora est a venatoribus desumta, quum, publice indicta venatione, omnes undiquaque convocant et cogunt ad feras omnes ex sylva aliqua exagitandas atque exterminandas, tum enim vis quaedam fit sylvae, et devastantur ejus ferae. Ita Chaldaeus Judaeam tanquam sylvam feris plenam excussit veluti et bello totam perlustravit, exercitibus suis quasi indagine cinxit, et incolis suis nudavit. Ante יחיתן subaudiendum est אשר, et suffixum femineum verbo additum ad בהמות referendum. יחיתן Futurum Hiphil verbi חָתַת *terruit* pro יְחִתֵּן, Dagesch forte, ת imponendum, resolvitur in Chirek longum, more Chaldaeorum, et Patach est pro Zere propter pausam. Post יחיתן repetendum *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* וְכַסָּךְ. Vult enim dicere: par violentia tibi accidet, in similem vastitatem redigeris. Chaldaeus: *et praeda populi ejus conteret te.* Haec omnia, pergit vates; evenient tibi מִדְּמֵי אָדָם וגו׳ *ob sanguines hominum et violentiam terrae, urbis, omniumque in ea habitantium*, ob effusum sanguinem humanum, et adhibitam violentiam, cum terras et urbes expugnares, eorumque incolas tibi subjiceres. Repetita haec e Versu octavo.

18. מָה־הוֹעִיל פֶּסֶל כִּי פְסָלוֹ יְצָרוֹ *Quid prodest sculptile, quod sculpat illud fictor ipsius?* Cur tanto studio, tanta arte laborat artifex in sculpendis et affabre faciendis vanis imaginibus, quum eae nihil prosint, nulli sint usui? Imminente casu tui regni non potuerunt te liberare simulacra tua. Ante verba, quae sequuntur, repetendum מה־הועיל *quid prodest* מַסֵּכָה וּמוֹרֶה שָׁקֶר *fusile et docens mendacium*, quo nomine nonnulli idolum significari existimant, quia idola homines in errorem inducunt,

et falsam ingenerant hominum mentibus de divinitate opinionem. Ita Chaldaeus: *numen falsum.* Ego potius ob mendacia oracula, quae dcastrorum nomine et auctoritate proferri solebant, illud nominis eis inditum putem. Sic Jes. 9, 14. propheta mendax vocatur נָבִיא מוֹרֵה־שֶׁקֶר. Quomodo מסכה differat a פסל, recte exponit HIERONYMUS his verbis: „Ne putemus unum esse *quod sculpitur et conflatur. Sculpturam* quippe possumus in lapidibus et in marmoribus accipere; *conflatura* vero in his metallis intelligitur, quae solvi possunt atque conflari, verbi gratia, auro, argento, aere, plumbo, stannoque.“ Pro מוֹרֵה שָׁקֶר LXX habent φαντασίαν ψευδῆ, quod sequutus Hieronymus, *imaginem falsam* reddidit. Videtur Graecus interpres מוֹרֵה pro מַרְאֶה accepisse. כִּי־בָטַח יֹצֵר יִצְרוֹ עָלָיו *Quod confidat fabricator figmenti sui super eo*, opere suo? quum nihil prosint simulacra illa, quid causae est, cur in iis fiduciam et spem suam ponant fictores eorum, eoque adigantur, לַעֲשׂוֹת אֱלִילִים אִלְּמִים *ut faciant inania muta?* itane insaniunt, ut quum ea plane sint inutilia et res prorsus mortuae, tantum tamen studium operamque tam sollicitam in illis fabricandis ponant? *Mutos* vocat deos vanos, quia numquam respondent invocantibus ipsos. אלילים sunt numina *nihili*, ut Levit. 19, 4. Jes. 10, 10., ad quem loc. cf. not.

19. הוֹי אֹמֵר לָעֵץ הָקִיצָה עוּרִי לָאֶבֶן דּוּמָם *Vae* ei *qui dicit ligno*, i. c. *simulacro ligneo*, ut Chaldaeus exponit, *evigila!* et ei qui dicit *surge! lapidi silenti*, i. e. *idolo lapideo.* Notantur Babylonii, idola sua inclamantes atque invocantes ad auxilium. Eadem formula utitur Psaltes 35, 23. ad Jovam: הָעִירָה וְהָקִיצָה *excitare et evigila ad judicium meum.* Quod simulacra lignea et statuas lapideas *lignum* vocat et *lapidem*, eo declarat, idola nil aliud esse, quam lignum et lapidem, etiamsi forma Deum referant. Adverbium דּוּמָם *silenter* nomini אבן additum vel adjectivi locum obtinet, ut 1 Sam. 25, 31. דָּם חִנָּם *sanguis immerito*, i. e. innoxius, immerito effusus; Neh. 2, 12. אֲנָשִׁים מְעַט *homines parum*, i. e. pauci; vel ut nomen tractatur, quod nomini אבן in statu constructo sumendo additur, ut sit vertendum *lapidi silentii*, i. e. silenti, quale est צָרֵי יוֹמָם *hostes interdiu* Ezech. 30, 16., ad quem loc. cf. not. Verbum דָּמַם *silere* de lapide etiam Exod. 15, 16. dicitur. Verba quae sequuntur, הוּא יוֹרֶה, interrogative capienda, quasi cum admiratione dicat vates: *hoccine docens* erit? quomodo exspectare potestis, ut muta ista simulacra vobis respondeant? vos doceant, quid facto vobis opus sit? תָּפוּשׂ זָהָב וָכֶסֶף *Comprehensum*, i. e. obductum est *auro et argento.* תפוש Participium *Paul* verbi תָּפַשׂ, quod alias *prehendere* notat, hic *continere*, quasi prehensum, inclusum tenere. Ad rem cf Jes. 40, 19. *simulacrum conflat opifex, idque auro ducit fictor, et argenti bracteis fabrefacit.* Jer. 10, 19. *argento et auro exornat illud*, simulacrum. וְכָל־רוּחַ אֵין בְּקִרְבּוֹ

Et omnis spiritus non est in medio ejus, sed prorsus non est vita, aut anima in eo. Adverbium negandi nomini כֹּל additum universaliter negat. Sic 2 Sam. 12, 3. וְלָרָשׁ אֵין־כֹּל *et pauperi isti non erat omne*, i. e. nihil prorsus. Cf. Ps. 49, 18. Dan. 11, 37.

20. וַיהוָה בְּהֵיכַל קָדְשׁוֹ הַס מִפָּנָיו כָּל־הָאָרֶץ *Jova autem est in templo suo sancto; sileat a facie ejus universa terra.* Idolis mutis et inanimatis opponitur Jova, Judaeorum Deus, qui quum sit omnipotens, aequum est, ut universus orbis eum revereatur, et revcrentiam suam religioso silentio testetur. *Templum Jovae sanctum* coelum intelligitur, unde ipse cernit ac videt omnia quae hic geruntur, omnium curam gerit, cuncta quoque summa sua providentia regit et moderatur. *Coelum* cum *templo Jovae* tanquam synonymum jungitur Ps. 11, 4., vid. etiam 2 Sam. 22, 7. cf. not. ad Mich. 1, 2. Alii hoc loco intelligunt *templum Hierosolymitanum* (ut Jon. 2, 8., cf. ibid. not.), quod opponatur εἰδωλείοις aliarum gentium, quod Deus in templo illo habitare censeretur, non vero in delubris eorum, qui simulacra colunt. הַס quibusdam vox est ficta per onomatopoeiam ad imperandum silentium, ut apud Plautum *St!* Sed est potius Imperativus Piel apocopatus (pro הַסֵּה) verbi הָסָה, cujus pluralis, הַסּוּ *silete!* legitur Neh. 8, 11. Et semel in Futuro Hiphil וַיַּחַס *et silere fecit*, compescuit populum Caleb, Num. 13, 30., pro וַיַּהַסֵּה. LXX reddiderunt εὐλαβείσθω, vel quia חַס (per Cheth) legerunt, et respexerunt ad حشى *revereri*, *timere metu* religioso; vel quia silentium est reverentiae signum, existimarunt consequens hic esse positum pro antecedente, silentium pro reverentia.

27 Nov. 1850.

CAP. III.

Argumentum.

Vates sensu comminationum divinarum, quas Cap. 1. annuntiaverat, et grata praeteriti temporis, quo Jova saepius opitulantem se magnifice manifestaverat, memoria, simulque promissionis Cap. 2, 2—4. data fiducia, animo perculsus, trepida et supplici oratione Dei auxilium implorat Vs. 2., atque illius spem alit recordatione mirabilium facinorum, in gratiam populi olim editorum, in qua materia gravissima longius evagatur, animoque tantopere indulget, ut haec pars orationis justum modum fere excedere videatur. Versu tandem 16. reversus unde digressus erat, iterum quidem ipsius mens deprimitur timore instantis calamitatis (Vs. 16. 17.), denique tamen firma auxilii divini fiducia omnes dubitationes ita vincit, ut laetus triumphantis numinis gloriam celebret, Vs. 18. 19.

1. Nomen תְּפִלָּה *oratio, supplicatio* h. l. haud dubie sensu latiore sumendum, pro *carmine ad Jovam directo, hymno*, ut in Psalmorum quorundam inscriptionibus, veluti Ps. 17. 86. 90. 102. לְ nomini חֲבַקּוּק praemissum auctorem indicat cstque Genitivi nota, ut in plurium Psalmorum inscriptionibus; vid. Prolegg. ad Psalmos. Verba עַל־שִׁגְיֹנוֹת Aquila, Symmachus et Quinta Editio, teste Hieronymo, reddiderunt *περὶ ἀγνοημάτων*, quos ipse sequutus reddidit *pro ignorationibus*. Sane שָׁגָה *errare*, et *peccare per errorem*, seu *ex ignorantia* significat, unde שִׁגְיוֹת sunt *peccata per errorem*, seu *ex ignorantia admissa*, Ps. 19, 13., et מִשְׁגֶּה est *ἀγνόημα*, *peccatum per errorem admissum*, Gen. 43, 12. Hanc significationem sequutus est Chaldacus. Jarchi illam vocem itidem ad שָׁגָה *erravit* referens eam similiter accepit de vocibus quibusdam, quibus propheta in superioribus visus est divinam accusare providentiam, quasi peccati illius veniam deprecaretur. Sed perperam, quum nullum toto hoc Capite exstet hujusmodi deprecationis veniae vestigium. Veterem tamen esse hanc a Jarchio traditam opinionem inde patet, quod eadem jam apud Hieronymum reperitur, qui illam haud dubie a magistro suo Lyddensi accepit. Vocem שִׁגְיוֹן in Psalmi 7. inscriptione obviam LXX reddiderunt generali *ψαλμὸς*, quum non possent propriam illius nominis explicare significationem. Planum est, significare aliquid, quod ad musicam, aut rationem metri attinet, sed quid proprie significet, incertum jam, quia ratio sacrae musices et poetices hodie ignota est. Cf. Prolegg. ad Psalmos. Ab illo singulari nostrum est plurale שִׁגְיֹנוֹת, quod eodem pertinet, nempe ad rationem musicae vel metri, unde etiam LXX reddiderunt *μετ' ᾠδῆς*, *cum Cantico*.

2. יְהוָה שָׁמַעְתִּי שִׁמְעֲךָ *Jova, audivi auditionem tuam*, i. e. effatum tuum a me auditum. שֵׁמַע *Auditio* Jovae h. l. est verbum, effatum Jovae auribus prophetae perceptum, ut Hos. 7, 12. כְּשֵׁמַע לַעֲדָתָם *secundum auditionem*, i. e. verbum *auditum* et annuntiatum *coetui eorum*. Effato Jovae autem, quod vates a se perceptum dicit, superiora vaticinia indicantur, quibus cum adversus populum Judaicum, cum adversus hostes ejus dirissima quaeque sunt praenuntiata. יָרֵאתִי Et *timui*, non minus responso divino Cap. 2, 4. sqq. dato, quod sollicite exspectaveram (2, 1.), timore ac reverentia adfectus sum, quam cum supra 1, 5. sqq. in Judaeos sententia dicta esset. Verba quae sequuntur, יְהוָה פָּעָלְךָ בְּקֶרֶב שָׁנִים חַיֵּהוּ, nonnulli interpretes, inter quos Schnurrerus, sic exponunt: *Jova, opus tuum* quod attinet, *in medio annorum*, i. e. intra illud tempus *serva illud*, פָּעַל יְהוָה *opere Jovae* Judaicum populum designari existimantes, ut Jes. 45, 11., ubi ille פֹּעַל יָדַי יְהוָה dicitur, utpote a Deo eximia cura formatus exornatusque, unde בּוֹרֵא, יוֹצֵר et עֹשֶׂה hujus populi dicitur Jova Jes. 43, 1. 44, 2. 24., חַיֵּה vero h. l. observant usurpari

quoque de illis, qui vivere alium concedunt, cum interficere poterant. Verum quum חַיֵּיהוּ sensu haud multum differre credibile sit a proximo תּוֹדִיעַ, nos a JARCHIO traditam horum verborum interpretationem nostram facere haud dubitamus, quae talis est: „*Opus tuum* pristinum, dum vindictam nostrûm de hostibus nostris sumsisti, in medio annorum calamitatis, in qua nunc versamur, vivifica illud, id est, excita illud et redue illud.“ Cui bene congruit quod subjungitur: בְּקֶרֶב שָׁנִים תּוֹדִיעַ *in medio annorum notum facias*, i. e. exhibeas omnibus cognoscendum, manifestum facias illud, opus tuum; suffixum e praecedente חַיֵּיהוּ est repetendum. Formulam בקרב שנים quod attinet, illi, quibus פָּעָל יְהוָה *opus Jovae* est populus Judaicus, eam *intra illud tempus* (scil. conserva illud populum) interpretantur, atque idem valere, quod simplex בַּשָּׁנִים valere existimant. Ego tamen eo, quod vates a Jova petit, ut opus suum manifestum faciat *in medio annorum*, hoc velle existimo, ne Deus illud differat ad seros annos, sed accelerat, intra breve annorum spatium illud exsequatur. בְּרֹגֶז רַחֵם תִּזְכּוֹר *In commotione*, ira, *misereri memineris*, i. e. jam quidem populo tuo iraseeris et vehementer indignaris, ira tamen ista tua non exstinguet in te omnem commiserationem; quin imo in medio irae tuae aestu et fervore misericordia commovebere.

3. Nunc, recte observante JARCHIO, vates meminit coram Deo pristini illius operis, quod ut denuo excitet atque accelerat ab ipso petiit. Animo repetit mirabilia illa beneficia, populo olim a Jova in itinere ex Aegypto exhibita. אֱלוֹהַּ מִתֵּימָן יָבוֹא *Deus e Themane venit.* Sunt, qui verbum יָבוֹא in Futuro vertant, atque existiment, sequi descriptionem rerum tum temporis futurarum, videlicet subvertendi regni Chaldaici in salutem Judaeorum; hoc quomodo effecturus sit Deus, describere vatem sic, ut imagine poetica utatur, qua et alii vates sacri uti soleant, si divinum auxilium in defensione aut salute populo Judaico praestita celebrare velint, nimirum fingere Deum appariturum in tempestate aliqua horrida, inter fulgura ac tonitrua, conjuncta cum ingenti terrae motu, imbrium et aquarum effusione et inundatione, quam imaginem sumere soleant et vividius effingere poetae sacri ab illa magnifica Dei apparitione in monte Sinai. Sed verissime monet SCHNURRERUS, etsi concedendum sit, poetas hebraicos, ubi adventus Dei vel ad judicium exercendum vel ad salutem praestandam describendus sit, scenam plerumque instituere sic, ut eundem procella, eaque gravissima obvolutum exhibeant; neque illud esse dubium, petitam hanc imaginem esse ex augusto illo horribilique apparatu, quo olim Deus in montem Sinai solemniter descendit; sed hic magnam difficultatem esse in eo positam, quod ex Themane, ex monte Pharan advehi Jehova dicitur, quo quomodo de Deo Chaldaeos petituro praedicari recte possit, vix intelligatur.

Quod autem verbum יָבוֹא in Futuro est positum, inde minime sequi, contineri hic rerum futurarum descriptionem; proxime enim sequentia quum sint praeteriti temporis, etiam יָבוֹא accipiendum esse tanquam praeteritum, ac si scriptum esset hoc modo: בבוֹא אֱלוֹהַּ מִתֵּימָן וְקָדוֹשׁ מֵהַר־פָּארָן כִּסָּה וגו׳. *Theman* urbs fuit Idumaeae, vid. Ezech. 21, 13. Amos 1, 12. Obad. Vs. 9. Male nonnulli hic vertunt *ab austro*. Nam etsi תֵּימָן Jos. 12, 3. 13, 4. Jes. 43, 6. *austrum* denotet, hic tamen certae cujusdam regionis nomen proprium esse, ostendit parallelum וְקָדוֹשׁ מֵהַר־פָּארָן. *Et Sanctus* scil. Israelis (קדוש ישראל Jes. 1, 4.), venerandum Israelitarum numen, venit *e monte Pharan*, qui est inter montem Seir et Sinai, prope Cades in limite Idumaeorum, Gen. 14, 6. Num. 10, 12. 13, 3. 26. Sic *planities Pharan* a monte Sinai tribus distat diebus (Num. 10, 33.), fuitque mons huic planitiei imminens, Ptolemaeo referente, pars et propagatio montis Sinai, a mari rubro Idumaeam et Judaeam versus se porrigens. De voce סֶלָה vid. Prolegg. ad Psalmos. Sententiae illic nobis probatae, significari illa *intermissionem cantus*, ut, cantoribus silentibus, sola organa musica audirentur, non solum patrocinari Syriacum ܣܠܩ *quievit*, *siluit*, verum etiam, quod postea didici, Graeci Alexandrini interpretis auctoritatem, pluribus ostendit J. L. Moshemius in Animadversionibus ad A. Calmeti *Disquisitiones Biblicas* e Gallico teutonice factas T. VI. p. 318. seqq. Videlicet vox *διάψαλμα*, qua Graecus interpres usus est ad exprimendum hebraicum סֶלָה, notat praeter alia, Euthymio Zigabeno teste in Praefatione in Psalmos a Steph. le Moyne edita in *Variis Sacris* T. I. p. 179., *ἀναβολὴν τίνα κρούματος*, *interjectionem quandam pulsationis*, *seu instrumentorum musicorum (musikalisches Zwischenspiel)*. כִּסָּה שָׁמַיִם הודוֹ *Texit coelos gloria* s. *majestas ejus*. הוֹד accipiendum de toto illo magnifico horribilique apparatu nubium, tonitruum, fulgurum, quo Jova utebatur, cum ad montem Sinai accederet, de quo vid. Exod. 19, 16. 20, 18. De eodem illo intelligendum quod additur: וּתְהִלָּתוֹ מָלְאָה הָאָרֶץ *et laude ejus repleta fuit terra*, nam ille nubium, tonitruum, fulgurumque apparatus non poterat non spectatores in admirationem magnificentiae divinae rapere, et horrore Numinis perfundere. Vix dubium esse potest, respicere vatem ad ea, quae in solenni promulgatione legis divinae in Sinai monte evenisse narrantur. Nam talis plane, qualis hic describitur tempestas, observante Schnurrero, „in simili loco, Jud. 5, 4. diserte dicitur ex Seir, ex Edom, id vero est, ex ea coeli plaga, quae Idumaeam spectaret, exorta esse, atque in montem Sinam ingruisse. Formula autem, qua Habacucus utitur, אֱלוֹהַּ מִתֵּימָן בָּא, eadem plane est cum illa Deborae, מִשֵּׂעִיר, מִשְּׂדֵה אֱדוֹם, quod Theman terrae Idumaeae urbs esset primaria, Amos 1, 11. 12. Obad. Vs. 8. 9. Accedit, quod et Moses de eodem illo augustis-

simo spectaculo verba faciens, Deut. 33, 2. Jehovam dicit effulsisse ex monte Pharan, qui trium dierum itinere abest a monte Sinai, Num. 10, 12. 33., et vicinam sibi habet urbem Kadesch, Num. 13, 26., sitam in limite Idumaeorum 20, 16. Commemorat autem vates hancce tempestatem propterea, quod conjuncta illa esset cum maximo honorificentissimoque Dei in populum beneficio, foedere illo Sinaitico, quo Deus rempublicam Israeliticam legibus ordinavit, seque ipsum ducem atque regem populi solenniter declaravit; adeoque hoc vere innuit propheta, Jovam olim in tutelam recepisse populum, arctissimoque secum vinculo conjunxisse."

4. וְנֹגַהּ כָּאוֹר תִּהְיֶה *Et splendor* fulgurum *instar lucis* s. *solis fuit*, tantus erat fulgetrorum splendor, ut solis meridianam lucem aequaret. אוֹר habet h. l. significationem *solis*, ut Job. 31, 26. 37, 21. Jes. 18, 4. תִּהְיֶה, notante Schnurrero, etiamsi Vav conversivum Futuri praefixum sibi non habeat, habet tamen vim Praeteriti, quod valet etiam de verbis, quae sequuntur, וַיֵּצֵא et וַיֵּלֶךְ. Chaldaeus: *et splendor gloriae ejus sicut splendor primigenius apparuit.* Pro נֹגַהּ sunt qui נֹגַהּוֹ legendum existimarent, quum veteres interpretes omnes pronomen hoc adfixum adhibeant. Sed monet Schnurrerus, recte illud abesse, aptissime enim verba reddi: *ein Glanz war's wie der Sonne Glanz*, h. e. ex atris nubibus, quibus obvelatus erat Deus, fulgor prodibat, qualis solet in sole conspici. קַרְנַיִם מִיָּדוֹ לוֹ *Radii e manu ejus* erant *ei*, scil. Jovae, i. e. emicabant ex eo radii. קרנים hic esse *radios*, ut Exod. 34, 29. 30., suadet res ipsa, quum de splendore solis instar sit sermo. Neque obstat, quod dualis usurpari alias solet de iis rebus, quae vel natura vel arte geminae sunt. Nam quum exempla exstent, servari dualem etiam tum, cum numerus duobus major additur, veluti Lev. 11, 23. Jes. 6, 2. Zach. 3, 9., inde colligitur, in ejusmodi nominibus dualem formam locum habuisse etiam in significatione multitudinis. Arabibus quoque قَرْن de *radiis* usurpatur. Chaldaeus: *et scintillae e quadriga gloriae ejus prodierunt.* וְשָׁם חֶבְיוֹן עֻזּוֹ *Et ibi latibulum roboris ejus*, i. e. Jova in eo igne, qui densa caligine circumvallabatur, veluti delitescebat, atque inde robur et potentiam suam fulminibus illis densatis et frequentibus exercebat. Similiter Ps. 18, 12. poeta in describenda tempestate Jovam dicit tenebris uti tanquam penetrali, et tabernaculum habere undique. Chaldaeus: *ibi patefecit majestatem suam, quae abscondita est ab hominibus, cum potentia sublimi.*

5. Persequitur propheta orationem sic, ut proximis Versibus commemoret, Jovam ipsum jam praefuisse Israelitico agmini iter suum persequenti, horrendasque, quoquo venisset, strages edidisse, ut maximas inter vicinas gentes orta esset trepidatio, rerumque perturbatio. לְפָנָיו יֵלֶךְ דָּבֶר וְיֵצֵא רֶשֶׁף לְרַגְלָיו *Ante eum ibat pestis, et egressus est ales ad pedes ejus*, i. e. seque-

bantur eum, presserunt ejus vestigia alites, intellige rapaces et carnivoras. Innuitur caesorum hostium foeda multitudo. Sic Ezech. 39, 17. invitantur volucres rapaces et ferae bestiae ad devoranda cadavera Gogaei exercitus. Vid. ibid. et Vs. 4. et Jer. 7, 33. De nomine רֶשֶׁף vid. not. ad Ps. 76, 4. Chaldaeus id *flammae, ignis* significatu sumsit, vertit enim: *ab ejus conspectu emissus est angelus mortis, et prodiit in flamma ignis verbum ejus.* יֵצֵא לְרַגְלָיו *Egressus est ad pedes ejus*, i. e. eum sequutus est, ut 1 Sam. 25, 42. נַעֲרוֹת הַהֹלְכוֹת לְרַגְלָהּ *ancillae euntes ad pedes ejus*, i. e. quae eam sequebantur.

6. Fingit propheta, Jovam praeeuntem agmini Israelitico gradum sistere in itinere, objectam omnem regionem oculis perlustrare et quasi metiri, animoque secum reputare, quinam tractus et capacior esset, et accommodatior recipiendo suo populo; sed horrendum Numinis obtutum neque homines ferre posse, neque res inanimatas, quocunque ipse convertat oculos, gentes dissipari, montes dissilire, colles subsidere. עָמַד וַיְמַדֵּד אָרֶץ *Stetit et dimensus est terram*, qua nonnulli Canaanem intelligunt, quam dimensus esse Jova dicatur, ut suam cuique tribui partem adsignaret. Sed grandior erit sententia, si totam terram intelligamus. רָאָה וַיְתַּר גּוֹיִם *Vidit et dissolvit gentes*, i. e. solo adspectu gentes ita exterruit, ut fugerent ac sese dissiparent. LXX non male: *διετάκησαν ἔθνη.* וַיְתַפֹּצְצוּ הַרְרֵי־עַד *Et a se invicem dissipati sunt*, s. *dissiluerunt montes aeternitatis*, acterni, i. e. perrupit Deus omnia obstacula, quae vix superanda videbantur. שַׁחוּ גִּבְעוֹת עוֹלָם *Depressi sunt colles perpetui*, i. e. nihil fuit illi invium, omnia contra pervia, aperta atque plana. Montes collesque dicuntur *antiqui* ad augendam rei magnitudinem, ut qui ex hominum memoria eundem locum eandemque formam servassent constanter, inque aeternum servaturi visi essent, nec tamen Jovae adspectum ferre potuerint. Verba quae sequuntur, הֲלִיכוֹת עוֹלָם לוֹ, Chaldaeus vertit: *ejus est mundi potentia.* Sed *mundi* significatum obtinet nomen עולם apud seriores tantummodo Hebraeos, nusquam in V. T. Nec alio sensu illud nomen hic accipi potest, quam eo, quo proxime colles dicti sunt גבעות עולם *colles perantiqui.* Itaque הליכות עולם sunt *itinera antiqua*, id vero est, talia, quae non nunc demum primo tentantur, sed fuere antiquitus peracta saepiusque repetita, adeoque nunc promta sunt et expedita, nec quidquam habent, quod noviter et praeter opinionem accidere possit, ut sensus sit, antiquitus hanc omnem regionem a Jova peragratam, ipsius imperio subjectam, adeoque penitus ipsi cognitam fuisse exploratamque.

7. תַּחַת אָוֶן רָאִיתִי אָהֳלֵי כוּשָׁן *Sub aerumna vidi tentoria Cuschan.* אָוֶן hic notat *malum, aerumnam*, vel *luctum* inde ortum, ut Prov. 12, 21. *non obveniet justo* כָּל־אָוֶן *ulla aerumna*, seu *ullus luctus.* Parallelum est יִרְגְּזוּן *contremuerunt* in altero

hemistichio. כּוּשָׁן nonnulli non diversum existimant a כּוּשׁ. Verum quum כּוּשָׁן nusquam alias pro כּוּשׁ usurpatum reperiatur, atque vates in toto hoc contextu ad certa quaedam facta, quae tempore exitus ex Aegypto et expugnationis terrae Cananaeae evenissent, respiciat (vid. Vs. seq.); equidem nullus dubito adstipulari Hebraeis interpretibus, qui observant, respicere Nostrum ad ea, quae Jud. 3, 8. 10. narrantur de primo Israelitarum oppressore, *Cuschan Rischathaim*, Syriae seu Mespotamiae rege, qui ab Othniele bello fuit superatus, populusque Jovae auxilio ab ejus tyrannide liberatus; hemistichio altero vero, יִרְגְּזוּן יְרִיעוֹת אֶרֶץ מִדְיָן *contremuere aulaea*, i. e. tentoria *terrae Midian*, respici ad ea, quae Jud. 6. et 7. de Midianitis a Gideone devictis leguntur. Quae duae liberationes eo fuere illustriores, quod prior fuit omnium prima, et quidem e manu potentissimi hostis, Mesopotamiae atque Syriae regis, posterior victoria erat adversus immensam hominum multitudinem, et paene sine hominum opera, terrore divinitus in hostes immisso, qui sese mutua caede confecerunt. Has victorias et insignes liberationes, eo adfert et commemorat propheta, ut animum genti suae oppressae et anxiae adderet, fore, ut Deus parem in eorum liberatione potentiam sit exerciturus, si pariter ad ipsum converterentur. Ita Chaldaeus: *quando coluit domus Israel idola, tradidi eos in manum Cuschan sceleratí, sed quando conversi sunt, ut exsequerentur legem, edidi ipsis signa et fortiora facinora, et liberavi eos e manu Midianitarum per Gideonem, filium Joas.* „*Vidisse se* (רָאִיתִי)“ ista dicere poterat, quod animus acti temporis imaginibus adeo totus repletus esset et captus, ut interfuisse rebus gestis sibi ipse videretur propheta.

8. הֲבַנְּהָרִים חָרָה יְהוָה אִם בַּנְּהָרִים אַפֶּךָ אִם־בַּיָּם עֶבְרָתֶךָ *Num in fluvios iratus erat Jova? num in fluvios ira tua accensa erat? num contra mare* etiam exarsit *excandescentia tua?* כִּי תִרְכַּב עַל־סוּסֶיךָ מַרְכְּבֹתֶיךָ יְשׁוּעָה *quod conscendisti equos tuos? currus*, inquam, *tuos* conscendisti *in salutem?* populi tui nempe. Respicit ad diffissum sinum Arabicum et divisum Jordanem, ut transiret populus Hebraeus, ac Jovam tunc dicit conscendisse currus et equitatum suum, quia potentissimum auxilium populo suo tum subministravit; sicuti cum rex aliquis, conscripto exercitu et expedito milite, fert suppetias sociis laborantibus. Ante יְשׁוּעָה subaudienda est particula לְ, ut sensus sit, Deum conscendere equos et currus suos ad ferendam suis opem. Quae hoc Versu commemorantur Jovanae potentiae documenta praecesserunt quidem ea, quae Versu superiore erant commemorata; sed sponte intelligitur, non esse consilium vatis, pristina Dei beneficia populo suo exhibita historice et chronologice enarrare.

9. עָרֵיָה תֵּעוֹר קַשְׁתֶּךָ *Nudus excitatus est arcus tuus*, depromsisti, parasti, intendisti arcum tuum adversus populi tui

hostes. *Suscitari arcus* dicitur, ut Ps. 80, 2, עוֹרְרָה *suscita fortitudinem tuam.* Kimchi תֵּעוֹר interpretatur נִגְלָתָה *nudatus, manifestatus fuit* arcus tuus, i. e. זְרוֹעֲךָ *vis tua, robur tuum*, quasi verbum עוּר significationem mutuaretur ab עָרָה, uti plura verba *mediae* radicalis quiescentis et *tertiae* radicalis quiescentis significationes invicem permutare solent. Ita Jes. 32, 11. est פְּשֹׁטָה וְעָרָה *exue te et nuda te.* Et Jes. 22, 6. וְקִיר עֵרָה מָגֵן *et Kir nudavit*, depromsit *scutum.* Hinc supra 2, 15. מְעוֹרֵיהֶם est *nuditas eorum.* Quod autem *arcus* dicitur *nudatus* respicit ad morem veterum, arcum, dum otiosus est, in theca recondendi, qualis dicta est Graecis *γωρυτός*, Latinis *corytus*, Arabibus autem مِقْوَسٌ et لَحَاقٌ; unde *nudare arcum* idem est ac depromere, quemadmodum Arabibus عُرْيَانٌ *nudus*, usurpatur de gladio stricto, evaginato. שְׁבֻעוֹת מַטּוֹת אָמַר *Jusjuranda tribuum, dictum*, i. e. illa omnia fecisti, ut promissis stares jurejurando confirmatis tribubus, te ipsis terram Cananaeam possidendam daturum esse. Vid. Gen. 15, 18. Ps. 105, 9. Genitivus מַטּוֹת, *tribuum*, objective significat, i. e. jusjuranda *tribubus* populi tui *facta*, ut supra 2, 8. 17. מִדְּמֵי אָדָם וַחֲמַס־אָרֶץ, ad quem loc. vid. not. אָמַר *Verbum*, decretum (ut Ps. 77, 9. Job. 22, 28.), cum praecedentibus per appositionem est connectendum, hoc sensu: ob sermonem promissum ac jurejurando confirmatum tribubus haec omnia fecisti. Ita Chaldaeus: *revelando revelatus es cum potentia tua, propter foedus tuum, quod cum tribubus verbum tuum pepigit in secula ipsis.* Steudel *Archiv* Vol. II. p. 422. verba שְׁבֻעוֹת מַטּוֹת אָמַר sic interpretatur: *jusjuranda* sunt *virgae* i. e. plagae *dicti* scil. divini, i. e. jurejurando populis tibi inimicis poenas te inflicturum esse dixisti (Exod. 23, 22—32. nott. Deut. C. 7.), quare non potes non arcum depromere ad immittenda in hostes tela. מַטּוֹת *virgae*, puniendi instrumenta, Jes. 9, 3. infra Vs. 14., sunt poenae ipsae. Illustrari hunc locum posse censet simili Job. 20, 29., ubi de poenis, quae impios manent, dicitur: וְנַחֲלַת אִמְרוֹ מֵאֵל, quae verba hoc dicere putat: et haec est hereditas, s. portio, quae ei a Deo dicta, destinata est. Verba נְהָרוֹת תִּבַּקַּע־אָרֶץ alii vertunt: *flumina fidisti in terra*, ב ante אָרֶץ subaudito, coll. Job. 28, 10. בַּצּוּרוֹת יְאֹרִים בִּקַּע *in petris fluvios fidit*; alii: *flumina fidisti terram*, i. e. fidisti terram in flumina; ita videlicet, ut fluvii per eam decurrerent, atque sic copia aquae suppeteret populo in locis aridis. Tangi hic plerique existimant historiam, quae refertur Exod. 13, 6. Num. 20, 11., ubi legimus, aquam e petra eductam fuisse, quae exercitum sequuta sit fluminis instar, ac potum populo affatim praebuerit. Quo pertinet et illud Ps. 78, 16. *eduxit fluenta e rupe et descendere fecit ut flumina aquam.* Eodem nostra verba retulit Chaldaeus: *scidisti rupes fortes, et manarunt flumina inundantia terram.* Obvertit

quidem Schnurrerus, illum eventum si spectasset vates, eum pro אָרֶץ ponere צוּר vel סֶלַע debuisse. Nos tamen nobis vix possumus persuadere, poetam philologica *ἀκριβεία* in seligendis vocibus usum fuisse.

10. רָאוּךָ יָחִילוּ הָרִים *Viderunt te*, i. e. cum vim tuam senserint, *contremuerunt montes*, quibus alii reges et principes terrae Canaan significari existimant, alii illud spectari volunt, quod Exod. 19, 18. narratur de monte Sinai in promulgatione legis fumante totoque contremiscente, eo quod Jova in igne ad eum descenderet. Ita Chaldaeus: *in patefactione tua super montem Sinai viderunt gloriam tuam; commoti sunt montes.* Quum tamen eorum, quae in solenni legis promulgatione evenerunt, jam supra Vs. 3. 4. facta esset mentio, nos adstipulamur Schnurreri sententiae, etiamnum sermonem versari in describendo itinere agminis Israelitici per deserta Arabica, duce et rege Jehova. „In eo est vates, ut, quoquo se convertisset Jova, timoris omnia plena facta esse edisserat. Maximi igitur consummatique terroris imaginem ut exhiberet, fingit, naturam adeo universam penitus concitatam fuisse et perturbatam, montes contremuisse, coelo imbres delapsos esse, saeviisse mare turgidum. Quae si singula urgere, atque ad rerum vere gestarum narrationem conferre atque examinare volueris, feceris omnino rem a mente et sensu vatis alienissimam. Neque enim in hujusmodi picturis poeticis singula seorsim quidquam valent, sed sunt omnia conjunctim spectanda, estque rei quasi summa sola tenenda. Verbis רָאוּךָ יָחִילוּ הָרִים terrae motum indigitari, sponte unusquisque intelligit.“ זֶרֶם מַיִם עָבָר *Imber aquarum transivit*, omnia inundavit. עָבַר de aquae vi irruente ac inundante dicitur quoque Jes. 8, 8. et Dan. 11, 10. 40. — נָתַן תְּהוֹם קוֹלוֹ *Edidit abyssus vocem suam*, mare concitatum fragorem edidit. רוֹם יָדֵיהוּ נָשָׂא In *altum manus suas sustulit.* „רוֹם elliptice positum pro לָרוֹם aut בָּרוֹם, et pendet verbum נָשָׂא a nomine תְּהוֹם. *Manus* autem *maris* ex natura hujus loci non possunt esse nisi fluctus tempestate saevientc in altum sublati exaggeratique. Ceterum locus Ps. 77, 17. sqq. habet quidem cum nostro notabilem aliquam similitudinem, potestque ex eo dicendi quasdam formas petiisse Chabacucus; nec tamen alius, quam qui in verbis conspicitur, inter utrumque consensus est; nam Psalmus agit de transitu sinus Arabici, ad quem locus noster nequaquam potest transferri.“ SCHNURRER.

11. שֶׁמֶשׁ יָרֵחַ עָמַד זְבֻלָה *Sol* et *luna stetit* in *habitaculo*, in coelo, quod haud incommode solis et lunae habitaculum dicitur. Historia habetur Jos. 10, 13. *subsistit sol* et *luna stetit donec sese ultus esset populus de inimicis suis.* Et paucis interjectis verbis: *stetit sol in medio coeli, et non festinavit occumbere spatio circiter unius integrae diei.* Chaldaeus: *quando etiam edidisti signa Josuae in planitie Gibeon, sol et luna*

substituerunt in habitationibus suis. וְבִלָּה est dictio penacuta, unde patet, He in fine paragogicum esse. לָאוֹר חִצֶּיךָ יְהַלֵּכוּ *Ad lucem sagittarum tuarum*, Jova, *ambularunt* Israelitae adversus hostes suos, *ad splendorem fulguris hastae tuae. Sagittae Jovae* dicuntur fulmina, ut Ps. 18, 15. 77, 18. 144, 6. — בְּרַק חֲנִיתֶ *fulgur hastae* est ejusdem aciei micans, ut Nah. 3, 3. Respicere videtur poeta ad idem illud quod Jos. 10, 10. 11. narratur, immissis fulminibus et grandine Jovam populi sui hostes delevisse; nam etsi textus meminit tantum grandinis coelitus demissae, tamen quum grandinem comitari soleat aut praecedere turbo, procella cum tonitruis et fulminibus, Noster hic non sine veri specie fulminum facit mentionem. Et sane id diserte memorat Josephus *Antiqq.* L. V. Cap. 1. §. 17., ubi historiam illam narrat: *Illic Deum sibi in auxilium venisse didicit, manifesto indicio, quod tonitrua et fulmina e coelo missa fuerint, et grando deciderit solito major.* Eadem ergo fulmina et fulgetra, quae hostes Israelitarum terrebant et prosternebant in terram, animum Israelitis addebant, eisque veluti praeibant, et quasi praelucebant, ut in procellae illius atque turbinis caligine hostes suos videre atque ferire possent. Hinc Chaldaeus horum verborum sensum sic expressit: *populus tuus verbo tuo praevaluit in robore victoriae potentiae tuae.*

12. בְּזַעַם תִּצְעַד־אָרֶץ בְּאַף תָּדוּשׁ גּוֹיִם *Cum indignatione pervadens terram, eum ira triturabas gentes.* „Verbi צָעַד solemnis usus in eo positus est, ut dicatur de Jehova, universum agmen Israelitarum ducente ac regente, Jud. 5, 4. Ps. 68, 8. אָרֶץ, quod dictum est pro בָּאָרֶץ, regio est inter Aegyptum et Cananaeam terram media, peragrata a populo Israelitico, גּוֹיִם gentes hisce finibus conterminae. *Triturationem*, quae in eo posita erat, ut grana e spicis contererentur, quod effici solebat vel jumentis in frumentum inactis, vel circumacto tribulo, transferri apud Hebraeos ad strages, quibus copiae hostiles conteruntur quasi et comminuuntur, nota res est et pervulgata. Cf. Lowth *de poesi sacra Hebraeorum*, p. 122.“ Schnurrer.

13. יָצָאתָ לְיֵשַׁע עַמֶּךָ לְיֵשַׁע אֶת־מְשִׁיחֶךָ *Exiisti ad salvandum populum tuum, ad salvandum unctum tuum.* „Fuere, qui verterent: *egressus es ad salutem populi tui una cum Uncto tuo*, praeeuntibus Aquila et versionis quintae auctore, qui, teste Hieronymo, habent: *εἰς σωτηρίαν σὺν χριστῷ σου*, nec non Vulgato: *in salutem cum Christo tuo.* Et orationis quidem structura bene fert hanc interpretationem; possis enim ex antecedentibus repetere vocabulum עַמֶּךָ, ut alterum comma eandem sententiam exhibeat quam prius, sed pleniorem illam et magis definitam; cujus generis exempla exstant quamplurima. Sed negari nequit, primo hoc ipsum nonnihil offensionis habere, quod Jova in auxilio suis parando comitem aliquem ac socium sibi adjunxerit; deinde

prorsus incertum ac dubium fore, quemnam socium intelligi voluerit propheta. Fuerunt quidem non recentiores modo, sed antiquiores etiam interpretes, qui *Unctum Dei* putarent esse Jesum, salutis nostrae auctorem, velut auctor Sextae editionis, qui teste Hieronymo vertit: *ἐξῆλθες τοῦ σῶσαι τὸν λαόν σου διὰ Ἰησοῦν Χριστόν σου.* At alienum hoc est ab universi carminis ratione et argumento, in quo nihil est, quod talem sententiam juvare et commendare possit. Malumus igitur cum Dathio משיחך ut synonymum accipere *τοῦ* עמך. Etiamsi enim populus Israeliticus vere unctus haud esset, uncti tamen nomine ornari recte poterat propterea, quod esset ex universa populorum multitudine delectus a Deo ipsique dicatus consecratusque; consecratio autem quum peragi soleret antiquissimis temporibus ungendo, fieri facile potuit, ut permutarentur nomina *Sacri* atque *Uncti*, et hoc de illis etiam usurparetur, qui sacri essent et haberentur, etiamsi locus haud fuisset unctionis solemnitati. Sic Ps. 105, 15. tres primarii Israelitarum patriarchae dicuntur מְשִׁיחַי יְהוָה, *χριστοί*, non quod uncti, sed quod Jovae cari sacrique essent. Ps. 28, 8. מְשִׁיחַ יְהוָה aeque possis de ipso populo intelligere, ac de populi rege. Ebr. 11, 26. *ὀνειδισμὸν τοῦ Χριστοῦ* idem esse ac *τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ λαοῦ τοῦ Θεοῦ* (Vs. 25.), affirmarunt complures iique praeclari interpretes, et est omnino hic significatus loco illi convenientissimus. Quibus accedit hoc, commemorari a Montefalconio veterem aliquem Graecum interpretem, qui מְשִׁיחֲךָ reddidit *τοὺς ἐκλεκτούς σου.*" Schnurrer. Verba מָחַצְתָּ רֹאשׁ מִבֵּית רָשָׁע quidam reddunt: *percussisti caput de domo impii*, i. e. domus impii, nam particulam מִן Hebraeis non minus atque Arabibus Genitivo exprimendo inservire, notum; cf. not. ad Job. 4, 13. Ita *caput* metaphorice erit capiendum de regibus et principibus. Ita Chaldaeus: *delevisti a conspectu eorum* (Israelitarum) *reges et principes e domibus suis.* Indicari autem existimant alii regem Aegyptiorum, qui in mari rubro submersus est, alii Adonizedecum, Jabin, reliquosque Cananaeorum reges, quos ope divina Josua interfecit. Verum recte monuerunt alii, quum locis duobus aliis, Ps. 68, 22. et 110, 6., quibus exstat formula מָחַץ רֹאשׁ, nomen רֹאשׁ proprie et collective dicatur de capitibus hostium, quae victor pedibus conculcat, illud nec hic alio sensu recte accipi posse. Ante מִבֵּית subaudiendum est pronomen אשר, cujus ellipsis, praesertim in stilo ornatiore, frequens est, etiam cum locum nominis recti sustineat, veluti Ps. 81, 6. Jerem. 48, 36. Thren. 1, 14. — רְשָׁעִים, pro quo hic poetice in singulari רָשָׁע positum, non tam malos sceleratosque homines significat, quam tales, qui injusta causa infensi essent Israelitis. Sensus verborum quae sequuntur, עָרוֹת יְסוֹד עַד־צַוָּאר *nudando fundamentum usque ad collum*, obscurus est. Nonnullis interpretibus imago videtur desumta esse ab aedificio, cujus fastigium disjectum, et fundamentum adeo ad ima usque nudatum sit. Sed obstat prae-

cipue vocabulum צַוָּאר *collum*, quod quo sensu tribui possit aedificio, haud facile intelligatur. Alii יְסוֹד de *imis corporis partibus* interpretandum censent, ut pedes sint intelligendi, qui in solo subsistunt, et quibus corpus, ut fundamento domus innititur, adeoque verba nostra ita sint interpretanda: *denudasti imas partes usque ad collum*, i. e. maxima ignominia affecisti hostes, eos vicisti. Qua dicendi forma prophetae aliquoties Dei poenas minantur, vid. Jes. 47, 2. 3. Jer. 13, 22. Ezech. 23, 10. 29. Nah. 3, 5. Sed capitum hostium conquassationi minus apte eorundem denudatio videtur subjici. Quare nos adstipulamur Schnurrero, יסוד de *fundo maris Arabici* intelligenti, quod nudatum erat a Deo remota aqua, ut sicco pede transmigrarent Israelitae, quemadmodum Ps. 18, 16. imum maris ac terrae fundamentum retectum fuisse saeviente tempestate dicitur. עֲרוֹת est Infinitivus positus loco Praeteriti עֲרִיתָ. „Postrema autem verba, עַד־צַוָּאר," inquit SCHNURRERUS, „necesse est elliptice dicta esse, nisi textum ipsum aliqua sui parte truncatum esse dixeris, quam vero suspicionem in antiquis versionibus nihil est quod ullo modo confirmare possit. Elliptica si sint verba עַד־צַוָּאר, sponte legentibus succurrit, dicta ea esse pro עַד־צַוָּארָם יָם, i. e. *mare illos* (רָשָׁעִים) *obruit*, coll. Jes. 8, 8. et 30, 28., ubi inundatio dicitur עַד־צַוָּאר *ad collum usque* pertingere." Admodum breviter atque abrupte hoc dictum esse, nec ipse Schnurrerus diffitetur, neque tamen hoc ipsum dicendi genus a vatis nostri ingenio ac more abhorret. Ceterum cum Schnurrero et in eo facimus, quod sermonem Versu hoc et duobus, qui proxime sequuntur, adhuc in commemorandis rebus in transitu sinus Arabici gestis versari arbitratur. „Neque nos," inquit, „ab hac opinione avertunt, quae contra eandem a Schroedero moventur dubia: nullam sic temporis rationem haberi, neque credibile esse, quod carmen in beneficio, quae ad antiquiora tempora pertineant recensendis subsistat, et quae deinceps, plurium seculorum lapsu, et quae haud ita pridem in maximam populi salutem praestita essent, silentio praetermittat. Haud enim historicum agit propheta, qui res omnes eodem quo gestae essent, ordine recenseat, sed poetam, qui suo quasi jure utitur, legibusque, quibus ille continetur, sese minus adstrictum esse putat; et possis, si ita videatur, in vertendis verbis יצאת, מחצת rel. uti *plusquamperfecto* tempore, quod apud Hebraeos, quibus duo tantum tempora essent, praeteritum complecti satis notum est."

14. נָקַבְתָּ בְמַטָּיו רֹאשׁ פְּרָזָיו *Pertudisti baculis suis caput ducum ejus.* פְּרָזִים non esse *pagos* aut *paganos*, sed *praefectos militares*, *duces*, collato Arabico فرز *discernere*, *statuere*, post Tellerum ostendit SCHNURRERUS ad Carmen Deborae Jud. 5. Vs. 7. *Dissertatt.* p. 47. In illo significatu exprimendo consentiunt quoque veteres omnes. Suffixum in פְּרָזָיו respicere ad רָשָׁע, Versu superiore, quo hostes Israelitarum significari vidimus, vix

dubium esse potest. Illud vero, quod in בַּמַּטָּיו est suffixum, ad עַמֶּךָ seu מְשִׁיחֶךָ est referendum, ut sensus sit: capita ducum Aegyptiorum baculis pertundenda tradidisti populo tuo. „Audax ex formula," inquit SCHNURRERUS, „qua Aegyptiorum in mari Arabico ad collum usque submersorum capita baculis ab Israelitis perforata dicuntur, sed audacior fere, nec tamen ab hac prorsus absimilis illa, quae exstat Ps. 74, 13. 14. *Tu perrupisti vi tua mare, fregisti capita belluarum maritimarum super aqua; tu quassasti capita crocodilorum eaque tradidisti cibum populo, deserticolis.*" Chaldaeus haec verba sic exponit: *scidisti mare virga Mosis et strenuos duces exercitus Pharaonis, qui machinabantur machinationes adversus populum tuum.* יִסְעֲרוּ לַהֲפִיצֵנִי *Irruerunt instar turbinis* hostes *ad dissipandum me*, populum tuum. עֲלִיצָתָם כְּמוֹ־לֶאֱכֹל עָנִי בַּמִּסְתָּר *Quorum exsultatio et gaudium* est *quasi ad devorandum miserum in occulto.* Ad לֶאֱכֹל subaudiendum verbum הָיוּ, quocum conjunctus Infinitivus, ל sibi praefixum habens, periphrasin facit futuri temporis. Haec verba impetum respiciunt ab insequentibus Aegyptiis in Israelitas factum. Cf. Exod. 15, 9.

15. דָּרַכְתָּ בַיָּם סוּסֶיךָ *Calcasti in mari equis tuis*, ante סוּסֶיךָ subaudiendum ב, *equi* autem Jovae tribuuntur eodem sensu ut supra Vs. 8. Chaldaeus: *manifestatus es super mare in quadriga gloriae tuae.* חֹמֶר מַיִם רַבִּים *In luto aquarum multarum* scil. calcasti, i. e. in imo s. fundo maris, et per illud populo tuo viam fecisti. Hebraeorum nonnulli interpretes חמר h. l. capiunt *acervi* significatu, ut Exod. 8, 10., ubi חֳמָרִם חֳמָרִם est *acervatim.* Ita Chaldaeus: *in acervo aquarum multarum.*

16. Jam redit propheta, unde Vs. 2. egressus erat. שָׁמַעְתִּי וַתִּרְגַּז בִּטְנִי *Audivi*, Jova, judicia, quae exercere soles in populi tui hostes, Vs. 2., *et commotus est venter meus*, contremui toto corpore. לָקוֹל צָלְלוּ שְׂפָתָי *Ad vocem* illam tuam, quam audivi, *tinnierunt labia mea*, ita tremuerunt et palpitarunt, ut quasi tinnirent. יָבוֹא רָקָב בְּעַצְמָי *Venit putredo in ossa mea*, ex eodem nimio metu, ex quo vires corpus destituunt, unde collabascit, non secus, ac si ossa, quibus sustinetur, computruissent. Terror artus omnes adeo occupavit enervavitque, ac si ossa tabe essent erosa. Veteres interpretes pro רָקָב raro consensu exprimunt רִגְז *tremor*, ne excepto quidem Chaldaeo. Codicum tamen, qui hodie exstant, nullus רִגְז exhibet. Ceterum haud difficulter intelligitur, quomodo legendi illa varietas orta sit; etenim quum modo praecesserit verbum רָגַז, et mox idem verbum recurrat, facile fieri potuit, ut nomen רִגְז vel calamo librarii subreperet, vel obversaretur animo interpretis. וְתַחְתַּי אֶרְגָּז *Et subter me contremui*, collabascente prae tremore sub se corpore meo. Alii: *in loco suo*, illico, ut 2 Sam. 2, 23. וַיָּמָת תַּחְתָּיו *et mortuus est illico.* Schnurrerus hic constructionem locum habere existimat,

quae dicitur praegnans, ut sensus sit: contremui et in loco meo defixus haereo, ut pedem proferre haud possim. אֲשֶׁר אָנוּחַ לְיוֹם צָרָה *Qui* s. *quod quiescam*, manere debeam, *usque ad tempus calamitatis*, quae qualis sit definit dum addit: לַעֲלוֹת לְעַם יְגוּדֶנּוּ quae verba Schnurrerus observat elliptice posita esse, et hoc modo explenda: לְיוֹם עֲלוֹת לָעָם אֲשֶׁר יְגוּדֶנּוּ *ad tempus*, *quo imminebit contra populum* meum *qui eum invadet*. Verbum עָלָה alias quoque usum habet militarem, et de expeditione bellica dicitur, 1 Sam. 7, 2. 2 Sam. 5, 17. 19. Jer. 50, 3. — יְגוּדֶנּוּ, vel, usitatiore scribendi ratione, יְגֻדֶּנּוּ, est a גָּדַד *turmatim invadere*, cf. Gen. 49, 19. Chaldaeus hoc Versu hostium populi Hebraei verba contineri existimat: *dixit Babel: audivi et commoti sunt reges propter judicium, quo judicati sunt Aegyptii; a voce sermonum illorum tremuerunt labia mea; invasit tremor sapientes, et in loco quo manebam, commota sum, quod reliquisset me in diem angustiae, quo tempore ascendet transmigratio populi mei ex me, conteret me.*

17. Quae Versu superiore breviter dicta erant de tempore calamitoso deque vastitate ab hoste Chaldaeo patriae inducenda, copiosius nunc ob oculos quasi ponuntur. כִּי־תְאֵנָה לֹא־תִפְרָח וְאֵין יְבוּל בַּגְּפָנִים *Nam* veniet tempus, quo *ficus non florebit*, i. e. non erumpet grossis, neque enim *flores* ficus, ut ceterae arbores, sed grossulos emittit, *nec* erit *proventus in vitibus*, nullae in iis uvae provenient. כִּחֲשׁ מַעֲשֵׂה־זַיִת *Mentietur*, spem fallet, *opus* s. fructus *oleae*. Sic apud Horatium *spem mentita seges*. Eodem sensu verbum כִּחֵשׁ legitur Hos. 9, 2. — וּשְׂדֵמוֹת לֹא־עָשָׂה אֹכֶל *Et arva non ferent cibum*, fruges, ut Joel 1, 16. et וַתַּעַשׂ הָאָרֶץ *fecit terra* pro *protulit* dicitur quoque Gen. 41, 47. Constructio est, qua nomen plurale femineum, שְׂדֵמוֹת, junctum sibi habet verbum singulare masculinum. גָּזַר מִמִּכְלָה צֹאן *Excisum erit e caula pecus*. Verbum גָּזַר, quod transitivum usum habere solet, ponitur hic intransitive vel impersonaliter. Alii: *abripuit* scil. hostis vel pabuli defectus. וְאֵין בָּקָר בָּרְפָתִים *Et nullum armentum* supererit *in bubilibus*. De voce רֶפֶת, hoc solo loco obvia, vid. Bochartı *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 31. T. I. p. 309. edit. Lips.

18. Jam animum viresque resumit propheta, Dei unius praesidio fretus, certissimusque, effecturum esse Jovam, ut ipse pericula evadat, inque tuto loco collocatum se esse sentiat. Loquitur autem in nomine pii cujusque e populo. Quamvis, inquit, gravissimae calamitates me maneant, tamen non dabo me tristitiae, וַאֲנִי בַּיהוָה אָעֱלוֹזָה אָגִילָה בֵּאלֹהֵי יִשְׁעִי *sed ego in Jova exsultabo, tripudiabo in Deo salutis meae*, spe laetissima recreor fretus promissis Dei illius, qui mihi salutem praestare potest et certissime praestabit. Eodem nomine Jova nuncupatur Jes. 17, 10. Mich. 7, 7.

19. יְהוִה אֲדֹנָי חֵילִי וַיָּשֶׂם רַגְלַי כָּאַיָּלוֹת *Deus Dominus* est *robur*, praesidium *meum*, *qui ponet*, reddet *pedes meos instar*

cervarum veloces, ut alacriter et sine fatigatione currens evadam pericula. וְעַל־בָּמוֹתַי יַדְרִכֵנִי *Et supra excelsa mea*, i. e. quae me servent, *incedere me faciet*, me deducet. Desumta haec sunt e Ps. 18, 34., unde etiam nata est quaedam lectionis varietas, codicibus nonnullis loco יַדְרִכֵנִי habentibus יַעֲמִידֵנִי, quoniam librariis in animo obversaretur formula illa Davidica. „*Cerva* postquam peperit," inquit BOCHARTUS *Hieroz.* P. I. L. III. C. 17. T. II. p. 255. edit. Lips., „hinnulos statim a matre deduci ajunt in loca praerupta et confragosa, unde invasores arcere suevit, saltumque demonstrat. Vid. Aristotelis *Hist. Animal.* L. VI. C. 29. Atque haec sunt בָּמוֹת *excelsa loca*, ad quae se, cervorum instar, a Deo deductos, et in iis tanquam in tuto collocatos dicunt Davides et Habacucus." Verba postrema, לַמְנַצֵּחַ בִּנְגִינוֹתָי, veteres interpretes ad ipsum carminis contextum referunt. LXX: *τοῦ νικῆσαι ἐν τῇ ᾠδῇ αὐτοῦ.* Hieronymus: [*et super excelsa mea ducet me*] *victor in Psalmis canentem.* Syrus: *ut canam laudes ejus.* Chaldaeus: *cui sunt victoriae et virtutes, proinde coram eo ego fides pulso cum hymno meo.* Hos e recentioribus sequitur Dathius, qui vertit: *ut meis carminibus eum laudare possim*, adscita lectione לְנַצֵּחַ, et adhibita significatione *laudandi* et *celebrandi*, quam in Syriaca lingua habeat verbum נצח. Cui sententiae tamen scite opposuit Schnurrerus, primo extra dubitationem non esse positam, quae verbo Syriaco tribuitur *laudandi* significatio, deinde, duriorem videri omissionem pronominis אותו. Schroederus existimat, verbis למנצח בנגנותי describi formulam musicam, quae, ut alias sit in fronte carminis posita, veluti Ps. 4. 6. aliisque, ad calcem quoque reponi potuerit. Sed quum sentiat, minus commodum esse suffixum primae personae, haud alienus est a lectione בִּנְגִינוֹתָיו, quam Alexandrinus et Syrus expresserunt. SCHNURRERUS similiter putat, clausulam facere illa verba, quae ad contextum sermonem haud pertineat; in hoc enim si incidisset vates, celebraturum semet esse carminibus suis Jovam, non videri rem tam paucis absolvere potuisse. „Sed," inquit, „ut a recepta lectione recedamus, permovere nos hic non potest auctoritas veterum, quos dixeris magis loco qualitercunque perfungi, quam justam et accuratam formulae hebraicae versionem dare voluisse. Nobis sic videtur. Sunt codices haud pauci, qui defectivam scriptionem exhibent בנגינתי; possis hanc pronuntiare בִּנְגִינָתִי, ut Jod nunc non sit pronomen, sed mere paragogicum, ut Thren. 1, 1. רַבָּתִי pro רַבָּה, adeoque בִּנְגִינָתִי plane idem sit cum עַל־נְגִינַת Ps. 61, 1. At postrema haec verba non magis putamus ipsius prophetae esse, quam quae in fronte carminis posita sunt; quapropter et de his non videtur esse magnopere laborandum." De vocibus לַמְנַצֵּחַ et נְגִינוֹת vid. Prolegg. ad Psalmos.

IN ZEPHANIAM PROOEMIUM.

Zephanias, filius Chusi, nepos Gedaljae, abnepos Amariae, filii Hiskiae, gente non ignobili ortus videtur, quum non solum pater illius, verum etiam avus, proavus et abavus memorentur. Quin imo ob Hiskiae nomen inter majores suos commemoratum adeo magnifice de vatis nostri gente cum aliis Judaeis sentit Aben-Esra, ut Hiskiae, regis Judae, abnepotem censeat; quod in medio relinquit Davides Kimchi, facilius autem sibi persuadet Huetius (*Demonstrat. Evang.* Propos. IV. p. 512. edit. Lips. Nec alienus ab ejus sententia est Eichhorn *Isagog. in V. T.* P. III. p. 299. edit. sec.), quod et tempora apte conveniant, et alia vix cogitari possit causa, cur non pater solus Zephaniae sit appositus, sed explicata praeterea stemmatis serie genus ab hoc capite, contra scriptorum sacrorum prophetarumque omnium morem sit repetitum, quam ut clarissimo et sanctissimo parente prognatum fuisse prophetam appareret. Verum ipsa illa temporis ratio, quam pro se facere opinatur Huetius, ipsius sententiae obstare videtur. Ab Hiskia rege enim ad Josiam, cujus tempore vaticinatus est Zephania, non nisi tres sunt generationes; ab abavo autem suo Hiskia quarta jam generatione distat Noster. Nec alius, praeter Manassen, filius in veterum Hebraeorum monumentis historicis memoratur (vid. 2Reg. 20, 21. 21, 1.). Quum Hiskiae nomen pluribus inter veteres Hebraeos hominibus esset commune, simile veri non est, Nostrum *regis Judae* appellationem, quam alias adjicere solent scriptores Hebraei, hic omisisse, si ex illo genus traxisset.

Zephaniam sua oracula regnante in Judaeos Josia edidisse, diserte testatur libri inscriptio, quam a vate ipso profectam esse,

non est cur dubitemus. Quum autem Josias XXXI annis regno praefuerit, disceptatum magnopere est inter viros doctos, num sub regni primordiis, et antequam sacra repurgare rex pius incepisset decimo octavo imperii anno, an vero post restauratum cultum Jovanum Zephania quae hoc libro continentur cecinerit? Quod ita eruere conabimur, ut indagemus et exploremus quae vaticinia ipsa passim offerunt temporis, quo sunt edita, indicia (Quam in rem quum subtilius aliis interpretibus inquisiverit Dan. a Coelln in *Spicileg. Observatt. exeget. criticar. in Zephan. vaticinia*, Vratislav. 1818. 4. p. 6. sqq. eum ducem sequimur). Atque ea quidem religionis in regno Judaico statum exhibent eum, quo superstitio institutaque majorum perversa de imperio certarent cum veneratione Jovae pura moribusque integris et emendatis. Inde ritus peregrinos vides mixtos cum religione avita, pios et modestos Jovae cultores cum impiis, suis opibus elatis et fretis, detestandi cultus Baalitici reliquias (1, 4.) cum castioris venerationis initiis. Inde adorantes in tectis signa coelestia, et jurantes per Jovam additis deastrorum nominibus (1, 5.), sacerdotes Jovae constitutos remanentibus simul Baalis sacrificulis, idolorum simulacra nondum deleta (1, 3.), templum frequenter adeuntes, sed ritu profano, praecepta divina quotidie populo exposita, sed leges simul vitiatas a sacerdotibus (3, 4.). Jam libri Chronicorum tres regni Josiani distinguunt periodos, 2 Chron. 33, 4 — 7. *Primam* ad *duodecimum* usque *annum*, qua, etsi ipse rex addictus esset religioni Jovanae, cultus tamen peregrini eodem quo a majoribus instituti erant modo remanebant. Hac itaque tempestate, vigente adhuc idololatria, sermo nec esse poterat de *reliquiis Baalis* (1, 4.), nec de legibus Jovae populo quotidie ante oculos positis, nec denique de sacerdotibus praecepta divina subtrahentibus, quae scilicet omnia religionis emendandae initia jam facta respiciunt. *Alteram* ab anno *duodecimo* ad *decimum octavum*, qua, postquam idolis delendis manus admovisset rex pius, magna quidem Judaeorum pars ad castiorem reverteret cultum, nec tamen non reliquiae quaedam cultus Baalitici

superessent. Josiae enim renovandae theocratiae studium primo quo effervesceret tempore non impedire poterat, quo minus cultus, quem reducebat, purior, ritibus deformaretur peregrinis et superstitione admixta. Qualem religionis statum oraculis Zephaniae adumbratum deprehendimus; nec is diversus est ab eo, qui conspicitur in Jeremiae vaticiniis ad Josiae regnum pertinentibus, quorum unum, quod tempus in titulo habet notatum 1, 1 — 19., anno Josiae *decimo tertio* tribuitur, reliqua, hoc regnum spectantia, annum Josiae *decimum octavum* non possunt excedere, veluti oraculum 11, 1 — 17. Talem autem religionis statum etiam per *tertiam* regnantis Josiae periodum, ab anno *decimo octavo*, quo cultus restitutus est, ad finem regni, ne invaluisse putemus, verba vetant 2 Chron. 34, 33.: *abstulitque Josias abominanda idolorum sacra ex omni Israelitarum regione, ita ut cunctos qui invenirentur in terra Israelis colere faceret Jovam, deum eorum, rege vivente non defecerunt a Jova, deo patrum.* Fieri utique non poterat, ut tali aetate cultus Baalitici reliquiae, peregrini ritus, legum depravatio, Baalis sacrificuli et simulacra deastrorum in ipsa Hierosolyma, sub oculis quasi regis Jovae maxime addicti, conspicerentur. Quibus perpensis verisimillimum videtur, Zephaniae quae supersunt oracula edita esse *annis Josiae mediis*, inter coeptam videlicet et perfectam sacrorum emendationem. Cui tempori apprime convenit quod vates populis quibusdam Hebraeis tunc inimicis, Assyriis, Philistaeis, Ammonitis, Moabitis et Cuschaeis, cladem et interitum minatur, qui illa aetate, cum jam volverentur magnae rerum Asiaticarum mutationes, nondum quidem perspicue cognosci, nihilo tamen minus conjectura poterat attingi a mente provida et sagaci. Illarum gentium interitum Noster vero in universum tantum praedicit, nec a quonam populo exercituumve duce exitium illis afferendum sit, praesignificat. Eandem generalem vaticinandi rationem recte observat A Coelln deprehendi in Jeremiae oraculis iis, quae Zephaniae sunt aequalia; et in reliquis, cum fata jamjam instarent, editis, Chaldaei cum Nebucadnezare, duce, expressis verbis indicantur.

Libri hujus vaticinii argumentum versatur cum in acerba vehementique scelerum exprobratione, tum in gravi imminentis urbi totique regno Judaico vastationis comminatione, ita tamen, ut, pro more prophetarum, suavissimas promissiones de regno Jovae egregie instaurando subnectat, quibus piorum illius cultorum animi erigerentur. Hoc autem ordine procedit vates, ut primo feralem illam ac ultimam denuntiet cladem populo adeo jam contumaci, ut nullum amplius resipiscentiae jam daret locum. Deinde temperat minas istas, dum hostibus quoque, tam Assyriis, quam reliquis, divinam minatur vindictam, quod adeo crudeliter habuissent populum Judaicum. Hinc objurgationes repetit, et strictim scelera percenset, quae inter Judaeos tunc regnabant. Postremo, conversa ad pios oratione, spem eis facit temporum felicissimorum, quibus Jova populo Judaico emendato atque a sceleribus repurgato nomen laudemque conciliaturus sit inter omnes orbis terrae populos.

Stylo utitur Zephanias plano ac simplici, neque ad Jesajanae aut Habacucianae orationis elegantiam, gravitatem atque sublimitatem assurgit. Cum Jeremia, aequali suo, et universam sermonis faciem, et singulas adeo dictiones ac loquendi formulas communes habet (vid. e. c. Zeph. 1, 5. coll. Jer. 8, 2. et Zeph. 1, 12. coll. Jer. 48, 11.). Ezechiel aliquoties Nostrum est imitatus (vid. 1, 18. coll. Ez. 7, 19. Zeph. 3, 4. coll. Ez. 22, 26.).

ZEPHANIAS.

CAP. I.

Argumentum.

Judaeis impiis nefandisque deditis superstitionibus gravissima denuntiat supplicia, patriae telluris vastitatem, atque totius reipublicae interitum.

1. Nominis צְפַנְיָה ἔτυμον quod attinet, alii illud ad verbum צָפָה *speculari* referunt, quod propheta a Jova velut *in specula constitutus* populum de sperandis vel metuendis praemonuerit, unde prophetae *vigiles* aut *speculatores* (צוֹפִים) dicuntur Ezech. 3, 17. Jes. 21, 6. 8. Habac. 2, 1. Alii a צָפַן *abscondidit*, *delituit* Nostrum dictum existimant, quod *abscondita*, *arcana Jovae revelaverit*. Hillerus in *Onomast. S.* p. 312. 471. צפניה interpretatur *abscondidit se*, s. *delituit Jova*, quo, velut symbolo, temporis, in quod Noster incidit, characterem delineari quidam existimarunt. Neque enim arbitrio aut voluntate parentum, sed divina providentia ejusmodi nomina prophetis esse indita, quae cum ipsorum fatis et rebus gestis convenirent, observavit Abarbenel Praefat. in Ezech. f. 133. d. Verum quum Noster commune habuerit nomen cum pluribus aliis Judaeis, veluti cum Levita quodam 1 Chr. 6, 21., cum sacerdote plus quam uno circa tempus exilii Babylonici, 2 Reg. 25, 18. Jer. 21, 1. 29, 25. 29. 37, 3. 52, 24., vid. et Zach. 6, 10. 14.; non est, cur in hoc nomine arcani quid quaeramus. Quod autem illius significationem attinet, nos quidem haud dubitamus, rectum vidisse Simonis, qui in *Onomast. V. T.* p. 544. 494. צפניה notare ait quem *abscondidit*, i. e. custodivit *Jova*. De Jova homines custodiente dicitur verbum צָפַן Ps. 27, 5. 83, 4. De *Hiskia*, qui in Nostri stemmate memoratur, vid. quae in Prooemii initio diximus. Vaticinatus esse Noster dicitur בִּימֵי יֹאשִׁיָּהוּ בֶן־אָמוֹן מֶלֶךְ יְהוּדָה *in diebus Josiae*, *filii Amon*, *regis Judae*, cujus tempora 2 Reg. 22. 23. et 2 Paral. 34. 35. describuntur.

2. אָסֹף אָסֵף כֹּל *Auferendo auferam omnia.* Verbum אָסַף, quod proprie *colligere* notat, haud raro *auferre* valere, quod, quae colliguntur, e. c. fruges, domum vel alio *auferuntur* (cf.

Deut. 16, 13. Exod. 23, 16.), notum. Jarchi: „Verbum אָסַף h. l. significatum obtinet *consumtionis*, s. *perditionis*, ut Jud. 18, 25. וְאָסַפְתָּה *et perdas animam tuam* [cf. Ps. 26, 9. et quae ibi notavimus]. Elisum autem est h. l. in verbo secundo [אָסַף] Aleph, nam scribi debuisset אַאֲסֵף, ut Jes. 13, 20. יָהֵל pro יֹאֲהֵל *tentorium figet.*" Sunt, qui אָסֵף pro forma Hiphil verbi סוּף *deficere*, *consumere* habeant, coll. Jer. 8, 13. אָסֹף אֲסִיפֵם *auferendo consumam eos;* sensu parum aut nihil differente. Aut miscentur duarum cognatarum radicum, סוּף et אָסֹף, significationes. כֹּל *omnia* auferenda sive consumenda esse a terra minatur propheta, id est, neminem vel ab interitu, vel oppressione fore immunem. Nisi forsan vox *omnium* ad decem tribus Israelis jam abductas respiciat, ut innuatur, nulli amplius tribui Deum parciturum, sed totum jam populum abducendum esse. מֵעַל פְּנֵי הָאֲדָמָה *A facie terrae* scil. Judaicae, ad quam hae minae diserte restringuntur, Vs. 4. Cf. 1 Reg. 9, 7. *exscindam Israelem e terra, quam eis dedi.* Illam vero suam comminationem eventu non carituram, sed certissime implendam, docet vates non solum verbo bis repetito (אָסֹף אָסֵף), verum et addita formula vatibus Hebraeis cum maxime familiari, נְאֻם־יְהוָה *dictum Jovae*, ostendens, se non suis, sed Dei verbis loqui, cujus dicta eventu nunquam carent.

3. Generalem comminationem exaggerat per *μερισμὸν*, animatis et inanimatis, ratione praeditis et ea destitutis interitum praedicens. אָסֵף אָדָם וּבְהֵמָה אָסֵף עוֹף־הַשָּׁמַיִם וּדְגֵי הַיָּם *Auferam homines et bestias, auferam volucria coeli et pisces maris.* Iisdem fere vocibus extremam terrae solitudinem et devastationem describunt Hoseas 4, 3. et Jeremias 4, 25. 9, 9. De אָסֵף vid. not. ad Vs. 2. — וְהַמַּכְשֵׁלוֹת אֶת־הָרְשָׁעִים *Et offendicula* scil. auferam *cum improbis.* Cum plerisque interpretibus אֶת sumimus h. l. pro *cum*, *σὺν*, quum et Matth. 13, 41. scandala una cum impiis memorentur (*συλλέξουσιν ἐκ τῆς βασιλείας αὐτοῦ πάντα τὰ σκάνδαλα, καὶ τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν*). *Offendicula*, מַכְשֵׁלוֹת, vocat deos falsos, quod occasio sunt ruinae eorum, qui ipsos colunt, „ut apud Ezech. 14, 3. מִכְשׁוֹל עֲוֹן *causa peccandi*, respondente גִּלּוּלִים, dicuntur idola. Solent enim vates idola vocibus impropriis, contumeliosis denotare, ut בֹּשֶׁת *pudor*, Hos. 10, 10. Jer. 3, 24. 11, 13., שִׁקּוּץ *abominatio*, Jer. 4, 1., חֶבֶל *vanitas*, 2, 5., מוֹרֶה שֶׁקֶר *mendacii doctor*, Habac. 2 18." a Coelln. Sensu cum hisce minis convenit Levit 26, 30. *cadavera vestra stercoreorum deorum vestrorum cadaveribus superingeram.*

4. וְנָטִיתִי יָדִי עַל־יְהוּדָה *Extendam manum meam super Juda*, i. e. ut recte Chaldaeus explicavit, *elevabo percussionem potentiae meae in hominem Judae.* Metaphora ab elevatione manus flagello vel gladio armatae, quae in percussione fieri solet, desumta est. Hinc ea phrasis locis pluribus aliis de Jova poenas

irrogante usurpatur, veluti Exod. 15, 12. Jes. 5, 25. 14, 27. Jer. 51, 25. Ezech. 6, 14. 14, 8. 16, 27. 25, 7. 35, 3. *Judae* nomine Noster comprehendit etiam Benjamin, quae duae tribus solae tunc restabant, reliquis decem in Assyriam abductis. וְהִכְרַתִּי מִן־הַמָּקוֹם הַזֶּה אֶת־שְׁאֵר הַבַּעַל *Et exscindam ex hoc loco reliquias Baalis*, cultus Baalis residua, aras videlicet et simulacra. „*Reliquias* illas latentes, quas Josias, quamquam multum connisus, auferre non potuerat.“ Grotius. De *Baale*, Chaldaeis *Bel* dicto, et Phoenicibus, Assyriis ac Babyloniis culto, vid. not. ad Hos. 2, 7. et 15. Idoli illius insano cultui pertinacissime inhaerebant Judaei, quidquid etiam rex pius, Josias, ad cultum Jovanum restituendum moliretur. Vid. quae de illius studio cultum superstitiosum tollendi pluribus narrantur 2 Reg. 23, 5. sqq. אֶת־שֵׁם הַכְּמָרִים *Nomen* adeo ipsum, memoriam *sacrificulorum* exscindam. De כְּמָרִים vid. not. ad Hos. 10, 5. עִם־הַכֹּהֲנִים Una *cum sacerdotibus*. Intelliguntur vel idolorum, vel Jovae sacerdotes. Si falsorum deorum sacerdotes significantur, erit haec vox pro interpretatione prioris habenda, vel indicatur ea certum aliquod genus illorum, qui sacra idolis operabantur. Nil tamen obstat, quo minus Jovae sacerdotes intelligamus, quorum vitia et infra 3, 4. et a Nostro taxantur, et ab ejus aequali, Jeremia, pluribus locis, veluti 2, 8. 23. 7, 29. 11, 13. 17. „*Sacerdotes* vocat eos, qui ex stirpe erant Aaronica, sed clam idolis operam dabant. Ezech. 8, 7. sqq. 22, 6. 44, 10.“ Grotius. Chaldaeus: *et nomen colentium ea* (idola) *cum sacrificulis suis*.

5. וְאֶת־הַמִּשְׁתַּחֲוִים עַל־הַגַּגּוֹת לְצְבָא הַשָּׁמָיִם *Et* exscindam *qui sese prosternunt super tectis exercitui coeli*, astrolatros notat, qui astris in tectis, quae pro more Orientalium plana erant, sacra faciebant, 2 Reg. 23, 12. Jerem. 19, 13. 32, 29. — וְאֶת־הַמִּשְׁתַּחֲוִים הַנִּשְׁבָּעִים לַיהוָה וְהַנִּשְׁבָּעִים בְּמַלְכָּם *Et sese prosternentes jurantes Jovae*, *et* simul *jurantes per regem* et *deum suum*, quem mihi adsociarunt. Orationis concitatioris est, qualem affectus irae requirit, quod voces המשתחוים atque הנשבעים uno eodemque Versu repetuntur. Verbum נִשְׁבַּע metonymice et synecdochice totum designare potest cultum. Is enim, per quem juramus, habetur *καρδιογνώστης* atque humanarum actionum judex, unde sibi soli Jova hunc honorem vindicat Deut. 6, 13. 10, 20. Verum recte observavit Drusius *Observatt.* L. IX. c. 10., phrasium advertendam esse differentiam, aliud esse נִשְׁבַּע cum ל, aliud cum ב constructum, illud esse *jurare Deo*, solenni fidei ac obedientiae promissione se ei devovere, Ps. 132, 2. 2 Chron. 15, 14. Jes. 19, 18.; hoc vero, *jurare per Deum*, testem eum invocare veritatis. Itaque Judaei jurejurando sese Jovae adstrinxerant, ipsique devoti erant, verum rupto foedere nunc jurant *per regem suum*, i. e. per simulacrum, quod pro rege suo atque deo habent, cf. Amos 5, 26., atque hoc modo cultum Jovae cum

idolorum cultu conjungunt, quod ipsum Israelitis exprobrat Elias 1 Reg. 18, 21. *Quousque in utrumque crus claudicastis? Si Jova est Deus, hunc sequimini; si vero Baal* est Deus, *hunc sequimini.* Quidam per מַלְכָּם *Molochum*, Ammonitarum Deum, 1 Reg. 11, 7., qui et מִלְכוֹם dicitur, ibid. 5. 15. 33. 2 Reg. 23, 13., h. l. intelligunt. Sed vere monet A COELLN (p. 8. not.), nomen מֶלֶךְ, מֹלֶךְ, non Ammonitarum idolo proprium, sed cum aliis diis fictitiis commune fuisse videri, imo cum ipso Baale, in Phoenicorum numis literis מ׳ בעל i. e. מֶלֶךְ בַּעַל indicato. Baal vero potius quam Molochus h. l. intelligendus videtur, quod de illius cultu sermo fuit in iis, quae proxime praecedunt. Recte Chaldaeus exponit: *et adoratores qui jurant per nomen Jovae, revertentes ut jurent per nomen idolorum suorum.*

6. Postcaquam vates Judaeos speciali crimine idololatriae accusasset, in genere jam reliquorum omnium peccatorum ipsos reos agit, exscindendos illos quoque minatus, אֶת־הַנְּסוֹגִים וגו׳ *qui a Jova recedunt*, et peregrinorum deorum cultum persequuntur (cf. Jes. 42, 17.), *nec Jovam investigant, nec quaerunt eum*, qui Jovam plane non curant. De vi phraseos *Jovam requirere* cf. not. ad Ps. 14, 2. et Hos. 10, 12.

7. הַס מִפְּנֵי אֲדֹנָי יֱהוִה *Sile a facie Domini Dei*, metu religioso Deum, impietatis vindicem, revereamini, vid. not. ad Habac. 2, 20. LXX et hic: *εὐλαβεῖσθε.* Chaldaeus: *consumamini omnes impii a facie Jovae Dei.* Eodem hoc modo hanc phrasin reddit quoque Chaldaeus Zach. 2, 17. — כִּי קָרוֹב יוֹם יְהוָה *nam propinquus est dies Jovae*, imminet illud tempus, quo de vobis supplicium sumet Jova. De יוֹם יְהוָה cf. not. ad Ezech. 30, 3. Vid. et Jes. 13, 6. — כִּי־הֵכִין יְהוָה זֶבַח *Nam praeparavit Jova mactationem*, i. e. epulas, convivium ex mactatis animalibus, quomodo זֶבַח Gen. 31, 54 Prov. 17, 1. Ezech. 39, 17. sumitur, ad quem loc. cf. not. Chaldaeus: *praeparavit Jova caedem* improborum. Eodem sensu dicit Jesajas 34, 6., *fore Jovae caedem* (זֶבַח) *in Bosra, et mactationem magnam* (טֶבַח גָּדוֹל) *in terra Edom.* Cf. et Jerem. 46, 10. — הִקְדִּישׁ קְרֻאָיו *Sanctificavit vocatos*, invitatos *suos*, i. e. hostes ad poenas exsequendas advocatos, sicut ad epulas invitari solent homines. Chaldaeus: *convocavit praeparatos* s. invitatos *suos.* הִקְדִּישׁ h. l. est *destinavit*, quia quod ad aliquid destinatur a reliquis segregatur. Ita dicitur Jer. 12, 3. de impiis ad diem occisionis destinatis, et ibid. 22, 7. Nisi fortasse h. l. respectu habito ad nomen זֶבַח, quod et de *victimis* usurpari constat, Noster verbo הִקְדִּישׁ alludat ad sacra convivia, quae post sacrificia celebrari solebant, ad quae qui invitati erant sese decenter componere debebant. *Invitatis a Jova* (קְרֻאָיו) nos antehac indicari existimavimus feras bestias avesque rapaces, quas ad devoranda occisorum improborum cadavera invitarit Jova, moti loco simili

Ezechielis 39, 17. *Dic avibus omnibus ablatis, omnibusque bestiis terrestribus: convenite et adeste, coite undique ad meum sacrificium, quod ego vobis, ingens sacrificium, in Israeliticis montibus sacrifico, et carnem comedetis, potabilisque sanguinem.* Nunc tamen magis congruere videtur, *invitatis a Jova* intelligere hostes, cum THEODORETO, qui τοὺς πολεμίους explicat, et HIERONYMO, qui „potest," inquit, „hoc quod dicit *sanctificavit vocatos suos* de Babyloniis accipi, quos in ultionem populi sui etiam servos suos vocat, vindicantes injuriam suam. *Vocavi*, inquit [Jer. 25, 8.], *Nabuchodonosor servum meum.*" Consentit ABARBENEL: *Invitati* sunt hoc loco Nebucadnezar et Chaldaei, quorum exercitum praeparavit Deus, ut venirent contra Hierosolymam et vindictam sumerent ab istis transgressoribus. Etenim vates, bene observante A COELLN (p. 26. , respiciens ad epulas cum sacrificiis junctas, ad quas vocat (קְרֻאִים 1 Sam. 9, 13. 22.), antea erant rite initiandi (קִדֵּשׁ 1 Sam. 16, 5.), poenas quidem sacrificii imagine, hostes autem, poenarum exsequendarum auctores, accommodate ad hanc imaginem, sub vocatorum ad epulas sacrificales sistit similitudine, adnuente usu loquendi, ut enim verbum קִדֵּשׁ primum de initiatione, deinde de *copiis parandis* dicitur Jerem. 22, 7. 51, 27. Jes. 13, 2., ita etiam קָרָא primum de vocando ad epulas, deinde de *hostibus* occurrit *accersendis* Jer. 1, 15. Jes. 13, 2.

8. וְהָיָה בְּיוֹם זֶבַח יְהוָה *Fietque die mactationis Jovae*, i. e. meae; loquitur enim Jova ipse, ut ex iis, quae statim sequuntur, patet. Nomen igitur loco pronominis, ut Thren. 3, 66. Num. 10, 29. וּפָקַדְתִּי עַל־הַשָּׂרִים וְעַל־בְּנֵי הַמֶּלֶךְ *Animadvertam in principes*, proceres, in quorum scelera infra 3, 3. invehitur, *et in filios regis*, quibus scite monente A COELLN (p. 15.), duo regis Josiae filii, Joahas et Eljakim, quos tunc huic regi fuisse constat ex 2 Reg. 23, 31. 36. coll. 22, 1., non incommode possunt, imo debent intelligi, etiamsi illi hac aetate nondum ex ephebis excesserint. „Dira enim fata, familiae Davidis ex Numinis decreto 2 Reg. 20, 18. 21, 13. imminentia, Josias quidem rex pietate et observantia erga Deum a semet ipso averterat; sed eadem manebant non minus filios ejus exitio consecratos. Quod quum non obscure innuisset oraculum Huldae 2 Reg. 22, 20. 2 Chron. 34, 28., Noster apertius indicaturus h. l. expressis indicit verbis. Quidni verbis, quae essent in fatis, propheta pueris etiam infantibus praedixisset? Cujus cum effato apprime convenisse eventum, manifestum erit evolventi 2 Reg. 23, 33. 24, 1—4. 25, 7." וְעַל כָּל־הַלֹּבְשִׁים מַלְבּוּשׁ נָכְרִי *Et in omnes, qui induti sunt vestimento peregrino*, quo nonnulli eas vestes intelligunt, quibus utebantur idololatrae in cultibus idolorum, Chaldaeum sequuti, qui verba nostra ita explicat: *et ad omnes, qui perstrepunt ad colenda idola.* Sed nil obstat, quo minus simpliciter intelligantur homines fastuosi et luxuriosi, qui in cultu et vestitu

peregrino sibi placerent. „Innui puto omnes eos, qui exoticis vestibus levitatem animi prodebant. Neque mihi dubium est, quin illo aevo alii Aegyptios in vestitu imitarentur, alii Babylonios, prout huic aut illi genti studebant. Dicit ergo, ne illos quidem immunes fore, qui in peregrinum habitum transierint, seque ad mores victoris populi composuerint.“ Drusius.

9. וּפָקַדְתִּי עַל כָּל־הַדּוֹלֵג עַל־הַמִּפְתָּן *Animadvertam* (scil. בַּיּוֹם הַהוּא, quod est post המפתן cum פקדתי conjungendum) *in omnem transilientem limen.* In memoriam ejus, quod idolum Dagon coram Arca pronum in terram conciderat, capite et manibus limini allisis, truncatum, Philistaei *a calcando templi limine*, tanquam consecrato idoli contactu, *abstinuerunt*, 1 Sam. 5, 5., sed illud transilientes fanum ingredi solebant. Quem ritum per multa secula durasse, plures colligunt ex hoc Zephaniae loco. Hinc nostra verba Chaldaeus sic reddidit: *et animadvertam in omnes, qui ambulant in legibus Palaestinorum.* Sane Judaeos ob imitationem superstitionis Philistaeorum taxat et Jesajas 2, 6. Ejusdem interpretationis et Hieronymus mentionem facit. Ipse tamen verba Hebraea sic vertit: *et visitabo omnem, qui arroganter ingreditur super limen*, h. e. adversum superbos, qui cum quodam fastu et dignitatis supercilio gradus templi et Sanctuarii limen ascendunt. Negant et plures recentiores interpretes, hic respici ad Dagonis superstitiosum cultum, sed ad Judaeos, impoenitentes templi frequentatores, haec referunt. Sic Coccejus in Lexico sub voce מִפְתָּן: *qui temere accedit ad domum Dei.* Alii phrasi *transilire limen* gestum laetantium exprimi existimant, immuique ministros nobilium et principum, qui sua et illorum commoda et reditum per summum etiam nefas promovebant, ut in altero Versus hemistichio sequitur; qui igitur, ubi injuriam alicui fecerunt, mox laeti et alacres, onusti rebus rapina et dolo ablatis, sese in herorum domos recipiebant, ut operam suam dominis suis probarent. Nobis significari tales videntur, qui propriae domus limen s. proprii agri fines transgressi aliena invadunt occupantque, quod scelus Judaeis exprobrat quoque Jesajas 5, 8. et Micha 2, 2. Cui sententiae bene congruit quod subjicitur: הַמְמַלְּאִים בֵּית אֲדֹנֵיהֶם חָמָס וּמִרְמָה *et qui replent domum domini sui violentia et dolo*, i. e. opibus per violentiam et dolum partis. De אֲדֹנֵיהֶם non *dominorum suorum*, sed *domini sui* vertendo, vid. not ad Amos 4, 1. Cf. 1 Sam. 26, 16. 2 Sam. 2, 5. 1 Reg. 1, 33. Qui priore hemistichio superstitiosum Dagonis cultum innui existimant, cum LXX et Hieronymo vertunt: *domini Dei sui*, et de sacerdotibus haec intelligunt, Dagoni dona ex injuste partis offerentibus. Rapacitatem Judaeis objicit et Jeremias 5, 27. *sicut cavea plena avibus, ita domus eorum repletae sunt dolo*, bonis dolo partis.

10. וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא *Et fiet die illo*, scil. devastationis, commemorato Vs 7. 8. נְאֻם יְהוָה vid. ad Vs. 2. Describit jam

quae accidere solent urbe obsessa ab hostibus. קוֹל צְעָקָה מִשַּׁעַר הַדָּגִים *Vox clamoris* erit *a porta piscium*, una ex portis Hierosolymitanae urbis, quae et Neh. 3, 3. 12, 39. 2 Paral. 33, 14. memoratur. Nomen fortassis porta illa inde adepta est, quod ad eam esset forum piscium venalium. וְיִלָלָה מִן־הַמִּשְׁנֶה *Et ejulatus e secunda* scil. parte urbis Hierosolymitanae, quae et 2 Reg. 22, 14. memoratur, ubi Hulda prophetissa habitasse dicitur בִּירוּשָׁלַם בַּמִּשְׁנֶה. Hieronymus ad h. l. *secundi muri in eodem climate* (scil. parte urbis, Joppen versus) *portam* significari affirmat. Cum Hieronymo Jarchi in eo consentit, quod ad הַמִּשְׁנֶה subaudiat *portam* (שַׁעַר), quam *avium portam* vocat, eamque secundam fuisse dicat inter portas urbis. In quo sequutus est Chaldaicam nostri loci interpretationem, quae pro מִן־הַמִּשְׁנֶה habet מִן עוֹפָא *ab ave*, seu collective: *ab avibus*. Si modo mendum non est in textu Chaldaico. Kimchi certe legit מִן עוֹפְלָא *e loco sublimi*. Fuisse locum Hierosolymis, qui עֹפֶל vocaretur, cognoscitur e 2 Reg. 5, 24. Neh. 3, 27. 2 Paral. 27, 3. Neque tamen Chaldaica interpretatio sibi constat. Nam 2 Reg. 22, 14. pro בַּמִּשְׁנֶה in ea legitur: בְּבֵית אוּלְפָנָא in *domo doctrinae*, quasi nomen esset a verbo שָׁנָה, Chald. תְּנָא *docuit*. Gussetio מִשְׁנֶה *sedes* notat *adsignatas Levitis*, quum sacerdotes prae iis essent primarius ordo; aut *sacerdotibus secundariis*, quum summus ejusque filii essent primarii. Nobis magis probatur J. D. Michaelis sententia, cui in *Supplemm.* p. 2337. מִשְׁנֶה *suburbium* videtur significare, quod recte *urbs altera* dici poterat, aut saltem pars aliqua urbis, quae a reliqua urbe distingui posset ut urbs inferior. וְשֶׁבֶר גָּדוֹל *Et confractio magna*, qua nonnulli *cladem*, *vastitatem* intelligunt. Nos tamen קוֹל seu יְלָלָה ante hanc phrasin e superioribus repetendam subaudiendam non dubitamus, ut sit: *vox contritionis magnae*, i. e. clamor talis, qualis auditur in urbe, quae plane evertitur. מֵהַגְּבָעוֹת *A collibus*, quibus urbs Hierosolymitana inaedificata erat, de quibus legendus Josephus *de Bello Jud.* L. V. Cap. 4. §. 1. edit. Haverc. (seu Cap. 6. secundum veterem Capitum divisionem). Urbs igitur tota occupabitur ab hostibus atque vastabitur.

11. הֵילִילוּ יֹשְׁבֵי הַמַּכְתֵּשׁ *Ejulate, habitatores Machtheschi.* מַכְתֵּשׁ significat vas, in quo aliquid contunditur, mortarium, vid. Prov. 27, 22. Hic vero locum a mortarii figura sic appellatum patet. Hieronymus: *Ululate habitatores pilae.* Ad quae in Commentario: „Pila, quae hebraice dicitur *Machthes*, et ab Aquila versa est εἰς τὸν ὄλμον, non per brevem syllabam prima legenda est, ne σφαῖραν putemus, sed productam, ut de pila sciamus dici, in qua frumenta tunduntur, vas concavum, et medicorum aptum usui, in quo proprie ptisanae feriri solent.“ Ceterum Hieronymus *mortario* vallem Siloa significari existimat, quae Hierosolymis ad austrum erat. Chaldaeus vero: *qui habitant*

in valle Kidron, quae et Josaphat vocatur, urbi ad orientem. Depressiorem urbis Hierosolymitanae partem nomine מכתש innui censet J. H. URSINUS in *Analectt. SS.* L. I. c. 37., qui observat, urbes et regiones a Graecis quoque et Romanis scriptoribus variis rebus aut animalium formis assimilari. „Antiqui civitates secundum praecipuas feras, ob significationem, formabant. Unde Roma formam *leonis* habet, qui ceteris bestiis quasi rex praecst. Brundusium formam *cervi*, Carthago *bovis*, Troja *equi* figuram habuit. Historici Aegyptum *Deltatum*, triangularem vocant. Alexandriam *chlamydi militari* comparant, Italiam *hederae*, Iberiam *pelli bovinae*, Naxum *pampino*, Peloponnesum *platani folio*, Sardiniam *vestigio hominis*, Cyprum *velleri*, Libyam *figurae trapeziae*, quadrato oblongo. De quibus sigillatim Piccartus *Decad.* 14. *Observ.* Cap. 5.“ Partem Urbis depressam, vallem puta profundam, qualem duplicem deprehendimus prope Hierosolymam, unam fonte Siloa, alteram torrente Cedron irrigatam, quarum priorem Hieronymus, posteriorem Chaldaeus intelligere maluit, censet et A COELLN. Et eam vallem incoluisse homines vilioris sortis, operarios, qui victum sibi compararent, mercede a mercatoribus divitibus (עַם כְּנַעַן) accepta, textus ipsi non obscure innuere videtur. Urbis partem in valle fuisse sitam inde etiam patet, quod ea Jer. 21, 13. (ubi vid. not.) יֹשֶׁבֶת הָעֵמֶק *habitatrix vallis* dicitur. Forsan quam Zephanias מכתש vocat vallis eadem fuit, quae Josephi aetate φάραγξ Τυροποιῶν, *vallis caseos facientium* appellabatur, Acrae colli subjecta: vid. JOSEPHI *Bell. Jud.* L. V. Cap. 4. §. 1. et cf. libr. nostr. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 206. Quae sequuntur, כִּי נִדְמָה כָּל־עַם כְּנַעַן *nam exscindetur totus populus Canaanis*, Graecus Alexandrinus ita explicavit: ὡμοιώθη πᾶς ὁ λαὸς Χαναὰν, verbo נדמה significatu *similis factus est* accepto. Ita et Chaldaeus: *totus populus, cujus opera similia sunt operibus populi terrae Canaan.* Concinit Hieronymus. Verum vidit Grotius, qui עַם כְּנַעַן appellari ait *populum mercatorum*, qui in cava urbis Hierosolymitanae parte habitarent. כְּנַעַן nonnunquam pro *mercatoribus* usurpatur, vid. not. ad Ezech. 17, 4. et Hos. 12, 8. נִכְרְתוּ כָּל־נְטוּלֵי כָסֶף *Exscindentur omnes onusti argento.* Indicantur mercatores, qui illo nomine appellantur, quod solent magnam pecuniae vim secum ferre. Graecus Alexandrinus נטולי כסף reddidit ἐπηρμένοι ὀργυρίῳ, i. e. interprete Hieronymo, qui erecti erant (cf. Dan. 4, 31. עֵינַי נָטָלְתִּי *oculos meos elevavi*) in superbiam et pauperes despiciebant. Nec rectius Hieronymus vertit: *involuti* (quasi נְטוּלֵי esset a טָלַל *texit*, *involvit* Neh. 3, 15.) *argento*, i. e. qui divitiis confidebant et sese quasi involutos et septos divitiis aestimarent.

12. אֲחַפֵּשׂ אֶת־יְרוּשָׁלַם בַּנֵּרוֹת *Perscrutabor Hierosolymam* quasi *cum lucernis*, nullum erit latibulum, quod non sim pervestigaturus, ut ultionem sumam de peccato in eo commisso.

Chaldaeus: *constituam pervestigatores, qui pervestigent Jerusalem ut qui scrutantur cum lucerna.* Victores hostes intelligit, qui praedandi causa omnia diligentissime pervestigabant. Tribuuntur Jovae, quae fiunt ab hostibus, vindictae divinae instrumentis. וּפָקַדְתִּי עַל־הָאֲנָשִׁים הַקֹּפְאִים עַל־שְׁמָרֵיהֶם *Et animadvertam in coagulatos*, i. e. qui rerum coagulatarum instar stant immobiles *super faeces suas*, et quasi incubant illis, i. e. qui magna tranquillitate conquiescunt in divitiis suis, nullis rerum conversionibus agitantur, ut vinum, quod non transfunditur, sed faecibus suis incumbit. Eadem similitudo Jer. 48, 11., ad quem loc. cf. not. Chaldaeus: *animadvertam in eos, qui tranquillitate fruuntur in divitiis suis.* הָאֹמְרִים בְּלִבָּם לֹא־יֵיטִיב יְהוָה וְלֹא יָרֵעַ *Qui dicunt in corde suo*, apud se cogitant: *non benefacit Jova* bonis, *neque malefacit* malis, nec prodest bonis, nec malos punit. Qui cogitarunt antehac, a Deo non curari res humanas, *forte ac temere humana negotia volvi agique*, ut est apud Curtium L. V. Cap. 11. §. 10. Cf. Mal. 2, 17. Thren. 3, 36. 38. Ps. 10, 4. sqq.

13. וְהָיָה חֵילָם לְמִשִּׁסָּה *Eruntque facultates eorum direptioni* hostium, וּבָתֵּיהֶם לְשִׁמָּמָה *et domus eorum in devastationem*, devastabuntur ab hostibus. וּבָנוּ בָתִּים וְלֹא יֵשֵׁבוּ *Aedificabuntque domos, nec habitabunt eas* diu. Eadem minatur Amosus 5, 11. Cf. Deut. 28, 39. Contraria promittuntur Jes. 65, 22.

14. קָרוֹב יוֹם יְהוָה Vid. Vs. 7. הַגָּדוֹל Vid. not. ad Joel 2, 11. וּמַהֵר מְאֹד *Et festinans valde*, i. e. qui valde festinanter adventat. קוֹל יוֹם יְהוָה *Vox diei Jovae*, die illo, quo Jova poenas sumet de impiis, magnis resonabit clamoribus aether. מַר צוֹרֵחַ שָׁם גִּבּוֹר *Amare clamabit ibi fortis*, etiam fortissimus quisque bellator Judaeorum, qui viribus suis praefidit, terrore corripietur. שָׁם *Ibi* valet h. l. *tunc*, ut Ps. 14, 5., ad quem loc. vid. not., et apud Homerum in formula illa perquam frequenti: *ἔνθ' ἄλλοι μὲν πάντες*. Chaldaeus: *in quo est moeror et clamor, potentes interficientur.*

15. יוֹם עֶבְרָה הַיּוֹם הַהוּא *Dies irae*, i. e. calamitatum, quae ab irato Jova immittentur, erit *dies ille*, Vs. 7. 14. denuntiatus. Cf. Jes. 9, 18. *per iram Jovae obscuratur terra.* Vid. et infra Vs. 18. In verbis quae sequuntur geminat vocabula *ἰσοδύναμα* (vid. not. ad Nah. 2, 11.), יוֹם צָרָה וּמְצוּקָה *dies angustiae*, יוֹם שׁוֹאָה וּמְשׁוֹאָה *dies devastationis* rel. ad intendendam significationem. De יוֹם חֹשֶׁךְ cf. not. ad Joel 2, 2.

16. יוֹם שׁוֹפָר וּתְרוּעָה *Dies tubae* classicum canentis *et clangoris.* Declarat superiora; dies, inquit, in quo exaudientur tubae hostium clangentium in expugnandis urbibus munitis (עַל הֶעָרִים הַבְּצֻרוֹת) et arcibus excelsis (וְעַל הַפִּנּוֹת הַגְּבֹהוֹת), ad excitandos animos militum. פִּנּוֹת *Angulos* vocat turres, quales

in murorum angulis aedificari solitae. Neque enim solebant veteres ambitum muri directum ducere, ne ad ictum arietis esset dispositus, sed sinuosis anfractibus clausere urbes, crebrioresque turres in ipsis angulis ediderunt, ut, si quis ad murum ita constructum vel scalas vel machinas admovere vellet, non solum a fronte, sed etiam a lateribus et prope a tergo velut in sinum conclusus opprimi posset, observante VEGETIO *de re milit.* L. IV. cap. 2. Unde TACITUS etiam *Histor.* L. V. cap. 11. §. 5. muros Hierosolymorum vocat *per artem obliquos et introrsum sinuatos, ut latera oppugnantium ad ictus patescerent.* Cf. descriptionem turrium, quibus muri Hierosolymitani muniti erant, apud JOSEPHUM *de Bello Jud.* L. V. Cap. 4. §. 3.

17. וַהֲצֵרֹתִי לָאָדָם *Arctum faciam hominibus*, in angustias cogam (eadem phrasis Jer. 10, 18. Neh. 9, 27. 2 Paral 28, 22.) homines istos, qui degunt in civitatibus munitis turribusque munitis (Vs. 16.), ubi se putant in tuto esse. וְהָלְכוּ כַעִוְרִים *Ut incedant sicut caeci*, angustiis afficiam tantis, ut non magis quam caeci videant, quo se vertere debeant. וְשֻׁפַּךְ דָּמָם כֶּעָפָר *Effundetur sanguis eorum sicut pulvis*, qui nullius est pretii, copiosissime et abjectissime. „Mire dictum videtur Drusio, quod vates sanguinem effusum cum *pulvere*, quasi de re arida sermo esset, comparat, non cum *aqua*. Recte. Sed excusatur vates usu duplici verbi שָׁפַךְ, quod non de rebus tantum *fluidis*, sed etiam de *aridis*, ut in loquutione שָׁפַךְ סוֹלְלָה (Ezech. 4, 2.) *vallum*, aggerem *congessit*, usurpare licebat. Poterat itaque a poeta cum utroque vocabulo דָּם et שָׁפַךְ, non refragante usu loquendi conjungi, ut vertere possis: *effunditur sanguis eorum, ut pulvis excutitur.* Pulverem autem adjecit, ut qui imaginem contineat vel *copiae*, ut Ps. 78, 27., vel *vilitatis*, ut 2 Reg. 13, 7., quarum posteriorem respexisse videtur.“ A COELLN. וּלְחֻמָּם כַּגְּלָלִים *Et caro*, corpora *eorum sicut stercora.* לְחוּם, quod Job. 20, 13. in universum *cibum* denotat, h. l. significatu Arabici لَحْمٌ *caro* capiendum est. Ita LXX: *καὶ τὰς σάρκας αὐτῶν ὡς βόλβιτα.* Syrus: *et caro eorum ut stercora.* Chaldaeus: *et cadavera eorum sicut stercus.* Significat, corpora eorum projectum iri per agros; perinde, ut laetamen sive fimus per agrum jacitur, quando stercoratur. Cf. similes huic effato sententias 1 Reg. 14, 10. Jer. 9, 21. 22, 19.

18. Non solum robur et vires eorum eos non eripient, sed etiam nec argentum, nec aurum hostibus oblatum. Eadem, quae hic, verba, גַּם כַּסְפָּם וגו׳, leguntur Ezech. 7, 19. — וּבְאֵשׁ קִנְאָתוֹ *Et per ignem zeli ejus*, aestuante Dei ira. *Ignem zeli* dicit, ut Ezech. 38, 19. *in zelo meo et in igne irae meae loquutus sum;* nam zelus non est absque ira. תֵּאָכֵל כָּל־הָאָרֶץ Chaldaeus: *consumentur omnes impii terrae.* Eadem redeunt infra 3, 8. —

כִּי כָלָה אַךְ־נִבְהָלָה יַעֲשֶׂה אֶת כָּל־יֹשְׁבֵי הָאָרֶץ *Nam consummationem faciet et quidem festinatam omnibus incolis terrae hujus* Judaicae, ut Vs. 2. Accelerabit ad internecionem delere omnes incolas terrae istius.

CAP. II.

Argumentum.

Post minas superiore Capite expositas, Judaeos ad poenitentiam tempestive agendam hortatur, Vs. 1. 2. 3. Tum adversus Philistaeos (Vs. 4 — 7.), Moabitas et Ammonitas (Vs. 8 — 11.), Cuschaeos (Vs. 12.), denique adversus Assyrios et Ninevitas (Vs. 13. 14. 15.) vaticinatur.

1. הִתְקוֹשְׁשׁוּ interpretum plures vertunt: *inquirite in vos ipsos*, in mores vestros. Verbum a קַשׁ, *stipula*, proprie notat *stipulas colligere*, ut Exod. 5, 12. לְקַשֵּׁשׁ קַשׁ *ad colligendum stipulas.* Hinc transfertur ad *seriam et accuratam disquisitionem*, nam res minutae, quales sunt stipulae, egent tali scrutinio. Significat ergo verbum קָשַׁשׁ non simpliciter *inquirere*, sed *studiose ac diligenter aliquid inquirere.* Ad יְקוֹשָׁשׁ, quod additur, *et inquirite*, subaudiunt: *alios;* ut vates invitet ad resipiscentiam, quaerite diligenter et in vobis et in aliis maculas quasque, ut illas aboleatis. Primum agite poenitentiam, deinde eodem provocate alios. Cf. Matth. 7, 4. Sed veteres interpretes הִתְקוֹשְׁשׁוּ recte propria *colligendi* notione acceperunt. Chaldaeus: *congregamini et venite et accedite.* Syrus: *colligite vos ipsos et accingite vos ipsos et accingimini.* LXX: *συνάχθητε καὶ συνδέθητε.* Hieronymus: *convenite et congregamini*, id est, estote vobis caritatis vinculo copulati. Grotius: *convenite, congregamini*, nempe ad preces, ut vitam saltem salvam habeatis. Invitat vates ad instituendam concionem religiosam ad averruncandas precibus calamitates. Cf. Joel 2, 16. Quae sequuntur, הַגּוֹי לֹא נִכְסָף, nos olim ita interpretati sumus: *o gens vacua desiderio*, quae non desiderat redire ad frugem, et mores in melius mutare, aut in delicta propria inquirere; sequuti Chaldaeum: *populus qui non vult converti ad legem.* LXX: *τὸ ἔθνος τὸ ἀπαίδευτον.* Syrus: *populus cui nulla disciplina.* Verbum כָּסַף *desiderare* constat notare, vid. Gen. 31, 30. Ps. 84, 2. Hinc נִכְסָף *qui desiderio* alicujus rei *tenetur.* Aliis est: *qui desideratur*, amatur, ab aliis. Ita Hieronymus: *gens non amabilis.* Cf. Deut. 32, 6. Jer. 2, 30. 7, 28. Sed vere monuit A COELLN, adscita a nobis interpretatione, ellipsin duriorem statuendam esse. „Expeditior procul dubio sensus efficitur collato, cum GESENIO in Lexico hebr. teuton., verbo Chaldaico כְּסַף *pudore suffusus est, erubuit*, quod

in Targumicis passim occurrit, v. c. Ps. 35, 4. 69, 7. Unde vertenda est haec phrasis *gens inverecunda, verecundiae expers.* Aramaismum, quem olet vox illa, alias etiam non respuit Zephanias, cf. נִצְּדוּ 3, 6., מוֹרָאָה 3, 1. Ceterum in vocibus לֹא נְכִסָף Adjectivum cum particula negativa ita conjunctum est, ut inde vim privativam nactum sit. Cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 812.“

2. בְּטֶרֶם לֶדֶת חֹק *In nondum peperisse*, antequam pariat *decretum* Dei vobis exitiale, i. e. antequam effectum sortiatur, eveniat, id quod Deus contra nos decrevit. Similis a *pariendo* desumta metaphora Prov. 27, 1. *nescis quid pariat dies*, quid latura sit. חֹק, quod de tempore constituto dici solet, h. l. de *poenarum* tempore, יוֹם יְהוָה, quo statim excipitur, intelligendum est. Eodem sensu legitur Mich. 7, 11. Bene Hieronymus: Antequam fiat quod prophetatum est, antequam praeceptum sequatur effectus. Chaldaeus: *antequam prodeat in vos decretum domus judicii.* Ante verba כְּמוֹץ עָבַר יוֹם repetendum est בְּטֶרֶם, ut sit vertendum: priusquam *veluti gluma transeat*, i. e. subito irruat in vos *dies* vindictae divinae, de quo supra 1, 7. 14. 15. 18. loquutus erat. LXX: *πρὸ τοῦ γενέσθαι ὑμᾶς ὡς ἄνθος παραπορευόμενον.* Non expressit interpres verba לֶדֶת חֹק, quorum sensus ibi obscurus erat. Kimchi hypallagen in his verbis statuit: qualis Ezech. 39, 11. (מְקוֹם־שָׁם קֶבֶר), cf. not. nostr. ad Ezech. 24, 17. Ita autem nostra verba ordinanda censet: בְּטֶרֶם לֶדֶת חֹק יוֹם כְּמוֹץ עָבַר, quae concise dicta putat pro his, quae plenius et clarius ita erant exprimenda: בְּטֶרֶם לֶדֶת חֹק הַיּוֹם הַבָּא שֶׁתְּהִיוּ כְּמוֹץ עוֹבֵר מִפְּנֵי רוּחַ *antequam decretum pariat diem venturum, quo eritis similes glumae*, quae *praeterit* s. *abit* rapta *a vento*, i. e. antequam Jova sententia sua efficiat, ut veniat dies, quo pereatis. Se ipsum declarat in altero homistichio: בְּטֶרֶם לֹא־יָבוֹא עֲלֵיכֶם חֲרוֹן אַף יְהוָה *antequam veniat super vos excandescentia irae*, i. e. ira excandescens (ut Num. 25, 4.) Jovae, בְּטֶרֶם לֹא־יָבוֹא עֲלֵיכֶם יוֹם אַף־יְהוָה *priusquam veniat super vos dies irae Jovae*, in quo Jova se iratum ostendet, ut Vs. 3. 1, 7. 14. „Adjicitur voci בְּטֶרֶם particula negativa לֹא, quod quum alias fieri non soleat, ad idiotismos fortasse vatis nostri referendum est. Nec tamen talis particularum negativarum complurium conjunctio abhorret ab Hebraismo. Ita מֵאַיִן Jer. 10, 6., alibi, vel tribus negationibus conjunctis, מִבְּלִי אֵין dicitur Exod. 14, 11., et ad particulam jurandi אִם aliam negativam לֹא additam vides Gen. 31, 52. Quae non, ut in sermone Latino, tollunt negationem, sed ut eo fortius negetur copulantur. Cf. SCHROEDERI *Institutt. Syntax.* Reg. 97.“ A COELLN.

3. Jam orationem ad paucos in populo bonos convertit. בַּקְּשׁוּ אֶת־יְהוָה *Quaerite Jovam*, vid. not. ad 1, 6. כָּל־עַנְוֵי הָאָרֶץ *Omnes mansueti terrae* Judaeae, i. e. modesti, ab omni cupiditate et insolentia remotissimi. אֲשֶׁר מִשְׁפָּטוֹ פָּעָלוּ *Qui ju-*

dicium ejus, Jovae, *operantur*, qui Dei leges sectamini. Mutat personam, quod frequens in his libris. Chaldaeus: *qui judicia voluntatis ejus praestiterunt.* אוּלַי תִּסָּתְרוּ *Forte abscondemini*, forsan evadetis e communi calamitate. Chaldaeus: *forsan fiet protectio super vos.* Verbum הַסְתִּיר *abscondere*, protegendi notionem haud raro obtinere constat, vid. Jes. 28, 15. Ps. 27, 5.

4. Transit ad praedicanda mala eventura finitimis populis. Argumentum autem resipiscentiae ab exemplis poenarum exteris populis inflictarum contineri videtur hoc Versu eisque qui proxime sequuntur. כִּי עַזָּה עֲזוּבָה תִּהְיֶה *Nam Gaza derelicta erit* ab incolis, civibus excisis aedibusque dirutis deserta jacebit. De *Gaza*, principe, prophetae temporibus, Philistaeorum urbe, vid. not. ad Amos 1, 6. Observanda paronomasia in nostris verbis, עַזָּה עֲזוּבָה, i. e. urbs fortis, valens et bene munita erit plane derelicta atque descrta. Gazam non ab Alexandro M., sed ab Alexandro Jannaeo, Joannis Hyrcani filio, Simonis nepote, Judaeorum rege, penitus eversam atque deletam esse (circa annum 93. ante C. N.) narrat JOSEPHUS *Antiqq.* L. XIII. c. 13. p. 670. Oper. edit. Haverc., et *de Bello Jud.* L. I. c. 4. §. 2. אַשְׁקְלוֹן, urbs Philistaeorum haud procul a Gaza, memorata Jos. 13, 3. Jud. 1, 18. Vid. de hac urbe libr. nostr. *Handb. d bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 377. sqq. אַשְׁדּוֹד בַּצָּהֳרַיִם יְגָרְשׁוּהָ *Aschdodum* quod attinet *in meridie expellent eam* hostes, cives ejus ex ea expellentur et abigentur in exilium. Id autem *in meridie* futurum dicit vates, indicaturus eam diei partem, qua impetus hostilis minime exspectatur; voce utitur צָהֳרַיִם *meridiei*, quo tempore, ob nimiam illis in regionibus aestus vehementiam somno indulgebant, 2 Sam. 4, 5. sqq., nec milites lubenter impetum faciebant. Inde passim apud Jeremiam impetus improvisus, subitarius, tempore meridiano accidisse dicitur, v. c. 15, 8. *inducam eis* שֹׁדֵד בַּצָּהֳרַיִם *vastatorem in meridie*, *faciam ut irruat in eam* פִּתְאֹם *repente*. De urbe אַשְׁדּוֹד vid. not. ad Amos 1, 8. — וְעֶקְרוֹן תֵּעָקֵר *Et Ecron exscindetur.* „*Accaron*, quae interpretatur *eradicatio*, hoc sustinebit, quod in suo vocabulo sonat, id est, *eradicabitur.*“ HIERONYMUS. De Ecrone urbe vid. libr. nostr. supra citat. Vol. II. P. II. p. 369. sqq. Iisdem, quae hic memorantur, quatuor Philistaeorum urbibus minatur et Zephaniae aequalis, Jeremias, 25, 20. poenas. Sed quum aliis locis, ut Jos. 13, 3. 1 Sam. 6, 17. Jud. 3, 3. *quinque* Philistaeorum urbes sub suis principibus סְרָנִים, commemorentur, jam oritur quaestio, quanam de causa Zephanias unam earum, *Gath*, suo in recensu omiserit. Quam satis probabiliter A COELLN sibi reperisse videtur in eo, quod Gath hac aetate, Philistaeis crepta, sub Judaeorum ditione latuerit. „Hanc enim civitatem Davides olim in servitutem redegerat, 1 Chron. 18, 1. Joramo regnante Philistaei periculum recuperandae, uti videtur, civitatis fecerunt, 2 Chron. 21, 16.,

sed iisdem ab Uria 2 Chron. 21, 6. 7. et Hiskia 2 Reg. 18, 8. devictis, Gath sub Judaeorum imperio remansit. Quod utique colligere possumus ex prophetis Amoso 1, 6—9. Zacharia 9, 6. Jeremia 25, 28., quatuor item Philistaeorum civitates recensentibus, et praecipue ex Micha 1, 19., urbem Gath expressis verbis inter Judaeorum oppida referente." De quo tamen dubitari potest, vid. not. ad eum loc. Ceterum de Gathae urbis fatis cf. *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 372.

5. „Quatuor magnis Palaestinae urbibus nominatis nunc ad ipsam generaliter provinciam patet sermonem Domini fieri." Hieronymus. הוֹי יֹשְׁבֵי חֶבֶל הַיָּם *Vae* vobis *o habitatores tractus maris.* חֶבֶל, quod proprie *funiculum* notare constat, hic et alias (v. c. Deut. 3, 4. חֶבֶל אַרְגֹּב) pro *tractu* sive *regione* ponitur. Sumtum a more veterum, qui funiculis utebantur in dimetiendis et dividendis agris; cf. Jos. 17, 5. Idem mos etiamnum in Auranitide s. Hhauran obtinet, uti testatur Burckhardt in *Descript. itiner. per Syr.* p. 467. vers. teuton. חֶבֶל הַיָּם *tractus maritimus* nomen fuit Philistaeae, ut חוֹף הַיָּם *ora maritima* Jer. 47, 7. Ezech. 25, 16. גּוֹי כְּרֵתִים *Gens Crethim,* pars Philistaeorum, vid. not. ad Ezech. 25, 16. et cf. libr. nostr. citat p. 364. Nostrum ad significationem verbi כָּרַת *exscidit* respexisse, ut hac appellatione innuat, fore ut Philistaei brevi exscindantur, in tanta Hebraeorum ad paronomasias propensione vix dubio caret. Hinc Chaldaeus vertit: *populus qui peccat ut deleatur.* Hieronymus: „Ubi nos transtulimus *gens perditorum* LXX dixerunt advenae *Cretensium* [πάροικοι Κρητῶν], et quod Hebraice scriptum est *Goi Chorethim* pro *Goi*, id est, *gente*, legerunt *Gar*, hoc est, *advenam*, et pro *Chorethim*, quod dicitur *perditorum*, nomen *Cretae* insulae putaverunt [ita et Syrus: ܥܡܐ ܕܩܪܛܐ]. Denique et Aquila et Quinta Editio interpretatsunt ἔθνος ὀλέθριον. Et Theodotio ἔθνος ὀλεθρίας, Symmachus quoque ἔθνος ὀλεθρευόμενον, quae omnia cum interpretatione nostra faciunt." כְּנַעַן אֶרֶץ פְּלִשְׁתִּים *O Canaan, terra Philistaeorum*, extremam enim oram Cananaeae Philistaei occupaverant, vid. Jos. 13, 3. et cf. not. ad Jes. 14, 29. וְהַאֲבַדְתִּיךְ וגו׳ *Et perdam te* ita ut *nullus* reliquus sit *incola*, idem minatur Philistaeis Ezechiel 25, 7. 16.

6. De חֶבֶל הַיָּם vid. not. ad Vs. 5. נְוֹת כְּרֹת רֹעִים *Caulae* s. caulis repletus erit tractus ille maritimus *effossionis pastorum*, „id est, caulae a pastoribus effossae in cryptis subterraneis ad vitandum solis aestum. Quae Polyphemi antrum fuit, in quo μῆλ', ὄϊές τε καὶ αἶγες ἰαύεσκον, *pecora, oves* scilicet *et caprae dormiebant.*" Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. C. 44. T. I. p. 519. edit. Lips. A Coelln mallet נְוֹת accipere significatione *pascuorum*, quum tali regionis habitatae in pascua mutandae descriptione

summam a vatibus depingi desolationem constet, vid. Jes. 5, 17. 7, 21 — 25. 27, 10. 32, 14. Ezech. 25, 4. 5. et interpretes Propertii 4, (al. 5,) 1. 4. Ad candem hanc adumbrationem verba pertinere existimat proxima, כְּרוֹת רֹעִים *fossiones pastorum* (est enim כְּרוֹת Infinitivus nominascens verbi כָּרָה *fodit*), i. e. putei a pastoribus effossi ad excipiendam aquam pluvialem in regionibus fluviis fontibusque carentibus, *cisternae* dicti, de quibus effodiendis verbum כָּרָה Gen. 26, 25. dicitur. „Quos, quum alias vocabulo בְּאֵרִים indicari soleant, Noster, ut alludat ad nomen גּוֹי כְּרֵתִים Versu 5. obviam lepidamque efficiat paronomasiam, loquutione insolita כְּרוֹת רֹעִים denotare maluit." Jarchi dictione hebraea *mansionem fortuitam in qua pastores apparant cibum* significari existimat, coll. 2 Reg. 6, 23. וַיִּכְרֶה לָהֶם בְּרָה גְדוֹלָה *apparavit eis apparatum magnum.* LXX: *καὶ ἔσται Κρήτη νομὴ ποιμνίων*, „ac simulato ordine verborum legissent וְהָיְתָה כְּרֵת גּוֹת רֹעִים. Illi vero, et Syrus, cujus haec est interpretatio: *eritque tractus maritimus tuguria, et Creta locus pascuus ovium*, כְּרוֹת non de *insula* Creta, quod utique in hac orationis serie absonum fuisset, sed quamvis id etiam male, de *regione*, quam incolebant Cretaei, גּוֹי כְּרֵתִים, Philistaei, intellexisse videntur." A Coelln. Chaldaeus: *habitaculum, locus mansionis pastorum.* וְגִדְרוֹת צֹאן *Et septa ovium*, in quibus pernoctant pecudes, et a ferarum insidiis servantur. Cf. not. ad Num. 32, 16.

7. וְהָיָה חֶבֶל לִשְׁאֵרִית בֵּית יְהוּדָה *Cedetque tractus* ille maritimus, quem Philistaei nunc obtinent, *residuo domus Judae*, Judaeis superstitibus et reversis e Babylonico exilio, uti e postremis hujus Versus verbis apparet. Judaeis terram Philistaeorum promittit et Obadias Vs. 19. — עֲלֵיהֶם יִרְעוּן Qui *in illis* urbibus, vel, *juxta* caulas *illas pascentur.* Subaudiendum vel חֲבָלִים, vel מִקְנוֹת. Constructio sensu congrua, non voce. בָּתֵּי אַשְׁקְלוֹן בָּעֶרֶב יִרְבָּצוּן *In domibus Ascalonis vespere accubabunt* scil. צֹאנָם *pecora eorum*, nam verbum רָבַץ proprie bestiarum est. Sed de hominibus quoque quiete et secure recubantibus usurpatur, ut Ps. 23, 2. *in pascuis herbidis* יַרְבִּיצֵנִי *recubare me facit.* כִּי יִפְקְדֵם יְהוָה *Nam visitabit eos* residuos Judaeos, i. e. considerabit eos benevolo animo, curam eorum habebit, ut Gen. 21, 1. Ruth 1, 6. Ps. 8, 5. Cf. de variis verbi פָּקַד significationibus Storrii *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 218. not. Chaldaeus: *introibit memoria eorum coram Jova Deo eorum.* וְשָׁב שְׁבִיתָם Vid. de hac phrasi not. ad Hos. 6, 11. Amos 9, 14.

8. שָׁמַעְתִּי חֶרְפַּת מוֹאָב וְגִדֻּפֵי בְּנֵי עַמּוֹן אֲשֶׁר חֵרְפוּ אֶת־עַמִּי *Audivi*, inquit Jova, *opprobria Moabitarum, et convicia Ammonitarum, quae jactarunt in populum meum.* Quod plures referunt ad bellum Babylonicum, cum Moabitae et Ammonitae Chaldaeis militarent, et una cum eis Judaeam vastarent (vid. 2 Reg. 24, 2.), vel cum Judaei captivi ducerentur per fines eorum. Ita

JARCHI: „Cum Chaldaei abducebant Israelitas Chaldaeam, illique per Moabitarum et Ammonitarum ditionem flentes et suspirantes et ejulantes incedebant, deridebant illos Moabitae atque dicebant: quid afflictionis vobis attulerunt Chaldaei? ecquid ploratis? nonne ad domum patris vestri itis? nam trans fluvium (Euphratem) habitarunt majores vestri.“ Eodem modo Hieronymus. Sed quum Chaldaei post Josiae demum tempora una cum Moabitis in Judaeam irruperint (vid. 2 Reg. 24, 2.), quae hic memoratur contumelia, intelligenda est illa, qua gentes illae affecerant incolas regni decem tribuum dum captivi ab Assyriis deducerentur. וַיַּגְדִּילוּ עַל־גְּבוּלָם *Magnos se fecerunt contra terminum eorum*, Judaeorum, ampliaverunt suum per terminum ditionis Judaicae, partem Judaeae suae ditioni adjecerunt. Cf. not. ad Amos 1, 13. Alii ad ויגדילו subaudiunt פִּיהֶם, ut plene habetur Obad. Vs. 12., ut insolentia et arrogantia Moabitarum designetur, de qua conqueritur Jeremias 48, 29. *Audimus Moabitae fastum, valde fastosi, arrogantiam, superbiam, insolentiam, animique fastum.* Et ibid. Vs. 42. *Peribit Moabita, ita ut desinat esse populus*, כִּי עַל־יְהוָה הִגְדִּיל *quia contra Jovam sese extulit.*

9. חַי אָנִי *Vivo ego*, quam vere vivo, tam verum est quod dico. Eadem jurandi formula Deut. 32, 40. Jer. 4, 2. Ezech. 5, 11. כִּי מוֹאָב כִּסְדֹם תִּהְיֶה *Quod Moabitis sicut Sodoma erit*, prorsus vastanda, atque inculta et deserta permansura, ut Jes. 13, 19. Amos 4, 11. Hos. 11, 8. Jer. 48, 18. De dictionis מְמֻשַׁק חָרוּל significatu proprio dissentiunt interpretes. HIERONYMUS *siccitatem spinarum* interpretatur, „*siccitas*,“ inquit, apud Hebraeos dicitur *Mamasac*.“ Chaldaeus: *locus derelictus carduis.* Quem interpretem Hebraeorum plures sequuntur, verbo מָשַׁק *relinquendi* significatum tribuentes, ut idem sit quod Chaldaicum שְׁמַט *relinquere*, unde et Gen. 15, 2. בֶּן־מֶשֶׁק בֵּיתִי *filius derelictionis domus meae*, i. e. quem heredem relinquo. Alii a significatu Arabici مشق *in longum latumque traxit* indicari putant locum, in quo spinae sese longe lateque diffundant. J. D. MICHAELIS in *Supplemm.* p. 1573. vel a *lacerandi* notione, quae praeter alias verbo arabico inest, vertere mallet: *laceratio paliuri*, i. e. terra paliuris obsita, ut per eam euntes spinis lacerentur et vulnerentur, vel a verbi Arabici *comedendi* significatu: *comestio paliuri*, i. e. desertum paliuro obsitum, nihilque alimenti praeter paliurum praebens. Paliuri in cibo potuque usum apud Arabes probat Michaelis e Diodoro Siculo L. V. §. 41. III. 32. et Strabone L. XVI. p. 1122. Praetermitto alias multo minus probabiles interpretationes a Michaele l. c. memoratas. Nobis quidem in Chaldaei interpretatione videtur acquiescendum. Sed GESENIUS in Leximo min. s. h. v., cui A COELLN adstipulatur, מְמֻשַׁק a מָשַׁק i. q. مَسَكَ *possedit* derivando interpretatur *possessionem* (permutationis literarum ק et כ exempla vid. apud A. SCHULTENS in

Clave Dialector. p. 295.), ut *possessio urticae* h. l. sit locus ab urticis possidendus, quemadmodum Jes. 14, 26. מוֹרָשׁ קְפוֹד *hereditas*, peculium *erinacei* est locus ab erinaceis habitandus. וּמִכְרֵה־מֶלַח *Et fodina salis*, salina, locus ubi sal effoditur, a כָּרָה *effodit* (cf. supra Vs. 6.). Quidam Hebraeorum *acervus salis* interpretantur, quasi מִכְרֵה sit idem cum כְּרִי *acervus* apud Talmudicos. Ita LXX (in quorum interpretationem horum verborum tamen mendum irrepsit, quod pro ממשק legerent דמשק verterentque: *Δάμασκος*). Accedimus tamen, quod nominis מִכְרֵה interpretationem attinet, Jarchio, qui illud *locum effossionis salis* notare asserit. Scribit autem Plinius *Hist. Nat.* L. XXXI. c. 7. §. 39., *omnem locum, in quo reperitur sal, sterilem esse, nihilque gignere.* Itaque Abimelech, destructa et eversa urbe Sichem, in ejus solo salem seminat, quo perpetuo sterilem redderet, Jud. 9, 45. Hinc *terra salsuginosa* pro *sterili* ponitur Ps. 107, 34. A Coelln per מכרה־מלח ipsas salis fodinas circa lacum Asphaltieum, in circuitu regionis Sodomae quondam et Gomorrhae designari existimat (cf. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 158.). „Has," inquit, „regiones incultas simul atque horridas, ante oculos versatas esse vatibus iis in locis, quibus terra in salsuginem mutata in adumbranda regione prorsus desolanda utuntur, non obscure indigitant loci Deut. 29, 22. Ps. 107, 34. coll. Sir. 39, 28. [23.]." וּשְׁמָמָה עַד־עוֹלָם *Et vastitas in aeternum.* Pristinas Moabitarum et Ammonitarum sedes hodie nil nisi vastas solitudines esse, testatur, qui eas regiones mense Martio anni 1805. peragravit, Seezen, in *der Monatl. Correspondenz* a Zachio edit. Vol. XVIII. p. 429. sqq. שְׁאֵרִית עַמִּי יְבָזוּם *Reliquiae populi mei deripient eos*, bona et facultates eorum. וְיֶתֶר גּוֹי יְנַחֲלוּם *Et superstites populi mei hereditabunt eos*, i. e. per metonymiam, terram et bona eorum, גּוֹי dictum pro גּוֹיִי, ad vitandum concursum duorum Jod alterum, ut fit, exeidit.

10. זֹאת לָהֶם תַּחַת גְּאוֹנָם *Hoc*, quod Vs. 9. denuntiatum, *eis accidet pro fastu ipsorum*, quem ostenderunt contra populum Judaeum, quum in calamitate esset. תַּחַת hic *pro*, *propter* (Chaldaeus recte חֲלָף posuit), ut 2 Sam. 19, 22. הַתַּחַת זֹאת *num propter hoc?* כִּי חֵרְפוּ וַיְגַדְּלוּ עַל־עַם יְהוָה *Quod convicia effuderunt et magnificarunt* scil. os suum *contra populum Jovae.* Cf. Vs. 8. et ibi. not.

11. נוֹרָא יְהוָה עֲלֵיהֶם *Formidabilis Jova contra eos* populos erit. Sed Chaldaeus עליהם ad Judaeos retulisse videtur, hoc sensu: terribilem sese ostendet hostibus pro Judaeis vindicandis. Vertit enim: *terribilis Dominus ad redimendum eos.* Graecus Alexandrinus interpres habuit נוֹרָא pro Participio speciei Niphal verbi רָאָה, unde vertit: *ἐπιφανὴς ἔσται κύριος ἐπ᾽ αὐτούς.* Nec aliter Syrus: *apparebit Dominus.* Sed hoc esset hebraice נִרְאָה. כִּי רָזָה אֶת כָּל־אֱלֹהֵי הָאָרֶץ *Nam emaciabit*, perdet, *omnes deos*

terrae. Verbum רָזָה Hebraeis *emaciandi* significatu in usu fuisse, probat locus Jes. 17, 4. *Die illo* יֵרַל *attenuabitur gloria Jacobi,* וּמִשְׁמַן בְּשָׂרוֹ יֵרָזֶה *et pinguedo carnis ejus emaciabitur.* Convenit Arabicum رَزِىَ *extenuatus, enervatus tritusque fuit,* itinere, labore, morbo. Hoc loco רזה est: quasi *macie conficiet*, i. e. perdet, macie enim consumuntur et pereunt animantia. Veteres sensum expresserunt. Chaldaeus: *deprimet.* LXX: ἐξολεθρεύσει. Syrus: *ut perdat omnes reges terrae.* Jarchi: Vires eorum debilitabit. Verbis וְיִשְׁתַּחֲווּ־לוֹ אִישׁ מִמְּקוֹמוֹ *et adorabunt eum quisque e loco suo,* plures hoc dici existimant: non ibunt Hierosolymam adorandi causa, quod ipsum Mal. 1, 11. praedicitur. Cf. Job. 4, 23. Cui interpretationi tamen a Coelln scite obvertit, vix credibile esse, vocem מִמְּקוֹם, quae aliis in locis motum denotat de loco in locum, ut 2 Chron. 7, 21. מִמְּקוֹם שִׁבְתְּךָ *e loco habitationis tuae*, Esth. 4, 14. מִמְּקוֹם אַחֵר *alio e loco*, hoc tantummodo loco eodem quo בְּכָל־מָקוֹם sensu esse accipiendam, nulla id necessitate flagitante. Constructio enim est, quae dicitur praegnans, et plena esset loquutio: וְיָבֹאוּ אִישׁ מִמְּקוֹמוֹ וְיִשְׁתַּחֲווּ לוֹ *et venient quisque de loco suo et venerabuntur eum.* „Formulam integram וַיָּבֹא אִישׁ מִמְּקוֹמוֹ habes Job. 2, 11., ellipticam Job. 27, 23. Sensus, qui inde prodit, est, quoscunque populos venturos esse, quisque e loco suo, Hierosolymam, Jovam venerandi causa, cf. Jes. 2, 2. sqq. Zach. 5, 15. 8, 22." כֹּל אִיֵּי הַגּוֹיִם *Omnes remotae terrae populorum.* „Haec procul dubio," inquit Abarbenel, „respiciunt tempus futurum, quo omnes incolae orbis cognoscent, Jovam esse Deum, ejusque esse magnitudinem, potentiam et decus, et Deus totius orbis terrarum vocabitur (Jes. 54, 4.)." Hieronymus: „Dominus exercituum erit horribilis super eos, et horror ejus non interficiet superbos, non blasphemantium sanguinem fundet; sed disperdet et attenuabit omnia idola eorum, ut qui prius tenebantur errore, et Domini beneficia non sentiebant malorum necessitate pressi, sciant idola nihil prodesse, et adorent eum unusquisque de loco suo omnes insulae gentium. — Judaei totum hoc Capitulum et duo superiora contra Philisthiim et Moab, et filios Ammon ad adventum Christi referunt; quem putant in consummatione mundi esse venturum, qui exstruat Jerusalem, et populum suum liberet de manu gentium, qua tenentur, et hoc sonare quod dicitur: *et adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulae gentium.*"

12. גַּם־אַתֶּם כּוּשִׁים חַלְלֵי חַרְבִּי הֵמָּה *Vos etiam Cuschaei,* i. e. Aethiopes (vid. not. ad Ezech. 30, 4.) *interfecti gladio meo ipsi* eritis. Ita Jes. 66, 16. Jer. 25, 33. חַלְלֵי יְהוָה *occisi Jovae,* i. e. a Jova. הֵמָּה *Ipsi* h. l. vicem gerit verbi substantivi, i. e. eritis; ut Esr. 5, 12. אֲנַחְנָא הֵמּוֹ *nos sumus.* Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 738. Aethiopibus quoque tertia persona pronominis personalis

(זאת = הוא) omnibus personis verbi substantivi aequipollet, vid. Ludolfi *Grammat. Aethiop.* p. 149.

13. וְיֵט יָדוֹ עַל־צָפוֹן *Et extendet* Jova *manum suam contra aquilonem*, Assyriam versus, ut statim addit, quae Judaeae ad aquilonem sita erat. Chaldaeus: *et alte inferet plagam potentiae suae contra aquilonem.* צִיָּה בַּמִּדְבָּר *Siccam* Niniven reddam *ut desertum*, utrumque jungitur et Jes. 35, 1.

14. וְרָבְצוּ בְתוֹכָהּ עֲדָרִים *Et accubabunt in medio ejus greges*, ut in locis derelictis ab humano cultu fieri solet, cf. supra Vs. 6. Ita Theodoretus, Drusius, Grotius, alii. „Verum gregibus," inquit a Coelln, „locus non aptus assignaretur a vate in regione ἀνύδρῳ, צִיָּה, et verba quae adjiciuntur, כָּל־חַיְתוֹ גוֹי, innuere videntur, vocem עֲדָרִים sensu minus proprio esse sumendam de *ferarum gregibus.* Hoc sensu improprio occurrit עֶדֶר Cant. 1, 7. [quo tamen loco עֲדָרֵי חֲבֵרֶיךָ *greges sociorum tuorum* haud dubium est significare pecudum greges, quos socii pascunt]; nec obstat verbum רָבַץ, quod de ferarum, v. c. de leonis cubatione dicitur Gen. 49, 6. al." כָּל־חַיְתוֹ־גוֹי *Et omnia bestia gentis*, i. e. Jarchio et Kimchio explicantibus, *omnes ferae gentium vicinarum.* Ita Syrus: *et omnia animantia gentium.* In חַיְתוֹ et ו mere paragogicum, ut Gen. 1, 24., ubi not. vid. Coccejus (in Lexico s. v. גוֹי) nostra verba sic vertit: *omnia animalia gentis*, i. e. omnis generis animalia gregalia, i. e. ζῶα ἀγελαῖα. „Animalium," inquit, „alia sunt σποραδικὰ solivaga, alia gregalia et socialia. Ferae, quae *gentem* solent facere, huc colonias deducent." Hujusmodi animalia gregaria sunt *thoes*, Schacalae, שׁוּעָלִים, Jud. 15, 4. Et ipsum nostrum nomen גּוֹי, uti et synonymum עַם de *locustis* Joel. 1, 6. 2, 2., item de *formiculis* et *cuniculis* Prov. 30, 25. 26. legitur. Ita Chaldaeus: *greges omnium bestiarum agri* s. *ferarum.* קָאַת Hieronymo est *onocrotalus*, Bochartо (*Hieroz.* P. II. L. II. Cap. 24. T. III. p. 43. sqq. edit. Lips.) sive *ardea stellaris*, sive *pelecanus*, denominatione a קָאָה *evomendo* petita, quia pelecanus conchas jam absorptas revomit, postquam calore ventris apertae sunt, ut ex iis esculenta legat, quod etiam *ardeis* multi tribuunt. Aquaticae aves sunt, quibus tamen sine incommodo sedes assignatur in desertis locis, ut hic et Jes. 34, 11. Ps. 102, 7., quum, observante Bochartо l. c., non omne desertum sit inaquosum. Cf. *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. IV. P. II. p. 315. sq. קִפֹּד *Hericius* aut *histrix* (Arabibus قُنْفُذ) cum קָאַת jungitur et Jes. 34, 11. Est animal solivagum, φιλέρημον, habitans in Babylonia, Bostrae et Ninives desolatis urbibus, quem et ab aliorum animalium societate prohibent aculei, quos impune nemo attigerit. Cf. l. l. p. 227. sq. בְּכַפְתֹּרֶיהָ *In ornamentis superliminarium ejus*, dejectis e fastigio aedium vel columnarum, in excidio urbis. De

בַּפְּתָרִים vid. not. ad Amos. 9, 1. Chaldaeus: *in ostio portarum.* Syrus: *in domibus ejus.* קוֹל יְשׁוֹרֵר בַּחַלּוֹן *Vox cantabit in fenestra*, audietur vox avium tuto cantantium in fenestris aedium destructarum. Chaldaeus: *vox avis pipientis in fenestra* audietur. Syrus: *et ferae rugient in ea.* Sed quum *canendi* verbum adhibuerit vates, haud dubie עוֹף post קוֹל est subaudiendum. חׇרְבׇּה בַּסַּף *Desolatio* erit *in* ipso *limine.* Limina quoque vastabuntur ac destruentur, nec mortalium quisquam ea calcabit postea. Chaldaeus: *desolabunt portam.* Graecus Alexandrinus *κόρακες ἐν πυλῶσιν αὐτῆς* reddidit, quod חׇרְבׇּה interpres per commutationem literarum gutturalium ח et ע eodem quo עׇרְבׇּה significatu cepit. Causa, cur חׇרְבׇּה h. l. ita voluerit intelligere, est, quia aliarum inauspicatarum animalium et avium mentio praecessit, et corvi loca desolata, qualia hic describuntur, inhabitare solent. כִּי אַרְזָהּ עֵרָה *Nam cedrum ejus nudavit*, scil. nudans, i. e. tabulata ejus cedrina nudata sunt. Nam tecto ablato necesse est reliquas partes domus corrumpi, sensimque collabi, quum expositae sint injuriae aëris, id est, ventorum et imbrium. Ad אַרְזָהּ Kimchi notat, ה esse suffixum pronomen deficiente Mappik, et significari contignationes aedium ligno cedrino obductas. Hinc Chaldaeus: *et tabulatum ejus destruxere.* In Syriaca horum verborum interpretatione, *eo quod radix ejus denudata sit*, a Coelln scite monuit, pro inepto וְכַסְתָּהּ *radix ejus*, esse כַּסְתָּהּ *cedri ejus* rescribendum, a nomine כַּסְתָּא *cedrus*, quod in plurali habet כַּסְתָּן, quo vocabulo ab eodem interprete Hebraicum אֶרֶז redditur duobus in locis Ezech. 17, 3. 23. Qua emendatione adscita concinit versio illa cum vero sensu textus Hebraici. Tabulatorum cedrinorum saepius mentio in V. T., veluti Cant. 1, 17. *tigna domuum nostrarum* sunt אַרְזִים *cedri*, cedrina. Jer. 22, 14. *domus* סְפִין בְּאֶרֶז *tabulata cedro.* Cf. ibid. Vs. 7. 15. 23. Zach. 11, 1. עֵרָה *Nudavit* scil. מְעַרָּה *nudans*, formula impersonaliter loquendi satis frequens, pro יְעֻרֶּה *nudabitur.* Vel subaudiendum הָאוֹיֵב *hostis* Niniven expugnaturus et destructurus. Graecus Alexandrinus sic vertit: *διότι κέδρος τὸ ἀνάστημα αὐτῆς*, quasi כִּי אֶרֶז עֻזָּהּ. Sensum Theodoretus ita exposuit: *ἀλλὰ ταῦτα πάντα φήσι πεσεῖται διὰ τὴν τῆς ψυχῆς ἀλαζονείαν, κέδρῳ γὰρ ἐῴκει τὸ ὕψηλον αὐτῆς φρόνημα.* Respexisse eum observat a Coelln locum Amos 2, 9.: *delebo Amoraeos* כְּגׇבַהּ אֲרָזִים גְּבֹהוּ *qui instar altitudinis cedrorum sese extulerunt.* „Vulgata," addit, „quae habet: *et attenuabo robur ejus*, legit אֶרְזָהּ עֻזָּהּ, et verbum רָזָה, cujus Futurum Kal esset אָרְזָה, eodem quo Versu undecimo repcritur sensu accepit."

15. „Post eversionem [urbis Ninive]," inquit Hieronymus, „quasi insultans ruinae ejus, sermo propheticus loquitur": זֹאת הָעִיר הָעַלִּיזָה *haec* est *urbs exsultabunda* laeto rerum successu,

et hinc gloriosa, superba, lasciva. Ita et Hierosolyma vocatur קִרְיָה עַלִּיזָה Jes. 22, 2. Cf. עַלִּיזֵי גַאֲוָתֵךְ infra 3, 11. Chaldaeus vertit *potens*, et Syrus *munita*. הַיּוֹשֶׁבֶת לָבֶטַח *Quae secure habitat*, cujus cives secure degebant, nec quemquam metuebant. אֲנִי וְאַפְסִי עוֹד *Ego* sum sola potens et invicta rerumque domina, *nec* est *praeter me* urbs illa, quae mecum conferri possit, aut certare ausit. אַפְסִי, nomen אֶפֶס cum Jod paragogico, idem quod אַיִן, proprie *defectus*, ut Jes. 45, 14. 46, 9. Eadem haec verba de Babylone dicuntur Jes. 47, 8. — מַרְבֵּץ לַחַיָּה *Cubile feris* erit locus ille, ubi quondam urbs populosa fuerat. Cf. supra Vs. 14. — כֹּל עוֹבֵר עָלֶיהָ יִשְׁרֹק יָנִיעַ יָדוֹ *Omnis qui eam transiverit sibilabit agitabitque manum suam*, prae stupore et admiratione tantae ac tam inopinatae desolationis. Quod ipsum ad adspectum Hierosolymitanae urbis destructae futurum dicitur 1 Reg. 9, 8. Jer. 18, 16. 19, 8.

CAP. III.

Argumentum.

Postquam Hierosolymitanorum mores corruptissimos atque in sceleribus committendis pertinaciam acriter increpasset vates (Vs. 1 — 7.), Jovam cunctis orbis terrarum populis malefactorum poenas irrogaturum denuntiat (Vs. 8.). Impiis vero omnibus sublatis purus Jovae cultus non inter solos Judaeos, verum per totum terrarum orbem vigebit, ipse vero Jova imperii sedem in populo Israelitico collocabit, qui omnium potentissimus atque clarissimus evadet (Vs. 9 — 20.).

1. Contra urbem Hierosolymitanam sermonem propheticum dirigi, quae sequuntur ostendunt. Nec dubium, epithetis, quibus urbs illa hoc Versu appellatur, corruptissimum ejus statum indicari, etsi quid illa proprie significent, obscurius sit. Ac primum quidem nomen, מוֹרָאָה, in Graeca Alexandrina versione redditur *ἐπιφανὴς*, *illustris*, quasi Participium sit Hophal verbi רָאָה *videre*, pro מָרְאָה (quod in nonnullis codicibus exstare testatur De Rossi in Scholiis Crit.) *quae conspicitur*, Exod. 25, 40., Cholem pro Camez-Chatuph, ut in מֹעָלָה *oblatus*, Participium Hophal verbi עָלָה. Syrus quoque, imitatus, ut videtur, Graecum interpretem, *urbs nota*, celebris, vertit. Inter recentiores interpretes nostrum מוֹרָאָה Hillerus in *Onomast. S.* p. 442. interpretatur *formidatam* (a יָרֵא *timuit*), i. e. pluribus castigationibus territam, quia Piel active *terrorem* incutere significat 2 Sam. 14, 15. Chaldaeus cur *vae* ei *quae festinat* verterit, dicere non habeo, nisi forsan מוֹדָאָה (cum Daleth) legerit, a דָּאָה *volavit*, Deut. 28, 49. Ps. 18, 11. Hebraei מוֹרָאָה vulgo *foedatam*, *in*

quinatam interpretantur, ad verbum a רָאִי derivatum, cui *fimeti* significatum tribuunt Nah. 3, 6., sed perperam, vel a מֵרְאָה *ingluvies* Levit. 1, 16., quae et cibi et sordium est receptaculum. Unde et nonnulli nostram phrasin exponunt: *vae ingluviei*, i. e. urbi Hierosolymitanae, quae est quasi ingluvies et receptaculum opum, per avaritiam, fraudem et vim partarum. Drusius a רָאִי, *παράδειγμα*, *spectaculum* (vid. not. ad Nah. 3, 6.) et תִּרְאָה *παραδειγματίζειν*, nostrum מוֹרָאָה *παραδειγματιζομένην*, i. e. *ostentui habitam*, vel *infamiae expositam* interpretatur, ut significetur urbs, quae vitiis ac sceleribus infamem se reddidit. Quod et nos olim adscivimus. Sed non sine ratione a Coelln veretur, ut illa verbi רָאָה significatio ex usu loquendi vel analogia linguae Hebraicae satis possit comprobari. Quare adstipulor Viro Doctissimo, מוֹרָאָה pro מָרָה positum capienti, Participio verbi מָרָה *rebellis fuit*, inserto א vel ut matre lectionis, ut in מְלָאכִים pro מְלָכִים 2 Sam. 11, 1., vel quod forma adhibebatur a verbo cognato מָרָא desumta. Quem significatum reddidit fragmentum versionis Graecae apud Montefalconium per *ἀθετοῦσα*. Quod sequitur, נִגְאָלָה, veteres omnes *redemtam*, *liberatam* vertunt. Id tamen huic contextui vix aptum. Assumendus potius *contaminandi*, *polluendi* significatus, quem hebraeum גָּאַל communem habet cum Chaldaico גְּעַל. Unde et Jes. 59, 3. כַּפֵּיכֶם נְגֹאֲלוּ בַדָּם *manus vestrae pollutae sanguine.* Vid. et Mal. 1, 7. 12. Thren. 4, 14. Est igitur urbs נִגְאָלָה *polluta* caedibus, rapinis, aliisque sceleribus. Vocem hujus Versus postremam, הַיּוֹנָה, plures interpretes *columbae* significatione capiunt. Ita LXX: *ἡ περιστερά*, quod sequutus Hieronymus. Jarchi Hierosolymam *columbam* eodem sensu appellari censet, quo Ephraim ab Hosea 7, 11. vocatur יוֹנָה פוֹתָה אֵין לֵב *columba stolida, vecors.* Sed multo concinnior prodibit sensus, si cum Kimchio nostrum יוֹנָה *opprimentem* interpretamur, a verbo יָנָה, cujus Futurum Ps. 74, 8. נִינָם יַחַד *opprimamus eos simul*, cunctos. Hinc Jer. 46, 16. 50, 16. et חֶרֶב הַיּוֹנָה *gladius oppressionis*, seu *exitii*, et Jer. 25, 38. מִפְּנֵי חֲרוֹן הַיּוֹנָה *propter iram exitii*, i. e. quae exitium effert. Sed nostro loco Hierosolyma apte vocatur *urbs opprimens*, i. e. continente posito pro contento, cujus cives opprimunt pauperes et infirmos. Forsan idem voluit Chaldacus exprimere, dum vertit: *quae multiplicat irae provocationem.*

2. לֹא שָׁמְעָה בְּקוֹל *Non est audiens vocem*, non auscultat voci doctorum suorum, *servorum suorum*, *prophetarum*, ut Chaldaeus recte addit. Idem Hierosolymitanis exprobrat Jeremias 7, 24. 26. 28. 9, 12. — לֹא לָקְחָה מוּסָר *Non recipit disciplinam*, non patitur se institui et erudiri. בַּיהוָה לֹא בָטָחָה *In Jova non est confisa*, „sed modo in Assyrio, modo in Aegyptio, modo in Chaldaeis, saepe et in eorum idolis.“ Grotius. אֶל־אֱלֹהֶיהָ לֹא קָרָבָה *Ad Deum suum non appropinquavit*, Jovam non coluit.

Deo appropinquare dicitur, qui eum veneratur et precibus adit. Hinc ait Jesajas 29, 13. *Hic populus appropinquat ore suo, et labiis suis honorant me, cor autem suum procul removet a me.* Chaldaeus: *et ad cultum Dei non accessit.*

3. שָׂרֶיהָ בְקִרְבָּהּ אֲרָיוֹת שֹׁאֲגִים *Principes ejus* (urbis) *in medio ejus leones rugientes.* Cf. Prov. 28, 15. *Leo rugiens et ursus discurrens est dominator improbus tenui plebeculae.* Vid. et Ezech. 19, 1. sqq. 22, 25. Pares autem erant leonibus crudelitate et saevitia, tum etiam qui terrori erant subditis suis. Leo enim rugitu suo terrorem incutit ceteris animantibus. Nomen femininum אֲרָיוֹת, quia de *principibus* dicitur, cum masculino שֹׁאֲגִים construitur, nam in metaphoricis vocabulis *sensus* ratio haberi solet, ut Ezech. 34, 11. sqq. צאן modo tanquam *femininum*, modo, quia Israelitae significantur, tanquam masculinum plurale tractatur. Vel possis שֹׁאֲגִים cum שָׂרֶיהָ junctum, vertere: *principes ejus* tanquam *leaenae rugiunt.* שֹׁפְטֶיהָ זְאֵבֵי עֶרֶב *Judices* ejus *lupi vespertini.* Cf. notata ad Habac. 1, 8. Quae subjiciuntur, לֹא גָרְמוּ לַבֹּקֶר, plures sic interpretantur: qui *non exossant mane*, i. e. vespertinam praedam statim ita cum ossibus devorant, ut mane ne ossa quidem rodenda reliqua habeant. Sed vere A COELLN monuit, expeditiorem fieri sensum, si verbum גָּרַם h. l. cum veteribus *servandi*, *reponendi* significatu capimus, qui nec alienus est a vi primaria *secandi*, *abscindendi* huic verbo propria, eaque conspicua in Syriaco ܓܪܡ *abscidit*, et Arabico جرم *abstulit*, i. q. قطع. „Verba enim," addit, „quibus primaria est vis secandi, transferri solent ad notionem *reservandi*, *recondendi.* Veluti בָּדַל *abscidit*, *separavit*, cum ל constructum significat *reservavit*, ut Deut. 29, 20. וְהִבְדִּילוֹ *reservavit eum Deus ad calamitatem;* et אָצַל *abstulit*, cum ל *reposuit alicui*, Gen. 37, 36. הֲלוֹא אֲצַלְתָּ לִי בְּרָכָה *annon mihi quoque benedictionem quandam reposuisti?*" Recte Graecus Alexandrinus vertit: *οὐχ ὑπελίποντο εἰς τὸ πρωΐ.* Chaldaeus: *non prorogantes ad tempus matutinum.* Syrus: *nec exspectant ad matutinum.* Lutherus: *die nichts lassen bis auf den Morgen überbleiben.* לַבֹּקֶר non significat *matutino tempore*, sed *εἰς τὸ πρωΐ*, *in mane*, *diem crastinum*, ut Exod. 34, 35. לֹא יָלִין לַבֹּקֶר *non pernoctabit* (adeps agni paschatis) *ad diem crastinum.* Igitur lupis, vespertino tempore ita saevientibus, ut de praeda capta nihil ad diem crastinum reponant, vates comparat inexplebilem judicum rapacitatem, de qua et Ezechiel eadem adhibita imagine queritur 22, 27. *principes ejus* (Hierosolymae) *quasi lupi rapientes praedam.*

4. נְבִיאֶיהָ פֹּחֲזִים *Prophetae ejus temerarii*, s. *impudentes*, ex usu Syriaci ܦܚܙܢܐ *impudicus*, *protervus*, non pudent mendacia proferre. Alii *futiles*, *leves* interpretantur. Verbi פָּחַז notionem

primariam Hebraeis A COELLN sitam existimat in *vacuitate*. Nam Jud. 9, 4. junguntur *homines* רֵיקִם וּפֹחֲזִים *nihili et protervi;* et nomina פַּחַז Gen. 49, 4., et פַּחֲזוּת Jer. 23, 32. respondent nomini שֶׁקֶר *mendacium* ut synonymo. Haec vero *vacuitatis* notio deinde ad mendacium, fraudulentiam transferebatur. Chaldaeus h. l. *pseudoprophetae qui* sunt *in medio ejus male agunt.* LXX: *οἱ προφῆται αὐτῆς πνευματοφόροι.* Ezechiel de pseudoprophetis suae aetatis 22, 28.: *Dicunt: ita loquutus est Dominus Deus, quum tamen non sit loquutus.* אַנְשֵׁי בֹגְדוֹת *Viri perfidiarum,* perfidia insignes, quia alios mendacibus vaticiniis decipiunt. כֹּהֲנֶיהָ חִלְּלוּ קֹדֶשׁ *Sacerdotes ejus polluunt sanctum,* quod quidam exponunt: profanant Sanctuarium, Templum. Sed omnes omnino res sacrae nomine קֹדֶשׁ comprehendi videntur, ut sensus sit: non discernunt sacra inter et profana, sacra miscent profanis, ut Ezechiel de sacerdotibus queritur 22, 26. *polluunt sacra mea, inter sacrum et profanum nullum discrimen faciunt.* Cf. et Mal. 1, 12. — חָמְסוּ תוֹרָה *Vim inferunt legi,* callida ac perversa interpretatione corrumpunt legem, ejusque verba intervertunt, ea quasi violenter in alium sensum detorquendo. Eadem iisdem verbis in sacerdotibus reprehendit Ezechiel 22, 26. Eodem pertinet quod dicit Jeremias 2, 8. *Sacerdotes non dicunt: ubi est Jova? et tractantes legem me ignorant.* Jarchi verbum חָמַס *rapiendi* significatu h. l. capit, ut phrasis nostra proprie sonet: *rapiunt legem,* subtrahunt legem aliis, unde verborum nostrorum sensum ita exponit: non docent legem eos, qui ipsos de ea consulunt.

5. יְהוָה צַדִּיק בְּקִרְבָּהּ לֹא יַעֲשֶׂה עַוְלָה *Jova justus in medio ejus* civitatis habitat, *non faciet perversum,* non committet, ut haec scelera vestra abeant impunita; nam hoc iniquum esset, et a natura ipsius alienum. Deut. 32, 4. *Dei opus perfectum, et omnes viae ejus judicium; Deus fidelis et expers iniquitatis; justus et rectus ipse est.* Chaldaeus: *Jova justus dicit se collocaturum majestatem suam in medio ejus, coram eo non fit mendacium.* Quod sequutus Jarchi: *Jova justus, qui collocavit praesentiam suam inter illos* (Judaeos), quare non potest adspicere mala illorum opera; nam ipse justus est, nec iniquitas coram ipso (subsistit). בַּבֹּקֶר בַּבֹּקֶר מִשְׁפָּטוֹ יִתֵּן לָאוֹר *Mane, mane,* singulis matutinis, quotidie, *judicium suum profert in lucem,* per prophetas suos, quorum opera utitur ad docendum populum leges et jura sua, qui hortando et monendo per singulos dies id operam dant, ut eum ad meliorem frugem vocent, sed frustra. Nam licet officio suo probe fungantur, tamen nihil proficiunt. בַּבֹּקֶר בַּבֹּקֶר significare *singulis matutinis* nequit dubium esse inspicientibus loca Exod. 16, 21. Jes. 50, 4. Atque מִשְׁפַּט יְהוָה h. l. indicat *leges Jovanas,* praecepta et statuta, quae Jova ab hominibus vult observari et secundum quae ipsi judicantur, absolvuntur vel damnantur, ut supra 2, 3. Ps. 147, 29. Jer. 5, 4. 5.

8, 7. Et Jes. 51, 4. מִשְׁפַּט יְהוָה et תּוֹרַת יְהוָה tanquam synonyma usurpantur. יִתֵּן לָאוֹר *Dat in lucem*, i. e. profert, notum facit. Sed a Coelln בבקר בבקר *brevi*, tempore proxime instante, interpretatur, ut Ps. 46, 5. Jes. 33, 2., משפט vero de poenis a numine infligendis, ut infra 3, 15. et saepius, verba denique יתן לאור *proferet in medium* exponit: eventum habebit, apparebit, manifestum fiet. לֹא נֶעְדָּר *Non deficit* officio suo, nunquam omittit talia agere. וְלֹא יוֹדַע עַוָל בּשֶׁת *Sed nescit perversus* populus *erubescere*, adeo callum obduxerunt in nequitia sua, ut videantur omnem omnino pudorem exuisse. Jarchi: Sed ista omnia non revocant ad animum judices iniqui, ut erubescant coram justo Deo, qui inter illos habitat. Hieronymus: Sed iniquus Israel non cognovit confusionem suam, nec intellexit ideireo sibi illatas plagas, ut ageret poenitentiam. Similiter Jer. 6, 15. *Pudore adfecti sunt quod scelerate fecerunt, non pudet eos tamen, neque verecundari sciunt.* Quae repetit 8, 12. Et idem 3, 3. *Quum interceptae sunt pluviae, imberque serus deficiat, tu fronte meretricia pudere renuis.*

6. הִכְרַתִּי גּוֹיִם *Exscidi gentes*, ut documentum inde caperent mei, et alieno periculo cautiores evaderent. *Gentes* a Coelln monet non intelligendas esse finitimas, quarum excidium, 2, 4—15. adumbratum, adhuc futurum erat, ita ut de eo non potuisset loqui tanquam de re praeterita, nec, quod placuit aliis, decem tribus in exilium deductae ut vindictae divinae exemplum proponuntur, nam Israelitas jure non poterat insignire vocabulo גּוֹיִם, de gentibus proprio; sed veteres Palaestinae incolas, a majoribus, divina ope adjutis, exstirpatas. נָשַׁמּוּ פִּנּוֹתָם *Desolati*, vastati *sunt anguli eorum*, turres, munimenta, ut supra 1, 16. Quidam per פִּנּוֹת significari putant principes et proceres, qui ut anguli molem aedificii, ita rempublicam sustinent et fulciunt. Sane Jud. 20, 2. פִּנּוֹת כָּל־הָעָם sunt *principes totius populi.* Vid. et 1 Sam. 14, 38. Jes. 19, 13. Quibus tamen minime congruit verbum נָשַׁמּוּ. Alii *extremitates*, i. e. fines populorum, ditiones eorum intelligunt. Sed malim vocem eodem sensu h. l. capere, quo supra 1, 16. a Nostro est usurpata; cf. not. ad eum loc. Ita et Chaldaeus: *vastata sunt palatia eorum.* הֶחֱרַבְתִּי חוּצוֹתָם *Vastavi plateas eorum*, hominibus vacuas eas feci, ut sequitur מִבְּלִי עוֹבֵר *a non transeunte*, ut nemo supersit qui transeat. Quae phrasis in summae desolationis descriptione et Jer. 9, 9. 11. adhibita. Verba נִצְדּוּ עָרֵיהֶם nonnulli vertunt: *per insidias captae sunt urbes eorum*, quod צָדָה in Cal *venari*, *insidiari*, ut Exod. 21, 13. notat. Sed recte jam Hieronymus ex usu consoni verbi Chaldaici *desolatae sunt urbes eorum* vertit. מִבְּלִי אִישׁ מֵאֵין יוֹשֵׁב *A non viro*, *a non habitatore*, ita ut sint absque ullis hominibus, qui habitent in illis. Ita et Jer. 2, 15. *urbium suarum unaquaeque exscindetur ut nullus supersit incola.* Vid. et Jer. 4, 7.

7. Ad urbem Hierosolymorum orationem convertit: אַךְ־ תִּרְאִי אוֹתִי *attamen timebis me*, tot vicinarum gentium poenis erudita. תִּקְחִי מוּסָר *Accipies disciplinam*, sapies ex alieno malo. Eodem sensu dicitur Prov. 24, 32. רָאִיתִי לָקַחְתִּי מוּסָר *vidi accepi disciplinam.* וְלֹא־יִכָּרֵת מְעוֹנָהּ *Ne exscindatur habitaculum ejus*, populi (transit subito ad personam tertiam), ne cogar in te animadvertere urbem tuam exscindendo. מְעוֹנָהּ collective capiendum pro מְעוֹנֶיהָ *habitacula ejus* scil. urbis, ad eam enim referendum suffixum femininum. Qui מְעוֹנָהּ in singulari accipiunt, *templum* significari putant Hierosolymitanum, quo Jova peculiari modo habitare credebatur. מָעוֹן de templo dicitur quoque 2 Chron. 36, 15. Chaldaeus: *ne exscindat habitationes eorum e terra domus majestatis meae.* Verba quae sequuntur, כֹּל אֲשֶׁר־פָּקַדְתִּי עָלֶיהָ, interpretum quidam elliptice posita putant pro: וְלֹא יָבֹא עָלֶיהָ מִכֹּל הָרָעוֹת אֲשֶׁר פָּקַדְתִּי עָלֶיהָ *ac ne veniat super eam* quidquam *ex omnibus malis* illis, *quae* jam *mandaveram contra eam.* Alii ex Hebraeis haec verba ita exponunt: *et ne exscindatur* s. cohibeatur *quidquam e bonis illis, quae illis destinaveram*, quo prophetiae donum, et symbolum praesentiae divinae, שְׁכִינָה dictum, intelligunt, quibus templum secundum caruit. Ita Chaldaeus: *omnia bona, quae dixi*, promisi, *eis, adducam eis.* Verum scite monuit a Coelln, nullam subaudire vocem necesse esse, praeter particulam כְּ *secundum*, ut verba ita sint vertenda: *secundum omnia quae decrevi contra illam*, i. e. ne, meliorem animi indolem praefracte repudiando, excisionem non evadat jam olim a me contra illam decretam. אָכֵן הַשְׁכִּימוּ הִשְׁחִיתוּ כֹּל עֲלִילוֹתָם *Veruntamen* tantum abest, ut aliorum exemplo meliora docti resipiscerent, quin etiam deteriores facti sunt, nam *mane surrexerunt corruperunt omnes actiones suas*, pessima sectati sunt studia. הִשְׁכִּימוּ *Mane surrexerunt*, i. e. studiosissime, ut Jer. 5, 8. 7, 13. 25. 11, 7. 25, 3. 4. — הִשְׁחִית עֲלִילוֹת *Corrumpere actiones suas* aut דֶּרֶךְ *viam suam* dicitur is qui perperam et perdite agit, ut Gen. 6, 12. HIERONYMUS: „Feci tibi quidem haec, o Jerusalem, sed feci, ut timeres me et susciperes disciplinam, et non periret habitaculum tuum, id est, templum, propter omnia scelera, quae gesseras. At e contrario habitatores Jerusalem, me eos ad poenitentiam provocante, quasi de industria et ex contentione diluculo surrexerunt, ut festinatione, qua ad me redire debucrunt, complerent omnes cogitationes suas, et opere demonstrarent, quod mente conceperant."

8. לָכֵן חַכּוּ־לִי *Quare*, quod moniti non emendamini (Vs. 7.), *praestolamini me*, ut vos expurgem, ut recte Kimchi addit, una cum ceteris orbis terrarum populis, cum severus judex terram sum invisurus, ut homines scelerum coarguam. Pios consolandi causa haec et quae sequuntur praenuntiat. Recte Judaei Hieronymi tempore, uti refert in Commentario ad h. l., haec interpretati

sunt de adventu Christi [Messiae] sui, „quem sperant venturum esse, et dicunt universis gentibus congregatis et effuso super eos furore Domini in igne zeli ejus terram devorandam.“ לְיוֹם קוּמִי לָעַד *Diem* (praestolamini) quo fiet *surgere meum*, quo exsurgam *ad praedam*, quo significatu עַד Gen. 49, 27. Jes. 33, 23. occurrit. Verbum קוּם de Deo ad exercendas poenas, bellatoris instar ad proelium exsurgentis, prodeunte dicitur Ps. 7, 7. 17, 13. Jes. 2, 19. 21. „Herois imagine ad bellum properantis passim adumbratur Jova a vatibus, a Nostro infra Vs. 15. 17. Populi vero Orientis, cum, ut fieri solet gentibus rudibus, praecipuus bellorum finis in capienda praeda conspiceretur, et optima spoliorum pars Jovae, ut agminum Israeliticorum duci, rite consecraretur; quidni deceret vatem de Deo bellatore *egredi ad praedam* eodem sensu quo *egredi ad pugnam* dicere, vel unam harum loquutionum cum altera permutare?“ A COELLN. Graecus Alexandrinus Hebraea sic reddidit: εἰς ἡμέραν ἀναστασεώς μου εἰς μαρτύριον. Nec aliter Syrus; *diem quo surgam ad testimonium*, i. e. ad vos coarguendos. Utrumque interpretem pro לָעַד legisse לָעֵד patet. Chaldaeus: *diem quo revelabor ad judicium.* Videtur עַד a verbo יָעַד, in Hiphil *ad judicium vocavit*, collatis formis nominum עֵצָה a יָעַץ, דֵּעָה a יָדַע, derivasse et significatione *judicii* accepisse. HIERONYMUS: „Ubi nos transtulimus: *in die resurrectionis meae in futurum*, et omnes interpretati sunt *in testimonium*, Hebraeus, qui me in Scripturis instituit, asserebat *Laed* in praesenti loco magis εἰς ἔτι, id est, *in futurum*, debere intelligi, quam: *in testimonium. Ed* enim, quod scribitur per literas Ain et Daleth, ἔτι et μαρτύριον, id est, *futurum* et *testimonium* intelligi.“ Sane eum accentu majore עֵד scribitur pro עַד, ut in formula satis nota לָעוֹלָם וָעֵד Ps. 9, 6. 10, 16. 21, 5. Et quum et hic accentus Atnach positus sit, conjici possit, fuisse olim codices, in quibus לָעֵד h. l. scriptum fuerit. כִּי מִשְׁפָּטִי לֶאֱסֹף גּוֹיִם *Nam judicium meum* tam in Judaeos quam in ceteros populos exercendum hoc erit, *ut congregem gentes*, cf. Joel 4, 11. — בְּאֵשׁ קִנְאָתִי תֵּאָכֵל כָּל־הָאָרֶץ *Igne zeli mei devorabitur tota terra*, omnes terricolae. Ita Gen. 41, 57. וְכָל־הָאָרֶץ *omnis terra*, i. e. omnes terrae incolae *venerunt Aegyptum.* Chaldaeus *omnes impios terrae* reddidit. *Zelus Jovae* pro *ira ejus;* cf. Ezech. 22, 31. *effundam super eos furorem meum*, בְּאֵשׁ עֶבְרָתִי כִּלִּיתִים *igne irae meae eos consumam.*

9. כִּי־אָז אֶהְפֹּךְ אֶל־עַמִּים שָׂפָה בְרוּרָה *Nam tum*, cum supplicium sumsero de populis, *convertam ad populos*, qui reliqui erunt e communi clade, *labium purum*, quod Chaldaeus sic reddidit: *convertam in omnes gentes sermonem unum electum*, i. e. ita mutabo populos, ut de Deo caste et sentiant et loquantur, ut eum sanete et religiose colant; ita enim prius hoc hemistichium exponitur posteriore: לִקְרֹא כֻלָּם בְּשֵׁם יְהוָה לְעָבְדוֹ שְׁכֶם

אֶחָד *ut invocent omnes illi nomen Jovae, ut eum colant humero uno*, i. e. summo consensu; metaphora tracta a bajulis, qui oneri ex aequo supponunt humerum. Plures Judaei interpretes per שָׂפָה בְרוּרָה *linguam Hebraicam* intelligunt, qua usuri sint mortales in posterum, quemadmodum praedicit Jesajas 19, 18. *die illa in Aegypto erunt quinque urbes, quae linguâ Cananaeâ loquentur.* Eo autem hoc videtur indicari, fore ut urbium illarum incolae recipiant mores, instituta et religionem eorum, quorum lingua sint usuri. Sic cum Persarum rex Esth. 1, 22. edixisse legitur, ut unusquisque מְדַבֵּר כִּלְשׁוֹן עַמּוֹ *loquatur lingua populi sui*, hoc significatur, vivendum cuique esse more patrio, et servandam consuetudinem popularium suorum. Quodsi igitur h. l. לָשׁוֹן בְּרוּרָה *linguâ purâ*, qua populi alii sint usuri, cum Hebraeis sermonem Hebraeum intelligimus, sensus nostrorum verborum hic erit: omnes populos sequuturos esse leges, instituta et religionem Hebraeorum, i. e. Jovam culturos. Atque hoc modo Judaeos Hieronymi tempore verba nostra intellexisse, ipse refert in Commentario ad h. l.: Sicut ante aedificationem turris [Babylonicae] fuit, quando una lingua omnes populi loquebantur, ita conversis omnibus ad cultum veri Dei, loquuturos Hebraice, et totum orbem Domino serviturum.

10. מֵעֵבֶר לְנַהֲרֵי־כוּשׁ *Et trans flumina Cuschaeae*, i. e. e regionibus, quae sita sunt ultra flumina terrae Cusch, et remotissimis etiam locis, scil. יוֹבִילוּן מִנְחָתִי *adferent mihi munera*, quod, recte monente Jarchio, ex altero hemistichio est subaudiendum. Vox עֵבֶר eodem h. l. modo construitur, quo Deut. 30, 13. et 2 Paral. 20, 2. מֵעֵבֶר לַיָּם, ad verb. *ab ulteriore parte* s. *ora*, quae est *mari*, i. e. ultra mare. Ceterum regionum לְנַהֲרֵי־כוּשׁ mentio quoque fit Jes. 18, 2., ad quem loc. vid. not. Chaldaeus h. l. כּוּשׁ vertit *India*. De כּוּשׁ sensu et latiore de terris omnino ad austrum sitis, et strictiore de Aethiopia usurpato, vid. libr. nostr. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. I. p. 210. עֲתָרַי *Supplices mei*, qui me precibus adeunt, adeoque Deum suum me colunt. בַּת־פּוּצַי Jarchi recte exponit *congregationem dispersorum meorum, quos ego dispersi.* יוֹבִילוּן מִנְחָתִי *Afferent munus meum*, i. e. oblationes, sacrificia, quae mihi debentur. Alii inter Hebraeos interpretes עֲתָרַי בַּת־פּוּצַי pro Accusativis habent, ut vertendum sit: *e regionibus trans fluvios Cuschaeae supplices meos dispersosque tanquam munus mihi afferent*, ut significetur, munus, quod Jovae sit afferendum, fore ipsos Judaeos dispersos per loca, quae sunt ultra flumina Aethiopiae. Ita Chaldaeus: *E transfluviatilibus partibus Indiae per miserationes revertentur exsules populi mei, qui deportati fuerant, eosque adducent quasi oblationem meam.* Eadem sententia Jes. 66, 19. 20., ubi praedicitur, fore, ut gentes remotissimae Judaeae inter se dispersos tanquam Jovae munus adducant.

11. בַּיּוֹם הַהוּא לֹא תֵבוֹשִׁי מִכֹּל־עֲלִילוֹתַיִךְ אֲשֶׁר פָּשַׁעְתְּ בִּי *Die illa non pudefies ob omnes actiones tuas*, non pudebit te ullius actionum tuarum, *quibus in me peccasti*, i. e. nihil facies tale, quale hactenus fecisti, nihil committes, ob quod pudere debeas. כִּי־אָז אָסִיר מִקִּרְבֵּךְ עַלִּיזֵי גַאֲוָתֵךְ *Tunc enim amovebo e medio tui superbientes fastus tui*, i. e. tuos, quae fastuosa es. Alii *superbiâ populi Hebraici* significari existimant templum Hierosolymitanum, et alia bona, quibus superbientes Judaei et nimium sibi placentes impune se suae libidini indulgere posse opinarentur. וְלֹא־תוֹסִפִי לְגָבְהָה עוֹד בְּהַר קָדְשִׁי *Nec addes efferre te amplius in monte sanctitatis meae.* „*Superbiae* est, legem contemnere, quod fecerant ipsi sacerdotes in templo, supra Vs. 4., hoc est quod Num. 15, 30. dicitur *peccare* בְּיָד רָמָה, i. e. *per superbiam* [imo: sciens et volens, proterve]." Grotius. לְגָבְהָה Infinitivus cum He paragogico pro לָגְבַהַּ, ut Exod. 29, 29. לְמָשְׁחָה *ad ungendum*, pro לִמְשֹׁחַ.

12. וְהִשְׁאַרְתִּי בְקִרְבֵּךְ עַם עָנִי וָדָל *Et reliquum faciam in medio tui populum afflictum et tenuem*, i. e. modestum, mansuetum et mitem minime fastuosum, oppositum ei, de quo Versu superiore. Explicat se ipsum dum addit: וְחָסוּ בְּשֵׁם יְהוָה *et* qui *recipiunt se ad nomen Jovae*, spem salutis suae ponunt in Jova. De verbo חָסָה vid. not. ad Ps. 2, 12. Kimchi notat, עָנִי h. l. idem esse quod עָנָו, quod *mitem mansuetumque* significat, ut Zach. 9, 9., ubi Messias asino dicitur vehendus עָנִי *humilis*, i. e. demisse, modeste. Chaldaeus vertit: *populum mansuetum et qui recipit contumeliam*, qui contumeliis expositus est s. erat. „Amiserunt enim opes et divitias in exsilii miseriis," ut Abarbenel notat.

13. כִּי־הֵמָּה יִרְעוּ וְרָבְצוּ וְאֵין מַחֲרִיד *Nam ipsi pascent et cubabunt, et nemo qui exterreat* eos, i. e. tuto ac secure habitabunt, nihil periculi eis ab improbis erit. Eadem formula summa securitas describitur Levit. 26, 6. Jes. 17, 2. Mich. 4, 4.

15. הֵסִיר יְהוָה מִשְׁפָּטַיִךְ *Removit Jova judicia tua*, poenas a gentibus exteris tibi inflictas, mala quae ab eis pertulisti. מִשְׁפָּטִים h. l. sunt calamitates ex judiciis supremi decreto perferendae, ut Ezech. 5, 8. Jarchi recte exponit: *castigationes tuas*, et Gallice *justices*. פָּנָה אֹיְבֵךְ *Abstulit hostes tuos*, ut auferri solent sordes et purgamenta. Nam de domo everrenda verbum פָּנָה dicitur Levit. 14, 36. — מֶלֶךְ יִשְׂרָאֵל יְהוָה בְּקִרְבֵּךְ *Rex Israelis, Jova, in medio tui* versabitur. Cf. Jes. 52, 7. — לֹא תִרְאִי רָע עוֹד *Non videbis*, experieris *malum ulterius*, ut Jer. 5, 12. *Non superveniet nobis malum*, וְחֶרֶב וְרָעָב לֹא נִרְאֶה *et gladium atque famem non videbimus*, non experiemur. Chaldaeus et Hieronymus vertunt: *non timebis malum*, quas pro תִּרְאִי legissent תִּירְאִי, uti est in Versu proximo. Et sunt etiamnum codices haud pauci a Kennicotto et De-Rossio indicati, in quibus

h. l. תִּירָאִי reperitur. HIERONYMUS: „Judaci cum Christo [Messia], quem putant esse venturum, haec sibi omnia repromittunt, quae nos, qui Christum susccpimus, jam cum ipso sumus omnia conscquuti.“

16. אַל־יִרְפּוּ יָדֶיךָ *Ne remittant se manus tuae*, ne desistas ab inceptis, et serva fidem jam susceptam. Nomen יָד h. l. ut masculinum tractatur, quum alias generis feminei esse constet.

17. גִּבּוֹר יוֹשִׁיעַ *Heros* ille apud te versaturus, Deus, *salvabit* te ab hostibus tuis quantumvis potentibus. יָשִׂישׂ עָלַיִךְ בְּשִׂמְחָה *Laetabitur de te gaudio*, quod vividius depingitur Jes. 62, 5.: *ut sponsus laetatur de sponsa sua, ita de te laetabitur Deus tuus.* Formula שִׂישׂ שִׂמְחָה legitur et Ps. 28, 4. Graccus Alexandrinus nostra verba sic reddit: *ἐπάξει ἐπί σε εὐφροσύνην.* Pro יָשִׂישׂ interpretem יָשִׂית legisse a Coelln observat, ut Jes. 15, 9. ἐπάξω ἐπὶ est pro אָשִׁית עַל positum. Quod verbum impertiendi aliquid significatu occurrit Gen. 4, 25. — יַחֲרִישׁ בְּאַהֲבָתוֹ *Silebit in amore tuo*, i. e. qua est erga te propensione silebit ad peccata tua, non redarguet ea, sed tibit condonabit. Chaldaeus: *abscondet peccata tua pro sua misericordia.* Cf. Mich. 7, 19. יְכַבּוֹשׁ עֲוֹנֹתֵינוּ, ad quem loc. vid not. Graecus Alexandrinus: *καινιεῖ σε ἐν τῇ ἀγαπήσει αὐτοῦ*, quod scquutus Syrus: *et redintegrabit te per amorem suum.* Pro יַחֲרִישׁ errore oculi legit יַחֲדִישׁ cum Daleth, additque Pronomen secundae personae, cujus in Hebraeo nullum est vestigium.

18. נוּגֵי מִמּוֹעֵד אָסַפְתִּי מִמֵּךְ הָיוּ מַשָּׂאת עָלֶיהָ חֶרְפָּה Versus impeditus, in quo explicando et veteres et recentiores magnopere inter se dissentiunt. Graecus Alexandrinus: *ὡς ἐν ἡμέρᾳ ἑορτῆς* (quae verba ad superiorem Versum trahit, conjungitque cum verbis, quae ibi praecedunt: *καὶ εὐφρανθήσεται ἐπί σοι ἐν τέρψαι, ὡς κ. τ. λ.) Καὶ συνάξω τοὺς συντετριμμένους σου οὐαὶ τὶς ἔλαβε ὀνειδισμὸν ἐπ᾽ αὐτήν.* Apparet hunc interpretem multis modis a nostro textu Hebraico recessisse. Pro נוּגֵי מִמּוֹעֵד legit כְּיוֹם מוֹעֵד; מֵמֵּךְ accepit pro iis, qui *ex te dispersi* sunt (nisi forsan, ut a Coelln conjicit, מֵמַּכֵּיךְ, Participium Hophal verbi מָכַךְ *depressit* legerit); pro הָיוּ legit הוּי, מַשָּׂאת resolvit in מִי שָׂאת. Cum Alexandrino interprete, qui, ut a Coelln monet, textum sequitur singulis tantum literis a recepto recedentem, facileoremque fundentem sententiam, Syrus convenit in eo, quod pro נוּגֵי מִמּוֹעֵד legit כְּיוֹם מוֹעֵד, et haec verba ad superiorem Versum traxit, dum *sicut in die festi* vertit. Cetera vero nostri Versus verba hoc modo reddidit: *et auferam a te eos, qui contumeliosa contra te loquebantur.* מַשָּׂאת de *verbis prolatis* intellexit, quemadmodum מַשָּׂא *effatum* de prophetarum oraculis dici constat. Chaldaica hujus Versus interpretatio talis est: *qui remorati sunt* s. *impedierunt in te tempora solennitatis tuae expuli a te. Vae illis, quia portaverunt arma sua contra te et opprobriis*

te affecerunt. Eadem loci nostri interpretatio legitur in Gemara Talmudis Babylonici Cod. בְּרָכוֹת *de Precationibus* Cap. 4. fol. 28. col. a. *Dixit Rabbi Josua filius Levi: quicunque preces additicias post horam septimam recitat, secundum R. Judam, de eo dicit Scriptura* (i. e. de eo valet quod scriptum Zeph. 3, 18.): *Remotos a conventu, solennitate, consumsi; ex te fuerunt. Quid significat* נוּגֵי? *Habet* frangendi, s. perdendi *significatum. Ita R. Joseph haec verba interpretatur: exitium veniet super osores domus Israelis, propterea quod remorantur tempora festa Hierosolymis.* Ad quem locum Talmudicum Jarchi voci מִמּוֹעֵד hanc apposuit adnotatiunculam: *propterea quod non observarunt tempora precum et festa, erunt removendi et absumendi et perdendi.* Idem Jarchi nostrum Zephanianum locum in Commentario ita exposuit: „*qui remoti sunt a solennitatibus meis, qui non observarunt sabbatha et dies festos, illos* אֲסַפְתִּי, *i. e. consumsi.* Ex te fuerunt, *i. e. ex populo tuo.* Onus (impositum) et opprobrium, *propter istum reatum fuit tibi onus opprobrii. Dictio* נוּגֵי *significat* remotionem, *ut Prov.* 25, 4. Removete scorias, *et* 2 *Sam.* 20, 13, Quum remotus esset a via trita. *Nulla autem litera radicalis superest in voce illa praeter Gimel.*“ Sane נוּגִים ad verbum יָגָה relatum *remotos* significare posse, non dubitare sinunt loca a Jarchio adducta. נוּגֵי מִמּוֹעֵד oppositi erunt τοῖς בָּאֵי מוֹעֵד, i. e. iis qui ad festa veniunt, Thren. 1, 4. Recentiores post Kimchium interpretes Hebraici quos vidi omnes נוּגֵי interpretantur *moestos.* Ita enim Kimchi: „נוּגֵי Adjectivum e forma Niphal, significatione יָגוֹן *moeroris*, ut Thren. 1, 4. בְּתוּלֹתֶיהָ נוּגוֹת *virgines ejus moestae. Quum vox in statu regiminis sit posita, abjectum est Mem, secundum regulam; praeterea enim* (in statu absoluto) *esset* נוּגִים. *Quod vero sensum loci attinet, observandum, vatem Sionem et Hierosolymam alloqui, q. d. filios moestos ob tempus liberationis* (longius procrastinatum), *omnes reliquos tuos ad te colligam. Nominis* מַשָּׂאת *sensus est: postquam magnum opprobrium diu pertulerunt.* עָלֶיהָ *Super eam, i. e. urbem Hierosolymitanam.*“ Alii, qui נוּגֵי *moestos* interpretantur, מוֹעֵד *festi* significatu sumunt, ut sensus sit: *moestos ob festa*, i. e. qui propterea lugent, quod festa consueta celebrare nequeant. Nam ter quotannis Hierosolymam itabant sacrorum causa; id exsilii tempore facere non poterant, hinc moerore afficiebantur. Fuisse jam inter antiquiores Hebraeos, qui נוּגֵי h. l. *moestos* interpretarentur, apparet ex his Gemarae verbis, quae statim post ea, quae supra attulimus, sequuntur: *dicit R. Eleasar: quicunque recitat preces matutinas post horam quartam, secundum R. Judam, de eo valet, quod Zeph.* 3, 18. *scriptum est. Quid vero eo in loco denotat* נוּגֵי? *Habet* moeroris *significationem, ut* תּוּגָה *Ps.* 119, 28. *Eundemque significatum illi tribuit R. Nachman, Isaaci filius, e loco Thren.* 1, 4. Eodem significatu interpretes ex Christianis tantum non omnes

נוּגֵי sumunt, quamvis neo hi in Versus integri explicatione inter se consentiunt. Plerique tamen ita illum interpretantur: *Moestos propter solennitates*, quod eas in exteris terris more antiquo celebrare non possunt, *colligam*, *ex te erant*, i. e. ex civibus tuis, ideo in patrium solum eos reducam; *oneri* fuit *opprobrium ei*, i. e. probrum, quo affecta fuit in exilio, ei, congregationi moestarum, grave et onerosum fuit. Alii ante מַשָּׂאת e Versus initio נוּגֵי repetentes, et praepositionem מ, posterioris hemistichii sensum faciunt hunc: moestos propter *onus impositum ei*, propter *opprobrium*, scil. colligam. Sed quum מַשָּׂאת nonnullis aliis, quibus occurrit, locis, veluti Jer. 40, 5. Esth. 2, 18. Amos 5, 11. *munus* denotet, eodem significatu heic adscito Ludov. de Dieu nostrum Versum sic exponit: *dolentes ob solennitatem colligam*, *ex te sunt*, *munus*, *super quod opprobrium est*, i. e. pios omnes, qui dolent impeditas esse festorum solennitates, colligam, quia ex te sunt, mi populc; tui sunt, ad te pertinent, et ego eos tanquam donum tibi colligam, super quod quidem jam opprobrium est. Nobis quidem commodissimum videtur, per נוּגֵי מִמּוֹעֵד, sive *remotos a festo*, sive *dolentes ob festum* vertas, intelligere exsules Judaeos, quos Jova colligendos e terris, per quas dispersi sunt, promittit, et in patrium solum, ad suos, quibus erepti ab hostibus fuerunt, reducendos, postquam exsilii opprobrium pertulissent. נוּגֵי in statu regiminis dicitur, quomodo et alias Participia cum nominibus intercedente particula arctius juncta construi solent, veluti חוֹסֵי בוֹ Ps. 2, 12., ad quem loc. vid. not. Ceterum non dubitamus, eam, quam a Coelln dedit hujus Versus explicationem nostram facere quippe quae sua se facilitate prae aliis commendet. „In Judaeorum," inquit, „expulsorum sorte quum id videretur miserrimum, quod procul a loco Sanctuarii quondam splendidissimi nec festos in frequentissimo popularium conventu dies possent peragere, *ob coetus* laetos, jam abrogatos, eos vocat *lugentes*. נוּגֵי *Lugentes* est Participium Niphal verbi יָגָה, in Niphal *luxit*, Thren. 1, 4. coll. 5. 3, 32. 33. Jes. 51, 23. Job. 19, 2. Vim eandem neutralem in Conjugatione Niphal alia quoque induunt verba, ut נֶאֱנַח *suspiria duxit.* Status vero constructi ante praefixa non vanus est usus [vid. nos supra]. Praepositio quae sequitur, מִן, significat h. l. *ob*, *propter*, veluti Exod. 2, 23.: *et ingemuerunt Israelitae* מִן הָעֲבֹדָה *ob servitutem.* Nomen מוֹעֵד in universum tempus denotat certis finibus circumscriptum; deinde adhibetur vel ad dies festos tempore constituto celebrandos, vel ad coetus festis illis diebus confluentes, vel denique ad templum, locum, quo coetus festa agentium conveniunt. Quarum significationum alteram hanc potissimam ob causam praefero, quod verbum *congregandi* אָסַף lugentibus ob *coetus* abrogatos aptissime respondet. Similis obvia sententia Thren. 1, 4. *lugent viae Sionis vacuae a meantibus ad coetus* (בָּאֵי מוֹעֵד); quin ipsa Hierosolymitana urbs קִרְיַת מוֹעֲדֵנוּ *civitas conventuum nostrorum* dicitur Jes. 33, 20. Quos jam con-

solaturus lugentes fausta promittentis addit Dei effatum: אֲסַפְתִּי מִמֵּךְ הָיוּ *colligam*, reducam eos ad sacros tripudantium coetus, *ex te erunt*, tui, inquam, cives erunt, o Hierosolyma, quasi filii ex te nati; filius enim dicitur הָאִשָּׁה *ex femina*, 1 Sam. 2, 20., urbis autem cives cum filiis comparantur, veluti Ps. 87, 4. Jam tristiorem denuo in memoriam revocans exsulum sortem, dicit: מַשָּׂאת sicut *onus*, est enim hoc nomen, i. q. מַשָּׂא, a נָשָׂא *portavit*, positum h. l. pro כְּמַשָּׂאת, omissa comparandi Particula. עָלֶיהָ *Illi*, Sioni, vel עָלַיִךְ *tibi*, e lectione faciliori, a versionibus et codicibus expressa. חֶרְפָּה *Opprobrium* fuit, oneris instar Sionis incolis, inter alienigenas degentibus, hostium incubuerunt opprobria."

19. הִנְנִי עֹשֶׂה אֶת־כָּל־מְעַנַּיִךְ *En! ego opprimam omnes, qui te afflixerunt.* עֹשֶׂה nonnulli *consumendi, interficiendi* significatu capiunt (ita Hieronymus: *ego interficiam omnes qui afflixerunt*), metaphora ducta ab eo qui animal in cibum aut sacrificium adparaturus illud interficit; ita עָשָׂה Gen. 18, 7. 8. Exod. 29, 36. 39. 1 Reg. 18, 23. de animali mactato dicitur. Sed quum iis locis verbum illud potius *apparare* animal ad cibum aut sacrificium notare videatur, ut non sola mactatio, verum et coctio et assatio illius indicetur; alii cum Jarchio illud *subigendi*, vel *conculcandi*, vel, cum Kimchio, *comprimendi contundendique* notione capiunt, ut significatu non sit diversum ab עָסַס, unde Mal. 3, 21. (al. 4, 3.) וְעַסּוֹתֶם רְשָׁעִים *comprimetis impios.* Et ipsum עָשָׂה Ezech. 23, 21. de *compressione*, ut quidam volunt, mammarum dicitur. Sed recte observat a Coelln, עָשָׂה h. l. vim obtinere *hostiliter agendi cum aliquo*, i. q. formula integra עָשָׂה בְּחֵמָה *egit iracunde* Ezech. 23, 25. Sic עָשָׂה cum ב Jer. 18, 23. בְּעֵת אַפְּךָ עֲשֵׂה בָהֶם *tempore irae irae age cum iis;* nec non cum ל *malo affecit aliquem*, Gen. 27, 45. 42, 25. Exod. 14, 11. Ps. 56, 12. coll. Hebr. 13, 6. Chaldaeus videtur post עֹשֶׂה nomen כְּלָה *consummatio* subaudisse, collato Gen. 18, 21. לֹא אֲעֲשֶׂה אִתְּכֶם כָּלָה *non faciam vobiscum consumtionem*, i. e. non plane consumam, perdam. Ita enim nostrum locum vertit: *ecce ego faciam consumtionem cum omnibus qui te subjugarunt.* Similiter Vulgatus: *ecce ego interficiam.* מְעַנַּיִךְ *Affligentes te;* verbum עָנָה de Aegyptiis usurpatur dura servitute Hebraeos opprimentibus Gen. 15, 13. Exod. 1, 12. Jes. 60, 14. De verbis quae sequuntur, וְהוֹשַׁעְתִּי אֶת־הַצֹּלָעָה וְהַנִּדָּחָה אֲקַבֵּץ, vid. not. ad Mich. 4, 6., ubi eaedem phrases occurrunt. וְשַׂמְתִּים לִתְהִלָּה וּלְשֵׁם *Ponam eos in laudem et in nomen*, i. e. qui antea obscuri et contemti fuissent, eosdem celebres reddam atque honoratos. Verba hujus Vs. postrema, בְּכָל־הָאָרֶץ בָּשְׁתָּם, plures cum his, quae praecedunt, jungunt, vertuntque: *in omni terra pudoris eorum*, i. e. ubicunque exulaverint, et pudore fuerint affecti, honoratos eos reddam. Ita Jarchi et Kimchi: *in omnibus exsilii terris, quibus pudore affecti fuerant, ibi erunt celebres et laudati.* Ita et Hieronymus: *in omni terra confusionis eorum.*

Cui interpretationi tamen Lud. de Dieu obvertit: contra Hebraismum esse, ut nomen substantivum, regens alterum substantivum in genitivo, habeat praefixum ה emphaticum, sive notificativum, quia ipsa constructio facit notificationem, ut nec unquam אֶרֶץ cum Kamez, legitur in constructione, sed semper אֶרֶץ (cum Segol). Ipse vero locum nostrum sic interpretatur: *et ponam eos in laudem et in nomen, in tota terra pudor eorum*, i. e. quorum pudor est in tota terra, בָּשְׁתָּם pro אֲשֶׁר בָּשְׁתָּם, ut sensus sit: quorum ignominia jam est per totam terram sparsa, illi a me nomen et laudem habebunt. Quem ipsum sensum et a Chaldaeo exprimi observat, nam, inquit, „sicut apud Hebraeos substantivum construens (regens) non accipit ה emphaticum, ita nec apud Chaldaeos et Syros formam emphaticam nisi interveniente ד.“ Si cui placeat iste sensus, haud obloquemur multum. Neque tamen obstat grammatica Ludovici de Dieu observatio, utut vera, quo minus vulgata nostri loci interpretatio locum habere possit, quum nec desint alia loca, quibus status absolutus pro constructo reperitur, ubi Hebraei praecipiunt, nomen repetendum esse in statu constructo, ut igitur nostra verba plene ita essent capienda: בְּכֹל־הָאָרֶץ אֶרֶץ בָּשְׁתָּם *in omni terra, terra*, inquam, *pudoris eorum.* Sic Jos. 3, 14. הָאָרוֹן הַבְּרִית *arca foederis* dicitur pro eo quod esse debebat: הָאָרוֹן הַבְּרִית, et ibid. Vs. 17. הָאָרוֹן בְּרִית יְהוָה pro אֲרוֹן הַבְּרִית יְהוָה. Cf. not. ad Hos. 14, 3. et Ezech. 11, 16. Coccejus בָּשְׁתָּם observat posse appositionem esse, ut intelligatur sic: *id ipsum ponere me illos in celebritatem et nomen erit pudor ipsorum*, „sive *vicem pudoris* accipias, ut Hos. 14, 3. *juvencos labia nostra* i. e. *pro vitulis labia;* sive pudorem effectum celebrationis, ut Ezech. 16, 63. לְמַעַן תִּזְכְּרִי וְבֹשְׁתְּ *ut recorderis et pudefias, et non sit tibi apertio oris propter ignominiam tuam.* Cf. Ezech. 36, 30. 31. 32.“

20. בָּעֵת הַהִיא *In tempore illo*, de quo inde a Versu 9. loquutus erat, אֲבִיא אֶתְכֶם *ducam vos* exsules scil. צִיּוֹן *Sionem*, ut Jer. 3, 14., aut אֶל־אַדְמַתְכֶם *ad terram vestram*, ut Ezech. 34, 13. additur. וּבָעֵת קַבְּצִי אֶתְכֶם *Et eo tempore colligere me vos*, i. e. colligam vos, Infinitivus pro verbo, ut saepe alias, cum verbum finitum proxime praecedit, veluti Jer. 14, 5. *cerva in agro* יָלְדָה וְעָזוֹב *peperit* foetum *et relinquere*, pro *reliquit*. Storrio in *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 241. not. particula ו ante בָּעֵת est explicativa, ut vertendum sit: *eo tempore vos reducam, nempe eo tempore* (Vs. 19. significato) *quo colligam vos.* Ἐξεγητικον Vav esse observat et in וּמִן Dan. 8, 10. add. 1 Sam. 17, 40. De phrasi בְּשׁוּבִי אֶת־שְׁבוּתֵיכֶם *cum reduxero captivitates vestras*, vid. not. ad Hos. 6, 11. Joel 4, 1. Amos 9, 14. לְעֵינֵיכֶם *Ad oculos vestros*, ἐνώπιον ὑμῶν, *coram oculis vestris*, ut LXX et Hieronymus vertunt, quod hanc rem arguit certo futuram, ipsis cum laetitia coram illud suum maximum bonum videntibus.

IN HAGGAEUM PROOEMIUM.

Primum locum inter eos, qui reduci e Babylonia et exsolutae captivitate genti oracula divina in Judaea edisseruerunt, tenet Haggai. Sua ergo sede locoque apposito inter prophetas comparet, Zephaniam excipiens, qui agmen claudit eorum, qui minores dicuntur, vatum, qui ante exsilium, et stante adhuc templo priore, vaticinia sua ediderunt. De patria, natalibus et familia Haggaei nil constat. Sunt, qui natum credant in Babylonico exsilio, migrasse vero Hierosolymam, a Cyro exsulibus Judaeis in patriam redeundi potestate facta (2 Chron. 36, 23. Esr. 1, 1.), cum pluribus aliis e tribubus potissimum Judae, Benjaminis et Levi, nonnullis etiam e tribubus aliis, Serubbabele duce (Esr. 2, 1. sqq.). Primi illi in patriam reversi nihil habuerunt antiquius, quam ut Templum repararent, ut cujus fundamenta secundo post reditum anno jecerunt (Esr. 3, 8. 10.). Sed adversariorum invidia, malisque eorum apud regis Persiae aulicos officiis, factum est, ut coeptum opus interpellaretur, et per plures annos plane jaceret (Esr. 4, 5. 7.). At Dario Hystaspis rerum potito Haggai serio suos exhortari officii ducebat, ut diu intermissum opus iterum aggressi strenue urgerent, coeptoque aedificio supremam manum imponerent. Exprobrat Judaeorum incuriam, qui studiis omnibus versis, ut amplas sibi et commodas aedes instruerent, domum interim Jovae desertam propriisque ruderibus sepultam derelinquerent. Ob oculos revocat flagella sterilitatis et siccitatis, quibus elapsis proxime annis segniores ad opus Deus revocaverat; scirent enim haec omnia negligentiae suae merito in caput suum provocasse.

Prae omnibus aliis autem res Nostro est cum Serubbabele et Josua, quorum alter imperii clavum tenebat ut Praeses Judae (ἡγεμῶν καὶ ἄρχων τῶν Ἰουδαίων, ut Josephus inquit *Archaeol.* XI, 1, 3. et 3, 1.), qui potestate delegata a rege Persarum Cyro universam moderabitur rempublicam, alter ex Aaronis familia et stirpe prognatus, summi sacerdotii dignitate ornatus, uterque principatum apud reducem populum, ille in republica, hic in sacris moderandis tenens. Hos apud licet culpa non omnino resideret neglectae hactenus templi structurae, ea tamen erat illorum in populo potestas, ut, si primi manum operi admoverent, et Haggaei praeconium suo comprobarent calculo atque suffragio, universa multitudo facile adduceretur ad locum prophetae monitis dandum. Quamvis igitur ad universam reducis populi turbam hoc vaticinium spectet, quae ad aedificationem templi torpens excitanda, et egregiis promissis in laudabili instituto confirmanda erat, verba tamen ad principes populi ac duces dirigit vates, quos et reverenter excepturos divina oracula noverat, et populum hortatu pariter ac exemplo suo egregie ad idem secum obsequium excitaturus. Totum igitur vaticinium in eo versatur, ut tempus restaurandi templi dudum advenisse doceat, eosque, qui domum Jovae plane negligentes ad suorum palatiorum fabricas mentem unice intenderent, vehementer redarguat, hanc unam calamitatum publicarum, quibuscum ipsis conflictandum fuerat, causam et originem demonstrans, porro, ut obedientibus, et tantum opus aggressis Numinis propitii tutelam et auxilium promittat. Vix resumto opere Deus prophetam renuntiare populo jubet, ut si quis eorum gloriam veteris templi a Salomone excitati antea vidisset, cui impar secundum hoc templum videretur, ille animis non desponderet, decrevisse enim Deum, templum denuo resuscitandum praesentia magni illius cunctis gentibus desiderati regis illustrare (2, 2 — 9.). Geminas deinde quaestiones sacerdotibus proponit (2, 10 — 19.): alteram, an totum, quod a carne sanctificata contingitur, sanctitatem contrahat? nega-

runt sacerdotes. Alteram: an omne, quod ab homine impuro contingitur, impurum item censendum esset? Affirmantibus illis propheta ex ea confessione argumentum deducit, omnia a populo neglectae aedificationis templi reo oblata sacrificia Jovae minus grata fuisse et accepta, sicut vicissim sacerdotes perversa cordis habitudine impuros macula sua hostias etiam quodammodo vitiasse. Variis illos flagellis cecidisse Deum, quo tandem a socordia excitarentur; cum autem voci divinae obtemperarent, meliora sperare illos ac potissimum terrae fertilitatem jubet. Tandem meritis laudibus Serubbabelis virtutem efferens, electum illum a Deo dicit, quem velut annulum in manu sua pretiosum teneret (2, 20 — 23.).

Subjicimus Hieronymi in hunc librum Prologum, in quo de vatis nostri aetate disserit. „Secundo anno Darii, regis Persarum, filii Hystaspis, septuagesimum annum desolationis templi fuisse completum, quem Jeremias vaticinatus est [25, 11.], Zacharias quoque propheta testis est, qui quum visionis suae titulum in secundo anno ejusdem regis, undecimo mense Sabat, vicesima quarta die praeposuisset [Zach. 1, 7.], adjecit, dicens [Vs. 12.]: *Domine exercituum, usquequo non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es?* Sed et Esras, exstructo tantum altari, et jactis fundamentis, Templi, ad literas regis Artaxerxis prohibitum opus refert [4, 24.]: *Tunc intermissum est opus domus Dei in Jerusalem, et non fiebat usque ad annum secundum regni Darii, regis Persarum*, statimque addidit [5, 1]: *Prophetaverunt autem Aggaeus, propheta, et Zacharias, filius Addo, prophetantes ad Judaeos, qui erant in Judaea et Jerusalem, in nomine Domini Israel. Tunc surrexerunt Zorobabel, filius Saalthiel, et Jesus, filius Josedec, et coeperunt aedificare templum Dei in Jerusalem, et cum eis prophetae Dei adjuvantes eos.* Quo tempore apud Romanos septimus a Romulo regnabat Tarquinius Superbus, habens annum imperii vicesimum septimum, qui post octo annos expulsus est a Bruto; ac deinde Rempublicam per annos

quadringentos quatuor, usque ad Julium Caesarem, Consules administraverunt. Hoc propterea, o Paula et Eustochium, diximus, ut de ipso statim titulo, qua aetate Aggaeus propheta cecinerit, agnoscatis. Sciendumque est interim, juxta literam, magni spiritus et Aggaeum fuisse et Zachariam prophetas, ut adversum Artaxerxis regis edictum, et Samaritanos, gentesque cunctas per circuitum, aedificationem templi impedientes, juberent Templum exstrui, Zorobabel quoque, et Jesum, filium Josedec, et populum, qui cum eis erat, non minoris fidei, ut prophetas magis audirent jubentes, quam prohibentis regis imperium."

HAGGAI.

CAP. I.

Argumentum.

Vehementer redarguit Judaeos, qui templi instaurationem negligentes ad suorum palatiorum fabricas mentem unice intenderent (Vs. 2. 3. 4.), hanc unam calamitatum publicarum, quibuscum conflictandum ipsis erat, causam et originem demonstrans (Vs. 5. 6.). Hinc illos hortatur, ut intermissum nimis diu opus resumant (Vs. 7. 8.), ne novae ipsis persolvendae sint socordiae suae poenae (Vs. 9. 10. 11.). Quibus vatis adhortationibus excitati Serubbabel et Josua, populi primores, auctores suis exstiterunt operis denuo aggrediendi (Vs. 13. 14.).

1. Indicatur tempus prolati quod inde a Versu 2. legitur oraculi. בִּשְׁנַת שְׁתַּיִם לְדָרְיָוֶשׁ הַמֶּלֶךְ *In anno secundo Darii, regis*, scil. Persarum, cf. Esr. 4, 24. Quum populus Judaicus suis dudum careret regibus, eorum non poterant amplius anni notari, sicut ante excisum a Chaldaeis regnum Judaicum in vaticiniorum inscriptionibus fiebat. Postquam vero Babylonicum regnum in Persarum venisset potestatem, ipsi etiam Judaei a Christianis deportati in eorum transierant imperium, nec per concessam ipsis a Persarum regibus libertatem in patriam redeundi veterisque reipublicae formam instaurandi erant illorum potestati subducti, sed ab eorum gratia pendebant. Hinc tempus editi oraculi ab Haggaeo describitur secundum Persarum computandi rationem ab eorum regibus petitam. Etenim nomen proprium, quod secundum notas vocalium in codicibus Hebraicis *Darjavesch* est efferendum, haud diversum existimatur a Graecorum Δαρεῖος et Latinorum *Darius*, atque a Persarum *Dara*, دارا. Atque hoc quidem nomen Persicum *possessorem*, *potestate pollentem* designat, a verbo داشتن *tenere*, *possidere*. Quum igitur omni omnino regi nomen *Dara* competat; tamen in regum Persarum annalibus unus potissimum illo nomine insignitus reperitur, *Darab*, *Behmani* filius, qui et *Darab junior*, sive *secundus* vocatur, nonus et ultimus rex Persarum de stemmate Cajanidarum, ab Alexandro Macedone victus atque a cognatis occisus, scriptoribus exteris

Darius Codomannus dictus (vid. JUSTINI *Histor.* L. X. Cap. 3.), quem nomine *Darii Persae* venire Neh. 12, 22. observant interpretes. De eo tamen nostro loco haud licet cogitare, quum longe sit recentior templo restituto, neque ei tanquam ultimo regi Persarum convenit successor *Artachschaschta*, qui post nostrum דָּרְיָוֶשׁ commemoratur Esr. 6, 14. 7, 1. Neh. 2, 1. Inter *Darios* ab altera parte antiquissimus est, qui dicitur *Medus* Dan. 6, 1. 11, 1., et filius *Achaschverosch* Dan. 9, 1., ab exteris, uti existimant, *Cyaxares*, dictus, Cyri seu abavunculus, seu avunculus. Hunc nostrum esse Darium et veteres et recentiores nonnulli sunt opinati, sed manifesto errore: nam de Dario Persa, non Medo, esse hic cogitandum, eoque longe post Cyrum sequuto, Esrae liber satis ostendit. Majore cum veri specie SULPICIUS SEVERUS *Hist. Sacr.* L. II. C. 11. Darium nostrum credidit regem ejus nominis inter Persas penultimum, quem ille *Ochum* dicit, sed vulgo *Nothum*, ob ortum non legitimum, vocant. Is enim longe post Cyrum vixit, habuitque antecessorem et successorem utrumque *Artaxerxem (Artaschaschta)*, vid. Esr. 4, 7. coll. Vs. 24. 5, 1. 6., item 7, 1., quod Dario tantum Notho convenit. Verum quum Cyrum inter atque Darium Ochum s. Nothum plus quam integrum effluxerit seculum; illa adscita sententia a jactis templi fundamentis (Esr. 3, 8. 9. 10.) usque ad operis instaurationem (Esr. 5, 2.) anni plures quam centum essent numerandi; Serubbabeli autem duci, et Josuae Pontifici, nec non Judaeis aliis, qui templi prioris splendorem vidissent (infra 2, 2. seqq.), nimis profecto longum vitae tempus ad secula fere duo integra tribuendum esset. Quare rectius alii cum JOSEPHO *Archaeol.* L. XI. Cap. 3. §. 1. atque Hieronymo (cujus verba in Prooemio sub fin. adduximus) Darium Hystaspis filium, quem inter et Cyrum nonnisi octo aut novem anni numerantur. Multo majoris difficultatis est, seriem regum Persarum prout ea in domesticis annalibus habetur, cum Graecis et Hebraicis monumentis componere, uti pluribus ostendit J. RICHARDSON in Commentatione de linguis, literatura et moribus Orientalium, Lexico suo Arabico-Persico-Anglico praefixa, vernacule reddita a F. Federau hac epigraphe: *Herrn John Richardson's Abhandlung über Sprachen, Literatur und Gebräuche*, Leipz. 1779. 8. De regibus Cajanicis, quorum ultimus, *Dara*, s. *Darab*, ab Alexandro Macedone devictus traditur a scriptoribus Persicis, vid. p. 84. seqq. vers. teut. Sed in illorum numero nullus reperitur, qui pro Dario Hystaspis Graecorum haberi possit. Ceterum nomen דָּרְיָוֶשׁ ANQUETIL DU PERSON in Commentat. de linguis Persiae veteribus (quam vernacule redditam legas in *Zend-Avesta* a Kleukero nostro sermone edito Vol. II.) p. 49. vers. teut. corruptum existimat e voce Zendica *Eanter afesch*, i. e. *in aqua*, quod ipsum Persice *Darab* (دَر آب) notat, id nomen vero illum, quem Graeci Darium Codomannum vocant, Persae tradunt inde

nactum, quod a matre in Tigride flumine fuerit expositus. Vid. et Richardson l. c. p. 109. seq. vers. teut. Plura de Darii nomine vid. in GUIL. BURTONI *Δειψανοις Veter. Ling. Pers.* edit. Jo Henr. a Seelen (Lubec. 1720.) p. 37., in ADR. RELANDI *Dissertatt. Miscell.* P. II. p. 172. sqq. et J. D. MICHAELIS *Supplemm.* p. 463. Nobis ad Haggaeum est redeundum, qui quae inde a Versu 2. sequuntur protulisse dicitur in libri epigraphe *secundo Darii anno*, eodem igitur, quo Zacharias vaticinia coepit edere, vid. Zach 1, 1., sed duobus mensibus antea; nam Zacharias mense *octavo* secundi Darii anni primum suum oraculum edidit, Noster vero mense ejusdem anni *sexto*. בְּיוֹם אֶחָד לַחֹדֶשׁ *Die primo mensis*; numerus cardinalis אֶחָד pro ordinali רִאשׁוֹן positus, ut Gen. 1, 5. Porro Jovana sententia promulgata dicitur h. l. בְּיַד חַגַּי הַנָּבִיא *per manum Haggai prophetae*, i. e. per eum, ut Hos. 12, 11. dicitur בְּיַד הַנְּבִיאִים, cf. Exod. 9, 35. 35, 29. etc. LXX retento Hebraismo ἐν̓ χειρὶ verterunt, quae phrasis eodem sensu usurpata a N. T. scriptoribus, vid. Act. 7, 35. Gal. 3, 19. Nomen חַגַּי ab Hieronymo exponitur *festivus*, a חַג *festum*. Coccejus notare illud ait *festa mea*, observatque boni ominis vocabulum inditum videri a parentibus puero circa tempus reversionis in patriam, coll. Nah. 2, 1. חֲגִי יְהוּדָה חַגֶּיךָ *celebra, Juda, festa tua*. Sermonem vates dirigit ad זְרֻבָּבֶל, qui Esr. 1, 8. nomine magis Chaldaico שֵׁשְׁבַּצַּר vocatur; habuere enim primores Judaei in Babylonicis terris nati plerique aliud nomen patrium sive domesticum, aliud aulicum, ut Dan. 1, 7. diserte dicitur. Porro vocatur Serubbabel hic בֶּן־שַׁאַלְתִּיאֵל, sed 1 Chron. 3, 17. 18. 19. Serubbabelis pater dicitur פְּדָיָה. Videtur igitur h. l. בֶּן *nepotem* significare. Ex Abarbenelis sententia vocatur ideo Schealtielis filius, quod patruus Schealtiel ipsum educasset, quemadmodum Exod. 2, 10. de Mose, a filia Pharaonis, regis, educato, dicitur: וַתְּהִי לָהּ לְבֵן *fuit ipsi in filium*. Et 2 Sam. 21, 8. Michal, quae nullos habuit liberos (2 Sam. 6, 23.), Adrieli peperisse dicitur quinque filios. Sed ex 1 Sam. 18, 19. liquet, Merobam, Saulis filiam, Michalis sororem, nupsisse Adrieli. Unde colligitur, Michalem sororis filios educasse, qui ideo ipsius filii appellati fuerint. Porro Serubbabel hic appellatur פַּחַת יְהוּדָה, ut infra Vs. 14. 2, 3. 23. Voce peregrina פֶּחָה et פַּחַת indicari *praefectum* s. *praesidem populi*, qui potestate delegata aut permissa a rege Persarum populo Judaico in patriam reverso praeesset, atque rempublicam administraret, ex iis, quae in Esrae et Nehemiae libris de illis viris, qui eo nomine insigniuntur, leguntur, satis apparet. Provinciarum praefectos fuisse clarum est ex Neh. 3, 13. Chaldaeus hoc et aliis locis פַּחַת יְהוּדָה vertit: *princeps domus Judae*. Graecus Alexandrinus reddidit ἐκ φυλῆς Ἰουδά, non hoc tantum loco, verum et infra Vs. 14. et 2, 2. 22. BUXTORFIUS in *Anticrit.* p. 651. notat, in Hebraeo ambiguum esse istud פַּחַת יְהוּדָה, et posse referri tam ad Serubbabelem, quam ad Schea-

ticlem, et cum Schealtiele quidem proxime cohaeret, unde videri Graecum interpretem ita intellexisse, quasi Schealtiel diceretur *princeps Judae:* „hoc vero nomine quum in sacra historia celebris sit Serubbabel; maluerunt fortassis simpliciter dicere *de tribu Judae*, quam *principem Judae.*“ Theodotion, Aquila et Symmachus פַּחַת reddunt ἡγούμενον. Non solum autem ad Scrubbabelem vatis sermo dirigitur, verum etiam ad יְהוֹשֻׁעַ בֶּן־יְהוֹצָדָק הַכֹּהֵן הַגָּדוֹל *Josuam, filium Jozadak*, qui a Nebucadnezare captivus Babelem abductus fuerat (1 Paral. 5, 41.) *sacerdotem magnum.* Principes populi igitur, et sacrum et politicum alloquitur. Qui hic et Zach. 3, 1. memoratur *Josua*, Pontifex Maximus, in libris Esrae et Nehemiae vocatur contracte יֵשׁוּעַ, vid. Esr. 2, 2. 3, 2. Nch. 7, 7. 12, 1.

2. Verba adducuntur populi moram nectentis aedificando templo: לֹא עֵת־בֹּא עֵת־בֵּית יְהוָה לְהִבָּנוֹת *non tempus venire* s. *veniendi, tempus* nimirum *domus Jovae ut aedificetur*, i. e. ut recte Vulgatus vertit, *nondum venit tempus domus Domini aedificandae;* tempus templi aedificandi idoneum et opportunum nondum advenit. Id causabantur studio privati commodi. לֹא *non*, pro *nondum*, ut Gen. 2, 5. לֹא הִמְטִיר *nondum pluere fecerat Jova super terra.* Ezech. 5, 9. *faciam tibi* אֲשֶׁר לֹא־עָשִׂיתִי *qualia nondum feci.* Job. 22, 16. אֲשֶׁר קָמְטוּ וְלֹא־עֵת *qui sublati sunt quum nondum tempus adesset.* Ceterum recte Abarbenel observat, videri hoc vaticinium editum prius, quam a Dario rege Judaeis venia data esset templi instaurandi, cf. enim Esr. 5, 3. seqq. usque ad 6, 14.

4. הָעֵת לָכֶם *Num* ergo *vobis tempus* idoneum est? ה cum Patach ante עֵת esse interrogandi particulam, ut 2 Reg. 5, 26. recte notant Jarchi et Kimchi. אַתֶּם *O vos!* ignavi cunctatores. Vel: *vobis*, inquam; solent enim pronomina, ubi emphatice repetuntur, in casu recto repeti, etiamsi casus obliquus proxime praecedat, ut in illo Gen. 27, 34. בָּרְכֵנִי גַם־אָנִי *bene precare mihi, etiam mihi!* Ps. 7, 9. אָבַד זִכְרָם הֲמָה *pereat memoria eorum, eorum*, inquam! Cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 727. לָשֶׁבֶת בְּבָתֵּיכֶם סְפוּנִים *Ad habitandum in domibus vestris contabulatis*, sive, ut Vulgatus vertit, *laqueatis;* id est, inquit HIERONYMUS, „ornatis atque compositis, et quae non tam ad usum sunt, quam ad delicias.“ Chaldaeus: *siccine decet vos, ut habitetis in domibus, quae tectae tabulis cedrinis?* Qualibus ornatum fuit templum a Salomone exstructum, 1 Reg. 6, 9. 7, 3. — וְהַבַּיִת הַזֶּה חָרֵב *Et domus haec*, Jovae, quae ante omnia instaurari debebat, *deserta* jacet?

5. שִׂימוּ לְבַבְכֶם עַל־דַּרְכֵיכֶם *Ponite cor vestrum ad vias vestras*, advertite animum ad consilia vestra et actiones vestras, earumque eventus, qui Versu sequente enumerantur. Multa enim patimini, ignorantes tamen causam tantorum malorum. Phrasis

cor ad aliquid ponere pro ad illud attendere exstat et Deut. 32, 46. שִׂימוּ לְבַבְכֶם *attendite animis vestris ad omnia verba, quibus vos hodie commonefacio.*

6. Quia aedificatis domos vestras et negligitis templum Jovae, ideo omnis labor vester successu caret. זְרַעְתֶּם הַרְבֵּה וְהָבֵא מְעָט *Seminastis multum*, *sed introducendo* introducitis *parum.* Ad hunc Infinitivum ceterosque, qui hoc Versu sequuntur, subaudiendum est verbum finitum, ut plene dicitur Gen. 37, 33. טָרֹף טֹרַף *discerpendo discerptus est*, pro simplici טֹרַף, Hos. 1, 2. זָנֹה תִּזְנֶה הָאָרֶץ *scortando scortatur terra.* Cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 782. אָכוֹל וְאֵין לְשָׂבְעָה *Comedendo* comeditis quidem, *sed non ad satietatem*, cf. Hos. 4, 10. et ad cum loc. not. שָׁתוֹ וְאֵין לְשָׁכְרָה *Bibitis* quidem, *sed non ad ebrietatem*, i. e. ut potu vos expleatis sitimque restinguatis. שָׁכְרָה Hebraei recte notant h. l. idem esse quod שָׂבְעָה de cibis, ut Gen. 43, 34. וַיִּשְׁתּוּ וַיִּשְׁכְּרוּ עִמּוֹ *biberunt et inebriati sunt cum eo*, i. e. largius et ad satietatem biberunt. לָבוֹשׁ וְאֵין־לָהֶם לוֹ *Induendo* induit se unusquisque vestrum, *nec* tamen *ad calorem ipsi*, vestes, quas induitis, neminem vestrum calefaciunt, vel quod non sat vestium habetis, vel quod interiora frigent plus solito. וְהַמְשַׂתֵּכֵר מְשַׂתֵּכֵר אֶל־צְרוֹר נָקוּב *Et qui mercedem sibi lucratur*, *lucratur* eam in *marsupium pertusum*, quicquid opera vestra peperistis, id statim abiit in impendia. Sunt, qui משתכר interpretentur: *qui sese ipsum pro mercede elocat*, eam colligit in marsupium pertusum. Cf. נִשְׂכָּרוּ 1 Sam. 2, 5., *pro mercede servire coguntur.* Utrum eligas, sensus idem manet. Chaldaeus: *qui operas suas locat mercedem reportat maledictionem.*

8. Itaque vel his damnis vestris sapite, et עֲלוּ הָהָר וְהָבֵאתֶם עֵץ *adscendite in montem et adducatis ligna. Monte* plerique interpretes Libanum intelligunt, ex quo cedros ad aedificeandum templum a Tyriis et Sidoniis adveetas legimus 1 Reg. 5, 20. Esr. 3, 7., atque ad וְהָבֵאתֶם subaudiunt מִשָּׁם *inde.* Alii cum Chaldaeo, qui *montes* vertit, הָהָר collective intelligunt de *montanis* Hierosolymae vicinis, quae illis temporibus sylvis consita erant, unde ligna ad aedificeandum petenda essent. Sic Neh. 8, 15. *exite ad montana et adferte folia*, ramos *oleae* etc. ad tuguria facienda. Sed vix dubium, per הָהָר praemisso artieulo, signifieari h. l. montem illum, in quo aedificeandum erat templum, cujus statim fit mentio; in quem jubentur lignum ad aedificationem neeessarium afferre. וּבְנוּ הַבַּיִת *Et aedificate domum*, i. e. templum, Vs. 2. 4. — וְאֶרְצֶה־בּוֹ *Et adquiescam in eo*, quod quidam explicant: hoc factum mihi gratum et aeceptum erit, Pronomine suffixo in בּוֹ neutraliter aeceepto. Sed mallem illud ad הַבַּיִת referre, ut sit: *et delectabor eo*, templo, puta. וְאֶכָּבְדָה *Et honorabor*, in templo exstruendo, sive: *gloriam meam ostendam*, quomodo Niphal hujus verbi et Ezech. 39, 13. usurpatur,

ad quem loc. vid. not. Ita Chaldaeus: *ut habitare faciam majestatem meam cum gloria.* Cf. infra 2, 9. Chetibh sine He paragogico est אֶכָּבֵד efferendum.

9. Postquam recensuit id quod eventurum est si aedem exstruxerint, denuo proponit ob oculos incommoda, quae sustinuerunt hactenus eo quod exstructionem ejus intermiserint et neglexerint. Quasi dicat: quoniam vero illud, quod Vs. 8. praecepi, omisistis huc usque, et res tantum vestras curastis, ideo פְּנֹה אֶל־הָרַבֶּה וְהִנֵּה־לִמְעָט *respiciendo* quidem scil. פְּנִיתֶם *respexistis* (vid. supra ad Vs. 6.) *ad multum*, uberes quidem proventus exspectastis, sed *ecce in paucitatem* abiit, parum factum est, לִמְעָט adverbiascit, ut 2 Chron. 29, 34. הַכֹּהֲנִים הָיוּ לִמְעָט *sacerdotes erant paucum*, paueiores. Eadem loquendi forma Gen. 1, 15. וְהָיוּ לִמְאוֹרֹת *eruntque in lumina.* Et 2, 24. וְהָיוּ לְבָשָׂר אֶחָד *erunt in carnem unam*, quod Graece legitur Ephes. 5, 31. Matth. 19, 5. εἰς σάρκα μίαν, i. e. caro una. Hieronymus: „Cum jam candescerent segetes, et messium tempus instaret, et frumenta vos in manibus tenere putaretis, messuistis vaeuos culmos, et inanes stipulas sine spicarum frugibus congregastis. Plenae erant areae, spes in oculis, luetus in manibus.“ וַהֲבֵאתֶם הַבַּיְתָה וְנָפַחְתִּי בּוֹ *Cumque* exiguum illud *domum* s. in horrea *intulistis* (quomodo idem verbum supra Vs. 6. aderat), *sufflavi in illud*, difflavi oris mei halitu, quasi ventus folium aut paleam, aut quemadmodum homo plumam a se deflat, sic ego vestros proventus dissipavi, ut vobis inutiles plane redditi sint. Chaldaeus: *ego vero immisi in illud maledictionem.* יַעַן מָה *Propter quid?* quam ob causam scil. haec acciderunt? יַעַן בֵּיתִי אֲשֶׁר הוּא חָרֵב *Propter domum meam, quae deserta* adhuc *est*, licet jam Cyri tempore prima ejus fundamenta jacta sint, Esr. 3, 10. וְאַתֶּם רָצִים אִישׁ לְבֵיתוֹ *Vos autem curritis unusquisque ad domum suam*, omne studium et operam impenditis ad domos vestras exornandas atque locupletandas. רוּץ *currere* de studio et industria in re aliqua perficienda dicitur quoque Prov. 1, 16. רַגְלֵיהֶם לָרַע יָרוּצוּ *pedes eorum ad malum currunt.* Cf. et Ps. 119, 32.

10. עַל־כֵּן עֲלֵיכֶם כָּלְאוּ שָׁמַיִם מִטָּל *Ideo super vos cohibuerunt coeli a rore*, i. e. ne sit ros, propter vestram in rebus divinis et exstruendo templo negligentiam. *Ros* tempore deficientis pluviae qualicunque modo fovens herbas cum deficit, plantas prorsus arescere necesse est. עליכם Chaldaeus intellexit causaliter: *propter scelera vestra.* Alii exponunt: *super terram vestram*, dum super alias regiones pluunt, coll. Amos 4, 7. Sed vix dubium est, respicere עליכם ad situm coeli, quod supra nos est. Sic Deut. 28, 23. *sit coelum tuum, quod supra caput tuum est, aereum.* כָּלְאוּ capiunt h. l. plures *reciproce* aut *impersonaliter*, ut saepe verba in tertia Pluralis persona, cf. not. ad Ezech. 19, 8. Hos. 12, 9. Sed praestat, ut alias, et hoc ipso Versu

statim, transitive capere: *cohibent* rorem dare. Chaldaeus: *cessarunt coeli ab immittenda pluvia.* מִטָּל *A rore*, i. c. ut nec rorem neque pluviam dederint. מ est privativum, ut Jes. 23, 1. *devastata est Tyrus*, מִבַּיִת מִבּוֹא *ut non supersit domus, nec accedat* quis amplius. וְהָאָרֶץ כָּלְאָה יְבוּלָהּ *Et terra cohibuit proventum suum.* Chaldaeus: *et terra cessavit ab edendo fructus.* Hoc est inter comminationes contra eos, qui praeceptis divinis non obtemperant, Deut. 11, 17. *exardescet Jovae ira in vos, ut claudat coelos, ne sit pluvia, terramque, ut non edat proventum suum.*

11. וָאֶקְרָא חֹרֶב עַל־הָאָרֶץ Ideoque *vocavi siccitatem super terram.* וָאֶקְרָא *vocavi*, efficaci imperio existere feci, immisi, induxi, ut 2 Reg. 8, 1. קָרָא יְהוָה לָרָעָב *vocavit Jova famem.* חֹרֶב *aestum*, siccitatem, Gen. 31, 40. Jer. 50, 38. Observant Aben-Esra et Abarbenel elegantem *paronomasiam* inter culpam et poenam. Templum Jovae erat Judaeorum inertia חָרֵב *desolatum* (Vs. 4. 9.), ideo cuncta premit חֹרֶב *siccitas*, devastans. וְעַל־הַדָּגָן וְעַל־הַתִּירוֹשׁ וְעַל־הַיִּצְהָר *Et super frumentum, mustum et oleum*, quae tria maximum usum habent in vita communi; ac duo quidem priora ad vitae sustentationem pertinent, posterius ad ejus commoditatem et bonam valetudinem. וְעַל־הָאָדָם וְעַל־הַבְּהֵמָה *Et super homines et super jumenta*, tum enim pereunt homines peste, febre et aliis morbis. וְעַל כָּל־יְגִיעַ כַּפָּיִם *Et super omnem laborem manuum*, i. e. quae magno labore plantaverant, severant atque colucrant, cf. Ps. 78, 46. 128, 2. Deut. 28, 33.

12. Subjicit effectum concionis praemissae. וַיִּשְׁמַע זְרֻבָּבֶל וגו׳ בְּקוֹל יְהוָה *Auscultavit Serubbabel etc. voci Jovae*, i. c. obtemperavit ejus jussis. Eadem phrasis Gen. 22, 18. Deut. 4, 30. Hic vero significatur, populum prophetae, seu potius numinis hortatu diu intermissum templi instaurandi opus iterum aggressum esse; quod ipsum Esr. 5, 1. 2. narratur. Ante וְעַל־דִּבְרֵי חַגַּי repetendum est וַיִּשְׁמַע, quod eodem modo construitur Jer. 26, 5. לִשְׁמֹעַ עַל־דִּבְרֵי עֲבָדַי הַנְּבִיאִים *obtemperando effatis servorum meorum, prophetarum.* כַּאֲשֶׁר שְׁלָחוֹ יְהוָה אֱלֹהֵיהֶם *Cum misisset eum Jova, Deus eorum*, vel: *quemadmodum eum miserat Jova*, i. c. secundum ea, quae Jova ei dicenda mandaverat. וַיִּירְאוּ הָעָם מִפְּנֵי יְהוָה *Et timuerunt sibi populus a Jova*, ideo obsequium verbis prophetae ab eo missi non denegarunt.

13. Pro מַלְאַךְ יְהוָה *nuntius Jovae*, Chaldaeus recte posuit *propheta Jovae.* Eodem illo nomine appellabatur propheta Mal. 2, 7. et Moses Num. 20, 16. בְּמַלְאֲכוּת יְהוָה *in legatione Jovae*, i. e. non suo, sed Dei mittentis nomine ac verbis. אֲנִי אִתְּכֶם *Ego vobiscum ero* (*verbum meum*, i. c. ego *auxilio vobis*, vertit Chaldaeus, ut infra 2, 4.). Cf. Jos. 1, 5. אֶהְיֶה עִמָּךְ *Ero tecum.* Verebantur, ut recte Abarbenel notat, Judaei regem Persarum,

cujus permissionem nondum habebant. Cf. Not. ad Vs. 2. Quare propheta illorum animos erigit, eisque spondet, Jovam eis adjutorem fore.

14. וַיָּעַר יְהוָה אֶת־רוּחַ זְרֻבָּבֶל וגו׳ *Et suscitavit Jova spiritum Serubbabelis*, i. e. hoc animis eorum indidit, ut ad opus diu interruptum sese denuo accingerent. *Excitatio animi* aliud nihil est, quam inclinatio voluntatis et animi confirmatio ad aliquid agendum. Eo sensu eadem phrasis legitur Esr. 1, 1. 5.

15. Hoc Versu auspicantur Caput secundum Biblia Hebraica et Chaldaica Dan. Bombergii, Venet. 1517. fol., Biblia Regia Antverpiensia sive Plantiniana, fol. 1571., Biblia Hebraica cum versione Graeca et duplici Latina atque cum notis Vatabli ex officina Sanctandreana 1587. fol., Biblia Hebr. Eliae Hutteri, Hamburg. 1587. fol., Biblia Polyglotta Anglicana, Lond. 1657. fol., Biblia Hebraica cum versione interlineari Ariae Montani, Lips. 1657. fol., et Bibl. Hebr. Dan. Bombergii, Venet. 1521. in quat., imo et *spatium* editiones quaedam praemittunt. Sed perperam utrumque; nam diversitas numeri hujus a sequente (2, 1.) docet, hunc Versum cum iis quae praecedunt connectendum esse, non cum his quae sequuntur. Hoc Versu indicatur tempus, quo vel materiae parandae primum manus admotae sunt, postquam *a die primo mensis sexti* (Vs. 1.) de ordine et sumtu operis conventum in comitiis populi esset; vel ipsam structuram adgressi sunt die *vigesimo quarto*, cum interea aliquem materiae apparatum fecissent. Nam quod alii die demum *vigesimo quarto noni mensis* aedificandi initium factum esse volunt ex Cap. 2, 18., haud consistit cum initio Capitis secundi, ubi non tantum Vs. 3. senes Judaei novum templum exsurgere vident, verum quoque jam strenue operantes propheta alloquitur Vs. 4. die *vigesimo primo mensis septimi*, 2, 1. Quod ipsorum studium postea Darii regis edicto comprobatum adjutumque fuit ita, ut totum aedificium anno Darii sexto absolveretur, Esr. 6, 15.

CAP. II.

Argumentum.

Hoc Capite continentur tria reliqua nostri vatis oracula. In *primo* futurum dicit, ut templi secundi magnificentia major sit quam fuerit prioris, donis a gentibus exteris allatis (Vs. 1—9.). Oraculum secundum promittit templum aedificantibus prospera omnia, sicut antea opus negligentibus omnia adversa erant (Vs. 10—19.). Postremo magnas regnorum conversiones praeuuntiat, inter quas tamen Serubbabel Jovae benevolentia, praesidio custodiaque sit tegendus (Vs. 20—23.).

De initio hujus Capitis vid. not. ad 1, 15.

2. (al. 1.) בַּשְּׁבִיעִי *In septimo* scil. mense, τῷ ἑβδόμῳ μηνί, ut Graecus Alexandrinus recte posuit. Annus hic non est expressus; sed facile intelligitur e contextu, eundem *annum Darii secundum*, qui supra 1, 1. 15. notatus est, et hic designari.

3. מִי בָכֶם הַנִּשְׁאָר *Quis inter vos* est *reliquus*, superstes (ut Esr. 1, 4.), „qui exstitit inter deportatos et adhuc vivit," ut Jarchi notat. אֲשֶׁר רָאָה אֶת־הַבַּיִת הַזֶּה בִּכְבוֹדוֹ הָרִאשׁוֹן *Qui vidit hanc aedem in gloria sua priore*, in pristino suo splendore, qualis erat Salomonis et regum sequentium tempore usque ad Sedeciam, sub quo destructa fuit per Babylonios. Sunt qui negent, ex his verbis sequi, aliquem tunc superstitem fuisse, qui templum prius viderit; sed haec verba ita potius capienda putent: si quis ex vobis superesset, qui templum hoc in pristino suo splendore vidisset. Poterant vero utique adhucdum superesse grandaevi, qui Salomonis templum viderant, sicut octodecim annos antea, Cyri anno secundo, tales *multi* adhuc fuerunt, teste Esra 3, 12. Nam a templi destructione usque ad Darii Hystaspis annum secundum, quo Haggaeus hoc oraculum edidit, *septuaginta* erant anni, Zach. 1, 12., et ad annum primum Cyri, sive ad exsilii finem *quinquaginta et duo*. וּמָה אַתֶּם רֹאִים אֹתוֹ עַתָּה *Qualem vero nunc eam videtis?* מָה h. l. est *qualis?* ut Num. 13, 18. *adspiciatis terram* מַה־הִוא *qualis sit?* הֲלֹא כָמֹהוּ כְּאַיִן בְּעֵינֵיכֶם *Nonne* haec aedes secunda in comparatione *ad illam* priorem *quasi nihilum in oculis vestris?* Si conferatur hoc templum secundum cum illo priore, istud nihilo vobis aestimabitur. Quod ad constructionem Jarchi confert Jes. 24, 2. et Hos. 4, 9. כָּעָם כַּכֹּהֵן *ut populus, sic sacerdos.* Vid. et Gen. 44, 18. כָּמוֹךָ כְּפַרְעֹה *sicut tu, ita Pharao*, tu et Pharao dignitate sunt pares. Cf. Jud. 8, 18.

4. וְעַתָּה חֲזַק *Jam vero* nihilominus, etsi haec ita se habeant, *confortare*, bono sis animo, ut Jos. 1, 6. 7. 9. — כָּל־עַם הָאָרֶץ *Omnis populus terrae*, ut Zach. 7, 5. — וַעֲשׂוּ *Et facite* scil. מְלָאכָה *opus* templi exstruendi, coll. 1, 14. Hieronymus: „Verum nolite desperare, nec lassas manus dimittite, sed et tu, Zorobabel, et tu, Jesu, et omnis populc, confortamini, et facite opus in domo mea." Verba quae sequuntur, כִּי־אֲנִי אִתְּכֶם (vid. 1, 13.), nonnulli parenthesi ineludunt, et verbum וַעֲשׂוּ conjungunt cum primis Versus proximi verbis, hoc modo, *facite (quoniam ego vobiscum sum) verbum quod pepigi vobiscum*, et quae sequuntur. Quod proinde accipiendum ac si diceret: estote animo forti et servate pactum, quod vobiscum pepigi cum ex Aegypto egrederemini. Quodsi virium vos deterret imbecillitas, habetis me, qui vobis usque adsum. Kimchi Imperativum conditionaliter accipit, hoc modo: *si feceritis et servaveritis foedus meum, certe ego vobiscum ero.*

5. Initio hujus Versus repetendum est ex superiore וַעֲשׂוּ *facite*, sive, si faciatis, servetis אֶת־הַדָּבָר אֲשֶׁר כָּרַתִּי אִתְּכֶם בְּצֵאתְכֶם מִמִּצְרַיִם *verbum quod pepigi vobiscum cum exiretis ex Aegypto.* Cf. Exod. 34, 10. 11. *Jam nunc*, inquit Jova, *pactionem facio coram omni isto populo, ut ego miracula faciam, quanta in omni orbe terrarum apud ullas gentes edita non sunt, ... vos vero omnia observetis, quae vobis hodie praecipio.* Exod. 19, 5. 6. *Si dicto mihi audientes erunt, meumque foedus conservabunt, ego habebo eos pro peculio, ab omnibus populis separato, proque regno sacerdotum et gente sancta.* Vid. et Exod. 15, 26. 23, 20. 21. Jer. 7, 23. Ceterum cum dicit *cum exiretis ex Aegypto*, patrum facta tribuit filiis, ut Act. 7, 53. οἵτινες ἐλάβετε τὸν νόμον εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, καὶ οὐκ ἐφυλάξετε. וְרוּחִי עֹמֶדֶת בְּתוֹכְכֶם *Tum spiritus meus stans*, permanens crit *inter vos.* Intelligenda vis divina, quae animos corum confirmabat, eisque auxilio erat in templo exstruendo, unde addit: אַל־תִּירָאוּ *ne* itaque *timeatis*, nec de fclici successu timeatis. Similiter Zach. 4, 6. Jova Serubbabelis animum erigens dicit: *Non robore, nec viribus, sed spiritu meo* opus templi exstruendi perficietur.

6. Quamvis templum hoc secundum splendore atque magnificentia priori illi Salomoneo nondum aequiparari possit (Vs. 3.), brevi tamen se effecturum spondet Jova, ut quae adhuc omni ornatu destituta sit aedes, veteri illi longe antecellat. Ingentem enim se rerum conversionem concitaturum esse, qua efficiatur, ut populi exteri res suas pretiosissimas ad aedem Jovae exornandam sint comportaturi. עוֹד אַחַת *Adhuc una* scil. פַּעַם *vice*, ut Exod. 30, 10. 2Reg. 6, 10., ut LXX et Hebr. 12, 26. 27. ἔτι ἅπαξ, *adhuc semel*, sicut olim, quando Lex de monte Sinai cum horrendis tonitrubus et fulguribus promulgata, et tota veluti natura concussa fuit, Exod. 19, 16. sqq., unde Dcbora Jud. 5, 4. canit: *Cum tu, Jova, de Seire prodires, cum tu ex agro procederes Idumaeo, terra concutiebatur, coeli destillabant, nubes aquam effundebant, montes liquescebant in adventu Jovae.* מְעַט הִיא *Parum est*, i. c. post non multum tempus, post breve tempus, ut Jes. 10, 25. — וַאֲנִי מַרְעִישׁ וגו׳ *Et ego commoturus sum coelum, et terram, et mare et aridum*, i. e. ingentem universitatis rerum mutationem efficiam. Similiter Jes. 65, 17. 66, 22. Jova dicit, se *novum coelum et novam terram producturum.*

7. וּבָאוּ חֶמְדַּת כָּל־הַגּוֹיִם *Et venient desiderium*, desideria, i. c. res desideratissimae atque pretiosissimae *omnium gentium.* Nomen singulare חֶמְדָּה *collective* esse capiendum, arguit constructio cum verbo plurali. Recte LXX: καὶ ἥξει τὰ ἐκλεκτὰ πάντων τῶν ἐθνῶν. Vel potest ante חֶמְדַּת praefixum ב subaudiri, Kimchio praeeunte, qui talis cllipseos exempla affert Num. 12, 8. וּמַרְאֶה וְלֹא בְחִידוֹת *et in visione non per aenigmata*, et

2 Reg. 12, 11. הַנִּמְצָא בֵּית יְהוָה *argentum quod repertum est in aede Jovae*, atque hunc locum sic exponit: „omnes populi, quos commovebo, e terris suis advenient cum desiderio omnium gentium, i. c. adferent res omnes desideratas et pretiosas, quae in terris ipsorum reperiuntur, veluti vasa aurea et argentea, vestimenta et gemmas.“ Quod autem dicit, *gentes cum desiderio gentium*, loquutio est, ut Num. 10, 28. *dixit Moses Chobabo, socero Mosis*, pro *socero suo*. Sensu cum nostro loco convenit Jes. 60, 6., ubi vates florentem populi Hebraici statum seculo aureo describens inter alia haec dicit: *Convertetur ad te copia maris*, חֵיל גּוֹיִם יָבֹאוּ לָךְ *opes gentium ad te venient. Te camelorum agmina obruent, dromades Midianitici et Ephani, omnes ex Sabaea venient, aurum et thus adferentes, et Jovae laudes praedicabunt.* Et 61, 6. חֵיל גּוֹיִם תֹּאכֵלוּ *gentium facultatibus vescemini, et vos in earum gloria efferetis.* Praedicit igitur Haggaeus, futurum esse, ut donis pretiosissimis, ab omnibus gentibus Hierosolymam comportandis, templum Jovae nudum adhuc atque inornatum plus naneiscatur ornamenti et splendoris, quam olim habuisset, Vs. 9. Quam futuram templi magnificentiam significat his verbis: וּמִלֵּאתִי אֶת־הַבַּיִת הַזֶּה כָּבוֹד *et replebo domum hanc*, templum hoc secundum, *gloria*, ornatissimum et splendidissimum illud reddam. Verba וּבָאוּ חֶמְדַּת כָּל־הַגּוֹיִם interpretes Christiani fere sic exponunt: *venient desiderium*, deliciae *omnium gentium*, sive, ut Vulgatus vertit, *veniet desideratus cunctis gentibus*, i. e. Messias, quem omnes gentes tanquam unum et verum generis humani servatorem desiderabant. Alii: *venient* omnes gentes *ad desiderium omnium gentium*, i. e. ad eum, quem gentes omnes desiderabant. Neutrum ad rem et contextum satis accommodate, etsi nobis persuasum sit, vatem quae hic praedicit temporibus Messianis eventura sperasse. Ceterum illum unice de exornando templo muneribus aliarum gentium cogitasse, ostendit Versus proximus.

8. לִי הַכֶּסֶף וְלִי הַזָּהָב *Mihi* est *argentum*, *et mihi* est *aurum*, inquit Jova, q. d. argento et auro, quo instructissimum fuit prius templum, possum et hoc ornare, et ornabo suo tempore, nam mei juris haec sunt omnia. Quare non est, cur de ornando templo nunc exstructo sitis solliciti.

9. Hac mea cura efficietur, ut גָּדוֹל יִהְיֶה כְּבוֹד הַבַּיִת הַזֶּה הָאַחֲרוֹן מִן־הָרִאשׁוֹן *major sit magnificentia aedis hujus posterioris, quam prioris.* Templi posterioris gloriam a vate hic praenuntiatam Christiani interpretes in eo positam esse volunt, quod Jesus Christus sua praesentia illud illustraverit. Jesum tamen non in illo, de quo Haggaeus loquitur, Serubbabele incitante, exstructo templo, sed in eo, quod haud diu ante ipsum natum ab Herode totum a fundamentis aedificatum erat, adeoque in *tertio* templo, docuisse constat. Ceterum omnino de hac re vates

non cogitavit. וּבַמָּקוֹם הַזֶּה אֶתֵּן שָׁלוֹם *Et in hoc loco*, Hierosolymis, *pacem dabo*, i. e. rerum omnium felicitatem atque tranquillitatem, qualem in aurea aetate futuram describit Jesajas 11, 6. seqq.

10. Concio secunda, cujus haec summa et princeps propositio est: quandoquidem aedem hanc coepistis reparare, posthac sentietis Dei beneficentiam non vulgarem. Eam auget collatione superioris temporis, quo templum vastum et destructum jaciebat. Argumentum est ex loco dissimilium. Protasis indicit statum praeteriti temporis; antapodosis, praesentis et futuri. Protasis pollutionem et infelicitatem ut causam et effectum sistit. Antea, inquit, vestra omnia polluta erant et contaminata, atque adeo plagis affecta quamplurimis. Polluta fuisse docet argumento a simili, sumto ab antiquo ritu sanctificationis et pollutionis. Hoc Versu vero praemittit notationem temporis, quo hanc orationem habuit. בְּעֶשְׂרִים וְאַרְבָּעָה לַחֹדֶשׁ *Vicesima quarta* die *noni* mensis, qui Zach. 7, 1. *Cisleu* nominatur. HIERONYMUS ad Vs. 19.: „*Nonus* est mensis, quem nos Novembrem vel Decembrem dicimus. *Nisan* enim apud Hebraeos mensis est primus, qui appellatur *mensis novorum*, eo tempore, quo Pascha faciunt, id est, incipiente veris exordio, qui secundum lunae cursum saepe quandam partem mensis Martii possidet, interdum incipit in Aprili. Ergo si Nisan Aprilem intelligimus, nonus mensis secundum supputationem Hebraeorum December erit.“ Fuit igitur inter hoc oraculum et id, quod proxime praecedit, majus interstitium, quam inter duo priora, nec tamen admodum magnum, duorum videlicet mensium et paucorum dierum. Videntur eo tempore Judaei post congestas materias operi manus denuo admovisse, et notabilem in eo progressum fecisse, coll. Vs. 18. seq.

11. שְׁאַל־נָא אֶת־הַכֹּהֲנִים תּוֹרָה *Interroga sacerdotes legem*, de lege, i. e. propone eis quaestionem super lege aliqua. Intelligit autem legem de pollutis et sanctificatis. Sacerdotum enim erat, secundum Levit. 10, 10., *tum sacrum a profano pollutumque a mundo discernere, tum Israelitas omnibus instruere institutis, quae eis Jova per Mosen eloquutus est.* Vid. et Deut. 17, 8. sqq. Mal. 2, 7.

12. הֵן יִשָּׂא־אִישׁ *En portet quis*, i. e. si quis portet; ita particula הֵן et Jer. 3, 1. occurrit, הֵן יְשַׁלַּח אִישׁ אֶת אִשְׁתּוֹ *ecce, si quis repudiaverit uxorem suam.* בְּשַׂר־קֹדֶשׁ *Carnem sanctitatis*, sanctam, de victimis Deo consecratis, ut Jer. 11, 15. בְּכָנָף בִּגְדּוֹ *In ala vestis suae*, significat vestem extremam, aut tractum a cingulo ad oram, ut 1 Sam. 15, 27. Deut. 22, 12. 23, 1. — וְנָגַע בְּכְנָפוֹ אֶל־הַלֶּחֶם וְאֶל־הַנָּזִיד וְאֶל־הַיַּיִן וְאֶל־שֶׁמֶן וְאֶל־כָּל־מַאֲכָל *Et attingat* illa *ala sua panem* communem, qui *Deo* non est consecratus, *aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut ullum* alium *cibum* profanum. De נָזִיד vid. not. ad Gen.

25, 29. — הֲיִקְדָּשׁ *Num* ideo ille cibus profanus *sanctus reddetur?* וַיַּעֲנוּ הַכֹּהֲנִים וַיֹּאמְרוּ לֹא *Et responderunt sacerdotes et dixerunt: non* sanctum redditur illorum quidquam. Recte responderunt, nam licet ipsa vestis carnis sacrae tactu sancta reddita est (Levit. 6, 20.), tamen vim suam non ulterius extendebat, nec quod tali veste tactum erat, sanctum reddebatur.

13. Alia quaestio. אִם־יִגַּע טְמֵא־נָפֶשׁ *Quod si tetigerit immundus animae*, i. e. tactu cadaveris pollutus; נֶפֶשׁ denotat hic, ut Levit. 21, l. 22, 4., corpus ab anima derelictum, cadaver, pro נֶפֶשׁ מֵת *anima mortui*, uti plene est Num. 6, 6., i. e. aliquis mortuus. Hieronymus: Animadvertendum, quamdiu anima in corpore sit, immundum non esse curpus humanum; statim vero, ut spiritus vegetans artus recesserit, immundum fieri quod terrenum est, sicut in Levitico scribitur [21, l. 2.]. בְּכָל־אֵלֶּה *Omnia ista*, s. *ullum istorum*, quidquam ex supra memoratis, cibum aut potum. יִטְמָא *Contaminabitur*, ex lege Num. 19, 22. *quicquid pollutus tetigerit immundum esto.*

14. וַיַּעַן חַגַּי *Et respondit Haggai.* Nemo interrogavit quidquam; sed ex usu linguae verbum עָנָה de omni continuatione sermonis dici constat. כֵּן הָעָם־הַזֶּה *Ita est populus hic*, similis est immundo ex cadavere, qui contactu suo omnia immunda reddit. לְפָנַי *Coram me*, meo judicio. Hoc adjecit, quia sua opinione mundi atque sancti erant. וְכֵן כָּל־מַעֲשֵׂה יְדֵיהֶם *Et sic* immundum meo judicio est *omne opus manuum eorum*, quicquid agunt. וַאֲשֶׁר יַקְרִיבוּ שָׁם טָמֵא הוּא *Unde quicquid adducunt illic* super altari offerendum *contaminatum est*, mihique neutiquam gratum et acceptum. שָׁם *illic* designat altare, quod aedificatum erat statim a reditu, videlicet anno primo Cyri regis, mense ejus anni septimo, ut habetur Esr. 3, 3. Sacrificia quae in hac ara fiebant non minus erant munda et pura quam in alio loco, donec tempus advenisset templi instaurandi; tum enim negligentiae et socordiae crimine obstricti Judaei et aram polluebant, et victimas in ea oblatas. Sanctum quidem est, quod offertur in altari, sed non tam sanctus redditur homo ex hostiis, quam ex neglectu divini cultus polluitur.

15. וְעַתָּה שִׂימוּ־נָא לְבַבְכֶם מִן־הַיּוֹם הַזֶּה וָמָעְלָה *Nunc igitur ponite cor vestrum* scil. עַל־דַּרְכֵיכֶם *ad vias vestras* (quod coll. 1, 5. 7. est subaudiendum), *ab hoc die*, non: quo primum coepistis templum aedificare, ut quidam volunt, sed: *inde ab hoc die* scil. retro cogitantes (vid. infra Hieronymi interpretationem), *et supra*, vel, *ad superius tempus*, i. e. ad eos dies, qui hunc antecesserunt, מְטֶרֶם שׂוּם־אֶבֶן אֶל־אֶבֶן בְּהֵיכַל יְהוָה *a nondum ponere*, i. e. antequam ponerctis *lapidem ad lapidem in aede Jovae*, i. e. antequam templi aedificatio continuaretur. Animo vobiscum reputetis, quam infeliciter vobis omnia eve-

nerunt, antequam templo instaurando fidas adhibuistis manus. HIERONYMUS: „Nunc te hortor, o popule, ut sensu ad praeterita revertaris, consideresque quae facta sint, hoc est, ab hac die vicesima quarta noni mensis anno secundo Darii, quicquid retro gestum est, mente complectere, et propter quae quanta sustinueris, ut, cum deinceps prospera tibi evenerint, scias, qua causa evenerint."

16. מֵהָיוֹתָם *Ex quo illi fuerunt*, scil. dies. Intelligit autem dies istos, quibus templi opus neglectum jacuit. Alii: *priusquam illi essent*, et *lapides* subaudiunt, hac sententia: priusquam lapides illi coagmentati et dispositi essent in suos ordines. בָּא positum pro eo quod plene esset, אִם בָּא אִישׁ *si venit quispiam*, i. e. si ventum fuit. אֶל עֶרֵמַת עֶשְׂרִים *Ad acervum* frumenti, seu manipulorum (ut Cant. 7, 3. 2 Paral. 31, 6.), qui debebat esse, saltem sperabatur fore *viginti*, scil. modiorum, ut Vulgatus supplet. וְהָיְתָה עֲשָׂרָה *Et fuit decem* modiorum, dimidium tantum. בָּא אֶל־הַיֶּקֶב לַחְשֹׁף חֲמִשִּׁים פּוּרָה Si quis *venit ad lacum torcularis ad hauriendum quinquaginta*, scil. bathos *e torculari*. De יֶקֶב vid. not. ad Jes. 5, 2. Verbum חָשַׂף denotat proprie *nudavit*, ut Jes. 12, 10., tum *hausit*, *exhausit*, ut Jes. 30, 14., quod qui vas aliquod exhaurit fundamentum ejus denudat. פּוּרָה Chaldaeus interpretatur *utres* aut *dolia*. Sed quum Jes. 63, 3. voce illa manifeste vas designetur, in quo uvae calcantur, ante eam particula מִן subaudienda videtur. וְחָמְשִׁים עֶשְׂרִים *Erantque viginti* tantum bathi, ut igitur vinitor non acciperet dimidiam partem ejus quod exspectabat aut habere solebat.

17. הִכֵּיתִי אֶתְכֶם בַּשִּׁדָּפוֹן וּבַיֵּרָקוֹן *Percussi vos*, i. e. sata vestra *uredine et aurugine*, eadem leguntur Amos 4, 9., ad quem loc. vid. not. אֵת כָּל־מַעֲשֵׂי יְדֵיכֶם *Omnia opera manuum vestrarum*, segetes industria operaque vestra satas, item vites plantatas cultasque a vobis; cf. supra Vs. 14., et 1, 11. כָּל־יְגִיעַ כַּפַּיִם. *Uredine* atque *aurugine* segetes, *grandine* vites percussas innuit, coll. Ps. 78, 47. יַהֲרֹג בַּבָּרָד גַּפְנָם *occidit grandine vites eorum*. וְאַיִן־אַתֶּם אֵלַי *Et non vos ipsi* (scil. שַׁבְתֶּם *conversi fuistis*) *ad me*, pro quo in loco parallelo Amos 4, 9. וְלֹא־שַׁבְתֶּם עָדַי *nec conversi estis ad me*. אַתֶּם Kimchi h. l. pro עַצְמְכֶם *vos ipsos* dictum observat, ut Num. 6, 13. יָבִיא אֹתוֹ *adducat se ipsum* Naziraeus ad ostium tentorii. Et Ezech. 34, 8. וַיִּרְעוּ הָרֹעִים אוֹתָם *pascunt pastores se ipsos*. Ita verba nostra hoc modo capienda essent, *vos non convertistis ipsos ad me*. Sed quum propheta dicat Thren. 5, 21. הֲשִׁיבֵנוּ יְהוָה אֵלֶיךָ וְנָשׁוּבָה *converte nos, Jova, ad te, et convertemur*, malim: *nec tamen vos ipsi ad me conversi fuistis*. Nam אֵת interdum servit nominativo, videlicet post verba passiva et neutra. Veluti Gen. 17, 5. לֹא יִקָּרֵא עוֹד אֶת שִׁמְךָ אַבְרָם *non amplius nomen tuum vocabitur Abram*. 2 Sam. 9, 25. אַל יַרַע בְּעֵינֶיךָ אֶת הַדָּבָר הַזֶּה *ne dis-*

pliceat tibi haec res. Cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 682. Movi, inquit Jova, omnia mea flagella, sed nihil promovi; conatus sum ad frugem vos revocare, sed sine profectu. Non grando, non rubigo, non penuria aut egestas potuerunt illam vobis negligentiam excutere; usque adeo radices egerunt privati lucri amor et mei nominis non ferendus neglectus.

18. Repetit initio hujus Versus verba priora Versus 15., ut diligentissime, quod monet, observetur. Advertite animum vestrum מִיּוֹם עֶשְׂרִים וְאַרְבָּעָה לַתְּשִׁיעִי לְמִן־הַיּוֹם אֲשֶׁר־יֻסַּד הֵיכַל־יְהוָה *ab* hoc ipso *die vigesimo quarto noni* mensis, de quo Vs. 10., mente regredientes *ad* illud tempus, quod effluxit *a die, quo fundatum est templum Jovae*, i. e. considerate modo tempus elapsum inter hunc diem, vigesimum quartum et diem primae fundationis templi. Cf. similem particulae לְמִן usum Exod. 9, 18. *immittam grandinem super Aegyptum, qualis non pluit* לְמִן הַיּוֹם *a die quo fundata est, usque nunc.* Vid. et Deut. 4, 32. 2 Sam. 7, 11. Jer. 7, 7. 25. Verbis *quo fundatum est templum*, significatur templum illud, quo priora templi fundamenta sunt jacta, anno altero ab reditu, post exstructum altare, Esr. 3, 10. 11. Mox tamen interruptum fuit opus jacuitque usque ad annum Darii regis secundum.

19. הַעוֹד הַזֶּרַע בַּמְּגוּרָה *Numquid adhuc semen* est, vel fuit *in granario?* Nullum restat vobis semen in granariis vestris, in poenam neglecti cultus mei ac templi. מְגוּרָה hoc tantum loco obvium a גּוּר *congregare* videtur locum, quo grana congregata asservantur, i. e. *granarium*, horreum, denotare, ut מַמְגוּרָה Joel 1, 17. Sed Chaldaeus et Syrus intelligunt *aream*, in qua frumenta ad triturandum congeruntur. Ita enim ille: *an adhuc frumentum in area.* Syrus vero: *animadvertite, quod non est semen in area.* HIERONYMUS vero: *nunquid jam semen in germine est?* „Quod melius," inquit in Commentario, „Hebraice dicitur *in folliculo*, ut thecam frumenti significet. Utique nono mense, ut diximus, Decembri, futurarum nulla sunt signa frugum; ne igitur dicatis, hoc me prudenti ratione conjicere, et futuram foecunditatem de floribus arborum herbisque segetum suspicari, ecce nulla signa sunt, et tamen ego praedico vobis, quia coepistis aedificare templum meum ad benedictionem meam frugum omnium foecunditatem." וְעַד הַגֶּפֶן וְהַתְּאֵנָה וְהָרִמּוֹן וְעֵץ הַזַּיִת לֹא נָשָׂא *Et adhuc* (עַד pro עוֹד ut Jon. 4, 2. Job. 1, 18.), i. e. ad hunc usque diem vigesimum quartum, *vitis, et ficus, et malus punica et arbor oleae non tulit* scil. פְּרִיוֹ *fructus suos*, coll. Jocl 2, 22. Ezech. 17, 8. Sed מִן־הַיּוֹם הַזֶּה אֲבָרֵךְ *ab hoc* ipso *die*, quo templi structuram serio adgressi estis, *benedicam*, jam nunc promitto ubertatem maximam omnium istarum rerum; de qua nomen בְּרָכָה et Deut. 28, 8. Mal. 3, 10. Ps. 132, 15. dicitur.

20. Concio tertia, cujus haec sententia est: *te*, o Serubbabel, mihi electum, regnis et imperiis eversis intimo amore et singulari charitate amplectar. שֵׁנִית *Secundum*, altera vice (ut Gen. 22, 15.), eodem die vicesimo quarto, vid. Vs. 10., ut certo confideret Serubbabel, futurum, quod Vs. 6. 7. de gloria templi secundi dictum erat.

21. אֲנִי מַרְעִישׁ אֶת־הַשָּׁמַיִם וְאֶת־הָאָרֶץ Vid. not. ad Vs. 6.

22. וְיָרְדוּ *Descendent* scil. *in terram*, aut *sepulchrum*, cadent interfecti. Ita Chaldaeus: *occidentur equi* etc. אִישׁ בְּחֶרֶב אָחִיו *Vir per gladium fratris sui*, i. e. se mutuo trucidandos obruent, quod in congressu acierum fieri solet, ubi promiscuis omnia caedibus foedantur, aliis in aliorum gladiis irruentibus. Hieronymus: „Dicitur Serubbabeli, quae in fine ventura sint, quod transeat figura hujus mundi, et fiat coelum novum et terra nova, et commoveat Dominus coelum et terram, et destruat omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dissipet reges regum, sive, ut habetur in Hebraeo, *regnorum*, et interficiat omnem fortitudinem contrariam, ut ipsis quoque qui ante regnaverant et gentes sub sua tenuerant ditione, prosit regni eorum destructio, et omni praeliandi studio dissipato, sequatur pax; hoc est enim quod ait: *et subvertam quadrigam*, sive *quadrigas*, *et ascensores earum*, *et descendent equi et ascensores eorum.* Et ut sciatis in subversione quadrigarum et corruentium equitum hoc quod diximus significari, videte quomodo de Christo dicatur in Zacharia [9, 9. 10.], quod veniat mansuetus rex, et ascendens super jugalem et pullum asinae novellum, et disperdat quadrigas ex Ephraim, et equum de Jerusalem, ut fiat unus grex et unus pastor, et utrumque agmen, tam de gentibus quam de Judaeis, sub pacifico pastore teneatur.“ Vatis mentem recte ab Hieronymo declaratam esse haud dubitamus; nam loquitur ille de magnis illis motibus rerumque conversionibus, quae felicissimum antecessurae sint aevum, quo Messia regnante alta pax bonorumque omnium affluentia orbem terrarum beabunt. Quae omnia vates tum proxime instare existimabat, uti patet e Versu sequenti, ubi Jova promittit, se inter regnorum eversiones et horrida bella Serubbabelem prae ceteris sibi charum, incolumem servaturum esse.

23. אֶקָּחֲךָ *Assumam te*, i. e. in meam curam et patrocinium te recipiam, quo sensu verbum לָקַח et Deut. 4, 20. usurpatur, cum Moses Israelitas alloquutus dicit: וְאֶתְכֶם לָקַח יְהוָה *vos suscepit Jova.* Vid. et Ps. 49, 16. 73, 24. עַבְדִּי *Servum meum*, ita vocat Jova Serubbabelem, quod jussa sua fideliter exsequutus esset, et cultum ipsius serio promovisset, templi aedificationem urgendo. וְשַׂמְתִּיךָ כַּחוֹתָם *Ponamque te sicut annulum signatorium*, σφραγῖδα Graeci nuncupant, i. e. carissimum te habebo,

erisque mihi in summo pretio, et curam tui habebo singularem, nunquam mihi ex animo excides aut efflues. Sumtum ab annulis signatoriis, quorum singularem curam gerimus, ne excidant percantque. Sic Cant. 8, 6. *Pone me tanquam sigillum super cor tuum, sigillum super brachium tuum.* De Serubbabelis avo, Jechonia rege, dicit Jova Jer. 22, 24. *Ita vivam! erit Jechonias annulus signatorius in manu mea dextra.* Ad nostrum locum respexit Siracides 49, 11.: *πῶς μαγαλύνωμεν τὸν Ζοροβάβελ; καὶ αὐτὸς ὡς σφραγὶς ἐπὶ δεξιᾶς χεῖρος.* כִּי־בְךָ בָּחַרְתִּי *Nam te elegi* scil. populi ducem, et jussorum meorum exsequutorem. Sic Ps. 78, 70. וַיִּבְחַר בְּדָוִד עַבְדּוֹ *elegit Davidem servum suum.*

5 Nov. 1850.

IN ZACHARIAM PROOEMIUM.

Locum ab Haggaeo proximum inter prophetas, qui minores dicuntur, merito tenet Zacharias, quippe qui eodem cum Haggaeo anno, duobus saltem mensibus posterior, oracula edere coepit (vid. 1, 1. coll. Hagg. 1, 1.). Quum Judaei Haggaei adhortationibus incitati restaurando ex ruinis templo animos manusque denuo admovissent, et ad intermissum diu opus reversi essent, existerent vero, qui de felici operis successu et ipsi desperarent, et alios, qui templi restaurationem alacriter susceperant, labefactare conarentur; ope atque opera enitebatur Zacharias, ut nutantes confirmaret, et ad opus strenue promovendum et continuandum excitaret. Hinc suorum oraculorum argumentum potissimum in eo versatur, ut Judaeos hortetur, ut, superatis, quae ab adversariis objectae fuerant, difficultatibus, et deposito, ob nimis tenuia templi principia, metu, certo confidant, inversurum esse Deum hostium molimina, remoturumque impedimenta quaecunque, etsi vix superanda viderentur. Addit felicissimorum, quae Judaeos olim, Messia regnante, beabunt, temporum promissiones, quibus tamen duras miscet et rigidas objurgationes scelerum inter ipsos adhuc obviorum, ut a sordibus suis magis magisque purgati, ad recipiendum Messiam idonei reddantur. Communi cum Haggaco elogio Zacharias laudatur Esrae 5, 1. 6, 14., et verba ejus ex 1, 3. sua facit Malachias 3, 7.

De postrema hujus libri parte, id est, vaticiniis, quae Capp. 9 — 14. continentur, Zachariae abjudicandis, et vati ipso antiquiori tribuendis, videbimus, ubi ad explicanda oracula illa venerimus.

In describendis visionibus, quae vati divinitus obtigerunt, quarum series inde a Cap. 1, 7. usque ad 6, 15. legitur, stylo utitur plano et simplici, qualis narrationibus congruit; ubi vel aureae aetatis felicitatem, vel regnorum hostilium eversionem depingit, vel popularium improbitatem coarguit, haud caret quidem poetico ornatu et gravitate, numquam tamen ad Jesajae, Nahumi et Habacuci sublimitatem assurgit, vel dictionis eorum elegantiam assequitur. Sermoni etsi haud adeo multi Chaldaismi immixti sunt, est tamen talis, qui inclinatam et decrepitam linguae Hebraeae arguat aetatem. De vaticiniorum Zachariae obscuritate queruntur et Judaei et Christiani. Haud pauca tamen in illis per se plana obscurata sunt infelici interpretum studio, generaliora vatis praesagia ad certos eventus multis post ipsum seculis referendi.

ZACHARIAS.

CAP. I.

Argumentum.

Continetur hoc Capite sermo vatis omnium *primus*, quo Judaeis resipiscentiam suadet, Vs. 2 — 6., nec non sermonis *secundi* particula prima, qua describitur visio allegorica, vati oblata, cujus scopus est, Judaeos erigere, ne ob miserias, quas hucusque non solum in terris exteris, verum et in patria post reditum e Babylonia perpessi fuissent, animum desponderent, Vs. 7 — 17.

1. בַּחֹדֶשׁ הַשְּׁמִינִי *Mense octavo*, adeoque duobus post primum Haggaei sermonem mensibus (Hagg. 1, 1.), cum populus e Babylonia redux hortatu ejusdem ad instaurationem templi paulo ante revertisset, ibid. Vs. 14. 15. בִּשְׁנַת שְׁתַּיִם לְדָרְיָוֶשׁ *Anno secundo Darii* regis, scil. Hystaspis filii, vid. not. ad Hagg. 1, 1. Nomen vatis nostri, זְכַרְיָה, Hieronymus *μνήμην Κυρίου memoriam Domini* interpretatur, quasi e nominibus זָכַר et יָהּ i. e. יְהוָה compositum sit. At ex verbo potius זָכַר et nomine יָהּ compositum זְכַרְיָה ratus Abarbenel, illud *recordatus est Domini* significare censet. Sunt etiam Christiani, qui *μνησίθεον*, sive *τιμόθεον* interpretentur. Alii: *recordatur Jova* scil. *mei*, vel *nostri* (cf. Gen. 30, 22. 1 Sam. 1, 11. 19.), ejusdem significationis cum יוֹזָכַר *Jova recordatur*, 2 Reg. 12, 22. Ceterum satis familiare fuisse apud veteres Hebraeos Zachariae nomen, inde patet, quod plures eodem insigniti memorantur. Quin imo viginti numerantur a quibusdam in solo V. T. homines, qui Zachariae nomen gerunt. Hinc Noster genus et majores suo adjicere nomini necesse ratus, בֶּן־בֶּרֶכְיָה בֶּן־עִדּוֹ הַנָּבִיא *patre Berechia*, *avo Iddo*, *propheta* prognatum se testatur. Nodum in scirpo quaerunt, qui in suspenso hic haerent, an Barachias pater Zachariae, an vero ipse Zacharias filius dicatur Iddonis? porro, an verba hebraea ita sint struenda: *filium Berechiae, filii Iddonis?* an vero: *filium Berechiae, filium Iddonis?* Ratio dubitandi ipsis subnata fuit ex locis libri Esrae 5, 1. et 6, 14., ubi citra interjectam Berechiae mentionem. Zacharias filius Iddonis dicitur. Sed notum est, in genealogiis Hebraeorum generationes mediatas, omisso

intermedio gradu, saepe recenseri; nec non, quod ad h. l. recte monet Grotius, omnes qui in gradibus descendentibus sunt, Hebraeis filios vocari. Integra ipitur hic generationum series a propheta nostro traditur, ex qua Berachiam Zachariae patrem, Iddonem Berachiae parentem, avum Zachariae intelligis; in compendium redacta ab Esra, qui filium pro nepote dicit, eo quod avus aeque ac nepos propheta esset, unde Esr. 5, 1. utcrque נְבִיאֵיא *prophetae* dicuntur, quin et nostro loco, qui epigraphen vaticiniorum Zachariae continet, encomium הַנָּבִיא *prophetae*, non ad nepotem, s. Zachariam, sed ad avum Iddonem referendum esse, jubet accentus *Merca*, nomini עִדּוֹ appositus, qui illud cum proximo הַנָּבִיא arctissime conjungit. *Iddo* hoc loco memoratus, procul dubio est unus de primoribus sacerdotum, qui cum Serubbabele et Josua ex Babylonia in Judaeam redierunt, Neh. 12, 1. 4. 7. coll. Vs. 16., celebre inter Judaeos, ea tempestate, nomen. Multum agitata est quaestio, num Zacharias, Berachiae filius, quem Servator Matth. 23, 25. in templo violenta morte a Judaeis peremtum perhibet, noster sit propheta. Nos quidem nulli dubitamus, Jesum loquutum esse de Zacharia propheta, *Jojadae* filio, qui 2 Chron. 24, 21. Joasi regis jussu, in templi atrio lapidibus obrutus et occisus narratur; verba *υἱοῦ Βαραχίου* autem, quae apud Mattheum nomini *Ζαχαρίου* addita leguntur, librarii alicujus errori deberi, nisi Matthaeum ipsum memoria hac in re defecerit.

2. קָצַף יְהוָה עַל־אֲבוֹתֵיכֶם קֶצֶף *Iratus est Jova patribus vestris ira*, gravissime afflixit majores vestros, quos propter peccata sua permisit Babylonem deportari, templo everso, urbeque excisa funditus. קֶצֶף קָצַף *Iratus est ira*, vehementissime, *ὀργὴν μεγάλην*, ut LXX vertunt, cf. infra Vs. 15. 7, 12. Eodem modo Latini et Graeci dicunt *gaudere gaudium*, *pugnare pugnam*, *μάχεσθαι μάχην*. Causam indignationis addit Chaldaeus: *eo quod iram concitarunt coram eo.*

3. שׁוּבוּ אֵלַי *Revertimini ad me* (*ad cultum meum*, vertit Chaldacus). וְאָשׁוּב אֲלֵיכֶם *Et revertar ad vos*, scil. בְּרַחֲמִים *cum miserationibus*, ut infra Vs. 16. plene legitur. Deponam, inquit, animum iratum, quem in patres vestros propter peccata eorum concepi; reconciliatus vobiscum adero vobis, et prospera omnia largiar. Qui prius a vobis recessceram, nunc revertar ad vos, si modo reversi fueritis ad me. Cf. Mal. 3, 7. 2 Paral. 30, 6. 9.

4. אַל־תִּהְיוּ כַּאֲבוֹתֵיכֶם *Ne sitis sicut patres vestri*, ne ita vilipendite admonitiones prophetarum, ut patres olim vestri. אֲשֶׁר קָרְאוּ־אֲלֵיהֶם הַנְּבִיאִים הָרִאשֹׁנִים *Quibus acclamabunt prophetae priores*, i. e. illi, qui ante urbis excidium abductumque in terras exteras populum sunt vaticinati. שׁוּבוּ נָא מִדַּרְכֵיכֶם הָרָעִים וּמֵעֲלִילֹתֵיכֶם הָרָעִים *Convertimini a viis vestris malis et ab actionibus vestris malis.* Cf. Jes. 31, 6. 55, 7. Hos. 14, 2.

Joel 2, 12. Jer. 3, 12. 18, 11. 24, 4. 5. 25, 4. 5. In מעליליכם prius Jod redundat; legi enim debet מַעֲלֵלֵיכֶם, quomodo in pluribus codicibus scriptum reperitur. Praeterea ante hoc nomen repetendum est e מדרכיכם praefixum מ, et legitur in codice Erfurtensi tertio מִמַּעַלֵלֵיכֶם.

5. אֲבוֹתֵיכֶם אַיֵּה־הֵם *Patres vestri ubi sunt?* i. e. nusquam sunt. *Non esse* autem dicitur qui non est in hac vita, sive qui desiit inter homines, ut Jer. 31, 15. *Rahel plorans filios suos, non vult consolationem accipere,* כִּי אֵינֶנּוּ *non enim sunt.* Hoc autem vult vates: patres vestri non amplius sunt, sed perierunt consumti fame, bello ac peste, quemadmodum ipsis a prophetis praedictum fuerat. Sed licet pericrint, tamen eorum interitus non debet obliterare memoriam poenarum, quas sustinucrunt; quasi dicat: illorum poenae vos debent cautiores faccre. וְהַנְּבִיאִים הַלְעוֹלָם יִחְיוּ *Et prophetae, num in aeternum vivent?* Hieronymus sub הנביאים hoc loco *pseudoprophetas* intelligit, permotus forsan loco Jer. 37, 19. אַיֵּה נְבִיאֵיכֶם *ubi sunt vestri prophetae, qui vobis vaticinati sunt, dicentes: non veniet rex Babelis super vos et super hanc terram.* Quasi dicat: prodeant et defendant sua mendacia, si possunt, quum eventus jam doceat, me vera prophetasse. Sed alia est nostri loci ratio, quae non pseudoprophetae, sed veros Jovae prophetas intelligendos esse, vel docet *He* demonstrativum, ad antecedentia lectorem remittens, ut eosdem hic intelligas indigitari prophetas, de quibus Vs. 4. et mox Vs. 6. vates loquitur. Simpliciter igitur nostris verbis conceditur, majores eorum, ad quos verba facit, et prophetas priores communem vitae exitum habuisse. Conjungendus autem est hic Versus cum eo, qui sequitur, hac sententia: quamvis prophetae non vivant perpetuo, tamen mea verba vivunt, et suo tempore effectum sortiuntur. Recte Jarchi nostri et proximi Versus sensum declarat hoc modo; „Si dicas: etiam prophetae ubinam illi sunt: ecce ipsi sunt mortui, ego respondeo vobis: an prophetae in aeternum vivere debuerunt? enimvero finis eorum probat, verba eorum fuisse vera: nam omnia verba mea atque statuta decretorum poenae meae, quae injunxi servis meis, prophetis, contra vos, nonne apprehenderunt patres vestros?“

6. אַךְ דְּבָרַי *Verum verba mea*, q. d. verborum meorum, quae prophetae patribus vestris annuntiarunt, longe alia fuit ratio, neque enim illa emortua sunt, sed perdurarunt. וְחֻקַּי אֲשֶׁר צִוִּיתִי *Et decreta mea, quae mandaveram*, ut ea referrent ad patres vestros. אֶת־עֲבָדַי הַנְּבִיאִים *Servis meis, prophetis*, qui nunc obierunt diem suum, nec amplius in vivis sunt. הֲלֹא הִשִּׂיגוּ אֲבוֹתֵיכֶם *Nonne assequuta sunt patres vestros?* nonne ita omnia evenerunt, quemadmodum a me per prophetas meos praedictum fuerat? וַיָּשׁוּבוּ *Et conversi sunt*, poenitentia tandem ducti sunt, in illis positi malis, quae quidem ipsis praedicta fuerant. כַּאֲשֶׁר

זָמַם וגו׳ *Quemadmodum cogitavit*, et per prophetas, quid cogitaret, praedixit, *Jova, nobis facere secundum vias nostras, et secundum actiones nostras, ita nobiscum fecit.* Ut completa fiat oratio, supplendum nonnihil venit hoc modo: hanc confessionem patribus vestris tandem extorsi; cavete igitur, ne quid simile vobis accidat. Ceterum hic sermo merito primus est, ac omnium vaticiniorum Zachariae frontem occupat. Quum enim templi et cultus publici restaurationem urgendam sibi sumsisset vates, par erat, ut suos aequales moneret, ne majorum prava exempla imitati, effata prophetica contemnerent.

7. Sequitur jam sermo vatis nostri secundus, quo visionum allegoricarum series continetur. בְּיוֹם עֶשְׂרִים וְאַרְבָּעָה לָעַשְׁתֵּי־עָשָׂר חֹדֶשׁ *Die vigesima quarta mensis undecimi*, trimestre igitur fere spatium inter primum et alterum hunc sermonem propheticum. Additur nomen mensis, שְׁבָט, „est," inquit HIERONYMUS, „in acerrimo tempore hyemis, qui ab Aegyptiis *Mechir*, a Macedonibus *περίτιος*, a Romanis *Februarius* appellatur."

8. רָאִיתִי הַלַּיְלָה *Vidi hac nocte*, certam enim noctem designari ostendit *He* demonstrativum, eam videtur intelligere, quae praecessit diem vicesimam mensis Schebat. Objiciebatur autem prophetae אִישׁ רֹכֵב עַל־סוּס אָדֹם *vir vectus equo rufo. Vir* ille vocatur Vs. 9. et 11. *nuntius Jovae.* „Hunc Hebraei," inquit HIERONYMUS, „Michaelem angelum putant, qui ultor iniquitatum et peccatorum sit Israel." Sic et Dan. 9, 21. vocatur אִישׁ גַּבְרִיאֵל. Equus, cui insedebat vir ille sive angelus, *rufus* fuit, haud dubie quod ultionis et irae divinae symbolum ille color sit (coll. Vs. 15.), sanguinem et caedes hostibus Judaeorum portendens. Sic 2 Reg. 3, 22. *aqua rubra ut sanguis* Moabitis exitium portendebat. Jes. 63, 1. 2. heros ex Idumaea victoriosus veniens rubicundis ab hostium strage indutus est vestibus. Et Apoc. 6, 4. prodit *equus rufus*, quem insidenti commissum est, ut ex terra auferret pacem, ita ut alii alios necarent, eique datus erat magnus gladius. וְהוּא עֹמֵד בֵּין הַהֲדַסִּים *Stans ipse* erat *inter myrtos.* De הֲדַס vid. *Alterthumsk.* Vol. IV. P. I. p. 256. אֲשֶׁר בַּמְּצֻלָה *Qui in profundo*, in valle, ubi felicius proveniunt myrti. Significari volunt populi Hebraei in exteris terris statum humilem et miserum, unde Chaldaeus *qui in Babylonia* vertit. מְצֻלָה sunt qui *locum umbrosum* vertant, quum Dagesch forte literae ל impositum radicem צָלַל *umbrosus fuit* arguere videatur. Hinc LXX nostra verba reddiderunt: *ἀναμέσον τῶν ὀρέων τῶν κατασκίων* (pro ההדסים illos הָהָרִים legisse apparet). Nos vero מצלה significatu non differre arbitramur a מְצוּלָה *profundum*, Ps. 107, 24., cujus pluralis infra 10, 11., Dagesch posito pro vocali longa. Cf. צוֹלָה *profundum*, Jes. 44, 27. וְאַחֲרָיו סוּסִים אֲדֻמִּים *Et post eum* tanquam ducem sequebantur *equi rufi*, equos intellige cum equitibus, ut patet ex Vs. 11. Voce שְׂרֻקִּים colorem significari,

series orationis requirit, sed qualis ille sit, id se ignorare fatentur Jarchi et Kimchi. Chaldaeus habet קְנַחִין, quod BOCHARTUS *Hieroz.* P. I. L. II. C. 7. T. I. p. 47. edit. Lips. *coccineos* significare conjectat. Nam Talmudicis סִירְקוֹן id ipsum est quod Graecis *συρικὸν*, *color* videlicet *factitius ex sinopide et sandice mixtis*, et inde סָרַק et סָקַר *minio colorare*. Hieronymus *varii* vertit, Graecum Alexandrinum sequutus, qui *ποικίλιοι* habet. Bochartus tamen l. c. p. 49. mavult intelligere colorem, qui tam *lino*, quam *vino* et *equis* conveniat, quum שרוקים Jes. 16, 8. de *vitibus*, et שְׂרִיקוֹת Jes. 19, 9. de *linis* Aegyptiis dicatur; videlicet colorem *gilvum*, flavo proximum, sed dilutiorem, Germanice *falb* vel *fahl*. Jam vero etsi vates in ea, quam mox dabit, hujus visionis interpretatione quid *equis*, quid variis illorum *coloribus* significetur, non dicat, illum tamen non sine causa et angelos equis insidentes finxisse, et istis equis certos colores tribuisse, concludi inde potest, quod 6, 2. 3. quatuor curribus, quibus quatuor coeli venti per terram ruentes adumbrantur, itidem equos certis coloribus distinctos vates jungit. Dubium autem vix esse potest, angelos, divinorum consiliorum ministros et exsequutores *equis* insidentes ideo fingi, ut eo declaretur, esse illos ad munera sua celeriter, promte et acriter peragenda necessaria facultate instructos. *Color* autem equorum, observante VITRINGA *Commentar. in Apocal.* 6, 1. p. 328., vel significare potest *qualitatem ministri divini* ei insidentis, vel genus *qualitatemque divinorum consiliorum*, quae minister ille exsequitur, cum respectu ad populum Judaicum. Priore modo sumitur Apoc. 19, 11. 14., ubi Christus, imperator victoriosus, et Sancti, qui ab ejus partibus stant, *equis albis insidentes* describuntur, quo illorum puritas, sanctitas, splendor, decusque innuitur. Posteriore modo accipiendus est equorum color apud Zachariam, ubi Angelus, rector populi Judaici, ostenditur insidere *equo rufo*, et alii angeli, qui ipsi aderant, equis *rufis*, *puniceis* et *albis*; quod manifeste spectat ad rerum Judaicarum variam variis temporibus conditionem et statum. Si Deus populo suo decreverit immittere *bella*, angeli exhibentur insidere *equis rufis*, si pacem et laeta tempora, equis *albis*, si tristitiam temporum, equis *nigris*, si tempora mixti generis statumque varium, *puniceis* vel *spadiceis*.

9. וְאֹמַר מַה־אֵלֶּה *Et dixi* ad virum equo rufo insidentem (Vs. 8.), qui mihi haec omnia monstrabat, et monstrata explicabat, *quid hi* scil. sunt, sibi volunt? וַיֹּאמֶר אֵלַי הַמַּלְאָךְ *Et dixit mihi angelus*, idem qui insidebat equo rufo et inter myrtos stabat, uti e Versu 11. patet. הַדֹּבֵר בִּי *Qui mecum loquebatur*. LXX: ὁ λαλῶν ἐν ἐμοί, quod sequutus Hieronymus: *qui loquebatur in me;* male. Nam verbum דָּבַר constructum cum ב personae de quo agitur praeposito, significat *cum* aliquo loqui. Sic Num. 12, 8. פֶּה־אֶל־פֶּה אֲדַבֶּר־בּוֹ *ore ad os cum eo loquor*.

Vid. et Deut. 6, 7. 1 Sam. 25, 39. Recte Chaldaeus: *qui mecum loquebatur.* אֲנִי אַרְאָךְ *Ego videre te faciam*, faciam ut intelligas, ostendam tibi, מָה־הֵמָּה אֵלֶּה *quid sint illi*, quid portendant.

10. וַיַּעַן הָאִישׁ הָעֹמֵד בֵּין־הַהֲדַסִּים *Respondit igitur vir ille qui inter myrtos stabat*, is, de quo Vs. 8., idemque qui Vs. 9. *angelus Jovae* dicitur. Nam is, qui promisit vati, se ostensurum esse ipsi, quid equites illi portendant; idem est procul dubio, qui hic actu respondisse dicitur. אֵלֶּה וגו׳ *Hi* sunt *isti, quos misit Jova ad perambulandum per terram.* Sunt igitur nuntii et ministri Jovae, ut Satanas Job. 1, 7. terram peragrasse et obiisse dicitur, ut quae in ea geruntur Jovae referat.

11. וַיַּעֲנוּ אֶת־מַלְאַךְ יְהוָה הָעֹמֵד בֵּין הַהֲדַסִּים *Responderunt* equites isti, cum post peragratam terram rediissent, et ab angelo interrogati essent, quo statu terrarum res invenissent, *angelo Jovae, qui inter myrtos stabat*, de quo Vs. 8. 9. 10. 12. Respondent illi, se universam terram perambulasse, et eam pacatam invenisse, id enim volunt verba כָּל־הָאָרֶץ יֹשֶׁבֶת וְשֹׁקֶטֶת, quae nonnulli vertunt: *universa terra habitans et tranquilla* est, ut sit ἓν διὰ δυοῖν, pro: *tranquille habitat.* Sed verbum יָשַׁב usurpatur et pro יָשַׁב לָבֶטַח (Ezech. 28, 26.) *secure habitare* Mich. 5, 3. et infra 10, 6. Vertimus igitur: *universa terra secure* ab hostibus et pacate *habitat, et tranquilla est.* Ut 1 Paral. 4, 40. הָאָרֶץ שֹׁקֶטֶת וּשְׁלֵוָה *terra quieta et tranquilla est.* Et infra 7, 7. *Jerusalem* יֹשֶׁבֶת וּשְׁלֵוָה *habitans* secure est *et tranquilla.* Cf. Jud. 18, 27. עַם שֹׁקֵט וּבֹטֵחַ *populus tranquillus et securus* ab hostibus. Ceterum nostro loco כָּל־הָאָרֶץ *universa terra* intelligenda est Judaea exclusa, ut e Vs. 12. patet. Sensus igitur est: finitimae gentes omnes prosperitate rerum florent, solae Judaeorum res afflictae sunt, et ipsi in miserrimo statu.

12. עַד־מָתַי — יְהוּדָה *Usquequo non misereberis Hierosolymae et urbium Judae?* Erant quidem Judaei in terram patriam restituti, sed vexabantur a finitimis populis; Hierosolyma sine muris erat, templum ad tertium abhinc mensem in ruinis jacuerat, et hoc ipso tempore ab adversariis Samaritis periculum imminebat, ut coeptam templi reparationem turbarent. Cf. Esr. 3, 3. 4, 1. 4. 5. sqq. 5, 3. Neh. 1, 2. 3. Itaque ut ex his quoque malis populum suum liberet, Deum angelus rogat. אֲשֶׁר זָעַמְתָּה זֶּה שִׁבְעִים שָׁנָה *Quibus* urbibus *iratus fuisti his septuaginta* annis, i. e. toto exsilii tempore, quod pertulimus, toto tempore praedicto a Jeremia 25, 11. 12, quod jam primo Cyri anno exspiraverat, ut diserte dicitur Esr. 1, 1. 2 Paral. 36, 21. 22.

13. וַיַּעַן יְהוָה אֶת־הַמַּלְאָךְ הַדֹּבֵר בִּי *Respondit Jova angelo, qui mecum loquebatur.* „Omnia," observat Grotius, „ordine eunt. Deus angelo loquitur, angelus prophetae." Ita et Jarchi: „Non (is sensus est verborum istorum) ac si audiverit

propheta, quid ei (angelo) responderit (Deus); sed ex eo, quod dixit angelus ei: *proclama: zelo prosequutus sum*, et quae sequuntur (Vs. 14.), ego (inquit propheta) cognovi, Deum angelo bona verba respondisse.“ דְּבָרִים טוֹבִים *Verba bona*, laeta, jucunda, grata, ut 1 Reg. 12, 7. Pendet vero hic Accusativus non a Participio הַדֹּבֵר, sed a remotiori verbo וַיַּעַן *respondit*, quod accentus evincunt; nam accentus distinctivus *Tiphcha* voci בִּי appositus eam cum דְּבָרִים conjungere vetat. דְּבָרִים נֶחָמִים *Verba consolatoria.* Posterius horum nominum Kimchi pro adjectivo habet; sed videtur potius substantivum esse, *consolationes* significans, ut Jes. 57, 18. Est in priori numine enallage status absoluti pro constructo, vel נחמים דברים breviter est dictum pro דברים דברי נחמים. Cf. not. ad Ezech. 11, 16. p. 293.

14. Responsum illud bonum, de quo Vs. 13., exponit jam angelus prophetae, ut hic illud vicissim populo exponat in solatium. קְרָא *Proclama*, alta et sonora voce, ut exoptatum hoc Dei responsum audiat tuus populus et erigatur. קִנֵּאתִי לִירוּשָׁלַם וּלְצִיּוֹן *Zelavi pro Jerusalem et pro Zion*, flagrans nunc in populum meum amor rediit, quo non sinam impune abire eos, qui illum injuria affecerint. *Zionis* meminit, quod Jovae templum eo in monte situm erat. Verbum קִנֵּא cum Dativo constructum in bonam, cum Accusativo, vel praefixo ב, in malam partem sumitur. Cf. infra 8, 2 Joel 2, 18. — קִנְאָה גְדוֹלָה *Zelo magno*, haud vulgari. Valde enim me male habet, Hierosolymam et Zionem, quam amo, laesam ab hostibus supra modum et nimis crudeliter tractatam fuisse.

15. וְקֶצֶף גָּדוֹל אֲנִי קֹצֵף עַל־הַגּוֹיִם הַשַּׁאֲנַנִּים *Iram magnam ego irascor contra gentes tranquillas* illas, de quibus Vs. 11. Gravissime, inquit, animadvertam in gentes illas, quae nunc summa quiete et securitate sedent. Videtur tamen שַׁאֲנָן hic malo sensu dici de eo, qui, dum securum se putat, insolentem se erga alios gerit. Hieronymus *gentes opulentas* vertit. אֲשֶׁר אֲנִי קָצַפְתִּי מְעָט וְהֵמָּה עָזְרוּ לָרָעָה *Quia* (ita אֲשֶׁר et Jes. 65, 16.) *ego iratus sum Hierosolymae parum, illae vero juverunt ad malum.* Cum leviter animadverterem in meos, *ipsae adjutrices fuerunt in malum*, gravius eos puniverunt, quam ferebat ira mea.

16. לָכֵן *Ideo*, ut laetiora tandem in praeteritae calamitatis vicem experiaris. שַׁבְתִּי לִירוּשָׁלַם בְּרַחֲמִים *Reversus sum ad Hierosolymam cum miserationibus*, reconciliatus sum Hierosolymitanis. Vis est in numero plurali, ut si diceret: non uno genere misericordiae s. gratiae erga eos utor. בֵּיתִי יִבָּנֶה בָּהּ *Domus mea*, templum, *aedificabitur in ea*, urbe. Cum haec scriberet propheta, coepta erat aedificatio, sed completa demum fuit anno sexto Darii, mense duodecimo, ut habetur Esr. 6, 15. Velint ergo nolint hostes, qui hactenus impediverunt opus, quod jam

inchoatum, suo tempore perficietur. וְקָוֶה יִנָּטֶה עַל־יְרוּשָׁלָ͏ִם *Et funiculus extendetur super Hierosolymam*, i. e. funiculus mensorius extendetur ad mentiendum spatium urbis aedificandae, et videndum, quanta ejus latitudo et quanta longitudo esse debeat. Vult dicere: praeter templum ipsa quoque urbs aedificabitur. קָוֶה, seu, uti ad marginem legi jubetur, קָו (ut 1 Reg. 7, 23. Jer. 31, 39.) idem est quod infra 2, 5. חֶבֶל מְדָה. Lud. de Dieu τὸ כְּתִיב enuntiat קָוָה, quod, uti addit, „non magis mendum habet, quam לַיְלָה pro לַיִל. Chaldaismus est, qui nominibus etiam masculinis Hebraeorum affingunt ה, ut pro פֻּשָׁר *interpretatio* פִּשְׁרָה Dan. 2, 7., מַלְכָּא pro מֶלֶךְ *rex*, Dan. 2, 11., et sexcenta alia, quae tamen apud Syros et Chaldaeos frequentius in א terminantur; sed apud Danielem et Esram א et ה indiscriminatim usurpantur: itaque nec mirum, Zachariam, qui circa idem tempus vixit, Chaldaismos imitari."

17. עוֹד קְרָא *Adhuc*, praeter illa, quae Vs. 1. sqq. jam proclamari jussi, porro *proclama*. עוֹד *adhuc*, q. d. mala multa et longe maxima sustinuerunt quidem hactenus, verum sequetur alius, et quidem exoptatissimus rerum Judaicarum status. Verba תִּפּוֹצֶנָה עָרַי מִטּוֹב ex Kimchii sententia ita sunt vertenda: *diffundentur* s. *diffundent se urbes meae prae bono*, i. e. propter abundantiam bonorum, quae illis obtingent, dispergentur huc illuc, et terra undique habitabitur, coll. 2 Sam. 20, 22. וַיָּפֻצוּ מֵעַל־הָעִיר *dispersi sunt ab urbe quisque ad tabernaculum suum.* Alii sensum hunc esse putant, tantam civium frequentiam fore, quantam ambitus murorum urbium non capiet; cf. infra 2, 8. Sed recte A. Schultens in *Animadverss. philologg.* ad h. l. „proba," inquit, „omnino est et sequenda versio vulgata [Hieronymi]: *affluent civitates meae bonis.* Verbum فاض פוּץ Arabice est *affluere*, *abundare*, *exundare:* فاض الما in Camus: كثر حتى سال كالوادى *crevit* aqua *donec fluxerit torrentis instar.* Hanc puto primariam esse radicis hujus notionem, unde secundo *dispergi*, quasi *effundi*, *diffundi.* Certe *effluere*, *effundi* notare, patet etiam ex Prov. 5. 16." Verba sunt: יָפֻצוּ מַעְיְנֹתֶיךָ חוּצָה *redundant fontes tui foras.* Cf. Job. 40, 6. (al. 11.) הַפֵּץ עֶבְרוֹת אַפֶּךָ *effunde excandescentias irae tuae.* Recte nostro Zachariae loco Chaldaeus תִּפּוֹצֶנָה vertit *implebuntur.* LXX: *διαχυθήσονται.* עָרַי *Urbes meae*, urbes Judaeae intelligit, coll. Vs. 12., quas *suas* vocat, quod singulari amore eas prosequeretur. וְנִחַם יְהוָה עוֹד אֶת־צִיּוֹן *Consolabitur Jova adhuc Sionem*, poenis inimicorum. וּבָחַר עוֹד בִּירוּשָׁלָ͏ִם *Eligetque adhuc Hierosolymam*, ut sedem suam ibi collocet. Eadem verba leguntur infra 2, 16. 3, 2.

20 Nov 1850

CAP. II.

Argumentum.

Sequitur hoc Capite imago secunda, vati per visionem repraesentata, quatuor cornuum a totidem fabris dejiciendorum, cum subjecta explicatione, Vs. 1 — 4., atque imago tertia, exhibens virum urbis structuram metientem (Vs. 5. 6.), quo quid significetur exponitur inde a Versu 7. usque ad Capitis finem.

1. וָאֶשָּׂא אֶת־עֵינַי *Levavi oculos meos*, formula usitata in describendis visionibus prophetarum, quae et infra Vs. 5. 6, 1. Dan. 8, 3. 10, 5. reperitur. וָאֵרֶא *Et vidi* eadem visione, de qua 1, 8. sqq., uti e Versu proximo et Vs. 7. apparet, ubi colloquuntor idem, qui fuerat Cap. primo. אַרְבַּע קְרָנוֹת *Quatuor cornua*, Chaldaeus *regna* posuit. Recte, nam *cornua* in emblematis propheticis signant regna robore suo ferocientia; comparationis ratio, quod boum et aliorum animantium cornigerorum robur praecipuum situm est in cornibus. Cf. Dan. 8, 3. 5 — 9. Nostro loco cornubus indicari regna Israeli et Judae infesta, patet e Versu 2. Numerus *quaternarius* quatuor mundi plagas innuit, coll. Vs. 10., notantur igitur gentes, quae populum Judaicum undique a quatuor plagis mundi infestabant. Sunt, qui quatuor cornibus indicari putent quatuor illa summa imperia, sub quibus dura subinde fata Judaei habuerunt, Babylonicum vel Assyrium, Persicum, Graecum et Romanum. Verum de certis quibusdam populis, qui futuro tempore Judaeos infestaturi sint, Nostrum cogitasse, merito dubitatur, quum in explicatione visi neque ipse illos nominatim designet, neque ita describat, ut appareat, eum certas quasdam gentes innuisse.

2. וָאֹמַר אֶל־הַמַּלְאָךְ הַדֹּבֵר בִּי *Dicebam ad angelum illum, qui mecum loquebatur*, qui erat is ipse, quem stantem viderat inter myrtos, 1, 8., coll. ibid. not. ad Vs. 9. אֵלֶּה הַקְּרָנוֹת אֲשֶׁר זֵרוּ אֶת־יְהוּדָה *Haec* sunt *cornua, quae ventilaverunt Judam* etc. Sermoni figurato immiscetur proprius, hoc sensu: his cornubus significantur gentes, quae ventilaverunt, i. e. disperserunt huc illuc et variis modis vexaverunt. Metaphora petita a bobus iratis, qui cornibus obvia quaeque dispergere solent. זָרָה *exagitare et quoquo modo vexare* notat quoque Jer. 51, 2. *mittam Babelem peregrinos*, וְזֵרוּהָ *et ventilabunt eam*, quod LXX reddiderunt: καὶ καθυβριοῦσιν αὐτήν. וִירוּשָׁלַם *Et Hierosolymam*, i. e. Hierosolymitanos. Hanc urbem diserte nominat, quod totius regni caput et sedes sacrorum gentis universae esset.

3. Hic *Jova* appellatur, qui antea modo *angelus Jovae* (1, 11. 12.), modo *angelus qui cum vate loquitur*, dicebatur (1, 9. 13. 14.). Is igitur prophetae ostendisse dicitur אַרְבָּעָה חָרָשִׁים *quatuor fabros* (*artifices* Chaldaeus vertit), cum dolabris

sive ferramentis ad dejicienda ista cornua, uti e Versu sequente colligere licet.

4. מָה אֵלֶּה בָּאִים לַעֲשׂוֹת *Quid hi* fabri *veniunt ad faciendum?* quid facient? quo fine veniunt? Verba אֵלֶּה הַקְּרָנוֹת repetuntur e Versu superiore, non modo ut explicatius dicantur, verum etiam, ut nexus, quem fabri cum cornibus istis habent, eo magis conspicuus fiat. Sunt autem verba אֵלֶּה הַקְּרָנוֹת Nominativi absoluti, quos Latine vertas: *quod attinet ad illa cornua, quae ventilarunt Judam sic ut nemo sustulerit caput suum*, habes prius sententiae membrum, cui alterum per Vav retributivum, Latinis supervacaneum, annectitur, וַיִּבְאוּ *venerunt* rel. Similes constructiones vid. Jerem. 33, 24. 44, 25. Ceterum יְהוּדָה hic pro utroque, Juda et Israel, positum est, coll. Vs. 3. Sed LXX addunt: *καὶ τὸν Ἰσραὴλ κατέξαν, Israelem confregerunt.* כְּפִי־אִישׁ לֹא־נָשָׂא רֹאשׁוֹ *Adeo ut nemo sustulerit caput suum*, „ut nemo eorum," ait HIERONYMUS, „gravi malorum pondere depressus levaret caput." Describit gestum hominum tristium ac moerentium, qui fronte demissa incedere solent. Cf. not. ad Mich. 2, 3. Chaldaeus: *neque siverunt* quemquam *incedere statura* erecta. כְּפִי h. l. est *secundum rationem, ut*, vel *ita ut*. Subauditur enim pronomen אֲשֶׁר serviens loco conjunctionis causalis *ut;* nomen פִּי autem modum, rationem, proportionemque rei notat. Alii: feceruntque illum *sicut virum*, vel, *ad instar viri, qui* non attollit caput, coll. Mal. 2, 9. — וַיָּבְאוּ אֵלֶּה לְהַחֲרִיד אֹתָם *Et venerunt illi* fabri *ad exterrendum ea* cornua. Verbum *exterrere* respicit ad securitatem gentium Hebraeis inimicarum 1, 11. 15. Cf. Ezech. 30, 9. לְהַחֲרִיד אֶת־כּוּשׁ בֶּטַח *ad exterrendum Cuschaeam secure* sedentem. Terrorem autem non vanum intelligendum esse docent quae adduntur explicandi causa, לְיַדּוֹת אֶת־קַרְנוֹת הַגּוֹיִם הַנֹּשְׂאִים קֶרֶן *ad dejiciendum cornua gentium attollentium cornu*, nefario ac fastuoso molimine; more animalium, quae cornibus feriunt, et obviae quaeque prosternunt ac dissipant. Eadem loquutio Ps. 75, 5. 6. *Dixi impiis: ne attollatis cornu, ne attollatis in altum cornua vestra.* אֶל־אֶרֶץ יְהוּדָה לְזָרוֹתָהּ *Ad*, contra *terram Judae ad dispergendum eam*, vexandum et perdendum, vid. de verbo זָרָה not. ad Vs. 1. Chaldaeus: *ad deportandum eam.* Quatuor fabris illis, qui cornua Judaeis noxia dejiciebant, Serubbabelem, Josuam, Esram et Nehemiam intelligunt cum Hebraei plerique, tum Christiani aliquot. Verum licet de Judaeis ab exilio reducibus praeclare meruerint Quatuorviri isti, tamen iis minime conveniunt, quae de ipsis hoc Versu dicuntur, cos gentes exterrere, earumque potentiam infringere. Sed quemadmodum quatuor cornua hostes indicare vidimus, undique et ab omnibus coeli plagis populo Judaeo ingruentes; sic per quatuor fabros generatim significantur totidem heroes, a Jova mittendi, qui hostes eorumque nefarios ausus sint repressuri. Scopus hujus visionis

vix obscurus esse potest. Solatur enim Judaeos, ostendendo, animum illis non esse abjiciendum; quantumcunque ab hostibus vexentur atque exagitentur; Jovam namque non defuturum populo suo, sed missurum, qui hostes illos omni tempore coerceant reprimantque. Pergerent modo Judaei pietate studere, ac templum, ut coeperant, instaurare, quae obstarent Deum remoturum esse.

5. Codices typis descripti haud panci hoc demum Versu Caput secundum auspicantur. Incipit *tertiam* visionem describere, qua non solum instauratio, verum etiam florentissimus status urbis Hierosolymitanae describitur. Objiciebatur vati אִישׁ *vir*, quem Jarchi observat eundem esse, qui Vs. 7. angelus cum vate colloquutus vocatur, et recte quidem, nam quem vates Vs. 6. *abeuntem* compellavit, cum Vs. 7. *exeuntem* describit atque id ita, ut angelum colloquutorem illum fuisse diserte ponat. וּבְיָדוֹ חֶבֶל מְדָּה *Et in manu ejus funis mensionis*, s. *mensorius*, ad designationem faciendam urbis regionumque ejus, ut ab architectis fieri solet. „Hic," inquit Hieronymus, „et ab Ezechiele cernitur [40, 3.], habens funiculum in manu, et calamum ad mensuram cubiti virilis, ut metiatur Jerusalem, cujus descriptionem, id est, latitudinem et longitudinem, idem propheta mystico sermone prosequitur."

6. לִרְאוֹת כַּמָּה־רָחְבָהּ וְכַמָּה אָרְכָּהּ *Ad videndum*, ut videam *secundum quid*, quanta debeat esse *latitudo ejus et quanta longitudo ejus*. Dicit igitur, in eo se esse, ut aedificet Hierosolymam, eoque fine terminos longitudinis ac latitudinis constituat.

7. וְהִנֵּה וגו׳ *Cum vero ecce! angelus, qui mecum loquebatur, exiret* de loco suo, e myrtis (1, 8.), ad metiendum Hierosolymam, *alius* quidam *angelus* aliunde *exibat obviam ei*, ad excipiendum exsequendumque mandatum ejus, a quo nutu fuerat evocatus.

8. וַיֹּאמֶר אֵלָיו *Dixit* angelus, qui mecum colloqui solebat *ad eum*, qui obviam ei exiverat. רֻץ דַּבֵּר אֶל־הַנַּעַר הַזֶּה *Curre*, ito protinus, *et dic ad juvenem hunc*, Zachariam, quem juvenili adhuc tum aetate fuisse appellatio haec probabile facit. Mittitur autem angelus ad explicandum vati visum, quod ipsi objiciebatur. In verbis פְּרָזוֹת תֵּשֵׁב יְרוּשָׁלַ͏ִם explicandis in duas potissimum partes interpretes discedunt. Alii, subaudita comparandi particula ante פרזות, illa sic vertunt: sicut *pagi*, pagorum in modum, *Hierosolyma habitabitur*. Quod Jarchi ita exponit: *absque muro, ut in ea habitent omnes qui advenerint, eaque indies augeatur*. Hieronymus quoque vertit: *absque muro habitabitur Jerusalem*. Pagi enim, sive oppida campestria muris carebant, ut ex Ezech. 38, 11. apparet, et distinguuntur ab urbibus munitis Deut. 3, 5. 1 Sam. 6, 18. Atque יֵשֵׁב haud raro *passive* accipitur, vid. not. ad Jes. 13, 20. Ezech. 26, 20. 35, 9. Ita sensus esset: tantam fore incolarum Hierosolymitanae urbis multitudinem, ut spatium

muris circumdatum eos capere non possit, hincque muri sint prorsus semovendi. Alii verba simpliciter hoc modo capiunt: *pagos incolet Hierosolyma*, metonymice, populus Hierosolymae. Quod ita explicat KIMCHI: „extra urbem habitabunt plurimi, quia non capiet eos urbs, quamvis multo longior latiorque, quam unquam antea fuerat, sit futura; quare habitabunt multi extra eam in vicis ac oppidis campestribus, sine muro, valvis et vectibus (Ezech. 38, 11.), quia secure et sine metu ab ullo homine habitabunt, me quippe velut igneum murum habituri." Similiter COCCEJUS: „Praeconium est de multiplicatione hominum et pecudum in urbe Hierosolymitana, tanta, ut intra urbem habitare non possint, sed necesse habeant in villis et suburbiis urbi accensendis habitare. Phrasis prophetae פרזות תשב *pagis habitabitur* convenit Thucydideae L. I. *πόλεσιν ἀτειχίστοις καὶ κατὰ κώμας οἰκουμέναις.*" Hierosolymam incolis futuram esse angustiorem promittitur quoque Jes. 49, 19. 20. — מֵרֹב אָדָם וּבְהֵמָה בְּתוֹכָהּ *Prae copia hominum et pecudum in ea*, secus ac tum erat cum haec scriberet Zacharias ac tempore Nehemiae, quum urbs spatiosa et ampla esset, sed exiguus in ea populus, et domus nondum essent constructae ut Neh. 7, 4. dicitur.

9. Quum futurum esse dixerit, ut Hierosolyma muris careat, ne quis suspicetur eam hostium incursionibus expositam fore, addit: סָבִיב — וְאָנִי *ego vero, inquit Jova, ero ei murus igneus*, ad quem nemo audebit accedere, nedum ut eum suffodere aut oppugnare quisquam ausus sit, *undique* eam tutaturus. Ut hic murus igneus, ita Jer. 15, 20. legitur murus *aeneus*, et simpliciter 1 Sam. 25, 16. *murus* de servitio Davidis: *pro muro fuerunt nobis tam noctu, quam interdiu.* וְלִכְבוֹד אֶהְיֶה בְתוֹכָהּ *Et ad gloriam ero in ea* urbe, ero illi gloriae et honori, afficiam illam maximo honore mea praesentia. Chaldaeus: *gloriose habitare faciam numen meum in medio ejus.*

10. הוֹי הוֹי *Heus! heus!* pro quo Chaldaeus haec posuit: *adclamate dispersis et dicite eis.* Continetur hoc Versu *κέλευσμα* seu excitatio ad populum Judaicum ex superioribus ducta, iisque quae sequuntur (Vs. 12. sqq.) confirmata, q. d. quandoquidem tam praeclara vobis Jova promittit, vestrum est, quotquot vos patriae amor tenet, missa Babylone ad patriam terram vos protinus referre, ut bonorum ipsius cum ea participes fiatis. KIMCHI recte observat, esse hacc verba ad illos directa, qui Babylone manserant, nec dum ascenderant priori vice, quibus monentur reverti Hierosolymam atque templum instaurare, quum tempus jam adsit. Quam sententiam refellit quidem ABARBENEL, quasi contextui non satis convenientem, quia mox dicitur: *in quatuor mundi plagas dispersi vos*, quod vero haud quadret in Babylonicum exilium, sicut nec illud Vs. 15.: *adjungent se gentes multae Jovae.* Verum etsi minime negandum sit, vatem a praesentibus

ad futura progredi, non minus tamen certum est, nostrum proxime id spectasse, ut aequales et ad templum restaurandum excitaret, et animos eorum ad spem laetiorum temporum erigeret. וְנֻסוּ מֵאֶרֶץ צָפוֹן *Fugite*, properate *ergo e terra aquilonis*, i. e. Babylonia. Recte HIERONYMUS: „Plagae orbis, quas Graeci appellant *κλίματα*, juxta situm Jerusalem intelliguntur et templi. Assyrii ergo et Babylonii, qui Dei populum vastaverunt, habitabunt in terra aquilonis.“ Hinc Jerem. 6, 22. populus Judaeis inimicus venire dicitur *e terra aquilonari*. Et ibid. 16, 15. promittitur, Jovam populum suum *e terra aquilonari* educturum esse. Proprie Babylonia Judaeae inter aquilonem et orientem sita erat. Verba כִּי כְאַרְבַּע רוּחוֹת הַשָּׁמַיִם פֵּרַשְׂתִּי אֶתְכֶם eo sensu capienda, quo legitur Ezech. 17, 21. *profugi gladio cadent, et residui* לְכָל־רוּחַ יְפֻרָּשׁוּ *in omnem ventum dispergentur*, atque ita vertenda sunt: *secundum quatuor ventos coeli dispersi vos;* quae cum iis quae praecedunt sic cohaerent: jussi vos fugere e terra aquilonari, quippe in qua potissimum, uti et in aliis terris per omnes orbis plagas hucusque dispersi fuistis. Ita כִּי *explicativum* potius, quam causale est. *Venti coeli* pro plagis orbis dicuntur, ut loco Ezechielis laudato, cui adde alium ejusdem prophetae 5, 10. *dispergam residuum tuum in omnem ventum.* Cf. Matth. 24, 31. *καὶ ἐπισυνάξουσι τοὺς ἐκλεκτοὺς αὐτοῦ ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων.* Pro כְּאַרְבַּע in codicibus nonnullis scriptum est בְּאַרְבַּע (cum *Beth*), *in* s. *per* quatuor coeli plagas.

11. Pro הוֹי צִיּוֹן Chaldaeus iterum (cf. not. ad Vs. 10.) posuit: *acclamate coetui Sionis et dicite ei. Sione* intelligit exules Judaeos, quorum metropolis Hierosolyma fuerat, cujus pars nobilissima Sion mons. הִמָּלְטִי *Eripe te* celeri fuga e manibus hostium, qui vos captivos tenent. יוֹשֶׁבֶת בַּת־בָּבֶל *Habitatrix Babelis*, i. e. ut recte Hieronymus vertit, *quae habitat apud filiam Babylonis.* Chaldaeus: *qui habitas in provincia Babel.* Sic Jer. 46, 19. *quae habitas apud filiam Aegypti.*

12. אַחַר כָּבוֹד *Post gloriam*, i. e., Chaldaeo explicante, *post gloriam, quae promissa est ut adducatur super vos.* Respicitur procul dubio ad Vs. 9., quasi dicat: non sufficit mihi, in populo Judaico gloriam meam manifestare, in ipsis insuper gentibus nomen mihi illustre faciam, vobis illas in spolium daturus. Igitur *post gloriam* hic idem est quod עַל־כָּבוֹד *super* s. praeter gloriam. KIMCHI cum superioribus haec ita connectit: non sufficiet Deo, pro malo, quod in exilio perpessi estis, bonum vobis in vicem rependere, verum et ab hostibus vestris ultionem sumet. שְׁלָחַנִי אֶל־הַגּוֹיִם הַשֹּׁלְלִים אֶתְכֶם *Misit me ad gentes quae vos spoliant*, ut supplicium ab iis sumam, et vestras injurias persequar. Verba haec sunt angeli, sive ministri divini, de quo 1, 9. 12. 14. 2, 2. 7. Notandum autem, verba Jovae ipsius et ministri sui, qui mandata ejus exsequitur, hisce Versibus

inter se misceri. Nam quod Vs. 13. dicitur, *agitabo manum meam super gentes, ut spolium servientibus sibi fiant*, item Vs. 15.: *erunt mihi in populum, et habitabo in medio tui*, neque propheta de se dicere potest, neque angelus; quod vero ibidem (Vs. 13. 15.) subjicitur, *et senties, quod Jova me ad te miserit*, angeli verba esse apparet. Cf. infra 4, 9. 6, 15. — כִּי הַנֹּגֵעַ בָּכֶם *Nam tangens vos*, s. quisquis vos tangit, i. e. laedit, injuria afficit. Chaldaeus: *qui vos damno afficit.* Eodem *laedendi* sensu verbum נָגַע usurpatur Gen 26, 11. Jer. 12, 14. Ps. 105, 14. 15. Verba נֹגֵעַ בְּבָבַת עֵינוֹ nonnulli, suffixo nomini עַיִן addito cum Kimchio reciproce sumto, ita vertunt: *tangit pupillam oculi sui*, i. e. se ipsum maxime laedit, nec enim Deus impune vos laedi sinet. Verum ad Deum potius suffixum illud referendum est, ut hoc dicat angelus: qui vos laedit perinde est ac si laedat quod earissimum habet Deus, nihil enim carius pupilla oculi. Unde est Deut. 32, 10. *custodivit* Jova *eum*, populum suum, *sicut pupillam oculi sui.* Et Ps. 17, 8. *custode me sicut pupillam oculi.* Deus igitur nostris verbis hoc sibimet ipsi fieri ait, quod populo suo fit.

13. כִּי הִנְנִי מֵנִיף אֶת־יָדִי עֲלֵיהֶם *Nam agitaturus sum manum meam super eos*, plagam eis illaturus. Gestus verberantis exprimitur. Cf. Jes. 10, 16. Job. 31, 21. Chaldaeus: *ecce attollo plagam potentiae super eos*, populos, qui vos vexarunt. וְהָיוּ שָׁלָל לְעֹבְדֵיהֶם *Et erunt praeda iis qui serviebant ipsis*, Judaeis, quos illi prae se contemserant. וִידַעְתֶּם כִּי־יְהוָה צְבָאוֹת שְׁלָחָנִי *Et agnoscetis*, cum haec omnia evenient diebus Messiae, *me Jovam, agminum Deum misisse.* Eadem formula infra 4, 9. 6, 15.

14. Verba וְשָׁכַנְתִּי בְּתוֹכֵךְ Chaldaeus exposuit: *ego revelabor et habitare faciam praesentiam meam in medio tui.* Idem repetit Vs. 15. et infra 8, 3. Cf. Ezech. 43, 9.

15. וְנִלְווּ גוֹיִם רַבִּים אֶל־יְהוָה *Adjungentur gentes multae Jovae*, id est, Chaldaeo explicante, *adjicientur gentes multae genti Jovae*, Judaeis, Jovae cultoribus. Jesajas quoque 56, 6. promittit, fore, ut *peregrini homines ad Jovam cooptati, ad ei ministrandum, Jovaeque nomen amandum, ut ei sint servi*, ad templum Hierosolymitanum confluant. Cf. Jes. 2, 2. 3. 11, 10. Zeph. 2, 11. Sub finem hujus Versus post שְׁלָחָנִי Chaldaeus addit: *ad vaticinandum de te.*

16. וְנָחַל יְהוָה אֶת־יְהוּדָה חֶלְקוֹ *Et hereditabit*, possidebit ut jure hereditario, *Judam* tanquam *portionem suam.* Sumtum hoc e Deut. 32, 9. *portio Jovae populus ejus, et Jacob funiculus hereditatis ejus.* Quemadmodum autem homo res a se possessas tueri solet, ita et Jova Judam, id est, populum Judaicum, suum peculium, tuebitur et hostium injurias ab eo propulsabit. עַל־אַדְמַת הַקֹּדֶשׁ *Super terra sanctitatis*, i. e. ita ut populus Judaicus e terris exteris in patriam reversus semper in ea

mansurus sit, neque unquam inde expellendus. *Terram sanctam* vocat Judam et Hierosolymam, propter divinum cultum, qui in ea exercebatur. וּבָחַר עוֹד בִּירוּשָׁלִַם *Et eliget adhuc Hierosolymam.* Dicit *adhuc*, quia semel eam elegerat tempore Davidis regis, is enim arcam primus in Sionem transtulit; cf. 2 Reg. 21, 6. 2 Paral. 6, 5. Postea eandem a se rejecit quasi et reprobavit, cum a Chaldaeis excideretur una cum templo. Sed nunc, inquit, iterum eam eliget, et sedem suam ibi collocabit. HIERONYMUS: „Judaeorum alii putant sub Zorobabel et Josua, Esdra et Nehemia haec ex parte completa, maxime quoniam Jerusalem eligetur, et possidetur Judas, duae videlicet tribus, quae reversae sunt de captivitate Babylonica, et appellatae sunt Judas, et non Israel, qui apud Medos huc usque versantur. Alii vero in futurum differunt." Sane quae his Versibus pollicetur vates multo sunt augustiora, quam ut Serubbabelicis aut Maccabaicis temporibus impleta existimari possint.

17. הַס כָּל־בָּשָׂר מִפְּנֵי יְהוָה *Sileat omnis caro a facie Jovae*, i. e. omnes timeant, revereantur Jovam; nam timorem comitari solet silentium. De הַס vid. not. ad Habac. 2, 22. Chaldaeus: *dispereant omnes impii a facie Jovae;* quam sententiam hebraice expressam vide Ps. 104, 35. Verum כָּל־בָּשָׂר non solum impios, sed omne omnino hominum genus indicare, recte observat Hieronymus. כִּי נֵעוֹר *Quia* s. *cum excitabitur*, velut qui excitatur aut evigilat e somno (vid. 4, 1.). *Dormire* dicitur Jova, cum suos vexari permittit impune, contra *excitare* et quasi *evigilare de somno* quando consurgit ad vindictam eorum. Cf. Ps 44, 24. — מִמְּעוֹן קָדְשׁוֹ *Ex habitaculo sanctitatis suae*, de sancta sua sede, i. e. de coelo, uti apparet e Deut. 26, 15. *respice de sancto tuo habitaculo, de coelo.* Et Jer. 25, 30. *Jova* מִמָּרוֹם *ex alto*, de coelo altissimo, *rugiet, et ex habitaculo sancto edet vocem suam.*

CAP. III.

Argumentum.

Describitur hoc Capite visio quarta, qua vati conspiciendus praebetur Josua, pontifex maximus, a Satana accusatus (Vs. 1.), sed absolutus a Jova (Vs. 2—5.), et ad sedulam officii sui curam excitatus, spe ipsi facta, angelos sibi adjutores et defensores fore (Vs. 6. 7.). Denique promisso Messiae adventu Jovae sociorumque animus confirmatur atque erigitur (Vs. 8—10.).

1. וַיַּרְאֵנִי *Ostendit mihi* angelus ille, qui mecum loqui solebat, de quo 1, 8. 2, 2. sqq. אֶת־יְהוֹשֻׁעַ הַכֹּהֵן הַגָּדוֹל *Josuam, sacerdotem magnum*, qui una cum Serubbabele templum et sacra

reficere coepit, vid. not. ad Hagg. 1, 1. Esr. 3, 2. 8. עֹמֵד לִפְנֵי מַלְאַךְ יְהוָה *Qui stabat coram angelo Jovae*, ut reus coram judice, sententiam Jovae nomine pronuntiante. וְהַשָּׂטָן *Et adversarium* (vid. not. ad Job. 1, 6.), sive *accusatorem*, nam שִׂטְנָה Esr. 4, 6. est *accusatio*. Unde Apocal. 12, 10. Satanas dicitur *ὁ κατήγορος τῶν ἀδελφῶν ὑμῶν, ὁ κατηγορῶν αὐτῶν ἐνώπιον τοῦ θεοῦ ἡμῶν ἡμέρας καὶ νυκτός.* עֹמֵד עַל־יְמִינוֹ *Stabat ad dextram ejus*, Josuae. Sic Ps. 109, 6. poeta precatur Deum, ut Satanam, impium reum peracturum, ad dextram ejus sistat. Videtur moris illis temporibus fuisse, ut actor, reum trahens ad judicem ad dextram ei esset. לְשִׂטְנוֹ *Ad adversandum ei*, ut accusator reo, ad accusandum eum. Jarchi exponit *ut odiosum redderet* scil. Josuam Deo, „quoniam illius filii uxores alienigenas duxerant, sicut scriptum est in libro Esrae [10, 18.]: *Reperti sunt ex filiis sacerdotum, qui duxerant filias alienigenas, ex filiis Josuae, filii Jozadaki.*“ Cf. Chaldaeum interpretem infra Vs. 3.

2. Hujus Versus initio vocat *Jovam*, quem antea *angelum Jovae* appellaverat, quia Jovae partes agit. Vocatur legatus de nomine principis sui. יִגְעַר יְהוָה בְּךָ *Increpet te Jova*, i. e. coerceat te, ne pio huic viro noceas, ut recte Jarchi. Sic Nah. 1, 4. גּוֹעֵר בַּיָּם *increpat mare*, i. e. reprimit ejus impetum. הַבּוֹחֵר בִּירוּשָׁלַם *Qui* (Jova) *elegit Hierosolymam*, qui in gratiam recepit et charam habet Hierosolymam; respicit 1, 17. 2, 16. Chaldaeus: *cui placuit habitare facere praesentiam suam in Hierosolyma.* הֲלוֹא זֶה אוּד מֻצָּל מֵאֵשׁ *Nonne hic*, Josua, est sicut *titio ereptus ex igne?* e malis exilii? Hoc vult vates: iste est Josua ille, quem e gravibus periculis servavit Jova, qui quum illius causam semel tuendam susceperit, non est quod speres, o Satan, te eum tuis criminationibus Jovae odiosum redditurum, atque templi instaurationem impediturum.

3. וִיהוֹשֻׁעַ הָיָה לָבוּשׁ בְּגָדִים צוֹאִים *Et Josua* erat *indutus vestibus sordidis*. *Vestes* in genere statum habitumque hominis significant, per *sordidas* ergo reatus et peccata indicantur, cf. Vs. 4. Quaenam vero peccata fuerint, exponit Chaldaeus, qui pro verbis nostris hebraicis haec posuit: *Josuam quod attinet, erant ei filii, qui sibi duxerant uxores, quae non erant dignae sacerdotio.* Hujus igitur culpae reus, accusante Satana, vestimenta induit sordida, negligentiae atque indulgentiae erga filiorum peccata symbola.

4. וַיַּעַן וַיֹּאמֶר אֶל־הָעֹמְדִים לְפָנָיו *Respondit dixitque* angelus, coram quo accusatus stabat (Vs. 3. fin.), *ad stantes coram ipso*, ad ceteros angelos (*qui coram eo ministrabant*, Chaldaeus vertit). *Coram aliquo stare* haud raro est: ei ministrum esse. Sic 1 Reg. 10, 8. *felices sunt servi illi tui, qui coram te stant*, tibi ministrant. Cf. Esth. 4, 5. — הָסִירוּ הַבְּגָדִים הַצֹּאִים מֵעָלָיו

Removete vestes sordidas ab eo, quae Chaldaeus ita interpretatur: *et dicite ei, ut ejiciat uxores, quae dignae non sunt sacerdotio, e domo sua.* Sane legitur Esr. 10, 19. Josuae filios stipulata manu pollicitos esse, se uxores peregrinas dimissuros, atque reos arietem minuti pecoris pro reatu suo oblaturos. וַיֹּאמֶר אֵלָיו *Dixitque ei angelus*, ut intelligeret Josua, quid sibi vellet actus ille symbolicus. Loquens autem inducitur idem ille angelus, qui quae praecedunt mandaverat, postquam ceteri praeceptum ejus opere complevissent, i. e. vestimenta sordida pontifici detraxissent. הֶעֱבַרְתִּי מֵעָלֶיךָ עֲוֹנֶךָ *Transire feci*, amovi *a te culpam tuam*, ne tibi imputetur, „repurgavi te ab eo, quod unum tibi objici poterat," inquit GROTIUS. וְהַלְבֵּשׁ אוֹתְךָ מַחֲלָצוֹת *Et vestiendo* scil. *vestivi te vestibus splendidis.* De מַחֲלָצוֹת cf. not. ad Jes. 3, 22. Chaldaeus explicat: *vestivi te innocentiis tuis.* Sensus: scito Jovam te innocuum declarasse.

5. Quidam hic continuari putant sermonem angeli, et וָאֹמַר reddunt: *dico item*, vel, *unde dico.* Sed ultima hujus Versus verba arguunt, *prophetam* esse loquentem. LXX signum dicti omittunt, dictum ipsum vero cum antecedente sermone connectunt: *καὶ ἐπίθετε κίθαριν.* Vulgatus et Syrus: *et dixit.* Utrumque tamen contra Grammaticam et codicum Hebraeorum consensum. Recte JARCHI haec prophetae verba esse observat, ita capienda: *et dixi* ego Zacharias, petens misericordiam pro ipso. Nam orantis et desiderantis verba potius esse, quae sequuntur, quam pro auctoritate imperantis, vel inde apparet, quod non imperative dicit: שִׂימוּ *ponite*, sed indirecte et optative: יָשִׂימוּ *ponant*, jube, ut ponant angeli, qui tibi ministrant, Vs. 4. צָנִיף טָהוֹר *Cidarim mundam*, uti HIERONYMUS vertit, qui in Commentario addit: „Pro *cidari* in Hebraeo legimus *Saniph*, quae *mitra* a plerisque dicitur, et in hac volunt intelligi sacerdotii dignitatem, quod ablatis sordibus peccatorum, mundum habuerit sacerdotium. Haec Judaei." Ex recentioribus ita et KIMCHI: „ut sit sacerdos magnus; nam sacerdos magnus mitram solebat in capite gestare suo." Vox צָנִיף etsi *regium diadema* notet Jes. 62, 3. Job. 29, 14., unde Syrus hic *coronam* reddidit; tamen quum summus Pontifex esset Josua, *mitra* pontificalis, מִצְנֶפֶת alias dicta, veluti Exod. 28, 4. 37. Levit. 8, 9., intelligenda. *Mundam* mitram imponi capiti Josuae jubet, quia ea, quam antea habuerat, erat per culpam istam quasi contaminata. וַיָּלְבִּישֻׁהוּ בְּגָדִים Recte KIMCHI notat, hysterologiam hic esse, et verba sic intelligenda: *prius tamen* induerunt *ipsum.* Angelus enim vestiri eum jusserat, antequam ipsi mitram Zacharias imponi petiisset, Vs. 3. 4. Chaldaeus haec ita exposuit: *jusserunt eum ducere uxorem dignam sacerdotio.* Sed Josuam ipsum uxorem alienigenam duxisse, nusquam legitur. וּמַלְאַךְ יְהוָה עֹמֵד *Et angelus Jovae adstabat*, ritum hunc imperans, et ut perageretur curans.

6. וַיָּעַד מַלְאַךְ יְהוָה בִּיהוֹשֻׁעַ *Et contestatus est angelus Jovae Josuam*, graviter et serio ipsum admonebat; quo sensu verbum הֵעִיד cum ב personae constructum et Deut. 4, 26. 2 Reg. 17, 13. Jer. 11, 7. et saepius dicitur.

7. אִם־בִּדְרָכַי תֵּלֵךְ *Si in viis meis ambulaveris*, si secundum praecepta mea vitam instituueris, uti statim ipse se explicat. Cf 1 Reg. 3, 14. Ps. 81, 14. — וְאִם אֶת־מִשְׁמַרְתִּי תִשְׁמֹר *Et si custodiam meam*, i. e. quae custodienda edixi, quibus praesertim ceremonias per Mosen Israelitis servandas traditas intelligere videtur, *custodiveris*. Eadem phrasis Gen. 26, 5. Levit. 18, 30. 22, 9. Mal. 3, 14. — וְגַם־אַתָּה תָּדִין אֶת־בֵּיתִי *Et etiam tu judicabis*, reges, *domum meam*, templi ceremonias reges, fungeris diu officio summi sacerdotis. וְגַם־תִּשְׁמֹר אֶת־חֲצֵרָי *Etiamque custodies atria mea*, idem aliis verbis, nam חצרי per synecdochen sunt idem quod ביתי. Ad officium summi sacerdotis pertinebat templum custodire; sed hic late capiendum, ac si diceret: obibis omnia ea munia in templo, quae Pontifices obire solent. וְנָתַתִּי לְךָ מַהֲלְכִים בֵּין הָעֹמְדִים הָאֵלֶּה *Et dabo tibi ambulationes inter adstantes istos* scil. angelos, Vs. 4., angelos tibi comites ac defensores addam. מַהֲלְכִים quidam *ambulare facientes*, deducentes scil. אוֹתְךָ *te*, interpretantur, et habent vel pro Participio *Piel*, transpositis punctis, pro מְהַלְּכִים, vel pro Participio *Hiphil*, ad imitationem Chaldaicam punctis vocalibus additis, ut ipsum nostrum vocabulum Chaldaice Dan. 4. Vs. ultimo legitur, sic מַעְזְרִים *auxiliantes*, 2 Paral. 28, 23., מַחֲלְמִים *facientes ut somniant*, Jer. 29, 8. Nos tamen malumus pro nomine accipere, coll. מַהֲלָךְ *ambulatio*, *iter*, Neh. 2, 6. Jon. 3, 3. 4. Chaldaeus hanc promissionem ad vitam futuram post mortem refert. Ita enim verba nostra exponit: *et in resuscitatione mortuorum resuscitabo, et dabo tibi pedes ambulantes inter Seraphinos istos.*

8. וְרֵעֶיךָ *Et socii* s. collegae *tui*, reliqui sacerdotes. הַיּוֹשְׁבִים לְפָנֶיךָ *Qui coram te sedent*, uti coram doctore discentes. Sic Jes. 23, 18. יוֹשְׁבִים לִפְנֵי יְהוָה *sedentes coram Jova* dicuntur cultores ejus, qui praecepta ejus quasi discipuli e doctoris ore avide excipiunt. Ezech. 8, 1. senes Judae *coram propheta* docente *sedentes* dicuntur. Vid. ibid. 14, 1. 20, 1. 33, 31. 2 Reg. 6, 1. Collegae Josuae vocantur אַנְשֵׁי מוֹפֵת *viri portenti*, i. e., Chaldaco interprete, *viri digni quibus fiant miracula*. Nescio tamen annon praeferenda sit interpretatio Hieronymo a magistro suo Judaico tradita: „*Viri portendentes*, discipulos ejus interpretantur et prophetas; prophetae enim in signum sunt positi futurorum.“ Ita Jesajas 8, 18. dicit, se et filios seu discipulos suos factos esse לְאֹתוֹת וּלְמוֹפְתִים בְּיִשְׂרָאֵל *signa et portenta in Israele*. Et Ezechielem 12, 6. Jova dicit מוֹפֵת *portentum* facere Israelitis. Cf. 24, 24. 27. Cum interpretatione ab Hieronymo exhibita sensu convenit Graecus Alexandrinus in-

terpres, qui *τερασκόποι* vertit, quod in Glossario veterc, Bielio referente, explicatur: *σημειωτικοὶ, συμβολικοί.* Apud Suidam et in Lexico Cyrilli Manuscr. Bremensi exponitur *μάντις.* Quomodo vero sacerdotes, Josuae collegae, Messiae adventum portenderint, tacetur. כִּי־הִנְנִי מֵבִיא אֶת־עַבְדִּי צֶמַח *Nam ecce adduco servum meum, Germen*, i. c. ut recte Chaldaeus exposuit, *Messiam, et revelabitur. Germinis* nomine apud prophetas Messiam significari ostendimus ad Jes. 4, 2. Cf. Jer. 23, 5. 33, 15. Similia Messiae nomina a plantis desumta sunt *fructus terrae*, Jes. 4, 2., *ramus de trunco Isai* et *surculus de radicibus ejus*, ibid. 11, 1., *tener ramus de summitate cedri*, Ezech. 17, 22., ad quae loca cf. nott.

9. הָאֶבֶן אֲשֶׁר נָתַתִּי לִפְנֵי יְהוֹשֻׁעַ *Lapidem illum quod attinet, quem dedi*, posui, *coram Josua.* Eo lapide interpretes e Christianis longe plerique significari putant Messiam, Versu superiore *germinis* notione designatum, qui et Jes. 28, 16. *lapidis angularis in Sione fundati* imagine sistitur, quem ipsum et Ps. 118, 22. *lapidi angulari, ab aedificantibus prius rejecto* indicari existimant. Verum e locis infra 4, 7. 10. manifestum est, *lapidem κατ' ἐξοχήν* Nostro esse *lapidem pro fundamento templi positum*, qui hic *coram Josua positus* dicitur, quod Jova ipsum curatorem templo aedificando praefecisset. Templi fundamentum sub Cyro jactum isto lapide significari, observat et Jarchi. Quod autem vates ait, עַל־אֶבֶן אַחַת שִׁבְעָה עֵינָיִם *super lapidem* istum *unum*, Josuae continuo respiciendum propositum, esse *septem oculos* scil. Jovae (cf. infra 4, 10.) conjectos, sive intentos, significat, Jovam unici istius lapidis, qui templo fundamento est, singularem curam gerere, eumque isti operi omnibus modis adfuturum esse. Jovae *oculis* indicatur ejus cura et providentia, ut Deut. 11, 12. Esr. 5, 5., *septenario* numero autem quod in suo genere expletum atque cumulatum est; vid. Levit. 26, 21. Verba הִנְנִי מְפַתֵּחַ פִּתֻּחָהּ ad verbum: *ecce ego aperiens aperturam ejus*, sunt qui intelligant de removendis impedimentis, quae templi aedificationi objecta erant. Ita Jarchi: dissolvo nodos, id est, dissipo consilia hostium, qui suis delationibus efficere conantur, ut opus aedificationis et templi intermittatur. Kimchi quoque ait esse, qui lapidem illum dum instauratio templi cessaret quasi vinctum considerarent, solutum vero cum aedificationem denuo aggrederentur; sed recte addit verbum פָּתַח et nomen inde deductum h. l. esse *sculpendi, caelandi* significatu capiendum, quo Exod. 28, 9. 11. 21. 36. pollet, ubi de insculpendis in gemmis nominibus tribuum Israeliticarum usurpatur, nec non 1 Reg. 6, 29. 2 Chron. 2, 7. 14. Ps. 74, 6. Recte Aquila: *διαγλύψω ἄνοιγμα αὐτῆς, sculpam sculpturam ejus*, uti Hieronymus reddidit. Ita mihi curae est, inquit Jova, hic lapis, ut egomet sculptura eum sculpturus atque ornaturus sim; faciam ut aedes super fundamento illo excitata quam ornatissima evadat.

וּמַשְׁתִּי אֶת־עֲוֹן הָאָרֶץ־הַהִיא בְּיוֹם אֶחָד *Et auferam culpam terrae istius* (terrae Judaicae) *die uno.* עֲוֹן *Iniquitas*, culpa, h. l. est pro *poena iniquitatis*, ut alias saepe, veluti Gen. 15, 16. Levit. 10, 17. Quas hactenus, inquit, mei calamitates ut peccatorum poenas sustinuerunt, eas non amplius sustinebunt; posthac non perferent mala et incommoda, quae hucusque pertulerunt. Vocem מַשְׁתִּי LXX reddiderunt ψηλαφήσω, quod Arabicus interpres *diligenter perscrutabor* vertit. Cui significationi cognatum est Arabicum مَاشَ (pro مَوَشَ), *reliquias uvarum quaesivit legitve* de vite sua. Nec multum abludit hebraicum מִשַּׁשְׁתָּ Gen. 31, 37., quod LXX ἠρεύνησας vertunt. Syrus h. l. harmonico ܘܐܡܫ expressit, quod cum *palpabo*, tum *perscrutabor* exponi potest. Quam verbi מוּשׁ significationem si adsciscas, sensus hic erit: *perquiram*, ita ut non reperiatur amplius; omne namque peccatum *auferam*, coll. Jes. 41, 12. *quaeres eos*, *sed non invenies eos.* Et Ps. 10, 15. *inquiras impietatem ejus*, ut de medio eam tollas, *nec invenias.* Hinc Chaldaeus nostro loco *auferamque* reddidit, quocum Hieronymus consentit.

10. תִּקְרְאוּ אִישׁ אֶל־רֵעֵהוּ *Acclamabitis vir*, i. e. quisque, *socio suo*, i. e. hortabimini vos mutuo dicentes: secedamus ad umbracula ficuum et vitium, rel. Quae hoc Versu continetur ubertatis pariter atque altae pacis descriptio illustrata est ad Mich. 4, 4.

CAP. IV.

Argumentum.

Exponitur visum quintum, quo vati candelabrum aureum cum lucernis, infundibulis, oleis repraesentatur, Vs. 1—3. Cujus visi explanationi immiscet promissiones de templo, Serubbabelis opera absolvendo, Vs. 4—11. Postremo additur duarum olearum vati in visione objectarum explicatio, Vs. 12. 13. 14.

1. וַיָּשָׁב הַמַּלְאָךְ הַדֹּבֵר בִּי *Revertit angelus*, *qui mecum loquebatur.* Si *reversus est* angelus ad vatem, paululum sese ab eo subduxisse necesse est cum desiisset cum alloqui. Sed potest hic notus ille idiotismus statui, quo verbum שׁוּב *reverti* cum alio verbo conjunctum iterationem actionis illius indicat, quae altero verbo significatur, ut infra 5, 1. וָאָשׁוּב וָאֶשָּׂא עֵינַי *reverti atque levavi oculos meos*, pro: *rursus levavi oculos meos.* Ita et hic וַיָּשָׁב cum וַיְעִירֵנִי junctum verti posset: *resuscitavit me.* כְּאִישׁ אֲשֶׁר מִשְּׁנָתוֹ *Sicut virum*, *qui excitatur e somno suo.* Innuit vates, se stupore et admiratione visionis praeteritae veluti ecstatico sopore oppressum jacuisse.

2. וָאֹמַר *Et dixi;* ita legere jubet nota marginalis masorethica, ut infra Vs. 4. 11. Quod in textu scriptum, וַיֹּאמֶר pronuntiandum, expressum et in versionis Graecae codice Alexandrino, in quo *εἶπεν* scriptum. מְנוֹרַת זָהָב כֻּלָּהּ *Candelabrum auri quod ad universitatem ejus*, i. e. quod totum aurcum erat. וְגֻלָּהּ *Et lecythus* s. *lenticula ejus.* Kimchi *vas rotundum ad instar pelvis* significari notat, a גָּלַל *volvit*, rotunda enim *volubilia.* Jarchi ait, *similitudinem habuisse simpuli magni rotundi. Ampullam olearium* posses dicere, ex qua oleum, quod continebat, defluebat in lucernas per infundibula. Ceterum גֻּלָּהּ scribitur pro גֻּלָּתָהּ, ut Job. 5, 13. בְּעָרְמָם contracte pro בְּעָרְמָתָם, Neh. 5, 14. פֶּחָם *dux eorum*, pro פַּחֲתָם, Prov. 7, 8. פִּנָּהּ *angulum ejus*, pro פִּנָּתָהּ, Ps. 49. 15. וְצוּרָם *et formam eorum*, pro צוּרָתָם, Hos. 2, 9. פִּשְׁתִּי *linum meum*, pro פִּשְׁתָּתִי, et 13, 2. בְּחִבּוֹנָם *pro intellectu suo*, pro בְּחִבּוֹנָתָם. — וְשִׁבְעָה נֵרוֹתֶיהָ *Et septem lucernae ejus*, scil. candelabri, i. e. vascula, quibus ellychnia cum oleo insunt, ut in candelabro Mosaico, de quo Exod. 25, 37. — עָלֶיהָ *Super eo*, candelabro, id est, in stipite ejus. Alioqui *candelabri* appellatione etiam *lucernae* comprehenduntur. שִׁבְעָה וְשִׁבְעָה *Septem et septem*, i. e. septeni *tubuli.* Repetitum שִׁבְעָה indicat distributionem, ut Gen. 7, 2. שִׁבְעָה וְשִׁבְעָה אִישׁ וְאִשְׁתּוֹ *septena paria* ex omnibus quadrupedibus mundis. Erant ergo non *septem* tubuli pro universo candelabro, sed *septeni* pro singulis lucernis fuerunt tubuli. מוּצָקוֹת Hieronymus haud male *infusoria* vertit, a יָצַק *fudit*, quia canaliculae illae oleum in lenticula, summo candelabro imposita, in singulas lucernas *infundebant.*

3. וּשְׁנַיִם זֵיתִים עָלֶיהָ *Et duae oleae juxta illud* scil. candelabrum, Vs. 11. Proprie: *super ipsum*, quia ad latus candelabri ita stabant, ut super illud aliquantum emineret, Vs. 12. Omittuntur autem in hujus visionis descriptione nonnulla, quorum infra Vs. 12. explanatior atque distinctior mentio fit, videlicet *duo* olearum *rami*, seu *termites* olivis pleni, nec non duo צַנְתְּרוֹת, seu *tubi majores*, per quos oleum de utriusvis rami olivis expressum in lenticulam defluebat. Objectae igitur vati fuerunt *duae oleae*, per *geminos tubos*, in quos duo earum majores rami inflexi erant, recens oleum, in ipsis illis tubis, tanquam prelis, exprimendum, magna copia subministrantes *candelabro septem lampadum aureo*, quod ipsi in viso exhibebatur inter duas oleas medium. Tubi nimirum bini, in quos, veluti in prela, majores illi bini rami olivas excutiebant, deferebantur in vas aliquod, summo candelabro impositum, atque *lecythus* sive *lenticula* supra Vs. 2. appellatum, oleum in tubis expressum recipiens, ex quo oleum per septem tubulos recta deferebatur in singulas candelabri lampades. Ad nostrum locum respicit Joannes Apoc. 11, 4.

6. Visio haec, respondet angelus vati interroganti, significat id, quod Jova ad Serubbabelem loquutus est, cum per pro-

phetas ei diceret: לֹא בְחַיִל וְלֹא בְכֹחַ כִּי אִם־בְּרוּחִי *non viribus, nec robore, sed spiritu meo*, i. e. me adsistente, totumque opus dirigente, manus Serubbabelis templum perficient. Hoc modo enim explendam esse aposiopesin nostro loco docet et res ipsa, et infra Vs. 9. Sensus hujus Versus est hic: quemadmodum vidisti candelabrum nulla humana ope aut opera fabrefactum, et cum omni suo apparatu atque ornatu divinitus positum, ita opus templi non humanis viribus, sed solo divino auxilio perficietur. Spectabat igitur haec quoque visio ad animum addendum Serubbabeli et populo Judaico, ne difficultatibus, quae ipsis a vicinis objiciebantur, ab opere templi aedificandi strenue continuando se absterrere sinerent.

7. מִי־אַתָּה הַר־הַגָּדוֹל לִפְנֵי זְרֻבָּבֶל *Quis tu, mons magne, coram Serubbabele? Monte alto* significantur hic impedimenta, quae a Judaeorum hostibus templi aedificationi objiciebantur, Serubbabeli sociisque superanda. Nam sicut *plana* dicuntur, quae sunt facilia, sic *praealta*, quae ardua sunt et difficilia. Chaldaeus: *quale tu reputaris, o regnum stolidum, coram Serubbabele? Regnum Persarum* sine dubio respexit, cujus proceres, a Samaritanis corrupti, templi aedificationem aliquamdiu prohibuerunt, Esr. 4, 4. 5. sqq. לְמִישׁוֹר *In planum* scil. יִהְיֶה *fiat*. Chaldaeus: *nonne instar planitiei*, scil. reddetur? Omnia impedimenta tollentur. Ita cum Jes. 40, 4. dicitur, fore, ut in reditu Judaeorum in patriam omnia impedimenta auferantur, id hoc modo exprimitur: כָּל־הַר וְגִבְעָה יִשָּׁפֵלוּ *omnis mons et collis humiliabuntur*. Et Jes. 49, 11. וְשַׂמְתִּי כָל־הָרַי לַדָּרֶךְ *reddam omnes meos montes pervios*. וְהוֹצִיא אֶת־הָאֶבֶן הָרֹאשָׁה *Et educet* in medium, ac dabit fabris muratiis *lapidem primarium*, qui praecipuus est in aedificio. Is autem est lapis in imo angulo, quem Graeci *ἀκρογωνιαῖον* vocant, qui totius aedificii molem sustinet. Nam רֹאשׁ et *caput* significat, et *id quod praecipuum est in re quaque*. Hujus femininum est רֹאשָׁה, quo hic usus est propheta adjective. תְּשֻׁאוֹת Cum *strepitu*, populo laete strepente et acclamante: חֵן חֵן לָהּ *gratia! gratia!* sit *ei* lapidi. Faveat ei Deus! faveant homines! Geminatur nomen pro more in acclamationibus solenni, veluti supra 2, 10. Chaldaeus hemistichium hujus Versus posterius de Messia exponit hoc modo: *manifestabit* scil. Deus *Unctum suum, cujus nomen dictum est inde ab aeterno, et qui dominabitur in omnibus regnis.*

9. Quae in superioribus maximam partem imaginibus involuta dixerat, jam confirmat et declarat uberius. יְדֵי זְרֻבָּבֶל יִסְדוּ הַבַּיִת הַזֶּה וְיָדָיו תְּבַצַּעְנָה *Manus Serubbabelis fundarunt domum hanc*, templum, sub Cyro, anno reditus altero (Esr. 3, 6. 10. cf. not. ad Hagg. 2, 18.), *et manus ejusdem perficient* eam. Verbum בָּצַע est *perficere*, ut Jes. 10, 12. Opus quod coepit nequaquam, ut hostes praesumunt, et Judaeorum timidiores

subverentur, imperfectum relinquere cogetur. וְיָדַעְתָּ כִּי־יְהוָה צְבָאוֹת שְׁלָחַנִי אֲלֵיכֶם *Et* re ipsa *cognosces*, tu et populus tuus, cum haec omnia, quae de perficiendo templo dixi, evenerint, *quod Jova, agminum* Deus *me ad vos misit.* Chaldaeus: *ad prophetandum vobis.* Experieris, me verum Jovae nuntium fuisse. Cf. supra 2, 13. 15. et infra 6, 15. Hemistichium hujus Versus prius continet verba Jovae, quae vati proferenda mandat Vs. 8; posteriori hemistichio vates sua verba addit.

10. מִי בָז *Quis spreverit?* Contracte pro בָּזַז, formae סַב, ita tamen, ut hic significatum mutuetur a cognatis בָּזָה et בּוּז *spernere*, unde Prov. 1, 7. בָּזוּ *spernunt* (nam בָּזַז alias *spoliare*, *praedari* significare constat). Quum autem verbum בּוּז Dativo jungi soleat (vid. Prov. 6, 30. 11, 12.), eodem modo et hic construitur בָּז, et verba מִי בָז לְיוֹם קְטַנּוֹת ita sunt vertenda: *quis spreverit diem parvorum* scil. initiorum, vel, fundamentorum. Neutraliter femininum singulare קְטַנָּה usurpatur quoque Num. 22, 18 לַעֲשׂוֹת קְטַנָּה אוֹ גְדוֹלָה *facere parvum aut magnum* quidquam. Chaldaeus: *quis est iste, qui contemnit diem hunc propter structuram, quae est exigua?* Sensus interrogationis est: nemo jure spernat exigua templi initia, aut ea spernendi idoneam causam habet, quum Deus invigilet. Similis interrogatio Jes. 44, 10. *quis* sanae mentis homo *formaverit Deum, aut sculptile adornaverit?* Ceterum ad locum nostrum illustrandum facit, quod Esr. 3, 12. narratur, multos seniores, quum templum denuo fundatum cum veteri illo diruto compararent, lacrymas profudisse. Cf. Haggai 2, 3. *Nonne praesens domus cum priori comparata instar nihili vobis videtur?* וְשָׂמְחוּ וְרָאוּ אֶת־הָאֶבֶן הַבְּדִיל בְּיַד זְרֻבָּבֶל שִׁבְעָה־אֵלֶּה *Laetabuntur et videbunt lapidem illum stanni in manu Serubbabelis septem illi* scil. oculi Jovae, de quibus supra 3, 9. et quorum statim diserta fit mentio. Chaldaeus hunc locum sic vertit: *nonne revertetur* (scilicet qui diem hunc ob structurae tenuitatem contemserat) *et gaudebit, cum viderit lapidem ponderis* s. perpendiculum *in manu Serubbabelis.* Sed accentus Atnach voci אֵלֶּה appositus docet, dictionem שִׁבְעָה־ אֵלֶּה cum antecedentibus arctius cohaerere, atque subjectum, quod dicunt, orationis facere, ut igitur hoc prius hemistichium eo, quo nos fecimus, modo sit vertendum. Videlicet pusillanimitati plurimorum ex populo et querimoniis de tenuibus templi instaurandi initiis opponit Dei circa hanc structuram providentiam, quasi diceret: si septem oculi Jovae ipsius gaudentes, i. e. cum voluptate et cura adspiciunt perpendiculum in manu Serubbabelis, non debet quisquam vestrum propter parva illa initia animum desponderc, aut ea contemnere. אֶת־הָאֶבֶן הַבְּדִיל *Lapidem illum stanni*, seu *pondus stanneum*, nam אֶבֶן Hebraeis pro *pondere* dici apparet ex Deut. 25, 13. *ne sit in crumena tua* אֶבֶן וָאֶבֶן *lapis et lapis*, i. e. duplex et diversum pondus. Et Vs. 15. אֶבֶן

שְׁלֵמָה וְצֶדֶק יְהוָה־לָךְ *pondus integrum et justum sit tibi.* Quum nomen regens alias articulo carere soleat, debebat hic אֶבֶן הַבְּדִיל scribi. Non desunt tamen exempla praepositi nomini regenti articuli, veluti Jos. 3, 14. נֹשְׂאֵי הָאָרוֹן הַבְּרִית *portantes arcam foederis.* Ezech. 45, 16. כָּל־הָעָם הָאָרֶץ *omnis populus terrae.* Plura exempla vid. ad Ezech. 7, 7. *Pondere stanni* hoc loco significatur materia ponderosa ex stanno, sive plumbo argentario, et quidem libella seu perpendiculum, quod Galli quoque *plomb*, i. e. plumbum appellant, et constat ligno transverso, in medio aliud erectum habens, e cujus summo filum annexo plumbo demittitur. *Perpendiculum* vero, cujus longe maximus in architectura usus est, symbolice Serubbabelis in aedificando templo operam et studium vocat. Ceterum pronomen אֵלֶּה cum numerali nomine שִׁבְעָה remittunt lectorem partim ad superiora, in quibus hi septem sunt designati, 3, 9., partim ad ea, quae h. l. proxime sequuntur, quibus vates illos ulterius declarat. עֵינֵי יְהוָה הֵמָּה מְשׁוֹטְטִים בְּכָל־הָאָרֶץ *Oculi* enim *Jovae*, per *septem illos* intelligendi, *sunt discursantes per universam terram*, quo fine, exponit locus parallelus 2 Paral. 16, 9., ubi additur: *ut juvet eos, quorum cor integrum erga ipsum est. Oculis Dei* notatur igitur ejus providentia, qua prospicit atque regit universa; cf. Prov. 15, 3. Hoc vero loco inprimis innuitur, fore, ut divina providentia invigilet Serubbabeli et populo Judaico, ut quae coeperunt perficiant, neque ab hostibus porro turbentur, Esr. 5, 5. Neque spes sua vatem fefellit. Licet enim *Tatnai* et *Schtar-Bosnai* (Esr. 5, 3.) cum reliquis Samaritis operi supervenirent, coeptamque sine privilegio novo aedificationem exprobrarent, tamen structuram non impediverunt, sed Dario rem totam per literas nuntiarunt, qui vero clementissime pro Judaeis rescripsit, aedificationem templi non prohibendam, sed quovis modo potius promovendam esse, Esr. cap. 5. et 6.

11. De *oleis* interrogaverat quidem vates jam supra Vs. 4. et de illarum significatione fuerat ab angelo instructus; hic vero repetit interrogationem, ut de illis *speciatim*, quod ad *duos* illarum *termites*, informetur, uti ex sequenti Versu apparet, in quo quaestio iteratur, et specialius formatur.

12. וָאַעַן שֵׁנִית *Respondi*, exorsus sum loqui *iterum*, ut specialius exprimerem, quid in hisce duabus oleis inprimis cuperem explicari. מַה־שִּׁבֳּלֵי הַזֵּיתִים *Quid* significant *duae spicae*, i. e. termites *olearum.* Comparat, recte observante Kimchio, ramos olearum cum spicis, quod sicut hac granis, sic illi olivis pleni essent. אֲשֶׁר בְּיַד *Quae* spicae, sive, *qui* termites erant *in latere*, ad latus, ut 2 Sam. 15, 2. עֹמֵד עַל־יַד דֶּרֶךְ *stetit ad latus viae*, juxta viam. Vid. et Ps. 140, 6. Deut. 2, 37. — שְׁנֵי צַנְתְּרוֹת הַזָּהָב *Duorum tuborum auri*, aureorum, quomodo materia tuborum, ut supra Vs. 2., indicatur. צַנְתְּרָה signi-

ficatu convenit cum צִנּוֹר *tubus, canalis*, de qua voce vid. not. ad Ps. 42, 8. HIERONYMUS: „Duo rami sunt in manu duarum narium, sive super duo rostra aurea, quae hebraice *Sintoroth*, Graece μυξωτῆρες appellantur.“ Graecum vocabulum *nares* denotat, quomodo et Arabicus interpres reddidit. Syrus quoque ܢܝܢܝܪܝܢ *nares* posuit. Non dubium est, interpretes illos intellexisse *effusoria* seu *epistomia* vasis alicujus, ex quo liquor affluit, hic quidem epistomia lacus torcularis, oleum calcatum effundentia. הַמְרִיקִים *Effundentium*, vel in Nominativo: *effundentes*, ut pendeat a remotiori *termites olearum* (שִׁבֲּלֵי הַזֵּיתִים); quod non modo accentus commendant, verum et Grammatices praecepta; nam cum feminino צַנְתְּרוֹת Participium masculinum hic usurpatum aegre construitur. Quam posteriorem interpretationem si adsciscas, sumendum est, *preli*, ex quo oleum exprimitur, mentionem hic omissam esse, quemadmodum snpra Vs. 3. omittebantur ipsi etiam *termites* et *tubi*. מֵעֲלֵיהֶם *De se*, ut Mich. 3, 2. Levit. 8, 28. הַזָּהָב *Aurum*, i. e. aurei liquoris laticem, auri instar purum ac fulgentem olei liquorem. Chaldaeus: *qui ex eo se effundunt oleum in lampades aureas.*

14. אֵלֶּה וגו׳ *Isti* sunt *duo filii olei*, i. e. oleo uncti *stantes apud Dominum* s. *coram Domino universae terrae*, veluti ministri, cf. infra 6, 5. בְּנֵי־הַיִּצְהָר *Filii olei* sunt, qui vel *oleas*, vel *frondes oleosas*, scaturiginem quandam olei habentes idque sine intermissione subministrantes intelligant. Sed quum hic Versus explicationem visi Versu 12. enarrati contineat, *filios olei* necesse est homines oleo unctos intelligi. Duobus unctis illis vero plerique intelligunt Josuam et Serubbabelem, quorum ille ut Pontifex Maximus unctus erat, hic vero *unctus* vocetur, quod esset ex stirpe regum Judae, qui prisco ritu inungi solebant. Nos tamen cum JARCHIO significari existimamus duplex unctorum genus, qui templo denuo exstruendo numquam sint defuturi, principes et summos sacerdotes, et qui Deo inserviant in curando templo pro mandatis quique sibi partibus. Dec. 16. 165

CAP. V.

Argumentum.

Describuntur hoc Capite duo visa, alterum voluminis volantis, diras adversus fures eosque, qui Jovae nomine abutuntur, portendentis (Vs. 1—4.), alterum mensurae frumentariae majoris, in caque residentis mulieris, improbitatis titulo notatae, quae in medium Ephae conjecta, massa plumbi superinjecta, et orificio vasis imposita, ita clausa conditaque a duabus feminis in terram Sinear avehitur (Vs. 5 — 11.).

1. De dictione וָאָשׁוּב וָאֶשָּׂא עֵינַי vid. not. ad 4, 1. מְגִלָּה עָפָה *Volumen volans*, i. e. quod per aera volabat. Hebraeorum nonnulli volatu simul indicari putant, fuisse illud volumen non complicatum, sed expansum et evolutum, ut a vento motum volitaret. Alexandrinus Graecus interpres reddidit *δρέπανον πετόμενον*, *falcem volantem*, quasi pro מְגִלָּה esset מַגָּל scriptum. Sed recte Aquila et Theodotion *διφθέρα*, Symmachus *κεφαλὶς* posuerunt, de qua voce vid. not. ad Ezech. 2, 9.

2. וַיֹּאמֶר אֵלַי *Dixit ad me* scil. angelus, qui mecum loquebatur, 1, 9. 4, 1. אָרְכָּהּ עֶשְׂרִים בָּאַמָּה *Cujus* (subaudito relativo אשר) *longitudo* erat *viginti* mensurarum *in cubito*, i. e. in ratione s. dimensione cubitali, s. quae per cubitos fieri et designari solet. Eadem loquendi forma Exod. 26, 8. 27, 9. Ex amplitudine libri licet conjecturam facere de diris et exsecrationibus, quae in eo continebantur, Vs. 3. Hebraei annotant, volumen hoc egressum esse e porticu sive vestibulo templi, cujus longitudo et latitudo eadem erat, quae hujus voluminis, vid. 1 Reg. 6, 3., ut constaret illi major auctoritas, nec dubium esset, quin Deus emitteret hoc volumen.

3. זֹאת הָאָלָה הַיּוֹצֵאת עַל־פְּנֵי כָל־הָאָרֶץ *Haec est exsecratio*, i. e. hoc volumine continetur exsecratio, una cum supplicii comminatione, *quae egreditur* veluti e tribunali divino *super universam terram*, Judaicam, uti videtur. Similiter Ezechiel 2, 10. videt *volumen*, *in quo scripta erant lamenta*, *gemitus et Vae!* כִּי כָל־הַגֹּנֵב וגו׳ *Nam omnis fur hinc secundum illud exterminabitur*, *et omnis pejerans illinc secundum illud exterminabitur*, i. e. fures et perjuri omnes tollentur, ad exsecrationes, quae in volumine illo utraque pagina sunt perscriptae. Repetitum מִזֶּה plerique interpretes vertunt: *ex hoc* scil. loco, ut Gen. 37, 17. 42, 15. Verum cum illa particula repetitur, *adversa latera* significare solet, et *hinc illinc* vertenda est, vid. Exod. 17, 12. Num. 22, 24. Ezech. 47, 7. Apposite Aben-Esra ad locum nostrum monet, ambo illius voluminis latera fuisse scripta, unum contra fures, alterum contra pejerantes, aut, quod mavult, ambo contra utrosque. Si prius sequimur, analogia quaedam subnascitur, quae inter exsecrationem et legem est. Quemadmodum enim tabulae legis scriptae erant *ab utroque latere*, מִזֶּה וּמִזֶּה *hinc et illinc*, ut Exod. 32, 15. dicitur, sic exsecratio, utriusque tabulae transgressionem feriens, pariter scripta est מִזֶּה וּמִזֶּה, ut unicuique peccato sua respondeat poena. Si posterius arridet, exsecrationis magnitudo et amplitudo innuitur. Sic volumen Ezechieli oblatum, paris fere argumenti ac Zachariae ostensum volumen, scriptum dicitur פָּנִים וְאָחוֹר *a fronte et a tergo*, sive intrinsecus et extrinsecus. Ezech. 2, 10. Veteres autem a tergo voluminis non scribebant, nisi argumentum abundaret, unde Juvenalis *Sat.* 1, 6. *Scriptus*, *et in tergo*, inquit,

nec dum finitus Orestes? כָּמוֹהָ Hieronymus bene reddidit: *sicut ibi scriptum est.* Verbum נָקָה alias *innocentem se asseruit, insons fuit, impunis relictus fuit*, significat, ut Gen. 24, 1. וְנָקִיתָ *insons eris.* Unde JARCHI haec verba sic interpretatur: *omnis fur* hucusque *ab hac* poena, *prout* expressa est *in eo* voluminc, *immunis fuit*, quia dilata erat, donec mensura omnium ac singulorum esset impleta, nunc vero *exire feci illam*, Vs. 4., etc. Alii sensum hunc esse volunt: qui ex hoc populo (מִזֶּה) aut furtum faciunt, aut perjurium committunt, se, nescio quo praetextu, innocentes plane confirmant esse. COCCEJUS verbum נָקָה *evacuandi* significatu capit, quia quod evacuatur expurgatur. Unde hunc locum sic interpretatur: *omnis furans secundum eas* poenas in hoc volumine scriptas *evacuabitur*, ab omni bono, sive immunis fiet, privabitur munere, quo in templo fungebatur. Nobis pro נִכְּתָה *percutietur*, plectetur, positum videtur, quemadmodum תָּקַן et תִּכֵּן *ordine disposuit*, רָקַק et רָכַךְ *tenue esse*, מָקַק et מָכַךְ *contabescere, attenuari*, כָּפַל et כִּפֵּל *duplicari*, קָרַם et כִּרְדֹּם *securis*, promiscue ponuntur. Ceterum de verbo נָקָה vid. not. ad Jes. 3, 26. et Jer. 30, 11. — וְכָל־הַנִּשְׁבָּע *Et omnis jurans* scil. per nomen meum ad rem falsam asseverandam, ut Versu proximo diserte scribitur, בִּשְׁמִי לַשָּׁקֶר *pejerans.* Cf. Ps. 24, 4. Duo genera peccatorum hic ponuntur, *furtum* ac *perjurium*, quorum illud est contra secundam, hoc vero contra primam Decalogi tabulam, Exod. 20, 7. 13.; per synecdochen hic veniunt pro quibuslibet contra utramque tabulam peccatis; *perjurium* pro omni irreverentia erga Numen, *furtum* pro omni injustitia erga proximum.

4. הוֹצֵאתִיהָ Etenim *exire feci*, seu *faciam eam* scil. exsecrationem, Vs. 3. Cf. Mal. 2, 2. 3, 9. — הַנִּשְׁבָּע בִּשְׁמִי לַשָּׁקֶר Vid. ad Vs. 3. et interdictum Levit. 19, 12. — וְלָנָה *Et pernoctabit*, i. e., ut recte Hieronymus vertit, *commorabitur*, ut verbum לוּן usurpatur quoque Ps. 25, 13., ad quem loc. cf. not., 49, 13. Job. 17, 2. 41, 14. Est vero לָנָה tertia Feminini persona Praeteriti, *Segol* posito pro *Camez*, ut Jes. 59, 5. הַדּוּרָה pro הַדּוּרָה. — בְּתוֹךְ בֵּיתוֹ *In medio domus ejus*, non ad fores illa (exsecratio) stabit, sed ad medium usque et ad interiora aedium penetrabit. וְכִלָּתוּ וְאֶת־עֵצָיו וְאֶת־אֲבָנָיו *Et consumet illam* domum cum fure et perjuro *et ligna ejus et lapides ejus*, ut ne vestigium quidem supersit, quasi igne sit consumta, ut I Reg. 18, 38. ignis coelo delapsus devorasse dicitur holocaustum, *et ligna et lapides.*

5. Sequitur novum visum. וַיֵּצֵא הַמַּלְאָךְ הַדֹּבֵר בִּי *Exiit autem angelus qui mecum loquebatur*, vel e myrteto, 1, 8., vel ex ordine ceterorum angelorum, ut eo propius et dilucidius commonstraret visum, cf. 2, 7.. et ibid. not. מַה הִיוֹצֵאת הַזֹּאת *Quidnam est hoc, quod exit*, remoto quasi sipario exit? Chaldaeus: *quinam sunt hi, qui apparent?*

6. זֹאת הָאֵיפָה הַיּוֹצֵאת *Hoc* est *Epha, quod exit*, in medium profertur, apparet. *Epha* mensura aridorum erat maxima, continens decem *Omer*, Exod. 16, 36. Significare videtur, mensuram peccatorum ad summam venisse. Addit angelus explicationem: זֹאת עֵינָם בְּכָל הָאָרֶץ *hic est oculus*, adspectus *eorum in tota terra*, id est, ut Chaldaeus exponit, *isti revelantur*, manifesti sunt *coram omnibus habitatoribus terrae.* Convenit Hieronymus: „*Haec* amphora," inquit, „sive mensura, *oculus eorum* est *in universa terra*, hoc est, ostensio peccatorum, ut quorum vitia dispersa latitabant, in unum coacervata oculis omnium panderentur, ut egrederetur de loco suo Israel, et cunctis gentibus qualis in terra sua fuerit, monstraretur." Suffixum in עֵינָם pertinet ad *furem* et *perjurum* Vs. 4. עַיִן *Oculus* hic *adspectum, formam* notat, ut Levit. 13, 55. לֹא־הָפַךְ הַנֶּגַע אֶת־עֵינוֹ *non convertit*, mutavit, *plaga*, lepra, *oculum*, adspectum, formam *suam.* Num. 11, 7. de Manna dicitur: וְעֵינוֹ כְּעֵין הַבְּדֹלַח *et adspectus ejus* erat *sicut adspectus bdellii.* Vid. et Ezech. 1, 4. 16. Sensus igitur est: id quod vides figuram gerit eorum quae fecere Hebraei, quaeque passi sunt. Ostenditur res non futura, sed gesta, ut Judaei in posterum caveant, similes poenas in se accersere. Cf. Vs. 11.

7. כִּכַּר עֹפֶרֶת *Massa* rotundior *plumbi*, quae Vs. 8. *lapis* vocatur. כִּכַּר alias, ut 1 Sam. 10, 3. 2 Sam. 12, 30. *talentum* denotat. Unde Hieronymus: „Pro *talento plumbi* in consequentibus legimus *lapidem plumbi. Talentum* vocatur *Chachar*, *lapis Aben.* Ipse est igitur *lapis plumbi*, qui et *talentum plumbi*, quod nos manifestius exprimentes *massam* vel *sphaeram plumbi* interpretati sumus, ex quo significatur pondus gravissimum peccatorum." נְשֹׂאֵת *Adportabatur* hoc fine, ut in os improbae mulieris, quae statim commemoratur, conjiceretur. Hemistichii secundi verba, וְזֹאת אִשָּׁה אַחַת יוֹשֶׁבֶת בְּתוֹךְ הָאֵיפָה, ita sunt struenda: *haec autem, quae sedebat in medio illius Ephae*, erat *mulier una.* Sic supra Vs. 6. זאת האיפה היוצאת *hoc, quod exit, est Epha.* Quid ea muliere significetur, mox Vs. 8. vates ipse declarat.

8. זֹאת הָרִשְׁעָה *Haec*, quam Ephae insidentem vidisti, est *impietas* populi Hebraei. וַיַּשְׁלֵךְ אוֹתָהּ אֶל־תּוֹךְ הָאֵיפָה *Et* cum effatus esset, *projecit eam in medium Ephae.* Recte Hieronymus: Arripuit mulierem, quae vocabatur *impietas*, et praecipitem misit in medium amphorae, quae prius libere ferebatur, et supra amphoram sedens omnibus apparebat. וַיַּשְׁלֵךְ אֶת־אֶבֶן הָעוֹפֶרֶת אֶל־פִּיהָ *Et jecit lapidem*, sive, ut Hieronymus non male reddit, *massam plumbeam super os ejus.* Suffixum femininum ad פִּיהָ Hieronymus ad Epham retulit. Ita enim ille: „Ne forte rursum elevaret caput, et sua iniquitate et impietate gauderet, talentum plumbi in modum gravissimi lapidis mittit in os amphorae, ut

impietatem in medio opprimat atque concludat, ne quo modo possit erumpere.“ Quomodo si accipere lubet, *os* h. l. significabit aperturam, s. latus apertum, unde quid intrat vel exit, ut פִּי Gen. 29, 2. de ore putei, et Exod. 28, 32. de foramine Ephodi, per quod caput immittitur, dicitur. Plerique tamen suffixum ad פִּיהָ melius ad mulierem ipsam, de qua directe hic sermo fuerat, referunt. Sic Ps. 107, 42. *omnem iniquitatem* quod attinet *occlusum est* פִּיהָ *os ejus.* Quod ipsum repetitur Job. 5, 16.

9. *Mulieribus duabus*, quae jam vati objiciuntur, significari Assyrios et Babylonios, qui impium populum Hebraeum in terras exteras deportarunt, quae proxime sequuntur satis ostendunt. וְרוּחַ בְּכַנְפֵיהֶם *Et ventus* in *alis earum*, tanta ferebantur celeritate, quasi ventus in alis ipsarum esset. *Alae* autem hic vel vestium oras denotant, ut Ezech. 5, 3., quae, quod laxiores essent, venti impetu inflatae mulieres illas in aërem raptasse intelliguntur, vel, quod ob ea quae statim adduntur, magis verisimile, proprie dictae, ut celeritatis symbolum. Recte Chaldaeus exponit: *duae provinciae apparebant inter regna populorum terrae, et populi celeres deportarunt illos cum velocitate.* וְלָהֵנָּה כְּנָפִים כִּכְנְפֵי הַחֲסִידָה *Etenim illis* mulieribus erant *alae ad instar alarum ciconiae*, sive potius *ardeae*, vid. not. nostr. ad Bochartı *Hieroz.* P. II. L. II. Cap. 29. T. III. p. 94. edit. Lips. וַתִּשֶּׂנָה אֶת־הָאֵיפָה בֵּין הָאָרֶץ וּבֵין הַשָּׁמָיִם *Et sustulerunt* mulieres ardearum alis instructae *Epham*, qua improba gens Ebraea indicatur (Vs. 6. 8.), *inter terram et inter coelum*, per aëra; e patria tellure sublatam. וַתִּשֶּׂנָה pro וַתִּשָּׂאנָה, elisa א, tertia radicali, ut Jer. 8, 11. וַיִּרְפּוּ *et sanant*, pro וַיִּרְפְּאוּ 6, 14. Chaldaeus posterius hemistichium ita interpretatus est: *et migrare fecerunt populum* eorum, *qui accipiebant et dabant mensura falsa, inter regna populorum terrae, qui sunt sub omni coelo*, i. e. in varias regiones dispersa est gens illa improba.

10. אָנָּה הֵמָּה מוֹלִכוֹת אֶת־הָאֵיפָה *Quorsum istae* sunt *abducentes Epham?* una cum insidente muliere, Vs. 7.

11. In angeli responso paulo plus continetur, quam vates interrogaverat; neque enim contentus est dicere, *quo* Epham mulieres illae alatae abducant, addit quoque, *quo fine* abducant. לִבְנוֹת־לָהּ בַּיִת *Ad aedificandum illi domum*, i. e. ut improbae illi mulieri sedem assignent. בְּאֶרֶץ שִׁנְעָר *In terra Sinear*, i. e. ut recte LXX, ἐν γῇ *Βαβυλώνος*, et Chaldaeus, *in provincia Babel.* וְהוּכַן *Parabitur* scil. בַּיִת *domus*, pro illa. Ad hoc nomen enim, quod in hemistichio priore praecessit, referendum esse hoc verbum, inde apparet, quod in masculino ponitur, cujus generis est בַּיִת. — וְהֻנִּיחָה שָׁם *Et collocabitur ibi* Epha cum muliere, ut maneat in praeparata ipsi domo. הֻנִּיחָה positum contra analogiam et consuetudinem, pro Hophal הֻנָּחָה *collocata*

est, vel certe הִנִּיחָה *collocavit sese.* Kimchi formam ex Hophal et Hiphil mixtam esse observat, cujus compositionis rationem hanc reddit: „Nam Judaei, qui abducti fuerant initio contra animi voluntatem, postea sponte manserunt in Babylonia, et se ipsos ibi quasi collocarunt.“ עַל־מְכֻנָתָהּ *Super basi sua*, i. e. in loco, ubi firma atque immota maneat. Tralatio a columnis, quae super bases suas collocantur, ut firmius consistant. Chaldaeus posterius hemistichium ita exponit: *ut commorentur et detineantur ibi donec perveniat tempus eorum*, scil. liberationis. Jarchi totius visi sensum recte explicat hoc modo: Indicat angelus vati, Israelitas propter iniquitatem suam, dum mensurarunt mensura injusta, punitos fuisse eadem mensura, ac venisse duas gentes, quae simul regnarunt, Babylonios et Chaldaeos, copias videlicet Nebucadnezaris, atque deportasse illos (Judaeos) Babyloniam, ubi manserunt in sede, quae ipsis stabilita fuit, usque ad istud tempus, quo reversi sunt.

CAP. VI.

Argumentum.

Continentur hoc Capite visa duo postrema, unum quatuor curruum, quod Versibus tribus prioribus describitur, et Vs. 4—8. explicatur, alterum geminae coronae, capiti Pontificis Josuae impositae, quod Vss. 9. 10. 11. enarratur, et quid eo significetur Vs. 12—15. declaratur.

1. De verbis וָאָשֹׁב וָאֶשָּׂא עֵינַי vid. not. ad 4, 1. אַרְבַּע מֶרְכָּבוֹת *Quatuor currus*, sive *quadrigae*, ut Hieronymus reddidit; neque enim currus solus, sed cum adjunctis quatuor equis notat, vid. Vs. 2. יוֹצְאוֹת מִבֵּין שְׁנֵי הָהָרִים *Egressae ab inter*, i. e. e medio *duorum montium*, ut Ps. 104, 12. aves dicuntur vocem emittere מִבֵּין עֳפָאִים *e medio frondium.* Indicatur h. l. cava et profunda vallis, quae inter duos montes. וְהָהָרִים הָרֵי נְחֹשֶׁת *Montes illi* autem, quos dixi, *montes ahenei* erant, id est, ut recte Hieronymus observat, „insuperabiles atque fortissimi, et qui nulla possint vetustate consumi.“

2. סוּסִים אֲדֻמִּים *Equi rufi*, strages et cladem portendentes, vid. not. ad 1, 8. שְׁחֹרִים *Nigri*, infausta ac tristia ominantes, non Judaeis, sed borealibus, seu Babyloniis, Vs. 6. 8.

3. בְּרֻדִּים *Grandinati*, i. e. recte explicante Kimchio, qui respersi sunt maculis albis instar grandinis, guttati, λευκόστικτοι, ut Gen. 31, 10. 12. Jacobi hirci maculosi בְּרֻדִּים vocantur. Plura de hoc vocabulo vid. in Bochartı *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 7. T. I. p. 50. sqq. edit. Lips. אֲמֻצִּים Aquilae sunt *κραταιοὶ*, quod

sequutus Hieronymus *fortes* reddidit; ac si אֲמֻצִּים idem sit quod אֲמִצִּים, ab אָמַץ *valere*. Sed locum attente legenti constabit nomen esse coloris. Chaldaeus *cinereos* vertit, rectius LXX juxta Graecea quaedam exemplaria apud Hieronymum *πυῤῥούς*, *rufos*. Nam אֲמֻצִּים idem est quod חֲמֻצִּים *ruber*, Jes. 63, 1., gutturalibus א et ח permutatis, a חָמַץ, quod apud Hebraeos aeque ac Arabes primario significat *acescere*, *ὀξύνειν*. Est igitur חֲמֻצִּים vel אֲמֻצִּים in coloribus idem quod Graecum *ὀξύ*, quod *clarum* est, et *vegetum*, *et multo lumine excitatum*, *purpureum* inprimis. Equi proinde notantur non quidem purpurei, sed quorum *rubor* est *excitatior*, *ὀξύτερος*, quo ipso distinguuntur ab equis primae quadrigae, qui Vs. 2. simpliciter אֲדֻמִּים vocantur.

4. Sequitur jam visi allegoriei explicatio, quam propheta hoc Versu expetit, angelus vero petenti impertitur Vs. 5. 8. Inspergitur tamen a vate ulterior visi sibi oblati descriptio Vs. 6. 7.

5. Quatuor quadrigis vates significari dicit אַרְבַּע רוּחוֹת הַשָּׁמַיִם, id est, אַרְבַּע רוּחוֹת מֵאַרְבַּע קְצוֹת הַשָּׁמַיִם *quatuor ventos e quatuor coeli finibus* irruentes, uti apud Jeremiam 49, 36. legitur, ubi quatuor illi venti Elamitis in quatuor mundi plagas dispergendis immitti dicuntur. Zacharias autem ventos istos a spiritibus coelestibus rectos actosque cogitasse videtur, quemadmodum Joannes Apocal. 7, 1. vidit *τέσσαρας ἀγγέλους ἑστῶτας ἐπὶ τὰς τέσσαρας γωνίας τῆς γῆς, κρατοῦντας τοὺς τέσσαρας ἀνέμους τῆς γῆς*, aut angelos ipsos quatuor ventorum moderatores, qui dei ministri poenas gentibus decretas exsequuntur. Certe tanquam tales ministros sisti illos ventos inde patet, quod dicuntur יוֹצְאוֹת מֵהִתְיַצֵּב עַל־אֲדוֹן כָּל־הָאָרֶץ *exeuntes* ad mandatum, quod acceperunt a Deo, per omnes mundi partes exsequendum, *a sistendo se*, postquam stiterunt se apud Dominum universae terrae, ad exspectandum et capessendum jussa ejus, quemadmodum servus coram hero adparens nutum ipsius observat, et quid agendum sit sibi attendit. Ita Job. 1, 6. 2, 1. angeli, בְּנֵי־הָאֱלֹהִים, dicuntur *venisse* לְהִתְיַצֵּב עַל־יְהוָה *ad sistendum sese coram Jova*. Et Dan. 7, 10. *millies mille ministrant ei*, Deo, *imo myrias myriadum adsistunt ei*. Cf. supra 4, 14.

6. אֲשֶׁר־בָּהּ הַסּוּסִים הַשְּׁחֹרִים Quod attinet ad currum (הַמֶּרְכָּבָה), *in quo equi nigri* erant. Haec vero verba, uti videtur, non sunt amplius angeli, visum explicantis, sed prophetae, rem visam ulterius referentis usque ad finem Versus 7. הַשְּׁחֹרִים Vid. not. ad Vs. 2. יוֹצְאִים *Exeuntes* erant scil. הַסּוּסִים *equi*, quibus tamen simul quadrigae, quibus illi juncti, intelliguntur. אֶל־אֶרֶץ צָפוֹן *Ad terram borealem*, Assyriam et Babyloniam versus (cf. not. ad 2, 10.), unde maxima mala olim Judaeis ingruebant. וְהַלְּבָנִים *Albi vero* (Vs. 3.), qui color victoriae atque triumphi symbolum est, uti patet ex Apoc. 6, 2. *Ἰδοὺ, ἵππος*

λευκὸς, καὶ ὁ καθήμενος ἐπ' αὐτὸν ἔχων τόξον· καὶ ἐδόθη αὐτῷ στέφανος, καὶ ἐξῆλθε νικῶν, καὶ ἵνα νικήσῃ. יֵצְאוּ אֶל־אַחֲרֵיהֶם *Egrediebantur ad post illos*, i. e. eodem illos sequebantur. וְהַבְּרֻדִּים *Et grandinati*, vid. not. ad Vs. 3., et quae de mixti coloris significatu mox ad Vs. 7. dicentur. יֵצְאוּ אֶל־אֶרֶץ הַתֵּימָן *Egrediebantur ad terram Austri*, cujusmodi regio Judaeis Aegyptus erat, unde Dan. 11, 5. מֶלֶךְ הַנֶּגֶב est rex Aegypti. Ceterum quae per ventos istos, sive spiritus coelestes exsequenda erant, ad universum terrarum orbem, seu quatuor mundi partes spectare, quaternarius quadrigarum numerus haud obscure innuit. Quod vero orientis, et occidentis nulla hic facta mentio est, causa haec videtur, quod terram omnem in duas partes generales dissectam vates cogitaret, unde boreas et auster synecdochice ponitur pro universis mundi plagis, ut Jes. 43, 6. *dicam septentrioni: redde, et austro: ne cohibeas* (meos a reditu in patriam). *Affer filios meos e longinque, et filias meas e terrae extremis.* Et Ps. 89, 13. *aquilonem et austrum tu creasti*, i. e. terram universam.

7. וְהָאֲמֻצִּים *Videlicet rufi.* Iidem sunt, quos modo *grandinatos* sive *guttatos* dixerat Vs. 6., nam Vs. 3. currui quarto juneti dicuntur equi בְּרֻדִּים אֲמֻצִּים. Repetit ergo vates, quod sub finem Versus superioris de equorum istorum exitu dixerat, idque hoc fine, ut specialius declaret. וַיְבַקְּשׁוּ לָלֶכֶת *Et quaesiverunt ire. Quaerere* vero h. l. non meram voluntatem indicat, sed ipsam animi ac facultatis conversionem ad agendum includit, idemque est, ac si diceret: ipso actu *se ad eundum compararunt*, ut infra 12, 9. Jam enim praecessit, illos *exiisse.* לְהִתְהַלֵּךְ בָּאָרֶץ *Ad obambulandum per terram*, partim ut malis supplicia irrogarent, partim ut bonos, si qui supersint, defenderent. Nam colorum in his equis varietas innuere videtur, varios varie tractandos esse a ministris divinis, qui illos adumbrantur, ita ut rubeant atque vindictae instrumenta sint in malos, albi vero in respectu ad bonos, quibus pacem et triumphum ferunt. וַיֹּאמֶר in Plusquamperfecto est vertendum: *dixerat;* prius enim quam ad exeundum se compararunt, exeundi mandatum acceperunt equi. וַיִּתְהַלְּכוּ Sic igitur *obambularunt.* Forma est feminina, ad מֶרְכָּבוֹת *quadrigas* referenda, quibus equi juncti erant, cf. not. ad Vs. 1. Aut vates in mente habuit ipsos *spiritus*, רוּחוֹת, equorum imagine adumbratos.

8. וַיִּזְעַק אֹתִי *Inclamavit autem me*, scil. הַמַּלְאָךְ הַדֹּבֵר בִּי *angelus ille qui mecum loquebatur*, Vs. 4., ut perciperem nuntium gravissimum de terra boreali. הַיּוֹצְאִים אֶל־אֶרֶץ צָפוֹן *Qui exierunt ad terram borealem*, i. e. equi nigri et albi, Vs. 6. Verba הֵנִיחוּ אֶת־רוּחִי בְּאֶרֶץ צָפוֹן *quiescere fecerunt spiritum meum*, nonnulli in bonam partem accipiunt, hoc sensu: *tranquillarunt spiritum meum*, s. iram meam, videlicet multos homines in Baby-

lonia haerentes ad resipiscentiam pietatemque ministerio suo adducendo, aliosque, apud quos nondum prorsus refrixerat, in ea continendo, ut istos omnes in gratiam meam recipiam. Plures tamen interpretes verba illa in malam partem interpretantur, ut poenam borealibus irrogatam, et quidem gravissimam, significent, quibus et nos accedimus. Nam רוּחַ, *spiritus Dei*, h. l. est *ira* ejus, ut Cohel. 10, 4. אִם־רוּחַ הַמּוֹשֵׁל תַּעֲלֶה עָלֶיךָ *si ira dominantis ascenderit contra te, locum tuum ne derelinquas.* Nec non Prov. 29, 1. כָּל־רוּחוֹ יוֹצִיא כְסִיל *omnem iram suam profert*, crumpere sinit, *stultus.* Quo utroque loco, uti et hic, LXX recte *θυμὸς* verterunt. Quum vero ministri illi divini dicuntur iram Dei in terra boreali *quiescere fecisse*, sensus est, tantum stragis, tantumque malorum in illa terra ab eis editum fuisse, ut prius non cessaverint, quam universus impetus irae divinae, universa vis ejus, in ea terra veluti desedisset ac deferbuisset satisfactumque fuisset Deo, vindictam ab improbis capienti. Cf. Ezech. 5, 13. *et consummabitur ira mea, et quiescere faciam furorem meum in iis, et consolabor me.* Et 16, 42. *quiescere faciam furorem meum in te, et recedet zelus meus a te.* Eadem phrasis redit apud eundem Ezechielem 21, 22. 24, 13. Cognata huic loquutioni est illa, cum Deus se *tela* aut *iram* suam in aliquo consumturum esse minatur, ut Deut. 32, 23. *consumam super iis omnia mala*, חִצַּי אֲכַלֶּה־בָּם *sagittas meas in iis absumam*, Ezech. 6, 12. וְכִלֵּיתִי חֲמָתִי בָם *ut consumam iram meam in iis.* Cf. 7, 8. 13, 15. Omnis igitur haec visio allegorica, quae octo hisce Versibus describitur, eo spectat, ut judicia divina per omnem terrarum orbem a ministris divinis exsequenda, praesertim vero supplicia adumbret terris borealibus irroganda, utpote quae populo Judaico semper maxime infestae fuissent. Quod vero easdem in terras boreales post equos nigros, mala et infortunia illis portendentes, equi albi ivisse dicuntur Vs. 6., Judaeis victoriam in illos hostes suos maxime infensos praemonstrare videtur.

9. Sequitur nunc Versibus sex proximis *nona*, eaque ultima allegoria, *geminae coronae*, capiti Josuae Pontificis impositae, qua Messias, rex idem atque sacerdos olim futurus, adumbratur.

10. לָקוֹחַ *Accipere*, i. e. accipe, ut Jer. 2, 2. הָלוֹךְ *ire* pro *ito*, Deut. 5, 12. שָׁמוֹר *observare*, pro *observato.* Cf. et Jes. 32, 11. — מֵאֵת הַגּוֹלָה *A captivitate*, i. e. a Judaeis Babylone etiamnum exulantibus, seu, ut Chaldaeus posuit, *e filiis transmigrationis*, i. e. exsulibus, Ezech. 1, 1. Esr. 1, 11. 4, 1. Nec enim omnes cum Serubbabele statim ad patriam remigraverant, quamvis rex Cyrus potestatem remigrandi omnibus fecisset; plurimi posthac demum cum Esra reverterunt, Esr. 7, 6. 7. Sed et tunc magna pars in Babylonia restitit, ac scholas ibidem, velut in patria, frequentes habuit. Hi Babylonici Judaei (sic enim commode ap-

pellari possunt in oppositione ad Palaestinenses, qui jam reverterant) eum de resumta templi aedificatione audivissent, aurum argentumque a se collectum per legatos mox nominandos, muneris loco, ad exornandum templum miserunt. Jubetur ergo Zacharias *ab exsulibus*, i. e. exsulum Judaeorum legatis, aliquam ejus auri atque argenti partem accipere, ut emblematis instar praefigurandae rei maxime notabili inserviat, cf. Vs. 15. מֵחֶלְדַּי Videlicet *ab Cheldai*, ceterisque, quos Babylonienses cum muneribus Hierosolymam miserunt, uti hemistichium posterius docet. Ceterum binominis fuisse creditur iste Heldai, idem namque Vs. 14. vocatur *Chelem*. Verba quae sequuntur hujus Versus reliqua, וְבָאתָ *venies autem* rel., parenthesin faciunt, qua instruitur propheta, ubi illos convenire, et quomodo ab illis accipere possit. בַּיּוֹם הַהוּא *Die illo*, quo scil. facere debes, quae nunc mando. וְבָאתָ *Venies*, inquam; repetitur verbum post expressam temporis notam. בֵּית יֹאשִׁיָּהוּ *In domum Josiae*, idem haud dubie, qui Vs. 14. *Chen;* utrobique enim *filius Zephanjae* dicitur. Forsan ejusdem Zephaniae filius erat, qui 2 Reg. 25, 18. inter eos, qui captivi Babelem abducti fuerunt, memoratur, et כֹּהֵן מִשְׁנֶה *sacerdos secundi ordinis* vocatur. אֲשֶׁר־בָּאוּ מִבָּבֶל *Quam egressi sunt*, s. *quo venerunt e Babele*, ad quam venientes e Babylone diverterunt; legati nimirum, quos hemistichium prius nominaverat. Alii vertunt: *qui venerunt e Babele*. Sed אֲשֶׁר referendum ad בֵּית יֹאשִׁיָּהוּ *domum Josiae*, in quam hospites recepti sunt Cheldai ceterique qui e Babylone missi venerant. Recte HIERONYMUS a magistro suo Hebraeo edoctus hunc Versum exponit: Accipe, inquit, ab Holdai, et a Tobia, et ab Idaja, qui de Babylonica captivitate venerunt, et sumes ab eis quae offeruntur munera argentum et aurum, et intrabit domum Josuae filii Sophoniae.

11. וְלָקַחְתָּ *Accipe*, inquam. Repetitur id verbum e Versu superiore, ut propositio, quam illic parenthesis interruperat, fiat integra et absoluta. כֶּסֶף־וְזָהָב *Argentum et aurum*, quod illi, qui Versu 10. nominantur, secum e Babylonia apportarunt. וְעָשִׂיתָ *Et facies* inde, ex illo argento et auro, sive, *fieri cures* per aurifabrum, quemadmodum Exod. 25, 31. Moses jubetur facere candelabrum aureum, quod fieri curavit. עֲטָרוֹת *Coronas;* Syrus *coronam*, et Chaldaeus *coronam magnam*, utrque in Singulari hic et Vs. 14. reddidit, quasi una tantummodo fuisset corona, Pluralis vero magnitudinem illius notaret, quemadmodum Ps. 16, 11. שְׂמָחוֹת *gaudia* gaudium magnum, חֲלֹמוֹת (Gen. 37, 8. Dan. 2, 1.) *somnia*, unum, sed grave somnium, מוֹתִים *mortes* (Jes. 53, 9. Ezech. 28, 10.) mortem gravissimam, חָכְמוֹת *sapientiae* (Prov. 1, 20. 9, 1.) summam sapientiam indicant. Duas vero coronas hic intelligendas esse, aurcam unam, alteram argenteam, apparet cum ex terminatione plurali, quae sine necessitate singulariter accipitur, tum ex duplici materia, unde עֲטָרוֹת confici debebant,

tum denique ex allegoricae hujus repraesentationis explicatione Vs. 13, ubi ad duale quid (בֵּין שְׁנֵיהֶם) accommodatur. Ceterum *corona* est signum personae prae aliis venerandae et sacrosanctae; gestabatur apud veteres Hebraeos non solum a rege, sed a Pontifice quoque, vid. Exod. 28, 36. 37. 29, 6. 2 Sam. 1, 10., utriusque coronae forma tamen diversa fuisse videtur. Corona igitur dupla, unius Josuae capiti imposita, geminam adumbrabat dignitatem, regiam ac sacerdotalem, in una aliqua persona conjungendam, id est, sacerdotium Messiae (quem Josua hic repraesentavit) Melchisedechianum, quo et rex et sacerdos Dei altissimi futurus est, Gen. 14, 18. Ps. 110, 4. Hebr. 6, 20. 7, 1. seq. וְשַׂמְתָּ בְרֹאשׁ יְהוֹשֻׁעַ *Et ponas* unam post alteram, *in caput Josuae*, sive, ut LXX et Vulgatus expresserunt, *Jesu*, qui ut supra 3, 1. ita et hic nomine et omine Messiam praefigurabat; cf. Vs. 12. 13.

12. וְאָמַרְתָּ אֵלָיו *Dices vero ad eum* in explicationem actus illius allegorici, ut noverint ipse et alii, ad quem spectet, quidque significet iste ritus. Verba הִנֵּה־אִישׁ צֶמַח שְׁמוֹ Chaldaeus recte sic reddidit: *ecce vir, cujus nomen est Messias*, eum enim nomine צֶמַח *germen* indicari, vidimus ad 3, 8. Perperam Jarchi, Kimchi et Aben-Esra Serubbabelem illo nomine intelligi volunt, quem somniant Regem posthac a Judaeis salutatum fuisse. Ita et Judaei Hieronymi tempore. Ea opinio vero quam parum sit verisimilis et inde apparet, quod Nehemias, Serubbabelis post alios successor, quum ei a Samaritis per invidiam objectum fuisset, quasi regios honores ac titulum adsectaret, velut mendacium atque calumniam hoc a se amolitus fuit, Neh. 6, 6. 7. 8. וּמִתַּחְתָּיו יִצְמָח *Et de subter se*, i. e. e substrato loco vel fundo suo, in quo fatus est, *germinabit*, merito proinde צֶמַח dictus. תַּחַת h. l. instar Nominis ponitur, ut infra 12, 6. Exod. 16, 29. Hab. 3, 16. Pro יִצְמָח Chaldaeus posuit: *revelabitur et magnificabitur*. וּבָנָה אֶת־הֵיכַל יְהוָה *Et aedificabit templum Jovae*, i. e. templum, quod tunc exstrui coeptum, absolvet.

13. וְהוּא יִבְנֶה אֶת־הֵיכַל יְהוָה *Ipse*, inquam, *aedificabit*, absolvet, *templum Jovae*. Repetitum e Versu superiore; per anadiplosin patheticam. וְהוּא־יִשָּׂא הוֹד *Et ipse portabit gloriam*, s. *decus*, i. e. regia majestate indutus erit, de qua הוֹד et Dan. 11, 21. 1 Chron. 29, 25. dicitur. וְיָשַׁב *Sedebitque* scil. super solio suo, quod mox additur, et a priore hoc verbo, aeque, atque a posteriori pendet; cf. 1 Paral. 29, 25. Esth. 1, 2. Jes. 16, 5. — וּמָשַׁל עַל־כִּסְאוֹ *Et dominabitur super throno suo* non tantum Judaico populo, sed orbis universitati, cf. infra 9, 10. et Mich. 5, 1. ibique not. וְהָיָה כֹהֵן *Et erit*, vel, *et idem erit* simul *sacerdos*, sacerdotium conjunctum habebit cum regni splendore et majestate, uti priscus ille Melchisedecus, qualis Messias describitur Ps. 110, 4. 12. Cf. Hebr. 5, 6. 10. עַל־כִּסְאוֹ *Super* hoc ipso *throno suo*, super quo sedens ut rex dominabitur.

וַעֲצַת שָׁלוֹם תִּהְיֶה בֵּין שְׁנֵיהֶם *Et consilium pacis erit inter illos*, ἀναμέσον ἀμφοτέρων, ut LXX et Vulgatus vertunt, scilicet inter regem et sacerdotem, quasi de duabus hic actum fuisset personis, inter quas optime conveniat, ita ut alter alteri, ut fit, non invideat, nec dissentiant animis aut sententiis. Ita HIERONYMUS: „Et erit pax inter duos illos, hoc est, inter cum, qui de tribu regia est, et eum, qui de Levitica stirpe descendit, ut sacerdotium pariter et regnum Dei populum regant.“ Sed hanc explicationem non patitur emblematis constitutio, secundum quam unus tantummodo Josua duplo diademate ornatus erat, unamque tantummodo personam repraesentabat. Quare alii *inter ambos* de Jova et Messia, *germinis* nomine appellato, intelligunt, inter quos communis voluntas dandae pacis sit futura. Sed magis placet eorum sententia, qui שְׁנֵיהֶם neutraliter sumunt, ut Cohel. 11, 6. *Ignoras*, *hocne an illud magis expediat*, וְאִם־שְׁנֵיהֶם כְּאֶחָד טוֹבִים *an utrumque aeque bonum sit?* Ita et hic בֵּין שְׁנֵיהֶם vertendum: *inter ista duo*, i. e. inter regiam dignitatem Messiae et sacerdotium ejus, de quibus seorsim in superioribus actum erat; his igitur, quae diversissima semper in republica Hebraeorum et separata munera fuerunt, in una Messiae persona erit עֲצַת שָׁלוֹם *consilium pacis*, i. e. bene eis conveniet, optime congruent, quemadmodum cum in capessendo consilio una consiliariorum voluntas, una sententia est. Quam explicationem commendat totius emblematis et praedictionis hujus scopus, qui eo tendit, ut sub imagine duplicis coronae, capiti unius Josuae impositae duplex dignitas in unam Messiae personam divinitus conferenda significetur.

14. Interim vero, donec promissus ille regius sacerdos compareat, וְהָעֲטָרֹת תִּהְיֶה לְחֵלֶם *coronae*, i. e. coronarum quaevis vel utraque, argentea aeque et aurea (Vs. 11.), *erit Chelemo*, qui supra Vs. 10. *Cheldai* vocabatur. וּלְחֵן *Et Cheno*, qui supra Vs. 10. Josias, in cujus domum Babylonienses, munera pro exornando templo ferentes, diverterant. Illae igitur coronae erunt viris, qui hic nominantur, לְזִכָּרוֹן *in memoriam*, i. e. monumentum apud posteros, ut quicunque illas in templo adspexerit, earum intuitu commoneftet tum pietatis istorum hominum, qui aurum et argentum ad templum exornandum dedicarunt, tum prophetiae hujus de duplici Messiae dignitate. בְּהֵיכַל יְהוָה *In templo Jovae* publice suspendendae. Observat JARCHI ex Tractatu Talmudico *Middoth* (i. e. de mensuris templi, scil. secundi, quo tota illius structura describitur), coronas istas a fenestris templi in altitudine ejus fuisse suspensas.

15. וְרִחוֹקִים יָבֹאוּ וּבָנוּ בְּהֵיכַל יְהוָה *Et remoti*, e terris longe remotis venient *et aedificabunt in templo Jovae*, i. e. una cum Judaeis aedificabunt, sese eis ad aedificandum adjungent. Nam praefixum ב h. l. significat partem et consortium in agendo, ut Num. 11, 17. וְנָשְׂאוּ אִתְּךָ בְּמַשָּׂא *portant tecum partem oneris.*

Ezech. 18, 20. בֵּן לֹא יִשָּׂא בַּעֲוֹן הָאָב *filius non portabit una reatum patris.* Cf. not. ad Job. 7, 13. — וְיָדַעְתֶּם כִּי־יְהוָה צְבָאוֹת שְׁלָחַנִי אֲלֵיכֶם *Et* tunc, cum omnia ista evenerint, *cognoscetis*, *Jovam*, *agminum* Deum, *me ad vos misisse.* Cf. supra 2, 13. 4, 9. וְהָיָה Hieronymus recte vertit: *erit autem hoc*, verbum substantivum enim h. l. ad totum id quod antecedit, est referendum, subaudito הַזֹּאת כֻּלָּהּ *omne istud.* Illa vobis obtingent, si per omnia *Deo auscultaveritis* eique audientes dicto fueritis, si coeptam templi aedificationem absolveritis.

CAP. VII.

Argumentum.

Sequitur secunda hujus libri pars (Cap. 7. et 8.), qua monita et consilia varia, nullis imaginibus et allegoriis involuta, continentur. Et hoc quidem Capite vates id agit, ut occasione propositae a Judaeis quaestionis, num continuanda sint jejunia (Vs. 1. 2. 3.), populum doceat, quale pretium Deus jejuniis statuat (Vs. 4 — 7.), et quae potius a Judaeis requirat (Vs. 8 — 14.).

1. בִּשְׁנַת אַרְבַּע לְדָרְיָוֶשׁ הַמֶּלֶךְ *Anno quarto Darii regis*, biennio post editam primam prophetiam (1, 1. 7.), cum in templi structura Judaei adhuc strenue pergerent, jamque spes de imponenda propediem operi suprema manu adfulgeret. Absolutum est templum biennio post editum hoc oraculum, sexto Darii anno; vid. Esr. 6, 15. — וַיְהִי דְבַר־יְהוָה *Verbum Jovae*, illud ipsum videlicet, quod post interpositam Vs. 2. 3. parenthesin, et repetitum Vs. 4. dicti signum, reliqua hujus Capitis parte et toto Capite 8. exponitur. כִּסְלֵו, nomen, uti videtur, peregrinum, mensis noni, qui ad Decembrem nostrum proxime accedit.

2. Versus hic et proximus parenthesin faciunt, qua occasio et causa effati divini Vs. 5. sqq. exponitur. Sed in primo statim hujus Versus hemistichio, וַיִּשְׁלַח בֵּית־אֵל שַׂרְאֶצֶר וְרֶגֶם מֶלֶךְ וַאֲנָשָׁיו, quaedam occurrit difficultas. Verba enim si, uti fert eorum collocatio, sic vertas: *misitque ad domum Dei*, s. *Bethelem*, *Scharezer*, *et regem-Melech ejusque viros*, haud dici apparet, quisnam illos miserit? Jarchi et Kimchi Scharezer et Regem-Melech ejusque socios ajunt fuisse homines pios in Babylonia habitantes, qui miserint ad propinquos suos, Betheli viventes, ut pro ipsis in templo Hierosolymitano divinum favorem apprecarentur. Verbum singularis numeri, וַיִּשְׁלַח, vero esse collective capiendum, uti הָאָבְכָּה et עָשִׂיתִי mox Vs. 3. Judaei Hieronymi aetate, ipso in Commentario testante, homines istos Persas fuisse duces regis Darii timentes Deum putarunt; quod

parum verisimile. Sed vix dubium est, Seharezerum et socios fuisse eos qui missi fuerint. Et haud pauci quidem Hebraea ita vertunt: *missus erat ad domum Dei Scharezer*, rel. Constat enim, verba tertiae personae masculina, tam singularia, quam pluralia, per ellipsin nominis אִישׁ *aliquis*, aut Participii ejusdem verbi, usurpari impersonaliter, ut Gen. 48, 1. וַיֹּאמֶר לְיוֹסֵף *dixit Josepho* scil. aliquis, dictum ei fuit. 1 Sam. 3, 9. אִם־יִקְרָא אֵלֶיךָ *si vocaverit te* scil. הַקּוֹרֵא *qui vocat*, si vocatus fueris *(wenn man dir ruft)*. Esth. 9, 30. וַיִּשְׁלַח סְפָרִים *misit* scil. הַשּׁוֹלֵחַ *mittens literas* ad omnes Judaeos, i. e. mittebantur literae ad omnes Judaeos. Cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 797. Missos fuisse Scharezerum cum suis sociis a populo et sacerdotibus, qui extra Hierosolymam in vicis et villis habitabant, colligunt e Versu 5., ubi ad illos responsum dirigitur. בֵּית־אֵל vero, alias oppidi Bethelensis nomen, hic idem putant, quod Vs. 3. בֵּית־יְהוָה, i. e. templum, quod jam eo usque perductum erat, ut saera in eo fieri potuerint. Sed quum templum Hierosolymitanum nusquam בֵּית־אֵל appelletur, verum semper oppidum satis notum designet, et hoc loco cum veteribus, praeter Hieronymum, omnibus (vid. infra) ita capiendum arbitror. Hinc vertimus loeum sic: *misit Bethel*, i. e. miserunt Bethelenses, *Scharezerum, Regem-Melechum ejusque socios.* בֵּית־אֵל, etsi ut nomen urbis proprie sit femininum, hoc tamen loco, ubi illius incolae spectantur, masculine sumitur, ut Jes. 19, 16. מִצְרַיִם, vid. et Mich. 5, 1.; cf. GESENIUM l. l. p. 469. De Bethele oppido, haud procul ab Hierosolyma sita, vid. libr. nostr. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 140. sqq. שַׂרְאֶצֶר alius, Assyrius, uti videtur, qui una cum Adrammeleeho Sanheribum interficiebat, memoratur 2 Reg. 19, 37. Quod sequitur nomen proprium, רֶגֶם־מֶלֶךְ, SIMONIS in *Onomast. V. T.* p. 151. *amicum regis* denotare observat. וַאֲנָשָׁיו *Et viri ejus*, vel Regem-Melechi, vel utriusque, i. e. comites, socii et ministri ejus, ut 2 Sam. 2, 3. אַנְשֵׁי דָוִד אֲשֶׁר עִמּוֹ *viri Davidis, qui eum eo erant.* Quo consilio Bethelenses viros illos Hierosolymam miserint additur hisce verbis: לְחַלּוֹת אֶת־פְּנֵי יְהוָה *ad exorandam faciem Jovae*, ad preces ad eum faeiendas (quo sensu ea phrasis et infra 8, 21. 22. Exod. 32, 11. 1 Sam. 13, 12. occurrit), atque, precibus illis praemissis, ad consulendum saeerdotes et prophetas, qui in templo congregati et praesto erant, Vs. 3. Consulturi enim Jovam ipsum exorabant, ut per suos ministros, saeerdotes et prophetas, se responso aliquo dignaretur, quemadmodum Jer. 42, 2. 3. militiae duces Jeremiam adibant, qui pro se Jovam exoraret, ut ipsis ostendat, quomodo agendum sibi esset.

3. לֵאמֹר *Et* simul *ad dicendum* scil. mittebantur viri isti, Vs. 2. memorati. אֶל־הַכֹּהֲנִים *Ad sacerdotes*, quos populus in causis ad religionem et sacra pertinentibus tanquam doctores ordinarios consulere solebat, vid. e. c. Hagg. 2, 11. Mal. 2, 7. —

אֲשֶׁר לְבֵית־יְהוָה *Qui ad domum Jovae*, i. e. ut recte Chaldaeus vertit, *qui ministrabant* in *domo sanctuarii.* וְאֶל־הַנְּבִיאִים *Et ad prophetas*, qui extraordinarii voluntatis divinae interpretes non minus, quam sacerdotes, de voluntate Dei respondere consueverant, exempla vide 2 Reg. 3, 11. sqq. 22, 13. sqq. Jer. 18, 18. 42, 1. sqq. Ezech. 7, 26. 8, 1. 14, 1. 20, 1. Hic autem prophetarum nomine Haggaeus inprimis et Zacharias indigitari videntur, quippe qui isthoc temporc hoc nomine inter Judaeos quam maxime noti erant, vid. Esr. 5, 1. — הַאֶבְכֶּה *Num flebo?* Totus coetus, cujus nomine responsum a sacerdotibus et prophetis petebatur, loquens in Singulari hic inducitur, ut Num. 20, 18. וַיֹּאמֶר אֵלָיו אֱדוֹם לֹא תַעֲבָר בִּי *Edom dixit ei: ne transeas per me*, i. e. per terram meam. Et Versu 19. Israelitae dixisse narrantur: *si aquas tuas bibamus*, אָנִי וּמִקְנִי וְנָתַתִּי מְכָרָם *ego et pecus meum, solvam pretium earum.* Vid. et Jos. 9, 7. *Fletu* h. l. luctum publicum ac jejunium cum ploratu conjunctum indicari, cum ex iis locis, quibus de publico luctu est sermo, veluti Jud. 20, 26. 1 Sam. 1, 7. 2 Sam. 1, 12. Neh. 1, 4., tum ex responsione Vs. 5. seqq. colligitur. בַּחֹדֶשׁ הַחֲמִשִּׁי *In mense quinto*, in memoriam exusti hoc mense a Babyloniis Templi et Urbis, vid. 2 Reg. 25, 8. 9. 10. Jer. 52, 12. 13. 14. Ejusmodi luctus publici dies in memoriam calamitatum publicarum apud Judaeos instituti erant plures (cf. Vs. 5. 8, 19.), quos non tantum in terris exteris, in quibus deportati degebant, sed etiam in Judaea intra Cyri tempora et Darii, Hystaspis filii, observarunt. „Nunc restituto templo quaestionem instituunt Judaei illi in agris habitantes, non absurdam, de illo praecipue die, qui luctuosus fuerat ob templum incensum. *Dignus vindice nodus.* Poterat enim haec quaestio probabiliter in utramque partem tractari. Cessat causa; cesset et effectus. Contra dici potcrat, malorum toleratorum utilem esse memoriam. Propheta miro temperamento rem definit: retinendos dies, verum ad gratias Deo agendas, cosque cum gaudio, non cum luctu, infra 8, 19. Sed antequam eam sententiam promat, utilissima praefatur de recto jejunii usu, de causis malorum, et quomodo in rebus prosperis gerere se debeant.“ Grotius. הִנָּזֵר *Separando*, i. e. abstinendo me a cibo et potu, item a deliciis et voluptatibus. Eodem significatu id verbum legitur Lev. 22, 1. וְיִנָּזְרוּ *ut separent se*, abstineant, *a sacris Israelitarum.* Nostro loco Chaldaeus bene: *num prohibebo animum meum a deliciis?* כַּאֲשֶׁר עָשִׂיתִי זֶה כַּמָּה שָׁנִים *Quemadmodum feci his quot annis*, i. e. jam plurimis, ita enim loquuntur, qui numerum vel quantitatem exaggerare volunt, ut Ps. 78, 40. כַּמָּה יַמְרוּהוּ בַּמִּדְבָּר *quot* vicibus *exacerbarunt eum in deserto?* i. e. saepius. Hic vero per זֶה כַּמָּה שָׁנִים intelligendi sunt זֶה שִׁבְעִים שָׁנָה, de quibus supra 1, 12 et mox Vs. 4.

4. וַיְהִי *Factum* igitur *est*, inquam. Post absolutam parenthesin (Vs. 2. 3.), quae vaticinii sequentis occasionem pandebat,

repetitur hoc verbum c Versu 1., ut vaticinium ipsum nunc subjiciatur.

5. אֱמֹר אֶל־כָּל־עַם הָאָרֶץ *Dic ad universum populum terrae*, et quidem *δεικτικῶς* cum ה demonstrativo, quasi *hujus terrae*, ut intelligatur populus, qui erat in Judaea, ex Babylonicis terris reversus, qui et Hagg. 2, 4. eodem nomine appellatur, non vero qui Babylone remanserat, qui supra 6, 10. הַגּוֹלָה vocatur. Populus in Judaea degens et 2 Reg. 11, 14. 18. 19. 20. 15, 5. עַם הָאָרֶץ dicitur. וְאֶל־הַכֹּהֲנִים *Atque ad sacerdotes*, qui et ipsi jejunaverant, et ab eo consulti fuerant. Nam quum in Lege nihil de hac re praeceptum esset, de voluntate Dei per prophetas, id est, extraordinario modo, cognoscendum fuit. בְּי־צַמְתֶּם וְסָפוֹד *Cum jejunastis atque plangendo* scil. planxistis. בַּחֲמִישִׁי *Quinto* scil. mense, vid. supra Vs. 3. וּבַשְּׁבִיעִי *Et in septimo* mense, in memoriam caesi hoc mense Gedaliae, ac dispersorum, quos secum habuerat, Judaeorum, vid. 2 Reg. 25, 25. et Jer. 41, 1. sqq. וְזֶה שִׁבְעִים שָׁנָה *Et* quidem *his septuaginta annis*, vid. Vs. 3. et not. ad 1, 12. הֲצוֹם צַמְתֶּנִי אָנִי *Num jejunando jejunastis mihi, mihi*, inquam? Pronomen אָנִי emphatice *πλεονάζει*, ut Hagg. 1, 4., ad quem loc. vid. not., estque in Dativo vertendum, uti suffixum in צַמְתֶּנִי, ut igitur positum sit pro לִי צַמְתֹּה, quemadmodum Jud. 1, 15. נְתַתָּנִי *dedisti mihi. Jejunare Jovae* autem idem valet, ac *propter Jovam*, i. e. ob ejus mandatum, vel in ejus honorem commodumve. Vult enim hoc: ego haec vestra jejunia nec praecepi vobis, nec illis egeo aut delector, vos ipsi instituistis, et nullum inde commodum ad me redundavit. Chaldaeus: *num jejunio adflictionis vos jejunastis coram me?*

6. וְכִי תֹאכְלוּ וגו׳ *Atque cum editis et bibitis, nonne vos ipsi estis, qui editis, et vos ipsi, qui bibitis?* Ratio ab apposito petita, quasi dicat: sicut ex epulis vestris nihil ad me accedit, ita nec ex jejunio. Hemistichium posterius Hieronymus non male vertit: *numquid non vobis comedistis? et vobismet ipsis bibistis?* Et in Commentario addit: „Neque enim his rebus placatur Deus, sed bonis operibus, et si illius praecepta faciamus, quia esca nos non commendat Deo. Neque si non manducaverimus, deficiemus; neque si manducaverimus, abundabimus.“

7. Ne quod de pretio, quod jejuniis statuat, Jova modo dixerat, Judaei novum et inauditum putarent, addit vates, illum jam pridem ista per prophetas priores majoribus ipsorum inculcasse. הֲלוֹא אֶת־הַדְּבָרִים *Nonne haec ipsa sunt verba.* אֵת h. l. non est Accusativi nota, ut quidam volunt, qui יְדַעְתֶּם *scitis* subaudiunt, sed indicat Nominativum cum demonstratione, ut Jos. 22, 17. הַמְעַט־לָנוּ אֶת־עֲוֹן פְּעוֹר *num parum nobis est peccatum* illud *Peoris?* Et Jer. 27, 8. וְאֶת אֲשֶׁר לֹא־יִתֵּן אֶת־ צַוָּארוֹ *quicunque non dederit collum suum in jugum regis Babel.*

Cf. not. ad eum loc., nec non infra 8, 27. et not. ad Hagg. 2, 17. — בְּיַד חַנְּבִיאִים *Per manum*, ministerium, *prophetarum*, vid. Hagg. 1, 1. הָרִאשֹׁנִים Vid. supra ad 1, 4. בְּהִיוֹת יְרוּשָׁלַם יוֹשֶׁבֶת וּשְׁלֵוָה *Cum esset Hierosolyma habitans et tranquilla*, tranquille habitans s. habitata, vid. not. ad 1, 11. וְעָרֶיהָ סְבִיבוֹתֶיהָ *Et* cum *urbes ejus* scil. minores, quae alias *filiae* dicuntur (vid. Num. 21, 25. 32.), *circum eam* essent, antequam ab hostibus depopulatae essent. וְהַנֶּגֶב *Atque* cum *auster*, i. e. pars australis Judaeae, quae et Gen. 13, 1. Num. 13, 17. Deut. 34, 3. eodem nomine designatur. וְהַשְּׁפֵלָה *Et* pars *declivis* Judaeae, occidentalis, Jos. 15, 33. Jer. 17, 26. יֹשֵׁב *Habitans*, i. e. habitata, de usu hujus verbi passivo vid. not. ad Jes. 13, 20. Ezech. 26, 20. 35, 9. Cum nulla pars terrae esset inculta.

9. כֹּה אָמַר יְהוָה *Sic dixit Jova* scil. majoribus vestris, coll. Vs. 11. מִשְׁפַּט אֱמֶת שִׁפְטוּ *Judicium veritatis judicate*, jus suum cuique tribuite nullo personarum respectu habito; cf. 8, 16. Jes. 1, 17. 23. Jer. 7, 5. Ezech. 28, 8. Hos. 12, 7. Hieronymus: „Haec autem erant verba Domini, quae sequens Scriptura testatur, velle se verum judicium et misericordiam in proximos, et viduam, et pupillum, et advenam, et pauperem non calumniari, et malum non cogitare in corde suo. Haec, inquit, noluerunt facere, et surdis auribus mea imperia contemserunt, quam ob rem venit indignatio magna super Jerusalem, et quomodo illi me audire noluerunt, sic et ego non exaudivi illos: et nunc tanta scrupulositate quaerunt, quando debeant jejunare et plangere, quum ante dixerim per Isajam [58, 5. 6. 7.]: *Non tale jejunium elegi* etc.“ וְחֶסֶד וְרַחֲמִים עֲשׂוּ אִישׁ אֶת־אָחִיו *Et benignitatem atque misericordiam facite vir cum fratre suo*, alii in alios.

10. Postquam Versu superiore dixisset, quid a Judaeis requirat, nunc dicit, quae ab eis velit omittenda. וְאַלְמָנָה וְיָתוֹם גֵּר וְעָנִי *Et viduam, pupillum, peregrinum et pauperem*, qui injuriis solent quam maxime expositi esse, אַל־תַּעֲשֹׁקוּ *ne opprimatis*. Repetit vates vetitum, quod Exod. 22, 20. 21. Jes. 1, 17. 13. Jer. 5, 28. 7, 6. legitur. Verba וְרָעַת אִישׁ אָחִיו Chaldaeus et Syrus verterunt: *et malum vir* quisque *cum fratre suo*, s. *contra fratrem suum*, et Hieronymus: *vir fratri suo*, per ellipsin praepositionis עַל s. לְ ante אָחִיו. LXX vero reddunt: *καὶ κακίαν ἕκαστος τοῦ ἀδελφοῦ*, per hyperbaton, pro וְאִישׁ רָעַת אָחִיו *et quisque malum fratris sui*, quale Ezech. 39, 11. מְקוֹם־קֶבֶר שָׁם *locus ibi sepulchri*, pro שָׁם מְקוֹם קֶבֶר *ibi locus sepulchri*, cf. not. ad eum loc. Et sic ratione syntaxeos statuendum omnino est, quum רָעַת in regimine sit positum. Recto ordine haec verba collocantur infra 8, 17. — אַל־תַּחְשְׁבוּ *Ne machinemini*, ut Ps. 35, 4. חֹשְׁבֵי רָעָתִי sunt *qui excogitant*, machinantur *contra me malum*. Ps. 41, 8. יַחְשְׁבוּ לִי רָעָה עָלַי *contra me machinantur malum mihi*. Vid. et Ps. 140, 3.

11. וַיְמָאֲנוּ *Sed renuerunt* olim patres vestri, quibus hoc per prophetas dixi, cum salva adhuc Hierosolyma esset, Vs. 7. et not. Vs. 9. Idem queritur Jeremias 5, 3. 17, 23. Dum vero Noster illam majorum contumaciam commemorat, tacite suos aequales dehortatur, ne patrum exemplum imitentur. Cf. 1, 4. — לְהַקְשִׁיב *Auscultare*, scil. cum effectu, ita ut paruissent. וַיִּתְּנוּ כָתֵף סֹרֶרֶת *Et dederunt*, obverterunt *humerum refractarium*. וְאָזְנֵיהֶם הִכְבִּידוּ מִשְּׁמוֹעַ *Et aures suas ingravescere*, i. e. obsurdescere ac difficulter audire *fecerunt*. Eadem phrasis Jes. 59, 1. Cf. not. ad Jes. 6, 10. *Gravitas* Hebraeis pro sensus cujuslibet hebetudine venit. Sic Gen. 48, 10. *oculi Israelis graves*, i. e. hebetes *erant prae senectute*.

12. וְלִבָּם שָׂמוּ שָׁמִיר *Et cor eorum posuerunt adamantem*, duritiem cordis ostendit, et cor lapideum, quod noluerint verba Dei suscipere. Adamas enim lapis fortissimus. Cf. לֵב הָאֶבֶן Ezech. 11, 19. 36, 26. — בְּרוּחוֹ *Per spiritum suum*, quo prophetas adflabat ac animabat ad corripiendos Israelitas, cf. Mich. 3, 8 2 Sam. 23, 2. — בְּיַד הַנְּבִיאִים הָרִאשֹׁנִים Vid. Vs. 7. et not. ad 1, 4. וַיְהִי קֶצֶף גָּדוֹל *Unde exstitit ira magna*, tanquam contumaciae poena, cf. 1, 2.

13. וַיְהִי כַּאֲשֶׁר־קָרָא וְלֹא שָׁמֵעוּ *Et factum est*, *sicut clamaverat* quidem Jova, ipsi *vero non audiverant*, sed frustra eum per prophetas clamare siverant, Vs. 7. Cf. easdem querelas Jes. 50, 2. 65, 12. 66, 4. Jer. 25, 4. Hos. 11, 2. — כֵּן יִקְרְאוּ וְלֹא אֶשְׁמָע *Sic* vicissim postea *clamabant* in malis suis, *nec audiebam*, invicem hoc ipsis faciens. Cf. Jes. 1, 15. 63, 15. Jer. 11, 11. Ezech. 8, 18. Mich. 3, 4. Ceterum Futura haec in historica narratione, ut alias saepe, per Praeteritum imperfectum sunt exponenda, quod apparet ex fine Versus 14., ubi recurrit Praeteritum וַיָּשִׂימוּ *posuerunt*. Nisi forsan ita placeat sumere: *sic vocabunt*, *nec ego audiam*, *dixit* eis *Jova* illis temporibus.

14. וְאַסָּעֲרֵם *Sed exturbabam eos* e terra sua. Verbum hoc, a סָעַר, *turbine*, deductum, significat, *aliquid disjicere turbinis in morem*, i. e. repente ac de improviso. Nam turbo celerrime fertur, paleamque et res hujusmodi secum aufert, ac per aera huc illuc disjicit. Ita Job. 27, 21. *Aufert eum Eurus et perit*, וִישַׂעֲרֵהוּ מִמְּקֹמוֹ *abripit eum turbinis instar e loco suo*. Cf. Amos 1, 14. Nostrum אֵסָעֲרֵם ἀνομαλῶς positum est pro אֲסָעֲרֵם, quomodo Futurum Piel ad consuetam normam scribendum erat. Sed quod hic legitur ad morem Syrorum scriptum est, qui loco Schevatis mobilis tribuunt *Zere* literae Aleph, quoties ea est vel character Futuri, vel prima radicalis in verbis. Tale est אֵתָיוּ *venite* pro אֶתָיוּ Jes. 21, 12. 14., הֵתָיוּ pro הֶתָיוּ *venite* Jer. 12, 9.; אֵרוֹמָם pro אֱרוֹמָם *extollam eos* Jes. 33, 10.; אֵפוּ pro אֱפוּ *coquite* Exod. 16, 23. — עַל כָּל־הַגּוֹיִם אֲשֶׁר לֹא־יְדָעוּם *Ad omnes gentes*, *quas non noverunt*, qua loquendi formula Hebraei gentes bar-

baras generatim indicare solent. Sic Deut. 28, 33. minatur Deus Hebraeis sua praecepta transgressuris: *fructus terrae tuae et omnes labores tuos comedet populus, quem non noris*, i. e. barbarus. Et Jer. 16, 13. *Projiciam vos ex hac terra in terram, quam nec vos nec patres vestri noverunt*, in terram exteram. וְהָאָרֶץ נְשַׁמָּה אַחֲרֵיהֶם *Et terra desolata fuit post illos*, post deportationem eorum. מֵעֹבֵר וּמָשֹׁב *A transeunte aut redeunte*, ut nemo per eam transiret aut rediret; descriptio extremae vastitatis, qualis et Jes. 33, 8. Jer. 9, 9. 12. Ezech. 33, 28. 35, 7. — וַיָּשִׂימוּ *Et posuerunt*, reddiderunt, vel Judaei peccatis suis poenas illas in se attrahentes, vel hostes. Aut potest impersonaliter sumi: *redacta est terra in solitudinem.* אֶרֶץ־חֶמְדָּה *Terra desiderii*, i. e. desiderabilis, exoptata, pulcherrima. Sic loquendo significant Judaeam, quae Dan. 11, 16. אֶרֶץ הַצְּבִי *terra elegans* vocatur, et Tob. 14, 4. ἡ ἀγαθὴ γῆ. Cf. Jer. 3, 19. Ps. 106, 24. Mal. 3, 12.

CAP. VIII.

Argumentum.

Continuatur hoc Capite sermo Jovae superiori coeptus, cujus occasio fucrat quaestio Judaeorum de jejuniis, 7, 8. coll. Vs. 19. hujus Cap. Quum autem illis Judaeorum jejuniis se delectatum fuisse negasset, et verae contra pietatis fructus jam olim a majoribus ipsorum requisitos, horum verum neglectum tum ipsorum malorum, quae perpessi essent, tum planctus jejuniique, quod ea propter instituissent, causam exstitisse docuisset; nunc hoc Capite pergit ad eandem illam quaestionem magis directe respondere, simulque exponit, se decrevisse, Hierosolymitanis ultra quam mente possent concipere benefaccre, ita ut jejunia in dies festos et laetos ipsis sint commutanda, modo sinceram colerent pietatem, ad quam eos serio hortatur.

2. Formula כֹּה אָמַר יְהוָה צְבָאוֹת, decies hoc Capite repetita, innuere videtur, certo eventura esse, quae hic promittuntur, etsi fidem omnem magnitudine sua excederent. Licet, inquit Jova, ob majorum vestrorum contumaciam justas meritasque poenas eis inflixerim, tamen, quae bonitas mea est, קִנֵּאתִי לְצִיּוֹן קִנְאָה גְדוֹלָה *zelavi* nunc rursus *pro Zione zelo magno*, de qua loquutione vid. not. ad 1, 14. — וַחֲמָה גְדוֹלָה קִנֵּאתִי לָהּ *Et excandescentia magna zelatus sum pro ea*, pro Zione excandui adversus ejus oppressores.

3. שַׁבְתִּי אֶל־צִיּוֹן *Revertar ad Zionem*, redibo cum Zione in gratiam, clementerque ac misericorditer eam habebo. Supra 1, 16. *Revertar ad Hierosolymam cum miserationibus.* וְשָׁכַנְתִּי

בְּתוֹךְ יְרוּשָׁלָם *Et habitabo in medio Hierosolymae*, ut supra 2, 14. dixerat. וְנִקְרָאָה *Et vocabitur*, i. e. erit, ut Jes. 1, 26. 61, 6. Jer. 3, 17. עִיר הָאֱמֶת *Urbs veritatis*, in qua vigebit veritas, exsulabit autem mendacium et omnis fraus. Sic ait Zephanias 3, 13. *Reliquiae Israelis non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, nec invenietur in ore ipsorum lingua dolosa.* Cf. infra Vs. 16. Jes. 1, 21. E contrario legitur Nah. 3, 1. *Heu! civitas sanguinaria, tota mendacium est.* וְהַר־יְהוָה צְבָאוֹת הַר הַקֹּדֶשׁ *Et mons Jovae*, i. e. in quo templum Jovae sacrum, erit *mons sanctitatis*, sacer, extranei eum non amplius violabunt ut Joel 4, 17. *eritque Jerusalem sanctitas, et extranei non transibunt per eam amplius.*

4. עֹד *Adhuc*, et hoc tempore, et post. יֵשְׁבוּ *Sedebunt*, scil. secure, ut Mich. 4, 4. *sedebunt quisque sub vite sua, subque ficu sua, nemine exterrente.* וְאִישׁ מִשְׁעַנְתּוֹ בְיָדוֹ *Et virum*, i. e. unumquemque quod attinet, *scipio suus* erit *in manu sua*, quisque suum habebit scipionem in manu. Eadem loquendi formula Ezech. 8, 11. וְאִישׁ מִקְטַרְתּוֹ בְיָדוֹ *quisque thuribulum suum in manu habebat.* Vid. et ibid. 9, 1. 2. — מֵרֹב יָמִים *Ob multitudinem dierum*, i. e. ob senium ingens, ut Job. 32, 7. *multitudo annorum* longaevitatem denotat. Chaldaeus: *et opera cujusque recta eum protegent a multitudine dierum*, i. e. a molestiis senii. Male. Duo enim hoc et proximo Versu promittuntur civibus Hierosolymae, longaevitas et sobolis multitudo. Utrumque erat inter promissiones, quae pietati ceu praemia propositae essent in lege, vid. Deut. 4, 40. 5, 16. 30. 11, 9. 22, 7. 33, 47. Longaevitas inter aureae aetatis bona memoratur et a Jesuja 65, 20. *Non erit illinc* (Hierosolymis) *amplius aetate infans, aut senex, qui non suam compleat aetatem. Nam qui centum annos natus morietur, puer erit, et qui sons centum natus annos, adficietur supplicio.*

5. מְשַׂחֲקִים *Ludentes* Chaldaeus vertit *laudantes* scil. Deum, adhibitis instrumentis musicis, quorum tractationem hoc verbum notat 2 Sam. 6, 5. Jer. 30, 19. al. De laude Dei dicitur שָׂחוֹק et Ps. 126, 1. Sed recte HIERONYMUS: „Plateae quoque civitatis impleantur pueris puellisque ludentibus. Hoc autem fieri solet, quando securitas et profunda pax urbium est, ut gaudium civitatum lusibus et choreis actas lasciva concelebret.“

6. כִּי יִפָּלֵא בְּעֵינֵי שְׁאֵרִית הָעָם הַזֶּה *Si mirabile fuerit in oculis reliquiae populi hujus*, i. e. si vos, qui reliqui estis e Babylonico exsilio, putastis hoc quod dico fieri difficulter aut omnino non posse, erratis graviter. בַּיָּמִים הָהֵם *In diebus istis*, cum illa facturus sum; non enim dicit בַּיָּמִים הָאֵלֶּה *diebus his*, ut Vs. 9., sed *istis*, tanquam remotis, ut infra Vs. 23. גַּם pro הֲגַם *etiamne?* ut 1 Sam. 22, 7. HIERONYMUS: Si vobis, qui estis reliquiae captivi populi, vel difficile, vel impossibile videtur esse

quod spondeo, ut in diebus illis, quibus aedificanda est Jerusalem, tanta felicitas sit; numquid in conspectu Domini aut difficile erit, aut impossibile, qui haec futura meo ore promittit?

7. Ex omnibus partibus orbis, ubicunque aut exsulant, aut captivi detinentur Judaei, eos se servaturum esse et in patriam reducturum, promittit Jova. הִנְנִי מוֹשִׁיעַ אֶת־עַמִּי *En ego salvaturus sum populum meum*, educendo eum e terris hostium, per quas dispersus erat. מִזְרָח *Oriens* et מְבוֹא הַשֶּׁמֶשׁ *occasus solis*, ceu partes oppositae, per synecdochen pro toto orbe ac singulis mundi plagis veniunt, ut Ps. 50, 1. 123, 3., quemadmodum supra 6, 6. de *septentrione* et *meridie* observatum. Eadem promissio Jes. 43, 5. *Ne timeas, nam ego sum tecum; ex Oriente educam stirpem tuam, et ex Occidente tuos colligam.*

8. וְהֵבֵאתִי אוֹתָם *Et ducam eos* scil. Hierosolymam, quod ex verbis proximis, וְשָׁכְנוּ בְּתוֹךְ יְרוּשָׁלָ‍ִם *habitabunt Hierosolymis*, supplendum. Concinit Jes. 56, 7. *ducam eos ad montem meum sanctum.* וְהָיוּ־לִי לְעָם וַאֲנִי אֶהְיֶה לָהֶם לֵאלֹהִים *Erunt mihi in populum, et ego ero illis in Deum;* illi mihi, ego illis promissa praestabimus. Idem Jerem. 30, 22. Ezech. 37, 27. legitur. Verba hujus Versus postrema, בֶּאֱמֶת וּבְצֶדֶק *in veritate et rectitudine*, ad ambo membra, quae praecedunt, aequaliter pertinent, videlicet ad remotius, *erunt mihi in populum*, aeque ac ad propinquius, *ero ipsis in Deum.* Ceterum loquutione illa candor, sinceritas ac integritas mentis significatur; vid. 1 Reg. 3, 6. 2 Reg. 20, 3. Dicit igitur: quemadmodum ego ex parte mei Deus illorum sincere et ex animo futurus sum; sic et ipsi pariter erga me adfecti, pariterque populus meus, non specie aut titulo tenus, sicuti antehac saepe, sed revera, fideliter, et sine fuco erunt. Ego illos non frustrabor, nec illi me.

9. תֶּחֱזַקְנָה יְדֵיכֶם *Fortes sint* s. *roborentur manus vestrae.* Manuum brachiorumque robur metonymice animum erectum, promtum et alacrem denotat, ignavo et timido oppositum (cf. Jes. 35, 3. *roborate manus remissas*), nec non studium intensius, languori oppositum, quemadmodum *manuum remissio* pavorem (Jer. 6, 24. 38, 4.), et operis ex pavore intermissionem denotat, ut 2 Paral. 15, 7. *vos vero confortamini, nec remissae sint manus vestrae.* Hoc igitur dicit Jova: pergite vos modo, uti coepistis, alacriter et strenue, perficite structuram templi, facite quae vobis imperavi, atque sic optima quaeque de me ac meo in vos adfectu sperate; cf. Hagg. 2, 4. Ceterum exhortationem hanc arctissime cohaererc cum iis quae sequuntur, est manifestum, et indicatur per causalem particulam כִּי, initio Versus 10. Eadem tamen ad praecedentia quoque respicit, quasi dicat: quum igitur tam praeclaras in futurum habeatis promissiones (quales Vs. 3—8. praecesserant) vestrum utique erit animo esse bono, atque in coeptis

impigre pergere. הַשֹּׁמְעִים בַּיָּמִים הָאֵלֶּה אֵת הַדְּבָרִים הָאֵלֶּה *Vos qui auditis in diebus hisce sermones hosce*, bonos et consolationum plenos. מִפִּי הַנְּבִיאִים *Ex ore prophetarum*, Haggaei et Zachariae, cf. Esr. 5, 1. 2. — אֲשֶׁר בְּיוֹם יֻסַּד בֵּית־יְהוָה *Qui* fuerunt *die*, tempore, quo *fundata*, strui coepta *est domus Jovae*; vid. supra 4, 9. Hagg. 2, 18. Esr. 3, 6. 10.

10. Nexus cum Versu superiori ita est concipiendus: dixi, promissiones istas, quas ex meo et Haggaei ore audivistis, et illas inprimis, quae Versibus 3—8. leguntur, incitamento vobis esse debere, ut perficiatis, quae restant, acriter et strenue, Vs. 9. Id vero observandum vobis est eo magis, quo damnosior vestra vobis antehac fuit segnities, et quo luculentiorem, postquam instaurare templum serio aggressi estis, benignitatem Dei estis experti. כִּי לִפְנֵי הַיָּמִים הָהֵם *Quoniam ante dies istos*, quibus templum a vobis aedificari coeptum est, Vs. 9. שְׂכַר הָאָדָם *Merces hominis* dicitur lucrum vel utilitas ex labore hominis redundans, quemadmodum mox שְׂכַר הַבְּהֵמָה *merces jumenti* simili significatu venit. Ita 2 Paral. 15, 7. שְׂכַר לְפָעֳלָתְכֶם est *merces laboris*. Sensus igitur est: quicquid vel manibus vel jumentis vestris laboravistis, incassum fuit, et fructum vobis aut nullum attulit, aut certe instabilem, ob vestram negligentiam et socordiam; cf. Hagg. 1, 6. 9. sqq. 2, 19. sqq. — לֹא נִהְיָה Vobis a me *non facta est*, LXX addunt εἰς ὄνησιν, *in emolumentum*. וְלַיּוֹצֵא וְלַבָּא אֵין־ שָׁלוֹם מִן־הַצָּר *Et exeunti atque intranti nulla pax erat ab hoste*; cum quis urbe aliqua vel exire, vel intrare in aliam vellet, hostibus undique ac latronibus infesta itinera erant, ut nusquam tuto commeare possetis. Alii לַיּוֹצֵא וְלַבָּא interpretantur: obeunti vel munia publica, vel negotia privata, quomodo *exire et intrare* alias haud raro sumitur, vid. e. c. Num. 27, 17. Deut. 28, 6. 19. 1 Sam. 18, 16. Ita sensus erit: nullam pacem habebatis propter hostes vicinos, qui res vestras turbabant, et omnes actiones vestras impediebant. מִן־הַצָּר Chaldaeus recte vertit: *a tribulatore*; de *adversario* צַר dicitur et Num. 10, 9. Thren. 4, 12. Esth. 7, 4. Tales tunc experiebantur Judaei Samaritas, Esr. 4, 1., et postea, Nehemiae tempore, Arabes, Ammonitas, Aschdodaeos, vid. Neh. 4, 1. — וַאֲשַׁלַּח אֶת־כָּל־הָאָדָם אִישׁ בְּרֵעֵהוּ *Imo immisi*, i. e., ut Chaldaeus vertit, *concitavi*, vel, *pugnare feci*, *omnem hominem quemque in proximum suum*, committebam alium in alios, ut invicem nocerent ac malefacerent, cf. eandem loquendi formulam infra 11, 6., cf. Jes. 3, 5. Jud. 7, 21. Intestinis sese conficiebant discordiis. Nimirum praecedens comma de hostibus extraneis, hoc de civilibus bellis loquitur.

11. וְעַתָּה *Jam vero*, scil. ab eo die, quo templum aedificari a vobis coeptum est, et porro, coll. Vs. 9. et Hagg 2, 18. 19. לֹא כַיָּמִים הָרִאשֹׁנִים אֲנִי *Non juxta dies priores ego* sum, vel ero; ut fui diebus prioribus, cum fundamenta templi nondum jacta

essent, et vos penuria rerum omnium laboraretis. Tum saeviebam in vos, nunc mitis et clemens ero.

12. כִּי *Nam*, ut declarem, qualis in posterum erga eos futurus, et quid beneficiorum eis daturus sim. Verba זֶרַע הַשָּׁלוֹם Hieronymus vertit: *semen pacis erit*, scil. populus, quasi sensus sit: erunt semen, quod pace fruetur. Quia vero quae proxime sequuntur ad fertilitatem terrae significandam pertinent; et haec verba de sementi agrorum vel segete capienda sunt; ut significetur, et serendum esse in pace, et tantam fore seminis copiam, quanta solet esse pacis tempore. Ita Syrus: *propterea quod sementis erit in pace.* Et Chaldaeus: *nam tempore isto sementis erit salva.* Nihil damni patietur ariditate, rubigine, locustis, aliisque casibus segeti noxiis. Quod opponitur arvorum sterilitati et plagis, quibus olim Judaeorum in restituendo templo desidia plectebatur. Cf. Vs. 10. et Hagg. 1, 6. 9. 10. 2, 16. sqq. הַגֶּפֶן תִּתֵּן פִּרְיָהּ *Vitis dabit fructum suum*, contrarium vid. Hagg. 2, 19. Habac. 3, 17. — וְהָאָרֶץ תִּתֵּן אֶת־יְבוּלָהּ *Et terra dabit proventum suum*, quem eis antehac denegaverat, Hagg. 1, 10. Idem inter bona, quae piis Jovae cultoribus promittuntur Levit. 26, 4. sqq. 20., nec non inter illa, quae futura aurea aetate Judaeos beabunt, Ezech. 34, 27. — וְהַשָּׁמַיִם יִתְּנוּ טַלָּם *Et coeli dabunt rorem suum*, ad humectandam et foecundandam terram; hinc largus ros inter vota pro prosperrimo rerum eventu Gen. 27, 28. Deut. 33, 13. 28. Contrarium ei quod his verbis promittitur, Judaeis contigisse legimus Hagg. 1, 10. — וְהִנְחַלְתִּי וגו׳ *Hereditatem faciam residuum hujus populi*, i. e. impertiam residuo hujus populi *illa omnia*, id est, ut Chaldaeus vertit, *omnia illa beneficia.* Verbum הִנְחִיל pro *possidendum dare*, *impertire*, et 1 Sam. 2, 8. Prov. 8, 21. Eandem hebraicam loquendi formulam imitatur Joannes Apoc. 21, 7. ὁ νικῶν κληρονομήσει ταῦτα.

13. כַּאֲשֶׁר הֱיִיתֶם קְלָלָה בַּגּוֹיִם *Quemadmodum fuistis exsecratio inter gentes*, exsecrationis exemplum et formula, ut dicere solerent homines: tam male vobis sit, quam est Judaeis. Eodem sensu קְלָלָה legitur 2 Reg. 22, 19. Jer. 24, 9. Huc pertinet quod Ps. 44, 15. Judaei queruntur, *se gentium dicteriis et nationum sannis expositos esse.* E contrario quod nostro loco subjicitur, וְהֱיִיתֶם בְּרָכָה significat; ita fortunati eritis, ut futuri sitis exemplum gentis, cui prosperrime omnia cedant, dicantque homines: ita felices sitis quemadmodum Judaei isti reduces Ita capitur בְּרָכָה et Gen. 12, 2. 22, 18. — אַל־תִּירָאוּ *Ne* itaque *timeatis* adversarios, qui vobis hactenus molestiam exhibuerunt, templi et urbis restaurationem impediendo, ego enim has promissiones fideliter vobis praestabo. תֶּחֱזַקְנָה יְדֵיכֶם Vid. supra ad Vs. 9.

14. כַּאֲשֶׁר זָמַמְתִּי לְהָרַע לָכֶם *Quemadmodum cogitaveram*, firmiter mihi proposueram (ut 1, 6.), *malefacere vobis*, vos in

exsilium agere, terram vastare, urbem destruere, templum incendere. לָכֶם *Vobis*, i. e. patribus vestris. Nam illi, quos alloquitur, tunc nondum in rerum natura erant. Est autem genus loquendi simile illi Haggaeano 2, 5. *Verbum quod pepigi vobiscum cum exiretis ex Aegypto.* De majoribus eorum, ad quos loquitur, Nostrum cogitare, ostendit ipse, dum addit: בְּהַקְצִיף אֲבֹתֵיכֶם אֹתִי *cum effervescere me facerent patres vestri;* cum me ad iram provocassent sceleribus et flagitiis suis. Cf. supra 1, 2. Deut. 9, 7. 8. 21. — וְלֹא נִחַמְתִּי Et ita quidem, *ut* decreti mei *me non poenituerit*, nec ad mutandum vel abolendum illud adduci potuerim. *Poenitere* in Deo nihil aliud est, quam sententiam mutare de eo quod facere statuerat. Sic Jer. 4, 28. *decrevi, nec poenituit me, neque revertar ab eo*, quod decrevi. Vid. et 20, 16. Contra Jon. 3, 10. *Poenituit Jovam mali, quod illis facere decreverat, et non fecit.*

15. כֵּן שַׁבְתִּי זָמַמְתִּי *Sic reverti cogitavi*, i. e. contra cogitavi, mutato animo, sicut vos mutati estis. *Reverti* enim alio verbo junctum actionem contrariam subinde notat, vid. supra 1, 6. Mal. 3, 18. — לְהֵיטִיב אֶת־יְרוּשָׁלַיִם וְאֶת־בֵּית יְהוּדָה *Benefacere Hierosolymis et domui Judae.* „Notandum," inquit HIERONYMUS, „quod, quando irascitur, maledictio sit in gentibus *domus Juda* et *domus Israel* [Vs. 13.], id est, omnes duodecim tribus, quae captivitati traditae sunt. Postquam autem cogitavit ut benefaciat, non facit Judae et Israel, id est, duabus et decem tribubus, Jerusalem videlicet et Samariae; sed relicto Israel in captivitate benefacit Jerusalem et domui Judae." Eadem, quae hoc Versu et superiore legitur sententia, expressa est a Jeremia 31, 28. *Quemadmodum eis destruendis, eruendis, evertendis, perdendis, laedendis invigilavero, sic exstruendis et conserendis invigilabo, inquit Jova.*

16. אֵלֶּה הַדְּבָרִים אֲשֶׁר תַּעֲשׂוּ *Haec sunt verba quae facietis*, haec vero sunt, quae, sicut majoribus vestris olim (vid. 7, 9. seqq.), ita nunc vobis quoque facienda inculco. Demonstrativum אֵלֶּה innuit, quae jam proponit vates opponi jejuniis illis a Judaeis suo arbitratu constitutis. דַּבְּרוּ אֱמֶת אִישׁ אֶת־רֵעֵהוּ *Loquimini veritatem vir cum socio suo*, abstinete invicem ab omni dolo malo. *Veritatem* utrumque hujus hemistichii membrum inculcat, diverso tamen modo: prius quidem in genere, quatenus inter privatos etiam, posterius vero speciatim, quatenus in judiciis coli inprimis debet. אֱמֶת וּמִשְׁפַּט שָׁלוֹם *Veritatem* et *judicium pacis;* date operam, non solum ut ex *vero*, i. e. ex ipso jure, judicetis, sed etiam ut discordes concilietis. בְּשַׁעֲרֵיכֶם *In portis*, i. e. judiciis vel foris *vestris.* Nam in portis sedebant seniores urbis: ibique jus dicebant populo. Vid. Deut. 21, 19. 22, 15.

17. וְאִישׁ אֶת־רָעַת רֵעֵהוּ אַל־תַּחְשְׁבוּ בִּלְבַבְכֶם Vid. not. supra ad 7, 10., ubi eadem verba, sed ordine paulum perturbatiore

leguntur. וּשְׁבֻעַת שֶׁקֶר אַל־תֶּאֱהָבוּ *Et jusjurandum falsitatis*, i. e. falsum, perjurium, *non ametis*, sed detestemini potius. Kimchi existimat, verbum אָהַב adhiberi h. l. ut oppositum sit sequenti שָׂנֵאתִי *odi*, quasi dicat: nolite in diversum abire, et contrarias meae fovere voluntates, ita ut, quod ego odi, vos contra ametis. אֶת־כָּל־אֵלֶּה *Ipsa omnia haec* sunt; cf. quae supra ad 7, 7. de particula אֶת observavimus. *Ista omnia* refertur tam ad hunc Versum, quam ad superiorem. אֲשֶׁר שָׂנֵאתִי *Quae odi*, et propterea illa vos quoque odisse debetis.

18. Sequitur nunc specialis ad quaestionem supra 7, 5. propositam responsio. Quia enim nuntii quaesiverant, num etiam adhuc jejunandum, nec tunc illis propheta aperte responderat, sed arrepta inde ansa eorum jejunia reprehenderat; nunc expresse dicit, non solum illa jejunia, quae doloris causa suscepta erant, relinquenda esse, et in praeclara solennia esse convertenda, sed etiam alia similia, de quibus non erat quaesitum, abroganda esse demonstrat.

19. צוֹם הָרְבִיעִי *Jejunium quarti* scil. mensis, in quo Hierosolyma a Chaldaeis primum expugnata, Jer. 52, 6. 7. — וְצוֹם הַחֲמִישִׁי *Et jejunium quinti* mensis, in quo urbs cum templo combusta, vid. supra 7, 3. 5. 2 Reg. 25, 8. — הַשְּׁבִיעִי *Septimi* mensis, de quo 7, 5. — הָעֲשִׂירִי *Decimi* mensis, quo coepta a Babyloniis Hierosolymae obsidio, 2 Reg. 25, 1. Jer. 52, 4. Hos menses igitur Judaei in tristissimorum eventuum memoriam jejuniis hucusque in suis fastis distinxerant. יִהְיֶה לְבֵית יְהוּדָה לְשָׂשׂוֹן וּלְשִׂמְחָה *Erit* unumquodque illorum jejuniorum *domui Judae in gaudium et laetitiam*, i. e. dies gaudii et laetitiae, ut Esth. 8, 17. שִׂמְחָה לַיְהוּדִים *gaudium et laetitia* erat *Judaeis*. Dies, inquit, illi jejuniorum convertentur in dies laetos ac festos; non jejunabunt illis diebus, ut antea, sed hilaria celebrabunt; tanta erit felicitas, quam eis conciliabo. וְלַמּוֹעֲדִים טוֹבִים *Et in solennitates bonas*, i. e. laetas et hilares. Solent enim Hebraei יְמִים טוֹבִים eas dies appellare, quae laetitiae dicantur, vid. 1 Sam. 25, 8. Esth. 8, 17. 9, 19. — וְהָאֱמֶת וְהַשָּׁלוֹם אֱהָבוּ Modo, quod supra Vs. 16. et 7, 9. jam inculcatum, *veritatem et pacem amate;* si publice et privatim dissidia vitaveritis.

20. Ut pluribus illustret, qualem Judaeis laetitiae et gaudii materiam in posterum daturus sit Jova, addit: עֹד אֲשֶׁר־יָבֹאוּ עַמִּים *Adhuc* tempus erit, *quo*, vel, *adhuc* futurum est, *ut veniant populi* ad templum, seu Hierosolymam, ad adorandum Jovam, Vs. 22. Ante אֲשֶׁר subaudiendum verbum substantivum יִהְיֶה, ut Vs. 23. Ita et Ps. 10, 6. לְדֹר וָדֹר אֲשֶׁר לֹא בְרָע *in generationem et generationem* scil. יְהִי, erit, s. durabit, *ut non* sim *in malo*.

21. וְהָלְכוּ יוֹשְׁבֵי אַחַת אֶל־אַחַת *Ibunt* nimirum *incolae unius* urbis (עִיר, quod nomen e Versu 20. subaudiendum) *ad*

incolas *alterius* (ita repetitum אַחַת et Exod. 36, 10. 12. capiendum). Non singuli ac seorsim sed catervatim magno in coetu venient. נֵלְכָה הָלוֹךְ *Eamus eundo*, i. e. omnes una et magno studio. De phrasi לַחֲלוֹת אֶת־פְּנֵי יְהוָה vid. not. ad 7, 2. Verba וּלְבַקֵּשׁ אֶת־יְהוָה Chaldaeus vertit: *et ad quaerendam institutionem a Jova;* quomodo et Onkelos eandem phrasin Exod. 33, 7. exponit. אַלְכָה גַם־אֲנִי *Ibo etiam ego*, scil. *alius alii dicet*, uti Chaldaeus supplet. Eodem modo exteri se invicem excitantes, ut Jovae templum petant, sistuntur Jes. 2, 3. Mich. 4, 2.

22. Quemadmodum in superioribus urbium Judaicarum incolae sese invicem adhortari, ut Hierosolymam pergant, dicuntur, ita nunc idem de gentibus exteris, iisdemque potentibus et numerosis, futurum dicitur.

23. בַּיָּמִים הָהֵמָּה אֲשֶׁר יַחֲזִיקוּ *Illis diebus* scil. fiet *ut apprehendant*, eadem dicendi formula, omisso verbo substantivo, qualem Vs. 20. observavimus. עֲשָׂרָה אֲנָשִׁים *Decem homines*, i. e. complures. Ita *denarius* numerus capitur et Gen. 31, 7. *mutavit mihi mercedem* עֲשֶׂרֶת מֹנִים *decem vicibus*, i. e. saepius. Et Levit. 26, 26. in magna fame futurum dicitur, ut coquant *decem*, i. e. complures mulieres panem suum in clibano uno. Atque Num. 14, 22. *tentarunt me* עֶשֶׂר פְּעָמִים *decem vicibus*, i. e. saepius. מִכֹּל לְשֹׁנוֹת הַגּוֹיִם *Ex omnibus linguis gentium*, i. e. gentibus diversa lingua utentibus. וְהֶחֱזִיקוּ *Apprehendent*, inquam; repetitur ex hemistichio priori, qualis iteratio et supra 6, 10. 11. aderat. בְּכָנָף *Alam*, i. e. oram vestis, partem ejus extremam, ut Hagg. 2, 12. Quemadmodum igitur qui cum alio una ire cupit, nec ab eo se facile abstrahi patitur, ejus pallio aut vesti adhaerere solet; sic quoque e cunctis gentibus homines Judaeis adsociari optabunt; quod verbis נֵלְכָה עִמָּכֶם *ibimus vobiscum* exprimunt. Addunt cur hoc optent: כִּי שָׁמַעְנוּ אֱלֹהִים עִמָּכֶם *nam audivimus Deum esse vobiscum*, intellexim us, quam miris modis Deus vester vos in patriam restituerit, templum vobis reddiderit, hostes vestros aut vobis amicos fecerit, aut represserit; unde credimus, Deum, qui haec et praedixit et fecit verum esse Deum. Idem sensus est et ad eadem tempora pertinet Ps. 126, 1. 2. *Quum revocaret Jova Sionios captivos, tunc dictitabatur inter gentes: Jova his magna praestitit.* Chaldaeus: *audivimus verbum Jovae esse vobis auxilio.*

22 Jan.

MDCCCLI

Quae tractanda nobis restant voluminis hujus oracula ab iis quae praecesserunt argumento, consilio et dicendi genere ita discrepant, ut eundem qui priora illa scripsit auctorem in iis haud recognoscas. Nam quum octo priora libri Capita vel varias, quae vatis phantasiae objectae sunt visiones, statum rerum Judaicarum primis post reditum e terris exteris temporibus spectantes, plana et pedestri oratione describant (Cap. 1 — 6), vel monita et consilia de restituendo templo, et de nonnullis, quae ad sacrum cultum pertinerent, rite observandis, qualia illorum temporum ratio et necessitas postulabat exhibeant (Cap. 7. 8.); inde a Capitis noni initio non tantum horum omnium nihil tibi recurrit, verum et in tempora plane alia, quam quae octo priora Capita arguunt, te subito translatum sentis. Prophetarnm aliquem eorum, qui ante deportatum in Assyriam et Chaldaeam populum vaticinati sunt, audire te credis, cum 9, 7. 10. 13. 10, 6. 7. 11, 14. tam Judaicum, quam decem tribuum, sive Ephraimiticum regnum ita commemorata legis, quasi nondum eversa essent; aut cum 10, 2. 13, 2. 4. dii fictitii atque vani et mendaces prophetae exterminandi dicuntur, quorum neutri inter populum e Babylonico exilio reversum exstiterunt. Assyriacas et Aegyptias vires eo quo haec Capita scripta sunt tempore nondum debilitatas fuisse, inde elucet, quod vates 10, 11. fore denuntiat, ut *Assyriae gloria dejiciatur*, *et Aegypti sceptrum aboleatur*. Ab utrisque Ephraimitico regno tum temporis cladem illatam fuisse inde colligitur, quod 10, 7 — 10. Israelitae in Assyria et Aegypto exsules patriae restituendi promittuntur. Oraculorum, quae reliqua libri pars continet primum (Cap. 9.) Damasco, Chamathae, Tyro, Sidoni, atque Philistaeorum civitatibus excidium minatur. Quid vero causae cogitari potest, cur Zachariae aevo propheta Hebraeus in illas civitates detonaret, quae, aeque ac Hebraei, Persis tum parebant? Nihil amplius Hebraeis a finitimis illis populis tum metuendum erat, nec, ut olim, cum singuli liberi et sui juris essent, nunc sese invicem

bellis infestabant. Quae omnia quum tempora Zachariâ antiquiora prodant, ab eo vate sex quae sequuntur Capita non posse scripta esse patet. Taceo dicendi genus ab eo quod in octo prioribus libri Capitibus regnat, adeo diversum, ut nec ab iis negetur, qui totum librum ab uno eodemque auctore profectum asserunt. Quantum enim a Capitum octo priorum stylo prosaico, languido, humili, discrepat sex reliquorum dicendi genus poeticum, grave, concisum, fervidum! Quae quum ita sint, haud dubitamus, constituisse sex extrema hujus voluminis Capita primitus librum singularem, qui nonnulla antiquioris alicujus prophetae vaticinia contineret. Neque enim duorum aut plurium prophetarum oracula in hoc libro collecta esse, sed omnia quae in eo leguntur ejusdem auctoris esse ut credam, facit styli imaginumque per totum librum aequalitas. Mirifice enim sibi placet hic vates in imaginibus e vita pastoritia desumtis, vid. 9, 16. 10, 2. 3. 11, 3. 4. 5. 7. 8. 9. 11. 15. 17. 13, 7. 8. Qua Noster vixerit aetate accurate quidem vix definiri poterit; inde tamen quod quo tempore ille scripsit Assyrii potissimum et Aegyptii Hebraeos affligebant (10, 10. 11.) colligitur, Chaldaeos Asia occidentali tunc nondum potitos esse. Quod vero praeter illos iidem, qui ab Amoso (1, 7 — 10.) et Joele (4. 4. al. 3, 9.) populi Hebraeis infesti et a Nostro 9, 2 — 7. commemorantur, suadet cum utrique illi prophetae aequalem fuisse. Jam quum illi Usiae, regis Judae, tempore vixerint (vid. Prooem. in Joelem, p. 173.), eidem aevo si et nostrum vatem assignemus, a vero haud longe aberraverimus. Accedit, quod illius terrae motus, qui Usia regnante accidit (Amos 1, 1.), et Noster 14, 5. ita mentionem facit, ut suos contemporaneos ejus calamitatis testes fuisse verisimile sit. Quid autem eos, qui prophetarum, quos minores vocant, syntagma collegerunt, moverit, ut Zachariae libro antiquioris prophetae vaticinia adjecerint, probabili conjectura vix quisquam assequatur.

Ceterum *quatuor* hujus opusculi sunt partes, quarum *prima* Capita 9. 10., *secunda* Cap. 11., *tertia* Capita 12. 13., *quarta* Cap. 14. continet.

I.

CAP. IX. X.

Argumentum.

Primi octo Versus minantur gentibus vicinis Syriacis atque Palaestinensibus, quae semper populo Hebraeo infestae fuerunt, excidium, hinc inde a Versu nono populus Judaicus excitatur ad gaudium ob adventum magni illius regis, qui populum suum non solum ab hostium impetu tutum sit praestiturus, verum etiam ad summum gloriae et potentiae fastigium sit evecturus, et hostibus suis terrori facturus. Cap. 10. pergit in describenda felicitate, dignitate et gloria, qua Messiano aevo populus Hebraicus gaudebit.

1. מַשָּׂא דְּבַר־יְהוָה *Pronuntiatio verbi Jovae*, sive, *verbum a Jova pronuntiatum*. De מַשָּׂא, in vaticiniorum titulis non *onus*, sed *effatum* significante, a נָשָׂא *pronuntiavit*, *protulit*, saepius jam monitum est. Quum autem haec verba מַשָּׂא דְּבַר־יְהוָה alias inscriptioni tantum ac titulo inserviant, hoc loco de ipsa vaticinii substantia sunt, ac enuntiationem propheticam constituunt, hoc modo: *pronuntiatio verbi Jovae* est *in* vel *contra terram Chadrach* (sic Jes. 21, 13. מַשָּׂא בָּעֲרָב *effatum in* s. *contra Arabiam*). Sequitur enim altero Versus hemistichio propositio causalis: *quia Jovae est oculus* etc., quae vix quadraret, si merus praecessisset titulus. Quod attinet חַדְרָךְ, non est cur non fidem adhibeamus veteri illi Hebraeorum magistro, R. Jose, qui ipse Damasci natus, asseruit, referente Jarchio et Kimchio, *Chadrach* nomen esse loci prope Damascum (quae ipsa hoc loco nomini חַדְרָךְ juncta est). Quod confirmatur testimonio nobilis cujusdam Arabis Transjordanensis, Josephi Abassi, qui quum anno 1768. Gottingam adiisset, interrogatus a J. D. Michaelis, nossetne urbem aliquam حدرك (sic enim literis Arabicis scribebat nomen, nec ore proferebat, ne forte in appellatione vocalium errans obscurius redderet), respondit, esse ejus nominis urbem, deque ea se audivisse, sed nunquam ibi fuisse; parvam nunc esse, sed majorem olim fuisse Damasco referri; ferri, metropolin fuisse magnae regionis, quae terra *Hadrach* vocetur. Nobiles ex hac terra Hadrach familias ortas dici, multaque de ejus regibus et principibus narrare Arabes; referri etiam, quud olim Gigantes habuerit. Quod situm regionis attinet, id tantum se meminit audire, a Damasco desertum versus, i. e. ad orientem sitam fuisse. Vid. Michaelis *Supplemm.* p. 677.

seqq. Ceterum in sensu hujus membri proximeque sequentis finiendo non consentiunt interpretes. Jarchi et Kimchi in bonam partem explicant: *prophetia Domini* erit olim *in terra Chadrach*, sicut in terra Israelis, fiet enim pars terrae Israeliticae *et Damascus* erit *requies ejus* scil. Jovae, erit habitatio gloriae ejus. Sequuntur illi interpretes Chaldaeum, qui verba וְדַמֶּשֶׂק מְנֻחָתוֹ sic exposuit: *et Damascus convertetur ut sit de terra domus majestatis ejus*, i. e. ut sit pars terrae sanctae, in qua templum, sedes majestatis Jovanae. Verum Damasco ceterisque, qui hoc et proximo Versu memorantur, regionibus bonum quid promitti, vetat totius orationis tenor. Etenim clausula Versus secundi (qui cum hoc primo per conjunctionem וְגַם arctissime cohaeret) docet, tale quid gentibus duobus hisce Versibus commemoratis hunc Versum portendere, quo illarum superbia sit deprimenda; quid vero illud sit, exponitur Vs. 4. Quae quum ita sint, dubitari vix potest, primum hoc hemistichium in malam partem capiendum esse, et quidem praegnanter atque cum emphasi, ut significetur, effatum Jovanum terrae Chadrach incubiturum ut gravis et onerosa moles, quae non possit inde dispelli, quum non verba sint inania, sed quae ipsum illud, quod dicunt indissolubili secum ferant nexu. Quomodo Jes. 9, 7. 8. dicitur: דָּבָר־שָׁלַח אֲדֹנָי בְּיַעֲקֹב *verbum misit Dominus* ut sit *in Jacobo*, וְנָפַל בְּיִשְׂרָאֵל *et cadit in Israele* scil. ut gravia solent, non sine damnoso effectu, *sentietque populus universus*, i. e. experientur, non vanum fuisse illud verbum. וְדַמֶּשֶׂק מְנֻחָתוֹ Inprimis vero *Damascus*, ceu caput illius regionis, erit *locus quietis ipsius* scil. verbi Jovani; Damasco tanquam grave onus incumbet. Verba quae sequuntur, כִּי לַיהוָה עֵין אָדָם, illi interpretes, qui prius hemistichium in bonam partem accipiunt, sic exponunt: *nam ad Jehovam* spectans erit *oculus hominis*, i. e. ad Jovam, tanquam Deum suum, hominum oculi se convertent. Verum quum hic Versus et qui proxime sequuntur nequaquam promissionem, uti ostendimus, contineant, sed comminationem, haec verba ita sunt vertenda: *nam Jovae est oculus hominis*, i. e. Jova oculum habet in homines defixum, ut infra Vs. 8. ipse dicit: *nunc enim intueor oculis meis.* Dativus לַיהוָה igitur subjecti, quod dicunt, locum occupat, *oculus* vero *hominis omniumque tribuum Israelis* ab objecto dicitur, quia homines in genere et Israeliticas tribus in specie videt et inspicit. Ludov. de Dieu: „*Nam Jovae* est *inspectio hominis et omnium tribuum Israelis. Oculus* pro *inspectione* metonymia est in omnibus linguis usitatissima.“ Jova tam bene perlustrat homines reliquos, quam populum suum Israelem, et quemadmodum in suum populum animadvertit, ita et in reliquos populos. Ita et veteres. LXX: *διότι Κύριος ἐφορᾷ ἀνθρώπους.* Chaldaeus: *nam coram Jova manifesta sunt opera hominum.* Syrus: *quia Domino manifesti sunt homines.* Eadem sententia Jer. 32, 19., ubi *Jova oculos apertos habere* dicitur *super omnes hominum vias.* Et poeta

Ps. 66, 7. *Deum oculis gentes ita speculari* dicit, *ut contumaces sese efferre non possint.* Zacharias supra 4, 10. *Jovae oculos per totam terram discursantes* dicit. Idem hoc loco vates innuere videtur: nam verba לַיהוָה עֵין אָדָם per causalem particulam כִּי cum iis, quae praecedunt, hoc sensu videntur cohaerere: non est, quod Syri ceteraeque gentes, quae infesto erga populum Hebraeum sunt animo, latere se putent, et impunitatem sibi a Deo promittant; quomodo enim impunitos dimitteret, quos oculo perlustrat suo, et quorum videt facinora? aut quomodo injurias populo suo illatas non vindicaret, qui eundem inspicit et curat? Hoc enim sibi volunt postrema hujus Versus verba, וְכֹל שִׁבְטֵי יִשְׂרָאֵל, *atque* oculum habet Jova inprimis *omnium tribuum Israelis*, quas ita inspicit, ut non patiatur ab ullo temere laedi. Chaldaeus: *delectatur omnibus tribubus Israelis.* Sic Deut. 11, 12. Deus studere dicitur terrae Israeliticae *in eamque oculos semper intentos habere.* Eadem phrasi provida Dei cura de hominum salute exprimitur Ps. 33, 18. Esr. 5, 5.

2. חֲמָת „*Hemath*," scribit Hieronymus, „quae interpretatur χόλος, id est, *indignatio*, ipsa est, quae ab Antiocho Epiphane *Epiphaniae* nomen accepit, et nunc Syriae coele est civitas." Plura de חֲמָת vid. in not. ad Amos 6, 2. In verbis וְגַם־חֲמָת תִּגְבָל־בָּהּ explicandis dissentiunt inter se interpretes. KIMCHI, quem plures e Christianis sequuntur, illa hoc sensu capit: *Hamatha etiam terminos habebit in ea*, scil. בִּמְנֻחָתוֹ *in loco quo requies erit verbi Jovani*, i. e. in terra sancta, in qua Jovani cultus sedes; partem terrae Judaicae olim faciet. Ita et Chaldaeus haec verba videtur accepisse, qui ea sic exponit: *etiam Chamatha convertetur ut sit e terra*, i. e. pars terrae *domus majestatis ejus.* Verum exteris gentibus hos Versus nihil boni portendere, vidimus ad Versum superiorem. Recte vero, adscita ellipsi pronominis relativi אֲשֶׁר, qua nil frequentius in codice Hebraeo (vid. e. c. Jer. 2, 8. Ps. 9, 7. 16, 3. 51, 10.), hoc modo verti videtur: *sed et Hamatha* scil. erit מְנֻחָתוֹ, requies illius sententiae divinae, quae *terminum habet in ea*, Damasco (Vs. 1.), i. e. quae Damasco terminatur, seu, ei est contermina. צֹר וְצִידוֹן Itemque *Tyrus et Sidon*, s. una cum Sidone erit requies effati divini. Quae illud Damasco, Hamathae, Tyro et Sidoni eventura praedixit, ea his regionibus certissime evenient. כִּי חָכְמָה מְאֹד *Quamvis sapiens sit valde*, quamvis pulchre sibi sapere videatur. Sapientia sua, qua tantopere gloriatur, mala divinitus ei destinata averruncare non poterit. Hoc peculiariter ad Tyrum restringendum, de cujus sapientiae jactatione vid. Ezech. 28, 3. sqq. כִּי hic est *quamvis*, ut Dan. 9, 9, *Deo nostro sunt miserationes et condonationes*, כִּי מָרַדְנוּ בוֹ *quamvis rebellavimus adversus eum.* Alii pro particula causali capiunt, hoc sensu: *quia sapiens est valde* scil. opinione sua, quia de sua sapientia jactat, id quod moveat Deum, ut eam confundat.

3. Quibus in rebus tanquam valde sapiens sit visa, potissimum sese jactet Tyrus, hoc Versu exponitur; videlicet tam in munimentis exstruendis, quam in divitiis coacervandis. וַתִּבֶן צֹור מָצוֹר לָהּ *Aedificat enim Tyrus munitionem sibi.* Multis nimirum magnisque casibus sub Babylonico imperio defuncta, post hujus vero excidium renata ac reflorescens in reparandis nunc munimentis suis occupata est. לָהּ *Sibi* non sine emphasi hic ponitur, quasi dicat vates: ac struendis quidem his munimentis ipsa *sibi*, ut valde sapiens, placet egregie, videturque sibi tam bene prospicere, ut quod metuat vix habitura sit. Cf. not. ad Ezech. 27, 3. 4. וַתִּצְבֹּר־כֶּסֶף כֶּעָפָר *Et coacervat* commerciis, quae per mare quaquaversum tractat, *argentum ut pulverem.* Quae ipsa hyperbole ad exprimendam magnam argenti copiam legitur quoque Job. 27, 16. Similiter 2 Chron. 9, 27. *fecit rex, ut argentum Hierosolymis* tam copiosum esset *sicut lapides.*

4. Jam ostendit, quam parum profutura sit Tyro sapientia sua. Spoliabit eam Deus omni decore et claritate, qua antecedebat ceteras Syriae urbes. יוֹרִשֶׁנָּה *Expellet eam*, cives ejus in exilium ejiciet. Ita Chaldaeus: *ejiciens* erit *eam.* Syrus: *perdet eam.* Verbum hoc, quod alias *possessionem* alicui *concedere* denotat, veluti 2 Paral. 20, 11. Esr. 9, 12. Jud. 11, 24., hic significationem obtinet privativam, *possessione aliquem expellere*, quasi: *facere, ut* alius *possideret*, hinc simpliciter *expellere.* De expellendis gentibus Cananaeis dicitur Exod. 34, 24. Num. 32, 21. 33, 52. Deut. 4, 38. 11, 23. Potest tamen יוֹרִשֶׁנָּה hic non incommode verti: *depauperabit eam*, ut 1 Sam. 2, 7. יְהוָה מוֹרִישׁ וּמַעֲשִׁיר *Jova pauperem facit et divitem reddit.* Forma Niphal verbi יָרַשׁ (ut cognatum רוּשׁ Ps. 34, 11. saepius significat *pauperem fieri*, v. c. Gen. 45, 11. Prov. 20, 13. 23, 21. 30, 9. Ita hoc comma oppositum erit Tyriorum gloriationi de suis divitiis (Vs. 3.), quemadmodum posterius gloriationi in munitionibus. וְהִכָּה בַיָּם חֵילָהּ *Et percutiet in mare*, i. e. ita eam percutiet, ut in mare cadat *robur ejus*, quo non solum valla, muros, propugnacula, verum et divitias, et quicquid illa habet roboris videtur significare. Hieronymus: *percutiet in mari fortitudinem ejus*, quod ita capi potest: percutiet eam, licet fortissima, et in ipso mari sita sit. Cf. Ezech. 28, 32. et ad eum loc. not. וְהִיא בָּאֵשׁ תֵּאָכֵל *Et ipsa* urbs Tyrus *igne consumetur*, quod ipsum Tyro et Amos minatur 1, 10., qui locus et docet, cur et Noster Tyriis interitum denuntiet, quod videlicet illi Judaeos bellis captos exteris populis servos vendere solerent; vid. et Joel 4, 6. 7.

5. תֵּרֶא *Videbit*, i. e. rumore, nuntio intelliget, ut Gen. 42, 1. *vidit*, i. e. intellexit, audivit *Jacobus, alimentum esse in Aegypto.* אַשְׁקְלוֹן Philistaeorum satrapia, uti et quae proxime nominantur, Gaza, Ecron, Aschdod; vid. Jos. 13, 3. 1 Sam. 6, 17.

A Tyriis et Sidoniis nunc transit ad vicinos et foederatos Philistaeos, quibus, ut populo Hebraico semper infestis, et Jesajas, 14, 29. sqq., Jeremias 47, 1. sqq., Ezech. 25, 15. sqq., Amos 1, 6. sqq., et Zephanja 2, 4. sqq. exitium minantur. וְתִירָא *Et timebit*, post Tyrum ab hostibus excisam eadem fata sibi ominans. Observa paronomasiam תֵּרָא inter et תִּירָא. — וְעַזָּה וְתָחִיל מְאֹד *Et Gaza* scil. videbit, *et tremet vehementer*, veluti parturientis tormina expertura, de quibus nomen חִיל Mich. 4, 9. וְעֶקְרוֹן *Et Ecron* scil. videbit, timebit, tremet; haec enim ex antecedentibus sunt repetenda. Quae sequuntur, כִּי הוֹבִישׁ מִבַּטָּהּ, verbo הוֹבִישׁ transitive accepto, nonnulli vertunt: *quoniam pudefecerit* ipsam, ac turpiter deceptam rubore suffundat, *exspectatio*, s. *spes sua*. Ita 2 Sam. 19, 6. כִּי הוֹבַשְׁתָּ *nam pudefecisti facies omnium servorum tuorum*. Quum tamen hic non הוֹבִישָׁהּ scriptum sit, atque forma Hiphil hujus verbi alias intransitive usurpetur, veluti infra 10, 5. Joel 1, 10. 11. Jes. 30, 5. Jer. 2, 26. al.; praestat cum Hieronymo vertere: *quoniam confusa est spes ejus*. מִבַּטָּהּ *Locum respectus ejus* vocat Tyrum, quia ad eam Ecron cum ceteris Philistaeorum urbibus respiciebat, foederi ac societati urbis tam opulentae ac potentis confidens, et belli ac obsidionis eventum sollicite exspectans. וְאָבַד מֶלֶךְ מֵעַזָּה *Et peribit rex e Gaza*, i. e. nullus in ea posthac rex futurus est, quippe desolanda et exscindenda. וְאַשְׁקְלוֹן לֹא תֵשֵׁב *Et Ascalon non erit habitata*, inculta et vasta jacebit. De יָשַׁב *habitavit*, intransive usurpato pro: *habitari*, vid. not. supra 7, 7. et Jes. 13, 20.

6. Nomen significationis non satis certae מַמְזֵר si cum interpretum haud paucis pro *spurio* sumas, i. e. incerto patre nato (cf. not. ad Deut. 23, 3.), verborum וְיָשַׁב מַמְזֵר בְּאַשְׁדּוֹד sensus hic erit: Aschdodi non legitimi heredes occupabunt aedes, hortos atque agros patrios, sed infames extranei, ita ut ii,

Quorum nemo queat patriam monstrare parentis
Dicant, haec mea sunt, veteres migrate coloni,

nti est in Virgilii *Ecl.* 9, 4. Nos adstipulamur Kimchio, מַמְזֵר a זוּר *alienare, abalienare se* deducenti (unde זָר *alienus, peregrinus*), et utrumque מ, formativum facienti, ut in מַמְגֻּרוֹת (Joel 1, 16.) a גּוּר. Ita מַמְזֵר erit *alienus, peregrinus* (cf. not. ad Deut. 23, 3.). Ita LXX ἀλλογενεῖς, et Chaldaeus, qui quales peregrini Aschdodum sint occupaturi, magis declarat: *et habitabunt domus Israelis in Aschdodo, qui erant in ea ut peregrini*. וְהִכְרַתִּי גְּאוֹן פְּלִשְׁתִּים *Et exscindam fastum Philistaeorum*, i. e. Philistaeos fastu et rerum prosperitate turgentes. Vel *superbia* notat ea, propter quae tunc superbiebant et animo efferebantur. Similis phrasis Levit. 26, 19. *frangam fastum roboris vestri*.

7. וְהַסִרֹתִי דָמָיו מִפִּיו *Et removebo sanguines ejus ex ore ejus*. Quibus verbis plures interpretes hoc dici existimant: non amplius sese satiabit caedibus aliorum. Quasi Philistaei ob tru-

culentiam suam, qua inprimis contra vicinos saevierant Israelitas, pingantur ut immanes belluae, sanguinem sitientes et avide imbibentes. Nobis vero haec verba ut ea, quae proxime sequuntur, videntur potius ad sacrificia, quae idolis offerebantur et ad epulas cum iisdem conjunctas referenda esse. Non tantum victimarum carnes in epulis manducabantur, verum etiam sanguis ab idololatris orientalibus bibebatur, quod Hebraeis sub poena capitali iteratis vicibus interdictum fuit, Levit. 3, 17. 7, 26. 17, 10. 12. Suffixa ad דָּמָיו et שִׁקֻּצָיו sunt quidem singularia, quia referuntur ad abstractum גְּאוֹן; sicut autem id venit pro Adjectivo sequentis pluralis פְּלִשְׁתִּים, ita etiam haec suffixa collective sunt capienda, et in plurali vertenda. וְשִׁקֻּצָיו מִבֵּין שִׁנָּיו *Et abominanda sua* removebo *ab inter dentes ejus.* Nomine שקוצים, quo 1 Reg. 11, 5. 7. *idola* appellantur, h. l. carnes victimarum, quae idolis offerebantur, sive idolothyta, ut Jes. 66, 3., significantur. Sensus est, fore, ut Philistaei aliquando idolorum cultum sint relicturi; id quod mox verbis propriis exprimitur. וְנִשְׁאַר גַּם־הוּא לֵאלֹהֵינוּ *Relictus vero etiam hic Deo nostro* erit, qui reliqui fuerint e malis illis, quae inflicturus est Deus ob peccata sua Philistaeis, Deo nostro nomen dabunt, cultoribus ejus sese adjungent. Chaldaeus: *et proselyti qui relicti fuerant in illis, adjungentur etiam ipsi ad populum Dei nostri.* גַּם־הוּא *Etiam ipse* Philistaeus, perinde ac terra Chadrach, Damascus, Hamath, Tyrus et Sidon. Est etiam גַּם relativa particula, quae Philistaeos cum pluribus ejusdem qualitatis et sortis nationibus tacite conjungit, ut Vs. 2. et 11. Cum igitur Philistaeos *etiam* ad Jovae cultum convertendos dicit, non obscure innuit, id esse de omnibus intelligendum, quod dicit de uno. לֵאלֹהֵינוּ *Deo nostro*, ita ut qui hucusque noster (Judaeorum) Deus fuit, in posterum Deus illarum quoque gentium et terrae universae fiat, ut Jes. 54, 5. dicitur, Jova *Deus universae terrae vocabitur.* Vid. et infra 14, 9. — וְהָיָה כְאַלּוּף בִּיהוּדָה *Eritque* Philiarchus *sicut chiliarchus* s. *dux in Juda.* Erat populus Judaicus in suas distributus chiliadas (Jud. 6, 15.), quibus qui praeerant dicebantur אַלּוּפִים *chiliarchi*, vid. not. ad Mich. 5, 1. Eorundemque et infra 12, 5. fit mentio. Intelligitur autem hic chiliarchus non solus, sed cum chiliade sua, cui praeest, adeoque sensus est, fore, ut gens Philistaea aeque ad populum Jovae pertineat, ac si de chiliadibus Judae esset. עֶקְרוֹן *Et Ecron*, quae Philistaeorum satrapia (vid. supra Vs. 5.). Beelzebum quondam coluit, 2 Reg. 1, 2. 3. 6. כִּיבוּסִי Erit *sicut Jebusita.* Chaldaeus vertit: *implebitur domo*, familia *Israelis sicut Hierosolyma.* Accepit igitur nomen יְבוּסִי non pro nomine gentilitio, sed pro nomine urbis, quomodo occurrit Jos. 15, 8. 18, 28. hoc sensu: *Ecron fiet sicut Jebus*, s. urbs Jebusitarum, cessura videlicet Israelitis. Verum ut membro praecedenti, cui hoc nostrum respondet, dicebatur, parem futuram esse gentis utriusque, Philistaeae atque Israeliticae conditionem,

ita et hic יְבוּסִי ut gentile, quale propter terminationem proprie est, capiendum erit. Neque tamen qui hoc agnoscunt interpretes inter se consentiunt, aliis priscos Jebusitas, aliis recentiores, sive Hierosolymitanos intelligentibus. Quibus prius placet, h. l. eo respici existimant, quod Jebusitae Hierosolymis jam olim habitaverant, tenentes usque ad regnum Davidis arcem Zion, Israelitis inferiorem urbis partem occupantibus (Jos. 15, 63. 2Sam. 5, 6.), ut sensus sit: Philistaei habitabunt inter Judaeos, sicut olim Jebusitae inter Hebraeos. Vehementer tamen dubitamus, hoc vatem voluisse, quum illo tempore Jebusitae una habitarent contra Jovae voluntatem, qui eos exstirpari jusserat, et in detrimentum tribus Judae, cujus sorti decrescebat, quod tenebatur a Jebusitis. Quae quum ita sint, nomine יְבוּסִי recentiores potius Hierosolymitanos, qui vati coaevi erant, indicari existimamus, ut sensus sit, parem futuram esse Ecronitarum et Hierosolymitanorum, civium principis urbis Judaicae, conditionem, inter utrosque communionem fore legis et civitatis.

8. וְחָנִיתִי לְבֵיתִי מִצָּבָא מֵעֹבֵר וּמִשָּׁב *Castra metabor domui meae*, s. ad domum meam, *ab exercitu, a transeunte et redeunte*, i. e. castris positis defendam domum meam a justo exercitu hostium, et ab excursionibus eorum; nam qui excursiones faciunt, subinde eunt redeuntque. Ne timeant posthac Judaei hostes excursiones facientes in terram suam. Similiter supra 2, 9. Jova promittit, se Hierosolymis instar muri ignei futuram esse. Quo ipso loco collato Chaldaeus hunc locum ita vertit: *habitare faciam in domo sanctuarii mei praesentiam gloriae meae, et fortitudo brachii potentiae meae sicut murus igneus cinget eam circumcirca a transeunte et redeunte.* מִצָּבָא Masorethae notant scriptum esse pro מִצָּבָא, quomodo et in codicibus nonnullis a Kennicotto et De-Rossio inspectis scriptum reperitur. וְלֹא־ יַעֲבֹר עֲלֵיהֶם עוֹד נֹגֵשׂ *Nec transibit super eos exactor*, qui tributum exigat; liberati erant a jugo peregrinis ipsis imposito. Chaldaeus נוֹגֵשׂ expressit per *dominator*, s. *tyrannus;* tyrannorum enim est tributis populum opprimere. כִּי עַתָּה רָאִיתִי בְּעֵינָי *Nam nunc vidi oculis meis*, scil. quomodo ab hostibus vexetur Hierosolyma. Sic Exod. 3, 7. *vidi, vidi oppressionem populi mei.* Significatur autem, ita Jovam respicere Hebraeos, ut miseriae eorum misertus, eis succurrere decreverit. Chaldaeus: *nunc enim manifestam faciam fortitudinem meam ad benefaciendum iis.*

9. Gaudere Judaei jubentur adventu magni illius regis, qui gentes discordes conciliabit, et orbi universo pacem praestabit. גִּילִי מְאֹד בַּת צִיּוֹן *Exulta valde, filia Zion!* i. e. gens Sionia, ut Zeph. 3, 14. — הָרִיעִי *Vociferare* et jubila, ut Jes. 44, 23. Exsere gaudium tuum tam gestu et corporis habitu, quod verbo גִּיל indicatur, quam voce et laetis acclamationibus, quae est vis verbi הָרִיעַ. Cur gaudendum sit Sioniis, statim exponit: הִנֵּה

מַלְכֵּךְ יָבוֹא לָךְ *ecce! rex tuus veniet tibi*, tui commodi causa, vel, ad tuam salutem. Hoc rege vero recte observat JARCHI, nullum alium posse intelligi, nisi Messiam. „Talem enim regem," inquit, „cujus dominatio, ut Versu 10. dicitur, ab uno mari ad alterum sese extenderit, non invenimus Israeli sub templo secundo fuisse." נוֹשָׁע Alexandrinus vertit *σώζων*, Hieronymus *salvator*, Chaldaeus פָּרִיק, Syrus ܦܪܘܩ *ereptor*, *liberator*. Neque tamen eos in suis codicibus Hebraeis Participium activum legisse cum Grotio existimandum est; sed ceperunt Passivum activo significatu, quemadmodum נִכְסַף *desiderare*, Gen. 31, 30. Ps 84, 3., et נִשְׁבַּע *jurare*. Alia plura verba passiva, quae activam obtinent significationem, vid. in STORRII *Observatt. ad Analog. et Synt. Hebr.* p. 228. sqq. Sunt, qui נוֹשָׁע proprie *adjutum* scil. a Deo, hinc *victoriosum* notare existiment. Verum ex usu loquendi Hebraeis recepto נוֹשָׁע constanter *salvatum*, *e periculo aut miseria ereptum* significat, nec excepto loco Deut. 33, 29., quo עַם נוֹשַׁע est *populus* ex Aegypto *salvatus*. Neque igitur hoc solo loco a certo loquendi usu recedendum, nec dubium, vatem cogitasse magnum illum, de quo loquitur, regem e magno discrimine ereptum, atque singulari divino auxilio adjutum. עָנִי, quod alias *afflictum*, *miserum*, *pauperem* notare constat, hic, ut cognatum עָנָו Num 12, 3., *mansuetum*, *modestum* significat; utramque illam notionem conjungunt Hebraei, quum homines afflicti et pauperes ut plurimum humiles, modesti ac mansueti esse solcant. Recte igitur Chaldaeus עְנִוְתָן et Alexandrinus *πραΰς* vertit, quod Matthaeus, Evangelista, 21, 5. sequutus, qui hoc vatis dictum Jesu Messiae accommodat. Quod porro hic rex רֹכֵב עַל־חֲמוֹר *asino vectus* describitur, id non tantum modestiam illius, verum et pacis studium significat, nam *bello armantur equi*, ut VIRGILIUS *Aen.* III, 540. ait; asinus vero pacis animal. Illustrant id quae Versu proximo sequuntur. וְעַל־עַיִר *Et*, seu, *hoc est*, vel, *videlicet super asino*. Nomen hoc apud Hebraeos aeque ac Arabes *asinum* notasse videtur, sine discrimine aetatis (عِيْر *asinus* cum domesticus tum sylvester), estque ab Arabico عَارَ (pro عَيَرَ) *proficisci*, quia expediundis itineribus asinus jumentum est commodum. Ad significationem vero *pulli*, seu *juvenis asini*, h. l. restringitur demum per adjectum בֶּן־אֲתֹנוֹת, quemadmodum שׁוֹר, quod *bovem* in genere, adjecto vero בֶּן־בָּקָר *juvencum* significat. Ceterum ו particulae עַל praefixum h. l. non copula, sed exegeticum, ut Gen. 13, 15. 1 Sam. 17, 40. Pluralis אֲתֹנוֹת hic pro אֲתוֹנָה ponitur, uti et alias, cum ex pluribus unus vel unum intelligitur. Sic Gen. 8, 4. navis Noachica dicitur consedisse עַל־הָרֵי אֲרָרָט *super* uno *montium Ararat*; et Jud. 12, 7. Jephta sepultus narratur בְּעָרֵי גִּלְעָד *in* una *urbium Gileaditidis*.

10. וְהִכְרַתִּי־רֶכֶב *Exscindam currus*, intelligit tales, quibus in bello utebantur veteres, quos *currus falcatos* appellabant, de quibus cf. not. ad Ps. 20, 8. Quod autem Jova hic dicit, se velle istiusmodi currus ex *Ephraimo*, et *equos* scil. ad bellum gerendum destinatos (vid. Vs. 9.) ex Hierosolymis abolere, BERTHOLDTUS *Einleit.* P. IV. p. 1713. vere observat arguere, eo quo haec scripta sunt tempore regnum utrumque, Judaicum et Israeliticum, adhuc stetisse, neque igitur ab eodem, a quo prior libri pars, haec consignata esse. Nec אֶפְרַיִם prophetarum, qui post exsilium scripserunt, ullus de regno Israelitico usurpat. Dicunt quidem, qui hanc posteriorem libri partem eidem, qui priora octo Capita scripsit, vindicare student, nec quod supra 2, 2. 8, 13. *Judae* et *Israelis* mentio fit, antiquiorem Zacharia scriptorem probare. Sed iis locis Zachariam, quae de temporibus antiquis facta sunt, loqui patet. Indicatur vero hic Ephraimo et Hierosolyma, regni Judaici capite, terra Hebraeorum universa. וְנִכְרְתָה קֶשֶׁת מִלְחָמָה *Exscindetur arcus belli*, s. *bellicus*; cessabit etiam usus omnium bellicorum instrumentorum, quae nomine *arcus* hic significantur ut Ps. 44, 7. *non fretus ero arcu meo*, i. e. armis meis. Chaldaeus: *frangam fortitudinem eorum qui bellum gerunt, exercitus populorum.* וְדִבֶּר שָׁלוֹם לַגּוֹיִם *Loquetur pacem gentibus*, conciliabit gentes discordes, loqueturque ea quae ad pacem facient. וּמָשְׁלוֹ מִיָּם עַד־יָם *Et dominatus ejus a mari usque ad mare*, ab uno mari ad alterum. Vid de hac loquendi formula not. ad Ps. 72, 8. Amos 8, 12. Chaldaeus haec verba cum iis, quae proxime sequuntur, sic vertit: *regnabit a mari usque ad occidentem, atque ab Euphrate usque ad extrema terrae.* ABEN-ESRA: „*a mari* scil. australi, quod vocatur mare Sodomeum, *usque ad mare* septentrionale, i. e. usque ad Oceanum; *et a fluvio* scil. Edenis (i. e. Euphrate), ubi est principium Orientis, *usque ad extrema terrae*, quo finis Occidentis significatur.“ Sensus igitur: dominabitur quam late patet orbis terrarum.

11. Jam ad Judaeos sermonem convertens eos monet, ut memores veterum beneficiorum a Jova acceptorum exspectent nova. Cum superioribus vero haec ita sunt connectenda: quum dictum sit, longe lateque dominaturum regem tuum, ita id accipias, quod etiam ad te maximum hujus imperii redundaturum sit commodum, nam גַּם־אַתְּ בְּדַם בְּרִיתֵךְ *etiam ad te* quod attinet *per* i. e. propter *sanguinem foederis tui*, i. e. propter foedus tecum initum et sanguine victimarum solenni modo sancitum ad montem Sinai, ubi, uti narratur Exod. 24, 8., praelecto libro foederis, et postquam populus dixisset, se omnia Jovae jussa facturum, Moses sanguinem sumsit, eoque populum adspersit, dum haec verba pronuntiavit: *hic est sanguis foederis, quod Jova vobiscum in haec omnia verba fecit.* Verba שִׁלַּחְתִּי אֲסִירַיִךְ in Praeterito vertunt: *emisi*, dimisi *vinctos*, captivos *tuos* scil. ex

Aegypto, ubi populus Hebraeus in Aegypto oppressus tenebatur. Ita Chaldaeus: *vos quoque, quibuscum super sanguine sancitum est foedus, vos, inquam, redemi ex servitute Aegyptiorum; praebui vobis necessaria in deserto, quod desolatum erat, sicut fovea vacua, in qua nulla aqua.* Sed vix dubium, Praeteritum שִׁלַּחְתִּי esse in Futuro capiendum, uti Praeterita וַהֲסִרֹתִי, וְחָנִיתִי, וְהִכְרַתִּי, Vss. 7. 8. 10., ut vertendum sit: *dimittam captivos tuos*, eos videlicet, qui inter Assyrios et Aegyptios (10, 10.) aliosque populos exteros detinentur. מִבּוֹר אֵין מַיִם בּוֹ *Fovea in qua non* erat *aqua*, i. e. e carcere, qui antiquissimis temporibus saepe erat cisterna vacua, vid. Gen. 37, 24., ubi Josephus a fratribus demissus narratur in foveam, *fovea autem erat vacua, nulla in ea aqua.* In talem foveam conjectus et Jeremias captivus dicitur Jer. 38, 6. Hinc Exod. 12, 29. Jer. 37, 16. בֵּית־הַבּוֹר *domus foveae* est carcer.

12. Verbis שׁוּבוּ לְבִצָרוֹן *redite ad munimentum* nonnulli interpretes cum Kimchio vatem existimant hortari Judaeos, ut ad Jovam se convertant, qui et Ps. 61, 4. Prov. 18, 10. *turris* s. *arx fortis* dicitur. Alii *munimento* urbem Hierosolymitanam intelligunt, ut sensus sit: redite ad urbem, quae jam eo perducta, ut possit vobis esse munitionis loco, aut quae nunc munita, i. e. moenibus cincta est. Verum si etiam Zachariae haec tribuas, tamen Hierosolymam plures demum post vatem illum annos muris circumdatam a Nehemia esse constat. Quare alii Chaldaei interpretationem adsciscunt, quae talis est: *revertimini ut fiatis*, i. e. iterum fiatis *civitates munitas*, postquam diu satis, quantum ad urbes vestras, desolati fuistis. Jarchi: revertimini ad robur vestrum, et ad gloriam vestram. Eadem phrasis Jes. 29, 17. וְשָׁב לְבָנוֹן לַכַּרְמֶל *redit*, i. e. convertitur Libanus *ad* s. *in Carmelum*, i. e. in arvum fertilissimum. Quod tamen huic loco minus quadrat. בְּצָרוֹן potius terram patriam Hebraeorum designare videtur, quam Jova supra Vs. 8. castris circumpositis muniendam et ab hostium incursionibus tuendam promisit. אֲסִירֵי תִקְוָה *Vincti spei*, i. e. vos, qui, quum in terris exteris vinculis constricti sitis, meo auxilio freti, libertatem speratis. Chaldaeus: *captivi qui sperastis liberationem.* גַּם־הַיּוֹם מַגִּיד מִשְׁנֶה אֲשִׁיב לָךְ *Etiam* i. e. et *hodie annuntians* scil. אֲנִי *ego*, annuntio: *duplum reddam tibi;* i. e. jam annuntio vobis per vatem meum, miserias, quas perpessi estis, me eo majoribus beneficiis compensaturum; i. e. non reditum tantum salvum et totum, sed et insignes victorias latissimamque possessionem vobis praestabo.

13. כִּי־דָרַכְתִּי לִי יְהוּדָה *Nam*, ut rationem dupli illius boni exponam, *tendam mihi* scil. ut arcum (quod nomen e proximo membro repetendum esse, innuit verbum דָּרַךְ), *Judam.* Hebraei dicunt *calcare arcum*, pro: eum *tendere*, quia arcuum intensio fiebat pedem arcui imponendo ad eum incurvandum te-

lumque eo fortius elidendum; vid. not. ad Ps. 7, 13. In verbis קֶשֶׁת מִלֵּאתִי אֶפְרַיִם interpretandis dissentiunt interpretes. Alexandrinus nomen קֶשֶׁת, quod Masorethae accentibus verbis, quae proxime sequuntur (מִלֵּאתִי אֶפְרַיִם), jungi jubent, ad membrum prius retulit, atque utrumque sic vertit: *διότι ἐνέτεινά σε, Ἰούδα, ἐμαυτῷ εἰς τόξον, ἔπλησα τὸν Ἐφραίμ.* Eodem modo verba distinguit Syrus, sed sensu diverso interpretatur: *nam tetendi arcum meum contra Judam, et implevi* (scil. cum sagittis) *contra Ephraimum.* Quae sententia scopo hujus oraculi, quo bona se promissurum esse Hebraeis Jova ipse Versu superiore dixit, prorsus adversatur. Distinctionem in codicibus Hebraeis receptam sequutus Hieronymus, utrumque membrum sic vertit: *quoniam extendi mihi Judam, quasi arcum implevi Ephraim.* Jarchi ellipsin hic esse observat, sensum vero hunc: arcu implebo manum Ephraimi, sicut habetur 2 Reg. 9, 24. וְיֵהוּא מִלֵּא יָדוֹ בַּקֶּשֶׁת *et Jehu implevit manum suam arcu;* id est, Ephraimitae erunt mihi instar pharetrae, plenae sagittis. Eodem modo et Kimchi hunc locum exponit. Collato loco libri Regum a Jarchio adducto nostrum et A. Schultens illustrandum censet in *Animadverss. philologg.* (*Opp. minn.* p. 355. et 176.); sed phrasin מִלֵּא בַקֶּשֶׁת recte interpretatur: *valide tetendit arcum.* Orientalibus, addit Schultens, verbum מִלֵּא intendit et auget. Jer. 4, 5. קִרְאוּ מַלְאוּ, quod recte Hieronymus vertit: *clamate fortiter.* Cf. 12, 6. Eundem phraseos Hebraeae sensum ex Aramaeo loquendi usu adstruxit J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1504. „Facilis," inquit, „et expedita constructio 2 Reg. 9, 24. מִלֵּא יָדוֹ בַקֶּשֶׁת *implevit manum suam arcu*, i. e. arcum in manum suam sumsit eumque tetendit; at paulo difficilior, ideoque plerisque non intellecta ejusdem nominis et verbi Zach. 9, 13. *Judam tetendi mihi,* (כַּ)קֶּשֶׁת מִלֵּאתִי אֶפְרַיִם *ut arcum implevi Ephraimum.* Est hic, suadente parallelismo, מִלֵּא idem quod antea דָּרַךְ, habentque Syri eadem constructione: ܩܫܬܐ ܕܡܠܝܐ *arcus tensus*, pro קֶשֶׁת דְּרוּכָה Jes. 21, 15., et ܡܠܘ ܩܫܬܐ Ps. 11, 2. pro יִדְרְכוּן קֶשֶׁת, Arabe Antiocheno Syriaca reddente اوتروا قستهم *intenderunt arcum suum*, ut adeo prope synonyma sint דָּרַךְ et מִלֵּא cum קֶשֶׁת constructa. Phrasis ita videtur expedienda, ut proprie sit: *implere arcum sagitta*, i. e. sagittam arcui imponere." „Deus sistit se bellatorem, qui tendit ingentem arcum, nempe omnes posteros totius antiqui regni Juda, et huic arcui imponit praegrandem sagittam, nempe universos posteros antiqui regni decem tribuum, et ita in hostes ejaculaturus est. Peregrina nobis acerrimi belli imago, qua Arabes paulo alia ratione utuntur; laudant enim strenuum heroem tanquam sagittam, et exercitum sistunt tanquam arcum, uti in Abulfedae *Annal. Muslemm.* T. III. p. 474. *jaculatus es eum* (quasi sagittam) *per te ex exercitu* (tanquam

arcu). וְעוֹרַרְתִּי *Et agitabo*, sicut arma contra hostem agitantur, sic verbum עור de agitatione hastae 2 Sam. 23, 18., de arcu agitando Habac. 3, 9. et de scutica Jes. 10, 26. dicitur. Ita allegoria ex antecedentibus continuatur, ut membro sequenti. Quod nisi placet, verti etiam potest: *et excitabo*, i. e. adducam, et ad aggrediendum intrepide bellum animabo. Cf. Jer. 6, 22. וְגוֹי גָּדוֹל יֵעוֹר *et populus magnus excitabitur ab extremitatibus terrae.* בָּנַיִךְ צִיּוֹן *Filios tuos, o Zion!* quibus non solum Hierosolymitani, sed omnes omnino terrae Judaicae, cujus caput erat Hierosolyma, incolae significantur. עַל־בָּנַיִךְ יָוָן *Super filios tuos, o Javan! Javan* demtis vocalibus est *Jonia*, quae Hebraeis dicitur pro tota Graecia, a Thracia usque ad Isthmum. Vid. Ezech. 27, 13. 19. Joel 4, 6. Dan. 8, 21. *Graecis* vatem per synecdochen barbaras gentes in universum designare existimant, unde Chaldaeus *filios populorum* vertit. Quod Sionios contra *Graecos* h. l. excitandos dicit Jova eo videtur spectare, quod Graeci Hebraeos servos iis venditos (cf. Joel 4, 6.) male habuerunt. וְשַׂמְתִּיךְ כְּחֶרֶב גִּבּוֹר *Et ponam*, faciam *te*, o Sion, *tanquam gladium herois*, s. fortis et strenui militis, qui acutissimus est, et obvia quaeque perimit.

14. Confirmatur et declaratur quod Versu superiore promissum erat. וַיהוָה עֲלֵיהֶם יֵרָאֶה *Et Jova super eis*, filiis Sioniis (Vs. 13.), videndum se praebebit (*manifestum se faciet*, vertit Chaldaeus), i. e. se talem exhibebit, qui tanquam ex arce pro eis pugnet; se declarabit stare ab eorum partibus. וְיָצָא כַּבָּרָק חִצּוֹ *Et egreditur sicut fulgor sagitta ejus*, i. e. פִּתְגָמוֹהִי *verba*, jussa, decreta *ejus*, ut Chaldaeus vertit. Neque tamen spernenda Jahnii observatio, *sagittam Dei*, quae supra erat Ephraim, hoc loco esse imaginem auxilii divini, ad cladem hostibus inferendam, et quod similitudine *sicut fulgur* expressum est, alibi *sagittam* Dei dici *fulgur*, ut Ps. 18, 13. Habac. 3, 11. — בַּשּׁוֹפָר יִתְקָע *Tuba clanget*, classicum cantaturus, ut tanquam strenuus imperator suos ad pugnam animet. Tuba enim signum dari solebat, quo milites pugnam inirent; vid. Jud. 7, 19. 20. Job. 39, 24. 25. — וְהָלַךְ בְּסַעֲרוֹת תֵּימָן *Et incedet in procellis austri*, vehementissimo impetu invadet hostes, qualis procella ab austro irruens, quae aliis tempestatibus vehementior esse solet; cf. not. ad Jes. 21, 1. Job. 37, 9. Ita et Nah. 1, 3. Jovae incessus turbinem vehementia aequare dicitur.

15. יָגֵן עֲלֵיהֶם *Proteget eos*, Sionios, sive Judaeos, Versu 13. commemoratos. וְאָכְלוּ *Et comedent*, sunt qui exponant: spoliis hostium fruentur, coll. Deut. 20, 14. וְאָכַלְתָּ אֶת־שְׁלַל־אֹיְבֶיךָ *comedes spolia hostium tuorum.* Verum quemadmodum *bibent*, quod sequitur, non dubium est referendum esse ad sanguinem devictorum, uti posterius hemistichium docet, sic *comedent* ad carnes illorum pertinet. Sensus itaque est: *comedent* i. e. con-

sument, scil. populos inimicos; ut infra 12, 6. dicitur: *comedent dextera et sinistra populos circa.* Deut. 7, 16. *comedes omnes populos, quos Jova tibi dabit.* Cf. et Num. 14, 9. et ad eum loc. not. Comparantur igitur h. l. Judaei animosis et intrepidis leonibus, quibus cibus fit quos aggrediuntur, et sanguis occisorum potus, ut Num. 23, 24. et Mich. 7, 7. Chaldaeus: *dominabuntur populis et occident eos.* Verba וְכִבְּשׁוּ אַבְנֵי־קֶלַע nonnulli vertunt: *subigent lapides fundae*, i. e. hostes suos, in quibus olim erant multa funditorum agmina. Aliis concisus videtur sermo, pro וְכִבְּשׁוּ אוֹתָם בְּאַבְנֵי־קֶלַע *subigent eos lapidibus fundae*, i. e. e funda ejectis, ut Job. 41, 19. Ita LXX: *καὶ καταχώσουσιν αὐτοὺς ἐν λίθοις σφενδόνης.* Hieronymus: *et subjicient lapidibus fundae.* Et in Commentario: „Tanta erit ruina Graecorum, ut non dicam gladiis, sed jactu lapidum et fundarum rotatibus opprimantur.“ Verum quemadmodum Versu proximo Hebraei אַבְנֵי־נֵזֶר *lapides coronae* vocantur, ita hic illorum hostes *lapides fundae* appellari non dubitamus, per contemtum; nam lapides, quibus utuntur funditores, viles sunt et nullius pretii. Sensus igitur hic erit: *subigent* eos et pedibus suis subjectos habebunt, sicut vilissimos lapides, qui pedibus calcantur. וְשָׁתוּ *Bibentque* scil. sanguinem sauciatorum. Sic Num. 23, 24. populus Hebraeus comparatur leoni, qui praedam discerpit, וְדַם־ חֲלָלִים יִשְׁתֶּה *et sanguinem confossorum bibit.* Vid. et Jes. 49, 26. Ezech. 39, 17. 18. 19. Sanguinem vero bibunt, qui hostes vincunt, caedunt, spoliant. הָמוּ כְּמוֹ־יָיִן *Strepent tanquam vino* ebrii sanguine; tumultuabuntur gaudio gestientes ac prosperis rerum successibus animosi. Cf. infra 10, 7. — וּמָלְאוּ *Et implebuntur*, i. e. sanguine madebunt. Docet hoc comparatio quae subjungitur, כַּמִּזְרָק *sicut pelvis*, qua victimarum sanguis excipiebatur, et כְּזָוִיוֹת מִזְבֵּחַ *sicut anguli altaris*, ad quos idem sanguis e pelvi spargebatur. Sanguine autem madere est vincentium. Cf. Jes. 63, 1. 2.

16. וְהוֹשִׁיעָם *Salvabit eos*, non solum liberando eos ex omnibus periculis et malis, verum etiam ingentibus ipsos cumulando bonis, cf. Vs. 17. — בַּיּוֹם הַהוּא *Die illo* quo rex ille, de quo Vs. 9., regnabit. Verba כְּצֹאן עַמּוֹ nonnulli cum Jarchio sic interpretantur: *tanquam gregem populum suum*, i. e. tanquam oves, quas ex Aegypto duxit; ut ei fierent populus, coll. Ps. 77, 21. *duxisti sicut oves populum tuum per Mosen et Aaronem.* Sed est potius mixtio sermonis proprii et figurati, hoc sensu: *tanquam populum suum*, quem veluti pastor *gregem* suum ducit, pascit, curat, defendit. Cujusmodi est Ezech. 36, 37. *multiplicabo eos* כַּצֹּאן אָדָם *ut gregem hominis*, i. e. augebo homines non secus ac ovium greges. Gen. 16, 12. פֶּרֶא אָדָם *onager hominis.* *Gregem suum* appellat Jova populum suum et Jer. 30, 1. Ezech. 34, 8. 9. 10. — אַבְנֵי־נֵזֶר LXX *λίθοι ἅγιοι*, et cum iis Hieronymus

lapides sancti verterunt. Scilicet quum קָדַשׁ *separari* et *sanctum* esse significet, et נֵזֶר ibidem *separationis* notionem obtineat, eidem verbo et alteram, sane cognatam, *sanctitatis* significationem tribuerunt. Verum quum אַבְנֵי־נֵזֶר aperte oppositi sint אַבְנֵי־קֶלַע *lapidibus fundae*, quibuscum Hebraei populi hostes comparantur, Versu qui praecedit, melius congruit, נֵזֶר h. l. *coronae*, *diadematis*, regii aut sacerdotalis significatu accipere, quo 2 Sam. 1, 10. 2 Reg. 11, 12. Exod. 29, 6. Levit. 8, 9. al. legitur. Ante אַבְנֵי esse כ similitudinis subaudiendum, ut supra ante אַבְנֵי־קֶלַע, vix est quod moneamus. Dicit igitur vates, fore, ut aevo illo fortunatissimo Hebraei ad summum dignitatis fastigium perveniant, ut instar lapidum coronae reputentur, qui rari sunt et maximi pretii, מִתְנוֹסְסוֹת *elevantes sese*, qui in altum sublati, quippe coronae inserti, omnium oculos feriant, et ipso adspectu cuivis admirationem injiciant. Unde est, quod Jarchi nostrum מִתְנוֹסְסוֹת in nota ad Ps. 4, 7. *splendentes* interpretatus est; vid. Schol. ad eum loc. עַל־אַדְמָתוֹ *Super terra ejus* scil. Jovae; de populo enim in plurali, de Jova vero in tertia persona singulari hucusque Vs. 15. 16. 17. loquutus est.

17. מַה־טּוּבוֹ *Quae*, i. e. quanta erit *felicitas ejus*. Pronomen interrogativum non simpliciter interrogat, sed simul exaggerat, ut Ps. 3, 2. מַה־רַּבּוּ צָרָי *quam multi sunt hostes mei!* Tanta, dicit, ejus felicitas erit, ut verbis nequeat explicari. Suffixum ad טוּבוֹ ad עַם *populus* est referendum, ex צֹאן עַמּוֹ Vs. 16. Alii vero ad Jovam referunt (cf. not. ad עַל־אַדְמָתוֹ sub fin. Vs. 16.) vertuntque: *quanta est bonitas ejus*, et verba, quae sequuntur. וּמַה־יָּפְיוֹ *Et quanta erit pulchritudo ejus*, non qua gaudet ipse, sed qua suos adficit, hoc sensu: quantum bonum et quantum decus populo suo praestabit Jova. Tum erit utriusque nominis suffixum tale ratione significationis, quale Hos. 2, 8. דְּגָנִי *frumentum meum*, i. e. quod a me accepit. Sed melius fluet oratio, si utrumque illud suffixum ad *populum* referamus, et יָפְיוֹ vertamus *pulchritudo*, decus *ejus*. דָּגָן בַּחוּרִים *Frumentum* (subaudi ex membro sequenti יְנוֹבֵב *crescere faciet*) *juvenes*, magna copia proventurum, ita ut alimentum haud desit educandis ad florentem aetatem liberis, ut juvenes fiant ac virgines. Quum antea saepius annonae sterilitate et fame populus ob peccata plecteretur (vid. Thren. 2, 11. 12. Hos. 2, 11. Hagg. 1, 11.); aurea aetate regnante Messia, foecunditas terrae atque omnium rerum affluentia beabit populum; quod et alii prophetae promittunt, vid. Jer. 31, 12. 13. Ezech. 36, 29. Hos. 2, 14. Joel 2, 18. 19. — יְנוֹבֵב *Crescere faciet*, faciet vigere; proprie verbum dicitur de plantis et frugibus terrae, unde Deut. 32, 13. תְּנוּבֹת שָׂדָי sunt *proventus terrae*. Est autem in utroque membro hemistichii posterioris parallelismus syntheticus, et sensus ita concipiendus: *frumentum et mustum crescere faciet juvenes et virgines.*

Cap. X, 1. Cohaeret hic Versus cum Capitis superioris Versu ultimo, quasi diceret vates: quum tam benevolum habeatis Jovam, qui vos bonis omnibus cumulabit, potestis libere et cum fiducia quorumcunque indigueritis ab ipso petere. בְּעֵת מַלְקוֹשׁ *Tempore serotinae pluviae*, cum opus est serotina pluvia, quae in Palaestina cadere solet mense Martio, cum seges maturescere incipit; cf. not. ad Deut. 11, 14. — חֲזִיזִים *Fulgura* (cf. not. ad Job. 28, 26.), quae pluvias aut praenuntiant, aut sequuntur, aut comitantur. מְטַר־גֶּשֶׁם *Pluviam imbris*, i. e. copiosam et largam, ut Job. 37, 6., ubi vid. not. יִתֵּן לָהֶם *Dabit illis*, Sioniis (9, 13.), ad quos sermo hic dirigitur. לְאִישׁ *Viro*, distributive est capiendum, i. e. unicuique, omnibus ac singulis. עֵשֶׂב בַּשָּׂדֶה *Herbam in agro*, i. e. herbam agri, periphrasis Genitivi, qualis Jes. 56, 9. חַיְתוֹ בַּיַּעַר *fera in sylva* pro fera sylvae s. sylvestri. Est autem עֵשֶׂב tam generale, ut ea quae in humano sunt victu comprehendat. Sensus est, Deum large daturum fruges, tum quae homini, tum quae animantibus usum sui homini praebentibus conveniunt. Herbae copia in felicioris aevi descriptione et Deut. 11, 15. 29, 21. Ps. 72, 16. memoratur.

2. כִּי הַתְּרָפִים דִּבְּרוּ אָוֶן *Nam Theraphim loquuti sunt vanum*, cui nil inest veri. Nexus cum Versu superiori ita est concipiendus: longe dispar erit ratio Judaeorum, qui felicissimo illo aevo vivent, atque majorum qui ab idolis et divinis mendacibus opem quaesiverunt, et superstitionum poenas tristi et ignominioso exilio luerunt. De תְּרָפִים vid. not. ad Hos. 3, 4. Chaldaeus vertit *cultores simulacrorum*. דִּבְּרוּ אָוֶן *Loquuntur vana*, i. e. talia, quibus cultores suos deludunt, vanas imprimis pollicitationes, quarum eventus frustra exspectatur. וְהַקּוֹסְמִים חָזוּ שֶׁקֶר *Et divinatores vident mendacium*, vaticinantur mendacia. חָזָה de vatibus usurpatum haud raro *vaticinari* notat, vid. not. ad Jes. 1, 9. Habac. 1, 1. Cf. quoad rem Ezech. 13, 6. 9. — וַחֲלֹמוֹת *Et somnia*, seu, ut recte Vulgatus, *somniatores*, et Chaldaeus, *pseudoprophetae*. Jungitur enim cum verbo masculino יְדַבֵּרוּ, quae est constructio ad sensum. At LXX, quos Arabs et Syrus sequuntur, capiunt חֲלֹמוֹת in Accusativo et in statu regiminis, *somnia vanitatis loquuntur*, καὶ τὰ ἐνύπνια ψευδῆ ἐλάλουν. Sed accentus *Paschta* voci וַחֲלֹמוֹת impositus dirimit eam a sequente הַשָּׁוְא. — הֶבֶל יְנַחֲמוּן *Vanitate consolantur*, in consolationibus eorum nihil est veri ac solidi. Sic Job. 21, 34. אֵיךְ תְּנַחֲמוּנִי הֶבֶל *quomodo consolamini me vane!* עַל־כֵּן נָסְעוּ *Propterea profecti sunt*, s. *abierunt sicut grex ovium*, scil. vagus, palans. כְּמוֹ־צֹאן יֵעָנּוּ כִּי־אֵין רֹעֶה *Adfligebantur, nam nullus est pastor.* Bene hujus Versus sensum explicavit HIERONYMUS: „Intelligat Israel, qui quondam deceptus idololatriae erroribus tenebatur, frustra se coluisse simulacra, et divinorum audisse mendacia, et acquievisse somniis, quibus Scriptura praecipit non

credendum [Deut. 13, 1. sqq.]. Et ob hanc causam ducti sunt quasi grex in captivitatem, et afflicti absque pastore Deo, quia Legis notitiam non habebant."

3. עַל־הָרֹעִים חָרָה אַפִּי *Contra pastores exarsit ira mea*, regibus iratus sum, non Judaicis, sed aliis, qui Judaeis sunt inimici. Idem dicit membrum secundum: וְעַל־הַצְּתוּדִים אֶפְקוֹד *et in hircos visitabo*, i. e. animadvertam. *Hircis* populi duces significantur, ut Jes. 14, 9. — כִּי־פָקַד אֶת־עֶדְרוֹ *Nam visitat gregem suum*, liberando et salvando eum. פָּקַד cum אֶת constructum in bonam partem sumendum esse, docet quod additur: וְשָׂם אוֹתָם כְּסוּס הוֹדוֹ בַּמִּלְחָמָה *et faciet eos sicut equum decoris sui in bello*, i. e. fortes eos reddet ac bellicosos similesque equo generoso, qui in proelium ruit, intrepidus, qualis Jobi 39, 19. sqq. describitur.

4. מִמֶּנּוּ פִּנָּה *Ex eo* scil. populo Hebraeo *angulus*, i. e. dux, caput, princeps, quia ut ille aedificii, ita hic populi et reipublicae fulcrum est. Cf. not. ad Zeph. 3, 6. Chaldaeus: *rex ejus*. Haud dominabitur eis alienigena; sed ex ipsis erit rex eorum. Quod ipsum promisit Jeremias 30, 21. Cf. et Mich. 5, 1. — יָתֵד *Clavus* s. *paxillus*. Chaldaeus *unctus ejus* interpretatus est. Ita eo nomine uti praecedente rex significaretur, comparatione ab aedificiis desumta, quorum trabes et partes singulae clavis compinguntur. Alii vero *clavo* s. *paxillo* reipublicae administrum primariae dignitatis intelligunt, qualis in regno Judaico olim fuerat Eljakim, qui Jes. 22, 23. *clavus in loco solido defixus* dicitur; ratio denominationis ibidem additur Vs. 24., quia ut a paxillo supellectilem suspendimus, sic a summis hujusmodi administris negotia reipublicae pendent. Sic in Corano Sur. 38, 11. et 89, 9. Muhammedes eodem utens vocabulo Pharaonem vocat, *praeditum paxillis*, i. e. procerum magnatumque imperii sui multitudine abundantem. מִמֶּנּוּ קֶשֶׁת מִלְחָמָה *Ex eo arcus belli*, s. *bellicus*, non aliunde petent arma sua, nec indigebunt alius populi auxilio. Chaldaeus: *ex eo fortitudo belli ejus*. Verba מִמֶּנּוּ יֵצֵא כָל־נוֹגֵשׂ יַחְדָּו non uno modo exponuntur. Sunt, qui ita explicent: contra vero *ab illo exibit*, i. e. aberit in posterum omnis *exactor* s. tyrannus. Quo sensu haec phrasis Jes. 49, 17. legitur: מְהֶרְסַיִךְ וּמַחֲרִיבַיִךְ מִמֵּךְ יֵצֵאוּ *destructores et vastatores tui ex te exibunt*, ex te aboliti erunt. Sed hic illam phrasin eodem modo capiendam esse, ac hemistichio praecedente, ut significetur, unde heroes illi sint proditurі, dubitari vix potest. Neque tamen, qui id agnoscunt, inter se consentiunt. Hieronymus: „*Ex ipso etiam omnis exactor simul*, quod in Hebraico scriptum est *Noges*, et Aquila interpretatus est εἰσπράσσων, ut non solum fortes et boni, sed alii ex eis fuerint indigni genere suo. Possumus et hoc dicere: nulla erit dignitas in exercitu, quae non illius arbitrio disponatur." Alii *exactore* intelligunt eum, qui fructus

praediorum, nomina, et pecuniam exiget. Sed quum beneficium sit quod hic promittitur, alii hic *rectorem* ac *principem* populi in meliorem partem significari existimant, ut Jes. 6, 17., ubi Jova Sionitis promittit, se iis daturum נֹגְשִׂים justos. Sic Aethiopibus נגש est *regere* vel *regnare*, indeque *Negus* ipsis notat *regem*, ceu rectorem populi summum. Chaldaeus nostra verba sic exposuit: *et ex eo magnifici reddentur omnes gubernatores ejus simul.* Syrus: *et ex iis prodibunt omnes principes eorum simul.* Possit tamen נוֹגֵשׂ usitato *exactoris* significatu capi, si tales intelligas, qui tributum exigent a populis devictis, et Hebraei populi, aut regis ejus imperio subjectis.

5. וְהָיוּ כְגִבֹּרִים *Eruntque* Judaei (בֵּית יְהוּדָה Vs. 3.) *sicut fortes.* Praefixum hic eodem quo supra 10, 16. modo capiendum, quasi dicat: gerent se ut fortes, seu, ut decet fortes. בּוֹסִים *Conculcantes*, scil. hostes suos, coll. Ps. 44, 6. בְּךָ נָבוּס קָמֵינוּ *conculcamus adversarios nostros.* Participium Cal formae קוֹמִים (pro usitato קָמִים) *surgentes*, 2 Reg. 16, 7. Chaldaeus: *conculcantes occisos populorum.* Pro בְּטִיט in nonnullis codicibus scribitur כְּטִיט, quomodo et Chaldaeus legit, qui vertit: *sicut lutum platearum.* Sed LXX: *ἐν ταῖς ὁδοῖς.* וְנִלְחֲמוּ *Et pugnabunt*, felici ac prospero successu, nam additur: כִּי יְהוָה עִמָּם, quod Chaldaeus vertit: *quia verbum Domini in auxilium eorum* erit. וְהוֹבִישׁוּ Contra vero *confundentur*; sic, intransitive, veteres omnes. Alii active: *pudefacient.* Cf. not. 9, 5. — רֹכְבֵי סוּסִים *Vecti equis*, scil. hostes; hi pudefient, quia vincentur peditibus.

6. בֵּית יוֹסֵף *Domum Joseph* vocat decem tribus regni Israelitici. Vid. not. ad Amos 5, 6. וְהוֹשְׁבוֹתִים Kimchio et Aben-Esrae est forma mixta conjugationis *Hiphil* e verbis שׁוּב *reverti* et יָשַׁב *habitare*, ut sit: *reducam et habitare faciam eos*, restitutis pristinis sedibus, unde ejecti fuerant, praestabo securam et tranquillam habitationem. Quod plene expressum a Jeremia 37, 37. וַהֲשִׁבֹתִים אֶל־הַמָּקוֹם הַזֶּה וְהוֹשַׁבְתִּים לָבֶטַח *reducam eos ad hunc locum et habitare faciam eos secure.* Alii simpliciter vertunt: *et habitare faciam eos*, ut sit a יָשַׁב pro הוֹשַׁבְתִּים, assumta flexione Verborum mediae radicalis Vav; vid. GESENII *Lehrgeb.* p. 464. Chaldaeus ad שׁוּב retulit: *congregabo exsules eorum.* Nos prius illud praeferimus. Videtur enim scriptor artificii quidquam in eo quaesivisse, ut utramque notionem una voce e duobus cognatis verbis conflata exprimeret. וְהָיוּ כַּאֲשֶׁר לֹא־זְנַחְתִּים *Eruntque quasi eos non repudiassem*, tam laeti ac felices, ac si numquam patria expulsi fuissent. Nam prae copia belli obliviscentur mala praeterita. Alii: *erunt ut cum non projecissem eos*, i. e. ut fuerunt tum, cum Judaea adhuc habitaretur et quieta esset.

7. וְהָיוּ כְגִבּוֹר אֶפְרַיִם *Eruntque sicut fortis Ephraim*, robustis militibus similes erunt Ephraimitae, *i.* e. qui e decem

tribubus reversi fuerint. Vel: erunt robusti revera, ut Caph sit *ἀληθινόν*, ut supra Vs. 5. — כְּמוֹ־יָיִן *Quasi vino*, ut qui vino exhilarati sunt. וּבְנֵיהֶם יִרְאוּ וְשָׂמֵחוּ *Et filii eorum videbunt et gaudebunt.* „Pueri ipsi et adolescentes nondum bello habiles participes erunt gaudii parentum.“ Grotius. יָגֵל לִבָּם בַּיהוָה *Exsultabit cor eorum in Jova*, gloriabuntur Jova, deo suo propugnatore, quo opitulante victoriam de hostibus reportarunt. Cf. Jes. 41, 16. Joel 2, 23. Habac. 3, 18.

8. אֶשְׁרְקָה לָהֶם *Sibilabo eis*, sibilo eos advocabo, ut Jes. 5, 26. וְשָׂרַק לוֹ *sibilabit ei ab extremo terrae*, et 7, 18. יִשְׁרֹק *sibilabit Jova muscae*, edito sibilo advocabit ad se. אֲקַבְּצֵם *Congregabo eos*, qui tunc adhuc per terras dispersi erunt. כִּי פְדִיתִים *Nam redimam eos* e servitute, liberabo eos e potestate illorum, qui ipsos captivos tenuerunt. Ita פָּדָה et Jer. 31, 11. Hos. 13, 4. usurpatur. Verba וְרָבוּ כְּמוֹ רָבוּ Hieronymus recte vertit: *et multiplicabo eos sicut ante fuerunt multiplicati.* Jarchi: „Multiplicabuntur in exsilio, ut multiplicati fuerunt in Aegypto.“ Vid. Exod. 1, 7. 12. Chaldaeus: *et multiplicabuntur sicut dictum est eos multiplicatum iri.* Respicit promissiones Abrahamo factas Gen. 13, 16. 17, 2. Mirum in modum auctum iri Hebraeos, promittit et Ezech. 36, 11.

9. וְאֶזְרָעֵם בָּעַמִּים *Et disseminabo eos inter gentes.* Hieronymus: Ego eos multiplicabo, ut dispersio in populis non videatur esse divisio, sed sementis operatio, et liberorum ac nepotum segete multiplicata vivant cum filiis suis. וּבַמֶּרְחַקִּים יִזְכְּרוּנִי *Attamen in longinquis* locis *recordabuntur mei*, cultum meum retinebunt et praecepta mea observabunt. וְחָיוּ אֶת־בְּנֵיהֶם *Et vivent cum filiis suis;* אֶת enim hic idem valere quod עִם, recte monet Jarchi. וְשָׁבוּ *Et revertentur* e terris, in quas dispersi erant. Ita et Jes. 35, 10. dicitur: *Redemti*, liberati *a Jova revertentur venientque Sionem cum jubilo.*

10. Confirmat et declarat superiora. וַהֲשִׁבוֹתִים מֵאֶרֶץ מִצְרַיִם וּמֵאַשּׁוּר אֲקַבְּצֵם *Reducam enim illos e terra Aegypto, et ex Assyria colligam eos.* Ex iisdem terris reducendi dicuntur Hebraei Jes. 11, 11. 27, 14. Hos. 11, 11. Quod autem nulla Hebraeorum e Babylonia et Persia reducendorum hic mentio fit, qualem Zachariae aetate exspectares, hoc oraculum aevo Zacharia antiquiori scriptum arguit, forsan, uti Bertholdt (*Einleit.* P. IV. p. 1714. 1724.) conjicit, a vate quodam, qui Ahaso regnante, brevi, postquam deportati a Tiglath-Pilesare in Assyriam regni Israelitici cives fuissent (2 Reg. 15, 29.). Qui eidem, qui priorem libri partem scripsit, et hanc posteriorem vindicare student, rationem, cur Zacharias de solis *Israelitis* hic loquitur, hanc comminiscuntur, quod Judaeorum quidem illorum, qui a Nebucadnezare Chaldaeam abducti fuissent, pars magna Zachariae aetate

in patriam rediisset, Rubenitae autem, Gaditae et Manassitae a Phulo et Tiglath-Pilesare, Assyriorum regibus, in exsilium ducti, et multo seriore, Zacharia, aetate, ea videlicet, qua Chronicorum libri sunt scripti, nondum reversi essent (1 Chron. 5, 26.). Nominari igitur *Assyriam*, quod decem tribus olim in Assyriam essent deportatae, 2 Reg. 17, 6., *Aegyptum* vero, quod multi Israelitarum eversa sua republica a Salmanassare sponte sese eo contulissent, quemadmodum multos Judaeorum, metu irruptionis Chaldaeorum, Aegyptum migrasse legimus Jer. 43, 7. Sed eorum, qui post exsilium scripserunt, prophetarum nullus de reducendis vel Judaeis vel Israelitis in patriam terram loquitur. Nam solutis a Persis captivitatis vinculis, Hebraeis omnibus redeundi potestas facta erat. Chaldaeus hunc locum sic interpretatus est: *quemadmodum eduxi eos e terra Aegypti, ita exsules eorum ex Assyria adducam.* De solis regni Israelitici civibus quondam redituris hic agi, apparet quoque ex altero hujus Versus hemistichio, quo Jova promittit, se exsules per Assyriam et Aegyptum dispersos reducere velle אֶל־אֶרֶץ גִּלְעָד וְלְבָנוֹן *ad terram Gileaditidos et Libani*, quo decem tribuum regnum describitur, quod in duas commode partes dispertiri potuit, Trans-Jordanensem, quae *Gileaditis* vocatur (cf. not. ad Amos 1, 3. 13.), et Cis-Jordanensem, quae quoniam Libani montibus vallabatur, hic *terra Libani* dicitur, ut Deut. 3, 25. Neque igitur audiendi, qui h. l. *Libani* nomine *templum* significari existiment, quia templi materia ex arboribus Libani. וְלֹא יִמָּצֵא לָהֶם *Nec invenietur iis* scil. locus, qui tantam capiet multitudinem. Chaldaeus et Syrus: *nec sufficiet eis* scil. regio illa, quam incoluerunt olim; tanta erit redeuntium multitudo, ut veteres fines eos non capiant. Unde ampliati promittuntur fines Jes. 26, 15. Obad. Vs. 19. 20.

11. In verbis וְעָבַר בַּיָּם צָרָה explicandis interpretes dissentiunt. LXX: *καὶ διελεύσονται ἐν θαλάσσῃ σιενῇ.* Cui interpretationi non tantum obstant accentus, verum et illud, quod nomen masculinum יָם cum adjectivo femineo צָרָה conjungere, vetant syntaxeos hebraeae leges. Aben-Esra ante צָרָה subaudit רוּחַ *ventus*, quod saepius omittitur, ut קָדִים Gen. 41, 6. 23. dicitur pro רוּחַ קָדִים *ventus orientis*, Exod. 10, 13., צָפוֹן Cant. 4, 16. pro רוּחַ צָפוֹן *ventus aquilonaris*, דָּרוֹם Job. 37, 17. pro רוּחַ דָּרוֹם *ventus australis.* Ita verba hoc dicent: *transibit per mare ventus angustiae*, i. e. afflictionis, adversitatis, qui, uti sequitur, fluctus ita sit percussurus, ut exarescant. Cf. Nah. 1, 4. Kimchi: „gentes, quae sunt multae et magnae instar fluctuum maris, pertransibit angustia. Feminino צָרָה jungit Verbum masculinum עָבַר, subaudito דָּבָר, quasi esset דָּבָר צָרָה *res adversitatis*, adversum.“ Nos Aben-Esrae interpretationem haud dubitamus praeferre. Kösterus in *Meletemm.* p. 44. subaudito ante צָרָה praefixo בְּ, et verbo עָבַר ad Jovam relato, locum sic inter-

pretatur: *transit* Jova *per mare cum angustia*, s. afflictione, i. e. Jova iratus venit, et aquae Aegypti (i. e. vel Nilus, vel mare propinquum, *mare* autem pro *regno* (Jerem. 51, 36.), tanquam anxietate vexatae sese attollunt. Similis fictio Ps. 114, 3. sqq. Quam quidem interpretationem reliquis omnibus anteferrem, nisi Jova in Versu, qui praecedit et qui sequitur, in prima persona de se loquens introducatur, ut minus concinne inter utrumque Versum vates loquens inferatur. Quare in Aben-Esrae interpretatione acquiesco. וְהִכָּה בַיָּם גַּלִּים *Percutiet enim* Deus *in mari fluctus*, divina illos virtute coerciturus et sedaturus. וְהוֹבִישׁוּ *Et pudefient*, siccationem passurae, quae fieri posse non videbatur. Prosopopoeia, qualis Joel 1, 10., ubi terra lugere et mustum pudefieri dicitur. Sunt, qui nostram dictionem vertant: *et arescent;* sed obstat, quod יָבֵשׁ nusquam alias in Hiphil reperitur intransitiva notione; cf. Jos. 2, 10. 4, 13. 5, 1. Ps. 74, 15. — כָּל־מְצוּלוֹת יְאוֹר *Omnes profunditates Nili*, vid. de nomine יְאוֹר not. ad Gen. 41, 1. Ezech. 29, 3. — וְהוּרַד גְּאוֹן אַשּׁוּר *Et dejicietur fastus Assyriae*, contra populum meum superbe insurgentis, vid. Jes. 14, 11. Potest tamen גְּאוֹן אַשּׁוּר et verti *magnificentia Assyriae.* Nam גְּאוֹן vocabulum est *μέσον*, et tam in bonam quam in malam partem accipitur. וְשֵׁבֶט מִצְרַיִם יָסוּר *Et sceptrum Aegypti recedet*, imperium Aegyptiorum desinet, abolebitur. Meminit autem peculiariter *Aegyptiorum* et *Assyriorum*, quia hae gentes prae ceteris vexarunt populum Israeliticum.

12. וּגְבַרְתִּים בַּיהוָה *Roborabo eos per Jovam*, i. e. per me ipsum, nomen pro pronomine, more Hebraeo. וּבְשָׁמוֹ יִתְהַלָּכוּ *Et per nomen ejus*, per ipsum, ejus auxilio adjuti, *ambulabunt*, res suas agent.

II.

CAP. XI.

Argumentum.

Novum vaticinium, quod terram Judaicam ab hostibus in septentrione irrupturis vastandum denuntiat (Vs. 1. 2. 3.), addita ratione, cur Deus tam severe cum populo suo agere decreverit, quod videlicet illius obstinatio nihil veniae mereatur, et insanabilis prorsus ejusdem malitia sit (Vs. 4. 5. 6.); praesertim ostendit ingratitudinem populi, qui nimis indigne repudiaverit paternam Dei curam (Vs. 7. 8.), docetque omnia illum expertum esse in regendo populo, antequam descenderet ad extremum rigorem (Vs. 9. 10. 11.). Quum igitur quidquid impenderat operae et laboris male locatum et perditum esse compertum haberet, se eorum curam prorsus abjicere (Vs. 12. 13. 14.), eosque malo rectori, qui rapinis et caedibus in ipsos sit grassaturus, permittere apud se constituit (Vs. 15. 16. 17.).

1. פְּתַח לְבָנוֹן דְּלָתֶיךָ *Aperi, Libane, fores tuas!* Libanum alloquitur vates, montem celebratissimum Syriae vel Phoeniciae ad fines septentrionales terrae Israeliticae, arboribus proceribus consitum, cujus et supra 10, 10. a Nostro mentio est facta. Huic cum poeta *fores*, דְּלָתַיִם, tribuit, significat vel aditus ad interiora montis, claustris munitos, quae arcebant adituros, vel aditus in terram Israeliticam, saltibus, locis praeruptis et arcibus occlusos. Jubetur Libanus per prosopopoeiam, qua res inanimatae tanquam animata multitudo, aut singuli homines sistuntur, fores suas *aperire*, i. e. patescere vastationi, nam additur: וְתֹאכַל אֵשׁ בַּאֲרָזֶיךָ *ut consumat ignis in cedris tuis*, ut flamma per cedros tuas late saeviat, easque devoret. Quid hac imagine significetur, videbimus ad Vs. 3., postquam illam ipsam totam perlustraverimus.

2. הֵילֵל בְּרוֹשׁ *Ulula abies* s. *platanus*, vid. not. ad Ezech. 31, 8. כִּי נָפַל אֶרֶז *Quia cecidit cedrus*, nam si cedris haud parcitur, aliis arboribus, quae minoris, quam illae, pretii sunt, multo minus parcetur. אֲשֶׁר אַדִּירִים שֻׁדָּדוּ *Propterea quod praestantes* scil. arbores, cedri, *vastatae sunt.* אֶרֶז אַדִּיר legitur Ezech. 17, 23. אַלּוֹנֵי בָשָׁן *Quercus* s. *terebinthi Basanis*, vid. not. ad Jes. 2, 13. Ezech. 27, 6. — יָרַד *Descendit*, i. e. dejectus, sive, ut Hieronymus vertit, *succisus est*, quo sensu verbum hoc

et Jes. 32, 19. usurpatur. יַעַר הַבָּצוּר *Saltus arduitatis* s. *arduus*, i. e. qui propter densitatem et magnitudinem suam succidi vix posse videbatur. Nam בָּצוּר notat omne *inaccessum*, vel *aditu difficile*, vid. Num. 13, 28. Deut. 1, 28. 3, 5. Quod ad marginem legi jubetur, הַבָּצִיר, est alia magis chaldaizans forma Participii Passivi, quod notionem Nominis induit. Significatu τὸ *Chetibh* et *Keri* non differunt. Hieronymus *saltus munitus* vertit, Graecus Alexandrinus ὁ δρυμὸς ὁ σύμφυτος, quod Arabicus interpres *saltus qui naturâ*, i. e. sponte sua *succrevit*. Syrus: *sylva fortis*, i. e. densa.

3. קוֹל יְלָלַת־הָרֹעִים *Vox ululatus pastorum*, qui Libani pascua cum suis gregibus pererrant. כִּי שֻׁדְּדָה אַדַּרְתָּם *Quia vastata est magnificentia eorum*, qua praestantes et proceres arbores intelligendae, quae ipsis umbram praebuerunt. קוֹל שַׁאֲגַת כְּפִירִים כִּי שֻׁדַּד גְּאוֹן הַיַּרְדֵּן *Vox rugitus leonum, quia vastatum est decus Jordanis*, quo nemorosae ejus fluminis ripae significantur. Hieronymus: „Jordani fluvio, qui maximus in Judaea est, juxta quem morantur leones, fremitum junxit leonum, propter ardorem sitis, et ob deserti viciniam, et latitudinem vastae solitudinis, et arundineta et carecta.“ Jam quid per hanc cedrorum Libani riparumque Jordanis vastationem significetur, quaerendum. Neque enim in eo sensu, quem verba primo adspectu prae se ferunt, esse haerendum, ubi tota oratio est figurata, consentiunt fere interpretes. Atque plures quidem ex Hebraeis interpretes Libano indicari existimant validas gentes Hebraeis inimicas, cum eorum regibus principibusque, ob multitudinem densis et proceribus Libani saltibus comparatas. Alii Libano templum intelligunt Hierosolymitanum, quod et olim esset ex cedris Libani constructum (vid. 1 Reg. 5, 20. seqq. 6, 18. 36.), et ad templum a Zorobabele denuo instauratum itidem cedri Libani adhibitae essent, vid. Esr. 3, 7. Templo tamen aegre accommodantur ceterae quae hic exhibentur imagines. Nos vero nulli dubitamus, Libano hic ut Ezech. 17, 3. totam indicari terram Judaicam, cujus insigne decus et terminus borealis erat Libanus. Qui cum jubetur *aperire fores suas*, innuitur, ab aquilonari parte, ubi munitissima poterat videri terra Judaica, patefactum iri hostibus aditum ad eam. *Cedris* Libani igne consumendis videntur notari *urbes*, vel palatia cedrina, quibus illae maximam partem constabant. *Pastoribus* et *leonibus ululantibus* significantur proceres et optimates, qui patriae vastationem lugebunt.

4. Subjicit rationem cur Deus tam severe agere cogitet cum populo suo, quoniam insanabilis sit eorum malitia. רְעֵה אֶת־צֹאן הַהֲרֵגָה *Pasce oves occisionis*, i. e. occisioni destinatas, ut Ps. 44, 23. צֹאן טִבְחָה sunt *oves mactationi destinatae*. Quibus verbis propheta non recitat simpliciter, quale mandatum ipse a Deo acceperit, sed in genere docet, Deum semper officio boni

et fidi pastoris defunctum fuisse erga Judaeos, et adhibuisse etiam ministros, qui eum regerent et admonerent.

5. אֲשֶׁר קֹנֵיהֶן יַהַרְגֵן *Quarum possessores*, i. e. principes, *occidunt eas;* mactant quas pascere debebant. JARCHI illis principibus malis intelligi putat reges earum gentium, inter quas Israelitae exsules degebant. Sed ipsius populi Hebraici duces et proceres indicantur, qui in eos, quorum saluti prospicere debebant, caedibus et rapinis saevierunt. וְלֹא יֶאְשָׁמוּ *Nec rei fiunt*, ne culpam quidem, dum, quos regere debebant, occidunt, agnoscunt. Chaldaeus: *dicentes: non incumbit nobis peccatum.* וּמֹכְרֵיהֶן יֹאמַר *Et vendentium eas quisque dicit.* Iidem, quos modo *possessores* dixerat, sunt *venditores*, quatenus quaestum ex ovibus coptant. בָּרוּךְ יְהוָה וַאֶעְשִׁיר *Laudatus sit Jova*, gratias ago Jovae, *nam ditatus sum* ex ovibus divenditis. Adeo non agnoscunt se reos, ut Deum ipsum, tanquam auctorem opum injuste partarum laudent. וְרֹעֵיהֶם *Et* quisque *pascentium eos*, constructio ad sensum, quia homines intelligit. Chaldaeus generis enallagen statuit, vertit enim *et quis pascit eas.* Et in textu ipso hebraeo mox sequitur affixum femininum, לֹא יַחְמוֹל עֲלֵיהֶן *haud parcit eis*, ovibus.

6. כִּי לֹא אֶחְמוֹל עוֹד עַל־יֹשְׁבֵי הָאָרֶץ *Nam non parcam adhuc*, amplius, *incolis hujus terrae*, i. e. Judaeae, de qua loquitur. Sunt, qui hoc Versu Deum causam reddere existiment, cur populum rectoribus malis permittat; quod iratus illi ob sua peccata nulla erga eum clementia utatur. Verum simpliciter affirmare Deus videtur, vindictam suam fore justissimam in Hebraeos, quod operam suam sollicite eos pascendo illuserint. Quamquam enim nondum exposuit propheta quod infra videbimus, de populi ingratitudine, non tamen abs re abrumpit sermonem, uti indignatio semper aliquid fervoris habet, et in medio sermonis exclamat: *neque enim parcam amplius* rel. אֲנִי הִנֵּה מַמְצִיא אֶת־הָאָדָם אִישׁ בְּיַד־רֵעֵהוּ *Ego trado homines quemque in manum alterius*, ut ipsi intestinis discordiis in se saeviant; cf. 8, 10. Non sunt, inquit, amplius oves meae, quia non sustinent se a me regi, quum tamen optimum pastorem me senserint. Participium Hiphil אֲנִי מַמְצִיא proprie sonat: *faciam ut inveniatur*, vel ut praesto sit in manu alterius, i. e. traditurus sum, ut 2 Sam. 3, 8. לֹא הִסְגַּרְתִּיךָ בְּיַד דָּוִד *non tradidi te in manum Davidis.* וּבְיַד מַלְכּוֹ *Et* unumquemque *tradam in manum regis ejus*, qui eum divexet, vendat, aut occidat, Vs. 5. וְכִתְּתוּ *Et contundent* mali isti pastores s. principes, i. e. male adfligent et vastabunt terram.

7. Jam ut ostendat, quam ingratum se populus erga ipsum exhibuerit, docet, quantum curae in illo regnando adhibuerit. וָאֶרְעֶה אֶת־צֹאן הַהֲרֵגָה *Pavi gregem* s. *oves occisionis* Quae jam sequuntur sunt qui tanquam in visione sibi objecta vatem narrare, judicent. Nos quidem quae hic narrantur pro mera

parabola habemus. In verbis quae sequuntur, לָכֵן עֲנִיֵּי הַצֹּאן. interpretandis difficultatem creat vocula לָכֵן, quam Masora parva h. l. esse לשון נקבה i. e. *pronomen generis feminei* observat. Id vero לָכֶן (cum Segol sub כ) scribi debuit. Non desunt quidem similia exempla, כָּהֶם *secundum eos* (pro כָּהֵם) 2 Sam. 24, 3. Coh. 9, 12. al, et בָּהֵם *in iis*, Gen. 19, 19. 30, 26. Sed pronomen femineum hic sensum commodum vix facit. Nam sive vertas: *vobis, o miserae oves*, sive, *propter vos, o miserae oves*, neutrum est congruens. Hieronymus vertit: *propter hoc, o pauperes gregis!* scilicet ob mandatum Dei, Vs. 4. Sed accentus docent, לָכֵן arctius cum sequente Vocativo, quam cum antecedente verbo וָאֶרְעֶה *pavi* cohaerere. Accedit, quod adverbium causale iuitio potius quam in fine sententiae ponendum erat. Nos adstipulamur Jarchio, Kimchio et Storrio in *Observatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 314. not., לָכֵן asseverandi vim h. l. habere autumantibus, *firme, certe, profecto*, ut Gen. 4, 15. Jer. 5, 2., ut sit vertendum: *pavi*, s. *pascam oves profecto miserrimas.* Solent enim hoc modo Hebraei Superlativum exprimere, veluti 2 Paral. 21, 17. קְטֹן בָּנָיו *minimus filiorum ejus*, et Ezech. 28, 17. עָרִיצֵי גּוֹיִם *ferocissimae gentium.* Alexandrinus prius hujus Vs. hemistichium sic vertit: *καὶ ποιμανῶ τὰ πρόβατα τῆς σφαγῆς εἰς τὴν Χαναάνιν.* Legit igitur pro לָכֵן עֲנִיֵּי unam vocem לְכַנְעֲנִיֵּי, ut infra Vs. 11., ubi in nostris codicibus כֵּן עֲנִיֵּי exstat, idem ille interpres *οἱ Χαναναῖοι* posuit, quasi כְּנַעֲנִיֵּי legisset. Quum Cananita nonnunquam pro *mercatore* dicatur, ut Jes. 23, 8. Prov. 31, 24. Job. 40, 30. al. 23. (ad quem loc. vid. not.), et supra Vs. 5. venditores ovium memorentur, Jahnius in *Append. Hermeneut.* Fasc. I. p. 245. non dubitat, hoc loco esse לְכַנְעֲנִיֵּי הַצֹּאן legendum, et verba haec interpretatur: *pascebam oves occisioni destinatas pro mercatoribus ovium*, i. e. pro illis venditoribus et emtoribus, seu pro regulis vel ducibus seditiosorum. וָאֶקַּח־לִי שְׁנֵי מַקְלוֹת *Sumsi mihi duos baculos*, i. e. peda pastoralia duo. מַקֵּל, quod in universum *baculum* notat, et 1 Sam. 17, 40. 43. dicitur de baculo Davidis pastoritio, quo una cum lapidibus levibus Philistaeum aggressus est. *Duo* autem *peda* cum se adhibuisse dicit, se officio pastoris non vulgari modo functum esse, sed omnem hominum sollicitudinem in suo populo regendo superasse significat. Quod disertius declarant verba quae sequuntur: לְאַחַד קָרָאתִי נֹעַם *unum vocavi amoenitatem*, quo regimen dulce, mite et jucundum designari vix dubium est. לְאַחַד Kimchi notat cum duobus Patachin scriptum, quamvis non sit h. l. in statu constructo positum, quae punctandi ratio sit rarior. Pedum alterum se vocasse ait חֹבְלִים, pro quo Alexandrinus *σχοίνισμα*, et eum sequutus Hieronymus *funiculos* posuit; qui tamen hebraice חֲבָלִים vocantur, vid. Jes. 5, 8. Job. 36, 8. Esth. 1, 6. Neque commodum sensum hic *funiculorum* notio affert. Sed חֹבְלִים Participium verbi חָבַל esse apparet, quod in codice hebraeo duplici

significatu usurpatum reperitur, uno, *oppignerandi, pignus accipiendi*, altero, *perdendi, destruendi.* Quum vero earum significationum prior hoc loco sensum tolerabilem vix fundat, restat altera, qua adscita duorum illorum pedorum nomina significationes sibi invicem oppositas habebunt, unum videlicet fuerit מַקֵּל נֹעַם *pedum jucunditatis*, i. e. clementiae et magnitudinis, alterum מַקֵּל חֹבְלִים *pedum perdentium*, vel, *dolore afficientium.* Sed quum Deus munus pastoris obiret, non potuit pedum sumere ad perdendum gregem, nec dubium est, quin nomen hoc cum altero נֹעַם conjungat vates sensu bono. Quia vero infra Vs. 14. fracto pedo חֹבְלִים vocato concordia inter tribus Judae et Israelis sublata significetur, vix dubium, חֹבְלִים esse referendum ad *colligendi* notionem, quam verbum חָבַל apud seriores Hebraeos obtinet, a חֶבֶל *funis*, ut חֹבְלִים *colligantes* sint ligamina. Recte Ludov. de Dieu observat, حَبْل (חֶבֶל) apud Arabes non modo *funem*, verum et in Alcorano saepe *foedus* significare (vid. e. c. III, 97.); quia solennis Orientalibus ritus est, funem nectere seu nodare, cum foedus ineunt, quod عقد dicunt Arabes, et eundem rursus enodare, seu nodum dissolvere, cum foedus frangunt, quod نَقَضَ ipsis dicitur. Hinc et apud Hebraeos חֶבֶל significare *societatem hominum, catervam, turbam, multitudinem simûl proficiscentium*, qui quasi foedere inito socii sunt itineris, 1 Sam. 10, 5. 10. Ps. 119, 61. Neque tamen probandum est, quod Participium activum חֹבְלִים passive *sociatos* vertit, quum potius *ligantes* s. ligantia i. e. ligamina denotet. Hac vero duplicis pedi allegoria, quam in reliqua Capitis parte vates ulterius persequitur, significetne res praeteritas, an futuras, dissentiunt interpretes. Verum quid vates imagine hoc Versu proposita voluerit, consilium ejus tenenti vix dubium esse potest. Nam quum Dei in populo suo gubernando curam solliciti pastoris imagine sistat, boni pastoris vero sit, et de pascuis optimis gregi providere (Ps. 23, 2.), et curare, ne grex dissipetur (Jer. 23, 1. 2. Ezech, 34, 12. 16.), utrumque hoc Deum praestitisse ait. Si haec et quae proxime sequuntur pro futurorum praesagiis capis, interpretationem impeditam et lubricam fieri necesse est, quum imagines, quibus vates utitur, sint ejusmodi, ut non iisdem rebus gestis accommodari possint. Ceterum de futuris tribus demum postremis Versibus agit.

8. Initio Versus pergit vates ostendere, quam sollicite Deus in suo populo curando versatus sit. Est enim hoc proprium boni et industrii patris familias, gregem saepius inspicere, et mutare pastorem, si observet esse ignavum, vel non satis attentum ad partes suas. Dicit igitur: וָאַכְחִד אֶת־שְׁלֹשֶׁת הָרֹעִים בְּיֶרַח אֶחָד *exscidi tres pastores in mense uno*, id est, intra breve tempus delegi subinde novos pastores, et alios suffeci in aliorum locum.

Nam *mensis unus* hic capitur pro tempore exiguo, *tres* autem pastores significant *plures* indefinite. JARCHI tribus illis pastoribus intra unius mensis spatium excisis intelligit domum Achabi, Achaziae, ejusque fratres, a Jehu interfectos (2 Reg. 10. 11.), KIMCHI autem filios Josiae, Joachasum, Jojakimum et Zedekiam (2 Reg. 23. et 24.). Inter eos vero, qui hanc parabolam ad eventus Zacharia seriores referunt, ABARBENEL tribus illis pastoribus intelligit Maccabaeos, Judam, Jonathanem et Simonem, qui postquam per triginta annos rerum summae praefuissent, subita morte sunt sublati, vid. 1 Macc. 9, 1—20. 13, 23. 16, 16. Nec tamen illi intra unius mensis spatium excisi sunt. Quod ipsum obstat sententiae eorum, qui principes factionis in bello Judaico, Joannem, Simonem et Eleazarem indicari existimant; vid. JOSEPHUM *de bello Jud.* L. IV. C. 7. L. VII. C. 5. §. 6. et C. 8. JAHNIUS in *Append. Hermeneut.* Fasc. I. p. 246. observat, prophetam hic gerere personam pastoris, seu regis supremi, qui alios reges pro nutu loco movet. „Sistit itaque Messiam, et probabiliter illum legatum divinum, quem et 1, 12. 13. 4, 9. commemoravit. Pastores, seu duces, qui se reges gerebant, in bello Romano plures sublatos esse brevi temporis spatio, Josephus testatur, imo etiam, si numero insistatur, adducere possemus mox post mortem regis Herodis Judam, filium Ezechiae, Simonem, servum regium, et Astrongaeum, pastorem, quorum ausus et exitum narrat Josephus *de bello Jud.* L. II. C. 4. §. 1—3.; aut, si hi a belli temporibus nimium distant, adducemus ex ipso belli exordio Manahemum, Ananiam pontificem, et fratrem ejus Ezechiam, quorum finem describit Josephus *de B. J.* L. IV. C. 8 9. Addi possent tres praecipui pastores, vel potius tyranni, Joannes Gischalenus, Simon et Eleazarus celeberrimi duces seditiosorum, qui non solum populum opprimebant, sed etiam se invicem perdere conabantur, de quorum exitio conferatur Josephus l. c. L. VII. C. 8. §. 1—9. Verum his opus non est; nam in imagine nequaquam omnia ad vivum resecanda sunt, sed plura ad integritatem tantummodo imaginis spectant. Sufficit itaque, plures duces, qui reges esse volebant, brevi tempore sublatos fuisse, quod aliunde in rerum omnium perturbatione exspectandum est.“ Sed impeditam reddi hujus loci interpretationem, si eam ad futura referamus, supra monuimus. Postquam ostendit Deus, se nihil eorum omisisse, quod faceret ad gregem suum tuendum, jam in posteriori Versus hemistichio incipit narrare, quam parum responderint Hebraei tanto erga eos studio. וַתִּקְצַר נַפְשִׁי בָּהֶם *Sed abbreviatur anima mea in illis*, i. e. diutius eos ferre non potui. Vid. de hac phrasi, et Num. 21, 4. Jud. 16, 16. obvia, not. ad Job. 21, 4., et cf. similem loquutionem Ezech. 23, 17. 18. Chaldaeus h. l.: *rejecit verbum meum os.* Jam non loquitur de pastoribus, et falluntur, qui hoc cum eo quod praecedit ita conjungunt, quasi Deus ideo repudiaverit pastores, quoniam anima ejus fastidio affecta fuerit.

Convertit potius sermonem ad totum populum, et ostendit, quam maligni fuerint, qui tot beneficiis affecti ea non pro merito exceperunt, imo וְגַם־נַפְשָׁם בָּחֲלָה בִּי *et anima eorum fastidium habuit in me.* Sic in Plusquamperfecto et causaliter haec verba recte exposuit Chaldaeus: *propterea quod anima eorum fastidiverat cultum meum.*

9. לֹא אֶרְעֶה אֶתְכֶם *Non pascam vos*, abjiciam curam vestri; ita expositi eritis omnibus malis, et peribitis nemine opitulante. Similem in modum minatur Jova Deut. 31, 17. *derelinquam eos, et abscondam faciem meam ab iis, et devorabuntur atque consumentur.* הַמֵּתָה *Quae* scil. ovis *moritur*, i. e. quae in eo est ut moriatur, aut, quae brevi moritura est. Participio Hebraei nonnumquam exprimunt paulo post futurum. Simile Jon. 1, 3. *invenit navem euntem*, i. e. quae mox itura erat *Tarschischum.* תָּמוּת *Moriatur*, ruat ad mortem, ac malis omnibus obnoxia fiat, ego non curabo. Sensus est: quum non sint sanabiles, neque patiantur remedium suis malis, jam relinquo eos; experiantur, quid sit carere bono pastore. Quod breviter hic Noster idem propriis verbis dicit Jer. 15, 1. 2. 3. — וְהַנִּשְׁאֲרוֹת תֹּאכַלְנָה אִשָּׁה אֶת־בְּשַׂר רֵעוּתָהּ *Relictas vero* quod attinet, quae his malis fuerint superstites *devorent unaquaeque carnem sociae suae*, aliae alias devorent. Internis dissidiis peribunt et rabie quadam in mutuam perniciem agentur.

10. Confirmat quod superiore Versu dixerat, sed figura interposita. וָאֶקַּח אֶת־מַקְלִי אֶת־נֹעַם וָאֲגַדֵּעַ אֹתוֹ *Cepi baculum meum amoenitatem*, i. e. qui amoenitatis baculus vocabatur (Vs. 7.), *et confregi eum*, ut significarem, me non moderaturum eos posthac cum mansuetudine et clementia illa solita. לְהָפֵר אֶת־בְּרִיתִי אֲשֶׁר כָּרַתִּי אֶת־כָּל־הָעַמִּים *Ut irritum facerem foedus meum quod pepigi cum omnibus populis*, i. e. tribubus, quae, quasi totidem erant populi, et עַמִּים vocantur Gen. 49, 10. Deut. 32, 8. 33, 3. 19. Jud. 5, 14. Alii per כל־העמים exteros populos significari existimant, quibuscum foedus pepigerit Deus, ne laederent Israelitas et eis nocerent, quasi dicat: permittam gentibus, ut Israelitas invadant et affligant. Comparant Hos. 2, 18. (al. 20.), ubi Jova dicit, se foedus pepigisse Israelitarum causa cum bestiis agrestibus, ut illis nullo modo noceant; vid. not. ad eum loc. atque ad Job. 5, 23. Ezech. 34, 25. Sed illa similitudo huic loco non congruit. Certe Nostrum, si illud voluisset, לָהֶם *iis*, i. e. eorum commodo, ut Hoseae loco, addidisse verisimile est.

11. וַתֻּפַר בַּיּוֹם הַהוּא *Atque* sic *ruptum* s. abolitum *erit die illa* scil. foedus cum populo Hebraeo; me eorum curâ abdicavi, de quo Vs. 10. Chaldaeus: *et propterea quod violarunt foedus meum migrarunt tempore illo.* וַיֵּדְעוּ כֵן *Et cognoverunt ita*, scil. ex tali rerum eventu. עֲנִיֵּי הַצֹּאן הַשֹּׁמְרִים אֹתִי *Miserae oves gregis observantes me.* Chaldaeus: *afflicti, miseri populi,*

qui faciunt voluntatem meam. Significat, paucos tantum fuisse inter Hebraeos, qui reputarent secum, mala, quae postquam eorum curam abjecisset, in eos ingruerent, non casu, vel fortuna accidere, sed poenas suae contumaciae se luere. עֲנִיִּים ut עֲנָוִים sunt animo demisso, probi, vid. not. ad Ps. 25, 9.

12. Jam ostendit, quam vilipenderit Hebraeus populus inaestimabilem gratiam erga ipsum. וָאֹמַר אֲלֵיהֶם *Dixi ad eos*, Judaeos. Verba sunt prophetae, loquentis in persona Dei, qui mercedem poscit pro eo quod eos gubernavit. אִם רוֹב בְּעֵינֵיכֶם *Si bonum* est *in oculis vestris*, i. e. si vobis videbitur, et si aequum esse judicabitis, ut pro tot beneficiis in vos collatis, aliquam ego a vobis accipiam mercedem. הָבוּ שְׂכָרִי *Date mercedem meam*, quam labore in vos impenso merui. Chaldaeus: *facite voluntatem meam.* וְאִם־לֹא חֲדָלוּ *Si vero non*, *desistite*, s. *omittite*, ne date; q. d. non sum de mercede admodum sollicitus, licet jure mihi debeatur. Exprimit summam indignationem, ut si quis alicui suam ingratitudinem exprobrat. וַיִּשְׁקְלוּ אֶת־שְׂכָרִי *Et appenderunt mercedem meam*, more veterum, qui pecuniam pendere, non numero exponere solebant; vid. Gen. 23, 16. Esr. 8, 25. Esth. 3, 9. — שְׁלֹשִׁים כֶּסֶף *Triginta* videlicet *argenti* siclos, שְׁקָלִים, id nomen enim est subaudiendum in numeralibus, si cum nominibus זָהָב et כֶּסֶף cohaerent; vid. Levit. 27, 16. Num. 7, 13. 14. 2 Sam. 24, 24. Cf. Exod. 21, 32. כֶּסֶף שְׁלֹשִׁים שְׁקָלִים *argenti triginta siclos* solvet, cujus bos servum aut ancillam petiverit. Ceterum *triginta siclos*, quos Hebraei Deo tanquam mercedem pro tot in eos collatis beneficiis offercbant, non dubium esse pretium admodum vile, quale pro servo occiso solvebatur domino, Exod. 21, 32. Nostra verba Chaldaeus sic exposuit: *et fecerunt voluntatem meam viri aliquot.* Quem sequuti Jarchi et Kimchi: „fuerunt pauci inter illos boni, facientes voluntatem meam.“

13. הַשְׁלִיכֵהוּ *Projicite illud* pretium, s. illam mercedem, Vs. 12. De nomine יוֹצֵר dissentiunt interpretes. Notare constat generatim *omnem eum qui fingit ac format aliquid.* Quum usurpetur haud raro de Deo hujus mundi opifice, veluti Jes. 27, 11. 43, 1. 44, 2. 24. 45, 11. Hieronymus horum verborum sensum hunc esse dicit: „projice pretium meum ad *figulum*, qui creator et fictor est omnium.“ Pluribus V. T. locis יוֹצֵר dicitur de *figulo*, qui ex luto vel argilla vasa efformat, vid. 2 Sam. 17, 28. Ps. 2, 9. Jes. 29, 16. al. Hinc nonnulli haec verba interpretantur: *projice illud* pretium *ad figulum*, i. e. ut figulo detur pro agro ab ipso emendo, collato loco Matth. 27, 5 — 10., qui tamen quantopere ab hoc Zachariae discrepet utrumque comparanti patebit. Alii sic exponunt: *projice ad figulum*, ut emat sibi latcres vel tegulas ad reficiendum templum, cujus ad finem Versus fit mentio. Magis placet Grotii sententia: „*Ad figulum*, id est,

apud figulinam [יוֹצֵר, *χωνευτήριον*, *fornacem*, *in qua metalla conflantur*, reddit Graecus Alexandrinus]. Erat enim ibi area, in quam projiciebantur fracta templi fictilia; vid. Jerem. 19, 2. Projice, inquit, tanquam rem nihili, non pluris Deo faciendam quam fractum fictile." אֶדֶר הַיְקָר *Magnificentiam pretii*, i. e. magnificum illud et ingens pretium. Quae verba ironice dicta putant. אֲשֶׁר יָקַרְתִּי מֵעֲלֵיהֶם *Quo pretiosus habitus sum ab eis*, quo me meamque operam aestimarunt. Addit vates, se Dei mandatum exsequutum esse: וָאַשְׁלִיךְ אֹתוֹ בֵּית יְהוָה אֶל־הַיּוֹצֵר *et projeci illud* pretium *templum Jovae* versus *ad figulum* s. *figulinam*. בֵּית יְהוָה non, uti plures volunt, *in domum Jovae*, sed *versus* s. *prope* illam, subaudito לְ, vertendum esse, res ipsa docet; nam *in templo* figuli non erant. Matthaeus Evangelista postquam 27, 1—8. retulisset, synedros pecuniâ a Juda proditore redditâ et in templum projectâ figuli agrum emisse, ubi peregrini sepelirentur, haec addit Vs. 9. 10.: *Τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν διὰ Ἱερεμίου τοῦ προφήτου, λέγοντος· καὶ ἔλαβον τὰ τριάκοντα ἀργύρια, τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου ὃν ἐτιμήσαντο, ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ, καὶ ἔδωκαν αὐτὰ εἰς τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως, καθὰ συνέταξέ μοι κύριος.* Haec vero quum in Jeremiae vaticiniis, quae supersunt, non exstent, Matthaeum hunc quem tractamus libri Zachariani locum spectasse, post Eusebium *Demonstrat. Evangel.* L. X. p. 481. edit. Paris. 1628., et Hieronymum in *Commentar.* ad Matth. 27, 10., interpretes fere existimant. Cur vero in Evangelio pro Zachariae nomine Jeremiae nomen sit positum, alii alias comminiscuntur causas, quas h. l. enarrare non attinet. Verum si *figuli* et *triginta siclorum* commemorationem in utroque loco demas, nihil in iis est, in quo conveniant.

14. וָאֲגַדֵּעַ אֶת־מַקְלִי הַשֵּׁנִי אֶת הַחֹבְלִים *Deinde* autem, postquam concidissem amoenitatis pedum (Vs. 10.); *concidi* quoque *pedum meum alterum*, *foederati* dictum, vid. Vs. 7. לְהָפֵר אֶת־הָאַחֲוָה *Ad irritam faciendam*, abolendam *fraternitatem*; nomen abstractum ab אָח *frater* formatum, hoc solo loco obvium, convenit cum Arabico أَخْوَة. בֵּין יְהוּדָה וּבֵין יִשְׂרָאֵל *Inter Judam et inter Israelem.* Alluditur hic manifeste ad priscam illam populi divisionem in *Judam* et *Israelem*, tempore Rehabeami et Jeroboami factam, 1 Reg. 12, 20. sqq., quae tot malorum fons erat.

15. Adverbium עוֹד, *adhuc*, respicit ad superiora, quasi dicat: quemadmodum supra Vs. 3. 5. et 10, 2. 3. contra malos Judaeorum pastores vaticinatus es, sic ad continuandum idem hoc argumentum *porro* vel *ulterius* קַח־לְךָ כְּלִי רֹעֶה *sume tibi vas*, i. e. instrumenta, sive quicquid est pastoralis suppellectilis, ut 1 Sam. 17, 40. כְּלֵי הָרֹעִים, et ibid. Vs. 49. כְּלִי de *pera pastorali* dicitur. Hieronymus: „Vasa pastoris insignia illius et habitum debemus accipere, peram, baculum, fistulam et sibilum."

אִוֶּלֶת *Stulti*, i. q. אִוִּיל Job. 5, 2. 3. addita terminatione Adjectivi ־ִי. Qui mox Vs. 17. dicitur cognato vocabulo רֹעִי הָאֱלִיל, *pastor vanitatis*, s. vanus. Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. C. 44. T. I. p. 503. edit. Lips., non se intelligere professus, quomodo pastor stultus a bono ex solo habitu possit distingui, putat prophetam a Deo jussum, pastorem quidem veste, pera, pedo, sed ejus stultitiam factis expressisse, dum scilicet ovium gregem, qui in divisione adparebat, susque deque haberet. Sed verisimilius Hebraei suppellectili pastoris fatui significari docent peram pertusam ac perforatam, quae continere non potest quae necessaria sunt et pastori et ovibus ipsis. Grotius pedum ferratum, cujus incussu pecudes occiduntur, peram, in qua nihil sit ovibus utile, et similia intelligit. Ceterum sensum verborum, *sume tibi vasa vastoris stulti*, Chaldaeus recte sic expressit: *vaticinare de gubernatore stulto.*

16. הַנּוֹכְחָדוֹת לֹא־יִפְקֹד *Pereuntes*, gravissime aegrotantes et afflictas oves (vid. Vs. 9.) *non visitabit*, non curabit. הַנַּעַר, proprie *puerum*, nonnulli interpretantur teneras oves, agnos, qui quum prae imbecillitate progredi non possint, in agro derelinquuntur. Jarchi *stultas oves*, *quae ad caulam ire nesciunt* indicari ait. „In qua interpretatione," inquit Bochartus l. c. p. 489., „durum hoc videbitur, quod נַעַר vocetur *agnus*, quum alibi semper de homine usurpetur, hoc est, locis plus quam ducentis. Et vel si *agnum* intelligas, tamen haec parum cohaerebunt, *agnum non requiret.* Agnus enim non saepe quaeritur, quia vix aberrat a grege, et matrem solet sequi. Proinde in parabola Matth. 18, 12. non quaeritur agnus, sed ovis, quae vagabatur." Quae quum ita sint, הַנַּעַר h. l. potius explicandum ex Arabico نَعَرَ *peragravit regionem*, *huc illuc profectus fuit*, et النَّعِرُ est *vir instabilis*, *sedes mutans.* Chaldaeis quoque נְעַר est *excutere*, *dejicere*, *commovere*, *movere ultro citroque*, *et de loco in locum transferre.* Est igitur הַנַּעַר scil. צֹאן s. שֶׂה, ovis quae e loco in locum palabunda migrat. Eodem sensu hanc vocem ceperunt hic veteres. וְהַנִּשְׁבֶּרֶת לֹא יְרַפֵּא *Et fractae*, i. e. quae os fractum aut luxatum habet, *non medebitur.* Cf. Ezech. 34, 4. וְלַנִּשְׁבֶּרֶת לֹא חֲבַשְׁתֶּם *et fractam non obligastis.* Quum tamen ossa frangi in ovibus rarissimum sit, hic vero de eo sit sermo, quod fieri solet, mallem per נִשְׁבֶּרֶת *vulneratam* intelligere. Nam verba *frangendi* ad *vulnerationes* transferri, docent cognatae dialecti. הַנִּצָּבָה לֹא יְכַלְכֵּל Hieronymus vertit: *id quod stat non enutriet.* Quam interpretationem probat Bochartus, „*stans*," inquiens, „hic opponitur *jacenti* et *ex morbo decumbenti.* יְכַלְכֵּל autem *sustentabit*, nempe cibo et alimento explicat. „Nam," addit, „ut confractis et aegris medela opus est, ita stantibus et valentibus alimento, quo bona illa habitudo

conservetur, et perseveret in statu suo.“ Nos tamen haud dubitamus praeferre Chaldaci interpretationem, *qui stant*, i. e. qui restitant, et non possunt e loco se movere prae lassitudine, aut morbo, *non portabit*. Verbum כָּלַכְל *sustinere*, *ferre* significat Ps. 55, 23. Jer. 20, 9. Mal. 3, 2. Prov. 18, 14. נְצָבָה autem C. B. MICHAELIS in *Annotatt.* ad h. l. bene confert cum Arabico نَصَبَ *lassus fuit*, *laboravit*, unde nomen نَصَبٌ *lassitudo*, peculiariter *ex itinere*, atque وَصَبٌ, quod non tantum *perennis*, *continua et firma fuit res*, verum etiam *aegrotavit* significat, hincque وَصَبٌ *morbus*. וּבְשַׂר הַבְּרִיאָה יוֹכַל *Et carnem pinguis comedet*, quod Chaldaeus exposuit: *et opes divitum diripiet*. וּפַרְסֵיהֶן יְפָרֵק *Et ungulas earum divellet*, fatigando eas et nimium properando per ardua saxa aut scopulos, ut ungulae rumpantur. Chaldaeus figurata prophetae verba propriis expressit: *et reliquias earum* (praeter pingues s. divites) *consumet*.

17. רֹעִי הָאֱלִיל *Pastor nihili* s. *vanitatis*, i. e. vanus et stolidus, cf. Vs. 15., ut Job. 13, 4. רֹפְאֵי אֱלִיל *medici vanitatis*, inepti. רֹעִי idem quod רֹעֶה *pastor*, ut Jes. 38, 12. Vel Jod, elisa litera ה est paragogicum, quale in עֹזְבִי, quod mox sequitur. Jarchi similia exempla affert Deut. 33, 16. שֹׁכְנִי סְנֶה *habitans rubum*, et Mich. 7, 14. שֹׁכְנִי לָבָדָד *habitans solitarie*. עֹזְבִי הַצֹּאן *Qui relinquit oves*. JARCHI: qui permittit eas tanquam rem liberam et communem cuicunque qui venit, ut interficiat vel praedetur illas. Chaldaeus: *vae super gubernatorem stultum, cui commendatus est populus ad gubernandum*. Verbis quae sequuntur, חֶרֶב עַל־זְרוֹעוֹ וְעַל־עֵין יְמִינוֹ *gladius super brachium ejus et super oculum ejus dextrum*, Nostrates poenam denuntiari existimant pastori illi nequam, ut sensus sit, gladium, s. excidium immissurum esse Deum brachio et oculo suo dextro, i. e. fore, ut malus ille princeps potentia sua atque calliditate privetur. Verum ultio divina altero demum hemistichio denuntiatur, ubi illius lacertus exsiccandus et oculus caligandus dicitur, quorum neutrum fit gladio. Quare nos sequimur Chaldaeum, ex cujus interpretatione haec verba pertinent ad descriptionem mali pastoris: *qui similis est lanioni*, *in cujus manu est culter*, *et cujus oculus* directus est *super pingues ad mactandum*. Ita et JARCHI: „Pastor ille cultrum mactationis gerit manu sua, ut mactet oves pingues atque valentes, in quas oculum suum dextrum conjecit, ut videat, quinam (inter suos subditos) sint divites, quo eorum opes diripiat et consumat.“ Dicitur itaque non solum brachium, verum et oculus mali istius pastoris gladio instructus, quod aciem oculorum malo animo et nocendi cupido intendit. זְרוֹעוֹ יָבוֹשׁ תִּיבָשׁ וְעֵין יְמִינוֹ כֵּהֹה תִכְהֶה *Quare brachium ejus*, quo nefarie abutitur

ad oves deglubendas et mactandas, *arescendo arescet*, adeoque debile et impotens fiet, *et oculus ejus dexter*, quo explorabat oves pingues, quas culinae suae destinaret, *caligando caligabit*. Oculi dextri excaecationem fuisse et turpitudinis et probrii, patet ex 1 Sam. 11, 2., ubi narratur, Nahasum, Ammonitam, nonnisi ea conditione cum Israelitis pacem facere voluisse, si eis omnibus dextros oculos effoderet, eoque dedecore omnes Israelitas adficeret. Quaerunt interpretes, pastore illo pessimo, qui Vs. 15. 16. 17. describitur, quisnam designetur? Atque veteres quidem e Christianis interpretes, ut Hieronymus, Theodoretus, Cyrillus, alii, Anti-Christum quendam, quem Judaei verum Messiam reprobantes, ducem sint sequuturi, describi existimant. E recentioribus alii alium tribus hisce Versibus adumbratum statuunt. Nobis quidem vates simpliciter hoc praedicere videtur, Jovam, abjectâ prorsus populi tam ingrati curâ, illum crudeli tyranno vexandum permissurum esse, qui tamen et ipse, postquam per aliquod tempus rapinis et caedibus in miserum populum grassatus fuisset, saevitiae suae poenas sit daturus. Quisnam vero talis in rerum gestarum memoria exstiterit, frustra aliquis indagaverit.

III.

CAP. XII. XIII.

Argumentum.

Omnes populi, ne exceptis quidem Judaeis, quippe qui ad id vi adigentur, urbem Hierosolymitanam circumsedebunt atque oppugnabunt; sed amentes facti a Jova hostes barbari obsidionem solvere coacti erunt, et Hierosolyma salva et incolumis manebit; Judaei vero ad mentem meliorem reversi peccata superioribus temporibus a se in Jovam commissa acerbe plangent (12, 1—14.). Tum persequitur descriptionem temporum feliciorum, quibus Hebraei sint redituri, simulacra exscindenda, et vates mendaces perdendi (13, 1—6.). Totus terrarum orbis ita perpurgabitur ab impiis, ut excisis duabus incolarum partibus remaneat tertia pars, quae explorata probataque Jovam sincere et ex animo colet (Vs. 7. 8. 9.).

1. מַשָּׂא דְבַר־יְהוָה *Pronuntiatio verbi Jovae*, cf. de hac dictione not. ad 9, 1. יִשְׂרָאֵל *De* s. *super Israele*, non: *contra* Israelem. Neque enim mala praenuntiat Israelitis prophetia quae sequitur, sed vindicandos illos et liberandos ex hostium potestate promittit. Ceterum ישראל h. l. non regnum decem tribuum, s. Ephraimiticum designare, ut supra 11, 14.; sed universum populum Hebraeum, omnes Jacobi s. Israelis posteros, inde patet, quod per totum vaticinium non Samaria, sed Hierosolyma regni caput sistitur. Et Versibus 7. 8. 10. diserte memorantur *tentoria Judae* servanda et *domus Davidis*. נֹטֶה שָׁמַיִם *Qui expandit coelum*, veluti cortinam, cf. Jes. 40, 22. 44, 24. 45, 12. Recte observat Kimchi, addi hoc, et quae sequuntur Dei epitheta, ut innuat, esse in illius potestate destruere et aedificare; non esse igitur cur quis dubitet, non posse Jovam illa, quae jam praedicturus est, quantumvis mira et paene fidem superantia, re ipsa praestare. וְיֹסֵד אֶרֶץ *Et qui fundat terram*, ut firma sit, quasi fundamento firmissimo inhaereat. וְיֹצֵר רוּחַ־אָדָם בְּקִרְבּוֹ *Et qui format spiritum hominis in medio ejus*, qui homini spiritum vitalem indit.

2. סַף־רַעַל Chaldaeus recte vertit: *vas repletum ebrietate.* סַף, quod alias, veluti Exod. 12, 22. 2 Reg. 7, 50. 2 Reg. 12, 14. *pelvim* notat, hic pro *calice* usurpatur, quemadmodum מִזְרָק *phiala*, e qua sanguis victimarum spargebatur, Amos 6, 6. pro

vase potatorio ponitur. Convenit utrumque cum Latino *simpulum*, quod lignei vasis genus erat in sacris adhibitum. Significatur calix vel potus, cujus haustu tanta gignitur sensus et animi perturbatio, ut in vertiginem agat ebrios. Cum vero Jova dicitur Hierosolymam reddere velle calicem, sive potum inebriantem omnibus finitimis populis, hoc significatur: populi undique magno cum ardore ad Hierosolymam confluent, velut sitim suam ejus expugnatione et direptione restincturi; sed hic potus, quem sitiunt, male illis cedet; ita enim eos inebriabit, ut vertigine correpti ruant, atque ad mortem soporentur. Sic minatur Jova Babyloniis Jerem. 51, 39. *Cum incaluerint* vino, *adponam illis potum ipsorum, et inebriabo eos, ut exsultent, atque ut somno sopiantur aeterno, non expergefaciendi.* Et eod Cap. Vs. 57. repetit Jova, se Babylonis principes et sapientes, et praetores, et praesides et milites ita inebriaturum, ut somnum dormiant aeternum. וְגַם עַל־יְהוּדָה יִהְיֶה בַּמָּצוֹר עַל־יְרוּשָׁלִָם *Et etiam super Juda erit*, i. e. Judae incumbet, seu, etiam Judae tenebitur sive cogetur, esse *in obsidione contra Hierosolymam.* Particula עַל hic debitionis nota est, et quidem onerosae, ut Ps. 56, 13. Ezech. 45, 17., ad quae loca vid. not. Bene Chaldaeus sensum expressit: *et etiam quod attinet viros domus Judae, adducent eos gentes, per vim coactos in obsidionem contra Jerusalem.* Convenit Hieronymus: „Sed et Judas, obsessâ Jerusalem, est captus a gentibus, et in illarum transiens societatem cogetur obsidere suam metropolim.“ Judaeos contra suam ipsius metropolim pugnaturos esse, disertis verbis dicitur infra 14, 14.

3. Verborum אָשִׂים אֶת־יְרוּשָׁלִַם אֶבֶן מַעֲמָסָה לְכָל־הָעַמִּים *ponam Hierosolymam lapidem oneris omnibus populis*, sensum bene declaravit Hieronymus: „Mos est in urbibus Palaestinae, et usque hodie per omnem Judaeam vetus consuetudo servatur, ut in viculis, oppidis et castellis rotundi ponantur lapides gravissimi ponderis, ad quos juvenes exerceri se soleant, et eos pro varietate virium sublevare, alii usque ad genua, alii usque ad umbilicum, alii ad humeros et caput, nonnulli super verticem, rectis junctisque manibus, magnitudinem virium demonstrantes pondus extollant. In arce Atheniensium juxta simulacrum Minervae vidi sphaeram aeneam gravissimi ponderis, quam ego pro imbecillitate corpusculi movere vix potui. Quum autem quaererem, quidnam sibi vellet; responsum est ab urbis ejus cultoribus, athletarum in illa massa fortitudinem comprobari, nec prius ad agonem quendam descendere, quam ex levatione ponderis sciatur, quis cui debeat comparari. Sensus ergo iste est: ponam Jerusalem cunctis gentibus quasi gravissimum lapidem sublevandum. Levabunt quidem eam, et pro virium varietate vastabunt; sed necesse est, ut dum levatur, in ipso nixu et elevatione ponderis gravissimus lapis scissuram aliquam vel rasuram in levantium

corporibus derelinquat.“ כָּל־עֹמְסֶיהָ *Omnes levantes eam*, quotquot eam susceperint ac sibi ad bajulendum imposuerint, loco illam moturi. שָׂרוֹט יִשָּׂרֵטוּ Hieronymus non male vertit: *concisione lacerabuntur.* Chaldaeus: *diripiendo diripientur.* Hemistichio altero illustratur prius, quasi diceret: non ab re dixi, exitiosum fore *omnibus gentibus*, quod Hierosolymam oppugnare susceperint, וְנֶאֶסְפוּ עָלֶיהָ כֹּל־גּוֹיֵי הָאָרֶץ *congregabunt enim sese contra eam omnes gentes terrae.*

4. אַכֶּה כָל־סוּס *Percutiam omnem equum* scil. hostilem, *populorum*, ut recte Chaldaeus addidit, et in ipso textu ad Versus finem legitur. בְּתִמָּהוֹן *Stupore*, ut insanus ac praeceps sessorem secum ad exitium rapiat. וְרֹכְבוֹ בְּשִׁגָּעוֹן *Et* omnem *sessorem ejus* percutiam *cum amentia*, omne consilium et mentem illis adimam, ut in exitum gravissimum dent sese praecipites. וְעַל־בֵּית יְהוּדָה *Super domum Juda vero*, „qui contra metropolim suam facere aliquid cogebantur,“ uti addit Hieronymus. Hi igitur excipientur a sorte populorum hostilium, a quibus ad pugnandum adacti fuerant, qui pugnaverant inviti. אֶפְקַח אֶת־עֵינָי *Aperiam oculos meos*, ad custodiendum eos a plaga, qua hostes percutiam. Chaldaeus: *manifestabo potentiam meam ad benefaciendum eis.* Similis phrasis est Deut. 11, 12, ubi *Jovae oculi continuo directi* dicuntur *in terram* Hebraeorum; et 2 Reg. 8, 52., ubi Salomo precatur, ut *oculi Jovae aperti sint ad benevolentiam* populo suo exhibendam. Vid. et Ps. 32, 8. 33, 18. 34, 16.

5. וְאָמְרוּ אַלּוּפֵי יְהוּדָה בְּלִבָּם *Et*, cum videbunt hostes amentia, eorumque equos stupore et caecitate percussos, se vero calamitate ereptos, *dicent duces Judae* (de quibus vid. supra 9, 7.), scil. illi ipsi, quos obsidere secum Hierosolymam hostes coegerant, *in corde suo.* In hemistichio altero interpretationis diversitatem creat vox אֲמָצָה, hoc solo loco obvia. Hieronymus: „Pro eo quod nos diximus: *confortentur mihi*, et LXX transtulerunt: *εὑρήσομεν ἑαυτοῖς*, *inveniemus nobis*, in hebraico scriptum *emsa li*, quod Aquila transtulit *καρτέρησόν μοι*, id est, *conforta mihi*, ut sensus sit: optabunt chiliarchi, et tribuni, ac duces Juda, ac vota facient in abscondito mentis arcano, ut Deus confortet habitatores Jerusalem in Domino Deo suo, et vincant adversarios suos.“ Quae quidem interpretatio locum haberet, si אַמְצָה scriptum esset, Imperativus Piel, cum ה paragogico. Sed quum מ sit Dagesch forti destitutum, אֲמָצָה pro nomine habendum erit formae אַשְׁמָה *reatus*, Levit. 22, 16., et אַשְׁפָּה *pharetra*, Jes. 22, 6., *robur* denotans, ut masculinum אֹמֶץ Job. 17, 9. Pro nomine cepit quoque Chaldaeus, qui vertit: *inventa est salus incolis Hierosolymae per verbum Jovae*, quasi pro binis vocibus לִי יֹשְׁבֵי legisset unam, לִיֹשְׁבֵי. Kimchi: „Dicent, cum fuerint inter hostes suos: *robur mihi* erunt *incolae Hierosolymae*, quippe exituri ad pugnandum, *auxilio Jovae Dei*

sui, atque sic nos eripiemur per illos.“ Alii statuunt asyndeton et ellipsin praefixi לְ ante יֹשְׁבֵי, ut sit vertendum: *robur est mihi et habitatoribus Jovae in Hierosolyma*, q. d. antea pavidi, nunc pleni fiduciae ac fortitudinis divinae sumus. Mihi tamen potior videtur Kimchiana interpretatio.

6. אָשִׂים אֶת־אַלְפֵי יְהוּדָה כְּכִיּוֹר אֵשׁ בְּעֵצִים *Ponam*, reddam, *duces Judae sicut focum ignis inter ligna.* Illi ipsi, qui modo ab hostibus contra suos pugnare coacti fuerant, arma nunc in hostes vertent, et suis dominabuntur exactoribus. כִּיּוֹר 1 Reg. 7, 38. *labrum*, et 1 Sam. 2, 14. *vas coquendis carnibus*, hic vero, ubi cum אֵשׁ conjungitur, *pelvim* s. *focum ignis* significat, a כּוּר, Arabice كَارَ (pro كَوَرَ) *spirali forma*, s. *in gyrum circumvolvere*, quemadmodum דּוּר Ezech. 24, 5. et מְדוּרָה ibid. Vs. 9. *pyram* notat, a כָּרַר (כָּרַר) *circumivit*, quasi in circulum congesta, et ardens. Quod huic loco cum primis convenit, ubi principes Judae sub allegoria ignis dicuntur populos consumere *circumquaque.* Cf. כִּירִים Levit. 11, 35. et ad eum loc. not. בְּעֵצִים *Inter ligna*, quae sicut ab igne consumuntur, sic hostes suos consument principes Judae. Eandem imaginem vid. Obad. Vs. 18. — וְכִלַּפִּיד אֵשׁ בָּעֳמִיר *Imo sicut facem ignis* scil. reddam principes Judae *in manipulo*, sive collective, *in manipulis* demessae segetis, qui multo facilius, quam ligna, propter ariditatem suam conflagrant. וְאָכְלוּ *Et consument*, sicut ignis materiam; continuatur enim allegoria, cf. Obad. Vs. 18. — עַל־יָמִין וְעַל־שְׂמֹאול *Versus dextram et versus sinistram*, i. e. quaquaversum, ut Jes. 9, 19. 54, 3. Job. 23, 9., quod sequens docet particula סָבִיב *circumquaque*, per epexegesin apposita. Chaldaeus: *ab austro et ab aquilone. Dextra* enim, quae Hebraeis australis, *sinistra*, quae borealis (cf. Gen. 14, 15. *Damasco ad septentrionem*), junctae hic veniunt per synecdochen pro universis mundi plagis, ut Ps. 89, 13. — אֶת־כָּל־הָעַמִּים *Omnes populos*, quibus se antea ad Hierosolymam oppugnandam coacti junxerant. Postquam hemistichio priore descripsisset hostium interitum, jam porro quae inde sequetur Hierosolymae tranquillitatem et pacem describit. Quod autem dicit, וְיָשְׁבָה יְרוּשָׁלַם בִּירוּשָׁלַם *habitabit Hierosolyma in Hierosolyma*, ejus urbis nomen primo accipitur, per metonymiam, pro incolis, qui in ea continentur, deinde proprie de ipsa urbe. עוֹד *Adhuc*, porro, ut antea et olim, ut supra 1, 17. 2, 16. — תַּחְתֶּיהָ *Subter se*, i. e. in loco suo, inconcussa et tranquilla futura; pro quo infra 14, 11. dicitur וְיָשְׁבָה יְרוּשָׁלַם לָבֶטַח *sedebit Hierosolyma secure.* Chaldaeus: *et prosperabitur Hierosolyma.* Hieronymus: ut rursum habitetur Jerusalem in loco suo, et nequaquam hostiles impetus timeat.

7. אָהֳלֵי יְהוּדָה *Tentoria Judae*, quae manifeste hic opponuntur Hierosolymae, capiti, s. metropoli Judaici regni. Chaldaeus

recte exponit *oppida domus*, tribus, *Judae.* Et HIERONYMUS: urbes, et oppida, ac villas, et viculos tribus Judae, qui direpti fuerant, atque vastati, instaurent. בָּרִאשֹׁנָה *In principio*, i. e. prius (ut Gen. 13, 4.), quam Hierosolymam. Quod JARCHI sic interpretatur: „antequam egrediantur Hierosolymitani ad pugnandum contra hostes.“ Itaque sensus est, gloriam victi hostis non penes Hierosolymitanos futuram, quippe post superatum demum hostem ex urbe exituros, sed penes Judam, qui supra Vs. 6. dicebatur ignis instar hostes circumquaque absumturus; aut penes ipsum potius Jovam, qui hostes amentia et caecitate percusserit (Vs. 4.), Judam vero robore induerit ad hostes jamjam confusos ulterius debellandos. Ratio indicatur, cur Jova prius oppida Judaica, quam metropolim ex hostium potestate liberasset: לְמַעַן לֹא־תִגְדַּל תִּפְאֶרֶת בֵּית־דָּוִיד *ut ne magna fiat gloriatio domus Davidis*, i. e., ut recte Hieronymus vertit, *ut non magnifice glorietur domus David*, quasi principum virtus et metropolcos munimenta hostes debellassent. HIERONYMUS: Et nequaquam domus regia, et inclyti ac magnifici tribus Juda, et habitatores Jerusalem glorientur adversus tribum Juda, quod suo regatur imperio, suo consilio gubernetur; sed sciant, quod Domini sit in utrisque victoria.

8. הַנִּכְשָׁל *Qui labitur*, i. e. debilis, infirmus, posito consequenti pro antecedente, ut 1 Sam. 2, 4., נִכְשָׁלִים *lapsantes* opponuntur *fortibus*. Cf. Ps. 31, 11. et ad cum loc. not. Recte igitur LXX ὁ ἀσθενῶν verterunt, et Chaldaeus *qui debilis*, atque Syrus *imbecillis*. *Debilis* vero hic dicitur comparate ad alios, qui fortiores sunt, quasi diceret: Deus adeo roborabit illos, ut, qui eo tempore *infirmus* dicetur, futurus sit כְּדָוִיד *sicut* olim *David*, heros fortissimus, quemadmodum Jes. 65, 20. tanta promittitur longaevitas, ut *puer* sit dicendus, qui centum annos habet. וּבֵית דָּוִיד כֵּאלֹהִים *Et domus Davidis*, populi proceres et antistites, *sicut Deus*, pro quo Hieronymus posuit: *quasi Dei* scil. domus, Alexandrinum Graecum interpretem sequutus, qui ὡς οἶκος Θεοῦ vertit. *Domo* autem s. *familia Dei* vix dubium significari *angelos*, quos et Chaldaeus videtur intellexisse, quippe qui interpretatus est: *sicut principes prosperi erunt.* כְּמַלְאַךְ יְהוָה לִפְנֵיהֶם *Sicut nuntius Jovae ante eos*, i. e. ut recte Syrus: *qui ante eos* fuit. Respici videtur ad historiam eductionis ex Aegypto, ubi Jovae angelus castra Israelitica, ut sui populi dux, praecedebat, vid. Exod. 14, 19. 23, 20.

9. אֲבַקֵּשׁ nonnulli vertunt *requiram*, scil. opera et facta gentium Judaeis inimicarum, poenas ab iis repetam, ut justus judex, uti verbum בָּקַשׁ 1 Sam. 20, 16. Ezech. 3, 18. 20. usurpatur. Sed hoc loco cum sequente Infinitivo לְהַשְׁמִיד *quaeram*, operam dabo, *exscindere* est vertendum, notatque operam huic rei impendendam, ut supra 6, 7. in וְיָבְקְשׁוּ לָלֶכֶת אֵת־כָּל־הַגּוֹיִם הַבָּאִים עַל־יְרוּשָׁלָם Vid. supra Vs. 2. 3. 4. 6.

10. וְשָׁפַכְתִּי *Tum vero*, postquam gentes illae inimicae deletae fuerint, *effundam*, quod verbum doni largitatem et copiam indicat; cf. not. ad Joel 3, 1. עַל־בֵּית דָּוִיד וְעַל יוֹשֵׁב יְרוּשָׁלַם *Super domum Davidis et super incolas Hierosolymae*, quibus, quamvis supra Vs. 7. a *tentoriis Judae* distinguuntur, hic tamen, per synecdochen, ceteri quoque Judaei comprehenduntur, quod apparet ex effectu effusionis per singulas Judaici populi familias, Vs. 12. 13. 14. רוּחַ חֵן וְתַחֲנוּנִים *Spiritum gratiae et precum*, i. e. recte explicante Grotio, animum illis dabo, quo gratiam meam submissis precibus implorent. וְהִבִּיטוּ אֵלַי *Et respicient ad me*, tanquam Deum suum, a quo auxilium et salutem exspectant. Pro אֵלַי in codicibus quam plurimis legitur אֵלָיו *ad eum*, qualis a persona prima ad tertiam transitus saepius observatur, veluti Ps. 81, 17. Jes. 42, 24. אֵלָיו expressit quoque Joannes, Evangelista, 19, 37., ubi nostrum locum Jesu, Messiae, cruci adfixo, accommodat. אֵת אֲשֶׁר־דָּקָרוּ *Quem confoderunt*, i. e. probris lacessiverunt. Convenit דָּקַר sensu h. l. cum נָקַב, quod quum proprie *perfodere* significet, saepe dicitur de eo, qui nomen aut famam alicujus malis dictis laedit, aliquem contumeliose tractat et exsecratur, vid. Prov. 11, 26. Num. 23, 8. 25., et de exsecratione nominis divini dicitur Levit. 24, 11. Rectissime Joa. Calvinus in Commentario ad Jo. 19, 37. de nostro loco ita disseruit: „Locum hunc qui secundum literam de Christo exponere conantur, nimis violenter torquent. Nec vero in hunc finem ab Evangelista citatur, sed potius ut ostendat, Christum esse Deum illum, qui olim conquestus fuit per Zachariam, sibi pectus a Judaeis transfodi. Illic autem Deus hominum more loquitur, significans, perinde se vulnerari populi sui sceleribus, ac praesertim obstinato verbi sui contemtu, ut letale est in homine mortali vulnus, cui cor est transfixum, sieut alibi dicit, spiritum suum moerore esse affectum.“ וְסָפְדוּ עָלָיו *Et plangent* poenitentia ducti *super illum*, sive, ut alii cum Jarchio volunt, suffixo neutraliter accepto, *propter illud*, quod illum confoderint. Sed praestat suffixum masculinum ad personam, de qua proxime antea, referre, et vertere: *propter eum* impie quondam a se confossum. Requirit id adjecta comparatio luctus *super unigena et primogenito*, ubi עַל personis praemittitur. Cf. 2 Sam. 11, 26. *planctum edidit* עַל־בַּעְלָהּ *propter maritum suum.* Nec impedit pronomen in persona tertia positum, quum antea Jova in persona prima de se loquutus esset. Solent enim Hebraei primam ac secundam personam post relativum אֲשֶׁר sive expressum, sive subaudiendum, mutare in tertiam, veluti Jes. 28, 16. הִנְנִי יִסַּד *en me* qui *fundavit;* et Thren. 3, 1. אֲנִי הַגֶּבֶר רָאָה עָנִי *ego* sum *vir qui vidit*, expertus est, *adflictionem.* Dicit igitur, Judaeos propter Jovam, indigne ab ipsis habitum, planctum edituros, et quidem non vulgarem, sed כְּמִסְפֵּד עַל־הַיָּחִיד *tanquam planctum super unigenito*, cujus mors parentibus orbis longe

luctuosissima solet esse. Eadem phrasi luctus acerbus exprimitur Jer. 6, 26. Amos 8, 10., ad quem loc. cf. not. וְהָמֵר *Et amare lugendo* scil. *amare agent*, subaudiendum est בֶּכִי, phrasis legitur plene Jes. 22, 4. אֲמָרֵר בֶּכִי *acerbe agam in fletu*, i. e. acerbe flebo. כְּהָמֵר עַל־הַבְּכוֹר *Instar acerbi fletus super primogenito*, qui apud Hebraeos reliquis fratribus praeferre solebat, uti patet e Gen. 49, 3. Deut. 21, 17.

11. Luctus illius poenitentium Hebraeorum magnitudo illustratur per comparationem cum alio ingenti, eoque publico et universali luctu: כְּמִסְפֵּד הֲדַדְרִמּוֹן בְּבִקְעַת מְגִדּוֹן, quae verba Hieronymus ita explicavit: sicut planctus, „qui quondam fuit in urbe Adadremmon in campo Mageddon. Adadremmon, pro pro LXX transtulerunt κοπετὸς ῥοῶνος [*planctus malogranati*], urbs est juxta Jezraelem, quae hoc olim vocabulo nuncupata est, et hodie vocatur Maximinianopolis in campo Mageddon, in quo Josias, rex justus, a Pharaone, cognomento Nechao, vulneratus est, super quo Lamentationes scripsit Jeremias, quae leguntur in Ecclesia, et scripsisse eum Paralipomenon testatur liber [2 Paral. 35, 25.]. Sicut igitur eo tempore post reges peccatores spes omnis populi erat in Josia, et occiso illo magnus planctus in urbe commotus est, ita crucifixo Salvatore renovabitur planctus in Jerusalem.“ Urbis Hadadrimmon alias non fit mentio in V. T. Sed Megiddon urbs erat Manassitarum cum campo, in finibus tribus Isaschar, et Jos. 12, 21. 17, 11. Jud. 1, 27. 5, 19. 2 Reg. 9, 17. memorata, ubi Josias a Pharaone occisus magnum de se Hierosolymis et universo Judae luctum concitavit, vid. 2 Reg. 23, 29. 2 Paral. 35, 23. 24. 25. Cf. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 97. Interpretes hodie fere consentiunt cum Hieronymo, planctu Hadadrimmonis vatem intelligere illum ob occisum prope illam urbem Josiam regem institutum planctum. Sed quum iis, quae posteriorem hujus libri partem constituunt, vaticiniis plura insint, quae antiquius Josiâ aevum arguant (vid. supra); videtur vates publicum luctum ob calamitatem aliquam, quae illum locum quondam afflixit, respicere.

12. וְסָפְדָה הָאָרֶץ *Planget autem terra* universa, terra scil. Judae s. Israelitica, de qua Vss. 10. 11. sermo. Pergit populi Judaici luctum, quem Vss. 10. 11. et ingentem atque acerbum descripserat, nunc etiam ut *universalem* describere, per totam terram, et universas terrae familias. מִשְׁפָּחוֹת מִשְׁפָּחוֹת לְבָד Et quidem *singulae familiae seorsim*, quot familiae, tot plangentium erunt chori. Quod priori Versus hemistichio de terra et singulis familiis generatim dixerat, id hemistichio posteriore et Vs. 13. in partes secat, easdemque partes Vs. 14. denuo in summam colligit. Incipit autem a familia Davidis, ceu regia, ut ostendat, a summo ad imum universos esse plancturos. „In David,“ inquit Hieronymus, „*regia tribus* accipitur, id est, Juda.“ וּנְשֵׁיהֶם לְבָד

Et mulieres eorum seorsim, quod dicitur ex moribus Hebraeorum, apud quos sexus non modo separatim habitabant (cf. Gen. 18, 6. 9. 24, 67.), quemadmodum apud Graecos (vid. Cornelii Nepotis Praefat.), sed et in publicis coetibus ac solennitatibus (sicut fit hodienum) separabantur. Sic Exod. 15, 20. viris canentibus respondebat chorus feminarum. מִשְׁפַּחַת בֵּית־נָתָן לְבַד *Familia domus Nathanis seorsim.* Hieronymus Nathanem *prophetam*, et sub eo prophetalem ordinem indigitari putat. Ita et Jarchi, qui tamen addit, ex mente aliorum Nathanem, *filium Davidis* (vid. 2 Sam. 5, 14. 1 Paral. 3, 5. Luc. 3, 31.), hic intelligendum esse, quomodo et Vs. 13. Simeitas ramum vult esse familiae Davidicae. Textus, inquit, primo generatim memorat *domum Davidis*, deinde vero singulas ejus partes. Cui sententiae tamen obstat interposita Levitarum familia Vs. seq.

13. בֵּית־לֵוִי „Sacerdotes et Levitae," inquit Jarchi. Concinit Hieronymus, „Levi," inquiens, „refertur ad sacerdotes, ex quo ortum est sacerdotium." מִשְׁפַּחַת הַשִּׁמְעִי *Familia Simeitarum*, i. e. tribus Simeon. „In Semei," inquit Hieronymus, „doctores accipiuntur; ex hac enim tribu magistrorum agmina pullularunt." Erat haec veterum Hebraeorum et Patrum opinio, vid. Targum Hierosolymitanum Gen. 49, 7. et Jarchii not. ad eum loc., nec non Tertullianum *contra Judaeos* c. 10. et *contra Marcionem* L. III. c. 18. Alii pro Gerschonitarum familia habent, coll. Exod. 6, 17. Num. 3, 21. Alii denique Jarchio commemorati pro ramo familiae Davidicae, dicto a שִׁמְעִי filio Davidis, 2 Sam. 5, 14.

14. Reliquas tribus," inquit Hieronymus, „tacuit, quae non habent aliquod privilegium dignitatis. In eo autem, quod ait: *omnes tribus reliquae, tribus et tribus seorsum, et uxores eorum seorsum*, universas absque nomine comprehendit."

Cap. XIII, 1. Continuans coeptum sermonem, ostendit, luctum illum, de quo 12, 10—14., et susceptae poenitentiae signa non futura sine fructu. Verba יִהְיֶה מָקוֹר נִפְתָּח Chaldaeus exponit: *erit doctrina legis patens sicut scaturigo aquarum.* Sed fontem hunc destinatum fore, ex mente vatis, ad abluendum et mundandum ostendunt ultima hujus Versus verba: לְחַטָּאת וּלְנִדָּה *ad* abluendum *peccatum et immunditiem*, quippe quorum causa lugebunt. Chaldaeus: *et remittam debita eorum quemadmodum mundantur aquis adspersionis et cinere vaccae*, quae mactatur *pro peccato*, de qua vid. Num. 19, 9. 15.

2. אַכְרִית אֶת־שְׁמוֹת הָעֲצַבִּים *Exscindam nomina simulacrorum* s. *idolorum*, q. d. ita ego idola idolorumque cultum exscindam, ut ne nominanda quidem sint amplius. Eadem sententia Hos. 2, 19. *Ita tibi Baalorum nomen ex ore detraham, ut eorum nominis nulla amplius fiat mentio.* Phrasi מִן־הָאָרֶץ *e terra*,

dubium est num significetur terra Judaica, an vero totus terrarum orbis. אֶת־הַנְּבִיאִים *Prophetas* scil. falsos, conjunguntur enim hic cum *spiritu immundo*, et infra Vs. 3. 4. describuntur *ut falsa loquuti.* Recte itaque Chaldaeus *prophetae mendaces* vertit. *Spiritu immunditiei*, רוּחַ הַטֻּמְאָה, JARCHI intelligit pravam concupiscentiam et inclinationem ad peccatum, quae homini adhaeret. Sed quum hic cum vatibus vaniloquis conjungatur, praestat spiritum mendacem intelligere, qui prophetas illos incitet, ut falsis vaticinationibus alios decipiant. אַעֲבִיר *Transire faciam*, i. e. removebo, ut supra 3, 4.

3. וְהָיָה כִּי־יִנָּבֵא אִישׁ עוֹד *Fietque si prophetaverit quis porro*, scil. mendacium loquens in nomine Jovae, ut sequitur, quod tamen nec facile futurum esset (coll. Vs. 2.), quippe falsis etiam prophetis ad frugem redituris (ita ut fallaciae atque insaniae suae ipsos poeniteat (Vs. 4. 5. 6.). וְיָלְדָיו Ipsi illi *qui genuerunt*, parentes ejus. Adfectui naturae non plus tribuent, quam pietati in Deum; quemadmodum Deut. 23, 9. tribus Levi dicitur *negasse se patrem aut matrem nosse, neque fratres agnoscere, neque filios nosse, sed Jovae dicta servare ejusque foedus tueri.* לֹא תִחְיֶה *Non vives*, sed, ut meruisti, occideris, quo sensu eadem phrasis 2 Reg. 10, 19. legitur. Cf. Deut. 18, 20. וּדְקָרֻהוּ *Atque ita confodient eum*, i. e. occident eum. בְּהִנָּבְאוֹ *Et quod* sic *vaticinatus est.* Praefixum ב hic est causale, ut 2 Chron. 16, 7. בְּהִשָּׁעֲנְךָ עַל־מֶלֶךְ אֲרָם *propterea quod nixus es super regem Syriae.* Et 28, 6. בְּעָזְבָם אֶת־יְהוָה *quod reliquerunt Jovam.*

4. וּבוֹשׁוּ הַנְּבִיאִים אִישׁ מֵחֶזְיֹנוֹ *Pudefient prophetae* falsi, de quibus Vs. 3., *unusquisque propter visionem*, vaticinationem, *suam*, quia se ab omnibus sperni videbunt. בְּהִנָּבְאֹתוֹ *Cum prophetaret*, vel prophetandi munus sibi quondam arrogaret. וְלֹא וְלִבְּשׁוּ אַדֶּרֶת שֵׂעָר *Nec induent* porro *pallium pili*, i. e. pilosum s. villosum, scil. e pilis caprinis vel camelinis factum, qui prophetarum habitus videtur fuisse; uti colligere licet ex 1 Reg. 19, 13. 19., ubi pallium Eliae אַדֶּרֶת vocatur, et ipse Elias 2 Reg. 1, 8. אִישׁ בַּעַל שֵׂעָר *vir villosus* dicitur, i. e. pallium habens villosum. Quo pertinet, quod Jesajas 20, 2. jubetur *solvere saccum de lumbis suis*, i. e. vestem villosam. Tali vestimento aspero e pilis camelinis confecto indutus erat Joannes Baptista, qui, tanquam prophetа, homines ad poenitentiam exhortabatur, et Messiae adventum annuntiabat, Matth. 3, 4. Talibus igitur vestimentis utebantur et falsi prophetae לְמַעַן כַּחֵשׁ *ad mentiendum*, ut habitum verorum prophetarum prae se ferentes mendaciis suis fidem facerent.

5. וְאָמַר Imo *dicet* hujusmodi homo, interrogatus forte, num prophetа sit, vel fuerit? לֹא נָבִיא אָנֹכִי *Non* sum *propheta ego.* Adeo pudebit ipsum pristinae impietatis et stultitiae suae.

ut *prophetae* nomen, quod velut honorificum ambiverat olim, nunc ut turpe sibi deprecaturus sit, et si fieri posset, nollet se unquam affectasse hunc titulum, vel alios ejus ab ipso adfectati, reminisci. Iisdem verbis, sed alio consilio, Amosus se prophetam esse negat 7, 14. — אִישׁ עֹבֵד אֲדָמָה *Vir colens terram*, agricola (Gen. 4, 2.), ad stivam atque aratrum, quam ad docendum et prophetandum aptior. אָדָם *Homo* aliquis, ut Levit. 1, 2. אָדָם כִּי יַקְרִיב מִכֶּם *si quis vestrum offerat Jovae oblationem.* הִקְנָנִי, Hiphil verbi קָנָה, Chaldaeus vertit *possessorem me fecit* scil. agri. Sed R. Menahem, Jarchio referente, ex nomine מִקְנֶה *possessio*, maxime *pecuaria*, *pecus*, interpretatur: *pecuarium facit me*, pecoribus custodiendis me praefecit. Aethiopibus quum verbum קנו, Hebraico קָנָה consonum, in Conjug. VI. praeter alia notet *serviet* (vid. Ludolfi *Lexic. Aethiop.* p. 209.), sunt qui interpretentur: *servire me coëgit.* Commode הִקְנָנִי verti potest: *emit me*, seu, pretio vel mercede data me habuit, ut servum seu operarium. Ita Coh. 2, 7. קָנִיתִי עֲבָדִים וּשְׁפָחוֹת *acquisivi*, s. *possedi servos et ancillas.* Cf. et Nehem. 5, 8. Plura enim verba hebraica esse constat, quorum significatio in Cal et Hiphil vix differt, ut כָּבַשׁ et הִכְבִּישׁ *subegit*, *subjecit*, כָּרַת et הִכְרִית *exscidit.*

6. וְאָמַר אֲלָיו pro וְכִי אָמַר אִישׁ אֵלָיו *quodsi vero dixerit aliquis ad eum*, eum interrogaverit: מָה הַמַּכּוֹת הָאֵלֶּה *quid* sunt *plagae istae*, i. e. plagarum seu vulnerum vestigia s. cicatrices? Grotius intelligit stigmata inusta manibus, per quae solebant diis gentium se mancipare, inscripto eorum signo, nomine aut numero, quale Apocal. 13, 16. 17. χάραγμα vocatur. Ea tamen haud putem מַכּוֹת appellata fuisse. Neque eo nomine designari verisimile incisiones manuum, quibus Baalitici vates se signarunt; vid. I Reg. 18, 28. Eae enim vocantur גְּדֻדוֹת Jer. 48, 37. — בֵּין יָדֶיךָ *Inter manus tuas*, i. e. in manibus tuis, ita Prov. 26, 13. בֵּין הָרְחֹבוֹת *in plateis*, pro quo 22, 13. dicitur בְּתוֹךְ רְחֹבוֹת. Jarchi בֵּין יָדֶיךָ interpretatur בֵּין כְּתֵפֶיךָ *inter humeros tuos*, ibi enim, inquit, flagellantur qui aliquid peccarunt. Recte Kimchi haec verba exponit, „Si ita est, te prophetam non fuisse, *quid* igitur *plagae hae*, s. cicatrices, *in manibus tuis?* Illae enim videntur prodere, te ausum vaticinari, parentesque tuos te propterea castigasse et percussisse, cf. supra Vs 3.“ וְאָמַר אֲשֶׁר הֻכֵּיתִי בֵּית מְאֹהֲבָי *Et dicet*, respondebit ille interrogatus, plagae hae sunt, *quibus percussus sum in domo amantium me*, quorum verborum sensum Kimchi hunc esse ait: „non sunt plagae ob vaticinandum inflictae, sed quibus ab iliis, qui me amabant, in pueritia castigatus sum, quod deses in colendo agro exstitissem.“ Sed mallem potius haec verba esse confitentis culpam, quasi diceret: licet dissimulare conatus fuerim, tamen interrogando me ita urges, ut mihi fatendum sit quod res est, vestigia haec esse plagarum, quibus in domo paterna ob vaticinia mendacia sum

castigatus. מְאַהֲבַי quamvis alias in malam partem dicatur de iis, qui impuris amoribus dediti sunt (vid. Jerem. 22, 20. 22. Ezech. 16, 33. 36. 37. Hos. 2, 7. 9. Thren. 1, 19.), hic tamen designare videtur parentes ob falsa vaticinia castigati, de quibus supra Vs. 3.

7. Adhuc bona et jucunda praedixit vates. Ne autem qui haec legerent in hanc inducerentur opinionem, populi Judaici conditionem futuris temporibus fore immunem ab omni molestia et calamitate, jam annuntiat, priusquam Jova populum suum repurget atque revocet in perfectum ordinem, gravissimas clades fore intermedias. Occiso enim, qui Jovae auctoritate populum Hebraicum gubernaturus est, summa rerum erit perturbatio. Prosopopoeia usus gladium alloquitur, quo populi rector sit interimendus: עוּרִי חֶרֶב *gladie expergiscere!* i. e. agitare! Imperativus est pro Futuro, quasi diceret: futurum est, ut agitetur gladius עַל־רֹעִי *super* s. *contra pastorem meum*, i. e. quem populo meo regendo praefeci; cf. supra 11, 4. 7. Ita Jes. 44, 28. Cyrum Jova vocat *pastorem suum* (רֹעִי). וְעַל־גֶּבֶר עֲמִיתִי *Et contra virum socium meum.* Idem dicit aliis verbis. *Socium suum* Jova vocat illum pastorem, sive gubernatorem, quia idem munus obiturus est secum; nam et Jova sui populi *pastor* dicitur, veluti Jes. 40, 11. — הַךְ אֶת־הָרֹעֶה וּתְפוּצֶינָה הַצֹּאן *Percute*, occide, tu, o gladie, *pastorem*, *ita ut*, necato pastore, *dispergantur oves.* Verbum הָכָה *percutere* gladio, est, eo occidere, vid. Jos. 8, 24. 10, 30. 19, 47. Significatur, populum, rectore orbatum, disturbatum et dissipatum iri. Haec verba ad se retulit Jesus, Messias, referente Matthaeo 26, 31. et Marco 14, 27. וַהֲשִׁבֹתִי יָדִי עַל־הַצְּעָרִים *Et reducam manum meam super parvos*, sive *parvas* scil. ovium, צְעִירֵי הַצֹּאן, uti legitur Jer. 49, 20. 50, 45. Dicitur Jova *reducere super populum aliquem manum suam* cum illum sublatis malis et impiis emendat et purgat, vid. Jes. 1, 25. et ad eum loc. not. *Parvis ovibus* innui videntur inferiores et plebeji, qui communem calamitatem non quidem evadent, ita tamen, ut ex tribus partibus tertia conservetur, ut Versu sequente dicitur.

8. בְּכָל־הָאָרֶץ vid. not. supra ad Vs. 2. פִּי־שְׁנַיִם *Os* s. *portio duorum*, i. e., uti Chaldaeus vertit, *duae partes*; phrasis ex dividenda hereditate sumta, Deut. 21, 17. 2 Reg. 2, 9. Significantur autem *duae tertiae*, i. e. major pars incolarum terrae; memoratur enim mox *tertia pax*, quae ab excidio superfutura promittitur. בָּהּ *In ea* scil. terra Judaica. יִכָּרֵתוּ יִגְוָעוּ *Exscindentur*, *exspirabunt*, pars una *exscindetur* gladio, et pars altera *exspirabit* peste, aut alio mortis genere. וְהַשְּׁלִישִׁית יִוָּתֵר בָּהּ *Tertia vero pars*, minor, *relinquetur*, superstes remanebit ab excidio *in illa*, ut non tota gens exscin-

datur, sed reliquias habeat, postquam per ignem prius purgatae fuerint, salvandas, Vs. 9. Cf. 14, 2. Similia praenuntiata vid. Jes. 4, 3. 6, 13. Ezech. 6, 8. 9. Zeph. 3, 12.

9. וְהֵבֵאתִי אֶת־הַשְּׁלִישִׁית בָּאֵשׁ *Inducam* tamen et *hanc tertiam partem*, quae ab excidio supererit, *in ignem; in angustiam veluti in fornacem ignis*, ut Chaldaeus vertit. Duras vexationes vocat *ignem*, quia, sicut metalla igne purgantur, ita homo probatur rebus adversis. וְצָרַפְתִּים כִּצְרֹף אֶת־הַכָּסֶף *Atque* sic *liquabo eos sicut liquatur argentum*, ut a scopo purgetur. Eadem metaphora usus est Jesajas 1, 25. *convertam manum meam ad te, et excoquam ad purum scorias tuas, et auferam omne stannum tuum.* וּבְחַנְתִּים כִּבְחֹן אֶת־הַזָּהָב *Et probabo eos sicut probat* quis *aurum*, per multa mala eorum explorabo constantiam. Eaedem imagines Jer. 9, 6. Ps. 66, 10. הוּא *Ille* populus reliquus, igne probatus et purgatus. יִקְרָא בִשְׁמִי *Invocabit nomen meum*, me sospitatorem suum agnoscet et venerabitur, cf. Jes. 41, 25. 65, 24.

IV.

CAP. XIV.

Argumentum.

Quae supra Cap. 12. vates praedixerat de Hierosolyma, a gentibus finitimis oppugnanda, sed liberanda a Jova, qui gentes illas partim caedet, partim Hebraeis subjiciet, illa hoc Capite ita repetit, ut eadem fusius et ornatius exponat.

1. יוֹם־בָּא לַיהוָה *Dies veniet Jovae:* ל hic notat auctorem, ut יוֹם לַיהוָה Jes. 2, 12. Ezech. 30, 3. *Dies Jovae* talis est, quo potentiam suam et gloriam patefaciet, supplicium de improbis sumendo, pios vero ex eo admirandum in modum eximendo liberandoque; cf. not. ad Ezech. 30, 3. Joel 3, 4. (al. 2, 31.). וְחֻלַּק שְׁלָלֵךְ *Quo* scil. die (ו pro כַּאֲשֶׁר) *dividetur spolium tuum*, i. c. tibi ademtum. Alloquitur Hierosolymam, uti patet e Vs. seq., ad quam referendum est suffixum femininum in duabus postremis hujus Versus vocibus. Dictionis בְּקִרְבֵּךְ *in medio tui*, s. *intra te* vim bene explicat HIERONYMUS: „Quanta," inquit, „necessitas erit, ut spolia ejus dividantur in medio illius? Solet hoc frequenter accidere, ut quae subito impetu in civitate direpta sunt, foris in agro aut in solitudine dividantur, ne forte hostes superveniant. Hic autem tantum malorum pondus incumbet, ut quae direpta sunt in civitatis medio dividantur pro securitate victoriae."

2. אֶל־יְרוּשָׁלַם *Contra Hierosolymam;* ita pro עַל particula אֶל legitur et Jos. 10, 6. נִקְבְּצוּ אֵלֵינוּ *congregarunt sese adversus nos reges Amoraeorum.* לַמִּלְחָמָה *Ad bellum*, ad civitatem obsidendam et oppugnandam, ut Jes. 7, 1. Obad. Vs. 1. Non solum vero oppugnabitur, sed וְנִלְכְּדָה הָעִיר *et capietur* s. *expugnabitur urbs*, quomodo eadem dictio et 1 Reg. 16, 18. occurrit. Phrases וְנָשַׁסּוּ הַבָּתִּים וְהַנָּשִׁים תִּשָּׁגַלְנָה leguntur et Jes. 13, 16., ad quem loc. vid. not. לֹא יִכָּרֵת מִן־הָעִיר *Non exscindetur ex urbe*, i. c. manebit in ea.

3. Redditur ratio, cur non omnes urbis incolae vel sint deportandi vel exscindendi, sed pars eorum superstes sit mansura, quod Jova ipse egredietur et contra populos illos hostiles pugnabit. כְּיוֹם חֲלָחֲמוֹ בְּיוֹם קְרָב *Sicut die quo pugnavit ipse die proelii*, i. c., ut Chaldaeus vertit, *sicuti die quo praeliatus est ad mare algosum*, contra Aegyptios, cum Hebraeos ex Aegypto eduxisset, vid. Exod. 14, 14. 15. 15, 3. sqq.

4. וְעָמְדוּ רַגְלָיו *Et stabunt pedes ejus*, Jovae, pugnantis contra populi sui hostes. Chaldaeus: *manifestabit se cum fortitudine sua.* Sic Jova legitur super montem Sinai descendisse, ut mons totus ob praesentiam ejus contremuerit, Exod. 19, 18. 20. — עַל־הַר הַזֵּיתִים *Super monte olearum;* ibi igitur Jova potentiam suam exseret, cf. Ezech. 11, 23. et ad eum loc. not. אֲשֶׁר עַל־פְּנֵי יְרוּשָׁלַם *Qui est in conspectu Hierosolymae*, i. e. prope urbem, ut ex ea facile conspici possit. Cf. Actor. 1, 12. Reliquam Versus partem HIERONYMUS ita exponit: „Dicamus παραφραστικῶς, ut possint patere quae scripta sunt: quum mons Oliveti grandi voragine praeruptus fuerit, ita ut una pars voraginis ad Orientem, altera ad Occidentem respiciat, repente et in ipsa voragine excelsa ex utraque parte praerupta, alia vorago rumpetur ad Aquilonem, alia ad Austrum, et praeruptum quadrangulum fiet, ut quadrifariam in quatuor plagas Orientis et Occidentis, Aquilonis et Austri, vorago tendatur."

5. וְנַסְתֶּם *Et fugietis*, populum alloquitur Judaicum, quem supra Vs. 1. feminino utens respectu orbis, quae populum continet, est alloquutus. Sed pro וְנַסְתֶּם in codicibus, quos Hebraeorum Critici *Orientales* vocant, nec non in codice Erfurtensi 3., et tribus codicibus De-Rossii legitur וְנִסְתֶּם, 3. Praeter. Niphal verbi סָתַם *obturavit;* idemque in suo codice Hebraeo legit Alexandrinus Graecus interpres, qui καὶ ἐμφραχθήσεται, et Chaldaeus, qui *et obturabitur* vertit. Idemque sequutus est DATHIUS in versione; nec est sensus spernendus: *obturabitur vallis montium meorum*, i. e. montis in duas partes a me fissi. Quod in nostris libris receptum est si sequaris, verba וְנַסְתֶּם גֵּיא־הָרַי vertenda erunt: *fugietis per vallem montium meorum*, sive, ut HIERONYMUS, *ad vallem montium meorum*, quod in Commentario sic exponit: „*ad vallem*, quae est inter Templum et Sion. Hi enim Templi et Sion duo montes Dei montes appellantur, quia vallis illa montis Oliveti, quae praeruptis hinc atque inde montibus cingitur, usque ad Templi montem, qui sanctus est, suam voraginem trahet." כִּי־יִגִּיעַ גֵּי־הָרִים אֶל־אָצַל *Nam pertinget vallis montium ad Azal.* Videtur nomen proprium loci cujusdam ad orientem Urbis esse. Hieronymus pro appellativo habuit vertitque: *usque ad proximum*, Symmachum, uti ipse fatetur, sequutus, significatione petita ex adverbio אֶצֶל *prope*, Gen. 39, 10. Sed reliqui veteres pro nomine proprio habuerunt, quod sane verborum flagitat fluxus. Et proprium quidem viri nomen est 1 Chron. 8, 37. 38. 9, 44. — כַּאֲשֶׁר נַסְתֶּם מִפְּנֵי הָרַעַשׁ בִּימֵי עֻזִּיָּה מֶלֶךְ־יְהוּדָה *Sicut fugistis*, i. e. majores vestri, *propter terrae motum in diebus Usiae*, *regis Judae*, de qua concussione taceant quidem libri V. T. historici, sed commemorat eam vates Usiae coaevus, Amos 1, 1., ad quem loc. cf. not. Interitum copiarum hostilium comitabitur itaque totius naturae commotio, qualis futura

describitur ab Ezechiele in Gogitarum interitu 38, 19. 20. — וּבָא יְהוָה אֱלֹהָי *Et veniet Jova Deus meus.* Sic vates de Deo modo suis, modo ipsius Dei nomine et verbis loquitur, et priori quidem respectu tertiam de Deo adhibet personam, ut Vs. 1. 3. 4., posteriori vero primam, ut Vs. 2. et initio Vs. 5. — כָּל־קְדֹשִׁים עִמָּךְ *Omnes sancti tecum.* Apostrophe ad Deum; unde veteres interpretes omnes planum retinentes sermonem verterunt: *cum eo.* Alii cum Aben-Esra suffixum referunt ad Hierosolymam, coll. Vs. 1. Verum quia praecessit וּבָא *et veniet*, vix dubium, intelligi coetum eorum, qui veniunt cum Jova. *Sanctis* hic indicantur spiritus coelestes, Jovae ministri, ut Dan. 8, 13. Job. 5, 1. 15, 15. Ps. 89, 6. 8.

6. Verba יְקָרוֹת וְקִפָּאוֹן dubiae sunt interpretationis ob יְקָרוֹת, quod, si pro plurali feminino adjectivi יָקָר, *pretiosus* sumas, ut 1 Reg. 5, 17., ubi אֲבָנִים יְקָרוֹת sunt *lapides pretiosi*, hic nullum tolerabilem sensum fundit. Chaldaeus, qui *praedam* vertit, videtur *res pretiosas direptas* intellexisse: minime apte huic loco, ubi solita diei noctisque tempestatumque vicissitudo perturbata describitur. Perquam apposite ad rem Graecus Alexandrinus καὶ ψύχος καὶ πάγος vertit, eumque sequuti Hieronymus et Syrus: *sed frigus et gelu.* Sane קִפָּאוֹן esse *gelu*, *glaciem*, a *concrescendi* notione, quam verbum קָפָא obtinet (vid. Exod. 15, 8. Job. 10, 20.), vix dubium, consentiuntque in eo significatu veteres omnes. Cum gelu vero et lucis defectu, qui proxime antea memoratur, aptissime conjungi *frigus*, quis non videt? Putem igitur vel pro יְקָרוֹת legendum esse וְקָרוֹת *et frigora*, i. e. frigus vehementissimum, vel יְקָרוֹת idem quod קָרוֹת valere. Observatu haud indignum, Prov. 17, 27. pro וְקַר־רוּחַ *et frigidus spiritu* ad marginem legi יְקַר־רוּחַ, sensu non diverso; quum et alias quae in textu et ad marginem habentur, non differre soleant. Quod hoc Zachariae loco in textu scriptum est, יקפאון, efferendum יִקָּפְאוּן *frigore congelascent* scil. aquae, quod nomen et deest Gen. 24, 11., coll. Vs. 13. 19. 20.

7. וְהָיָה יוֹם־אֶחָד *Eritque dies unus*, i. e. prorsus singularis, et qui parem vix habiturus est, ut Ezech. 7, 5. רָעָה אַחַת est *malum unicum*, singulare, vid. not. ad eum loc. Erit igitur יוֹם־אֶחָד talis, qualis Jer. 30, 7. dicitur *dies magnus* מֵאַיִן כָּמֹהוּ *ut nullus ei sit similis.* Alii unitatis notam pro indefinito capiunt, ut 1 Sam. 27, 1. יוֹם־אֶחָד est *die quodam*, aliquando. Sed prior ille sensus huic contextui magis accommodatus videtur. הוּא יְוֻדַּע לַיהוָה *Is notus est Jovae*, quo temporis momento ingruet, mortalium nemo determinare potest. לֹא־יוֹם וְלֹא־לָיְלָה *Non dies nec nox* erit, quod Chaldaeus ita exponit: *non sicut lux diei, neque sicut tenebrae noctis erit.* Sed HIERONYMUS: una dies erit atque perpetua, nequaquam sibi luce et tenebris, die et nocte succedentibus. וְהָיָה לְעֵת־עֶרֶב יִהְיֶה־אוֹר *Et fu-*

turum erit ut tempore vespertino sit lux. ו ante הָיָה hic valet *nam*, siquidem causam reddit ejus quod dixerat, *nec nox.* Nec ulla, inquit, vere nox erit, quia vesperi lucebit luce media, i. e. nec clara penitus, nec omnino densa et obscura, ut cum nox est.

8. מַיִם־חַיִּים *Aquae vivae*, i. e. perennes, semperque fluentes. Similia iis quae hic leguntur de aquis perennibus ex Hierosolymis egredientibus leguntur Ezech. 47, 1. sqq., sed disertius explicata. Cf. quae ad eum locum notavimus. חֲצִיָם אֶל־הַיָּם הַקַּדְמוֹנִי *Dimidium* s. pars una *illarum aquarum ad mare anterius* s. *orientale*, i. e. ad mare seu lacum *asphaltiticum*, Hierosolymae ad orientem situm, Ezech. 47, 18. et Joel 2, 20. eodem nomine appellatum. וְחֲצִיָם אֶל־הַיָּם הָאַחֲרוֹן *Et pars altera earum ad mare posterius* seu *occidentale*, quod nos mediterraneum vocamus, quodque Palaestinensibus ad Orientem conversis a tergo est. Cf. loca Ezechielis et Joelis laudata et Deut. 11, 2—4. 34, 2. Concipitur urbs Hierosolymitana ut in medio sita, fluvius vero inde manans ut in diversas oppositasque plagas abiturus. בַּקַּיִץ וּבַחֹרֶף יִהְיֶה *In aestate et* in *hyeme erit*, manabit fluvius ille perennium aquarum.

9. וְהָיָה יְהוָה לְמֶלֶךְ עַל־כָּל־הָאָרֶץ *Eritque Jova in regem super omnem terram*, non in Judaea solum, sed ubicunque locorum regnabit, coletur, et invocabitur. Cf. Jes. 54, 5. Ps. 47, 3. 8. 72, 8—12. Chaldaeus: *manifestabit se regnum Jovae super omnes incolas terrae.* יְהוָה יְהוָה אֶחָד *Erit Jova unus*, nulli erunt dii praeter ipsum, idolis cunctis abolitis; vid. supra 13, 2. — וּשְׁמוֹ אֶחָד *Et nomen ejus unum* erit, nulla amplius in Dei cultu varietas.

10. יִסֹּב כָּל־הָאָרֶץ *Convertetur* (cf. verbum סָבַב eodem significatu usurpatum Ps. 71, 21.) *universa terra* Hierosolymam circumjacens, ut quae montana et aspera olim fuerat, nunc plana et campestris fiat. Innuitur, omnes circumquaque montes et colles humiliatum iri, ut sancta Hierosolyma unice elata et conspicua sit, ut altero hemistichio diserte dicitur. כָּעֲרָבָה *Sicut planities campestris*, quod vel indefinite capi potest, ita ut respiciatur solum ad planum regionis situm, vel definite de certa planitie eaque Jordanica, quae עֲרָבָה κατ' ἐξοχήν dicitur Deut. 1, 7. 3, 17. 4, 49. — מִגֶּבַע *Inde a Geba*, oppido tribus Benjamin, adeoque urbi Hierosolymitanae ad septentrionem sita, Jos. 21, 17. 1 Sam. 13, 3. 1 Reg. 15, 22. Cf. *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 176. לְרִמּוֹן *Usque ad Rimmon*, oppidum Judae in parte australi, Jos. 15, 21. 32., Simeonitis olim concessum, Jos. 19, 7. Describuntur hic termini non planitiei, ut quidam opinantur, sed terrae Hierosolymam ambientis, at in planitiem vertentis. נֶגֶב יְרוּשָׁלַם (quae Rimmon) *ad austrum Hierosolymae* est sita. וְרָאֲמָה *Et exaltata* erit Hierosolyma, humiliatis quae circa eam

sunt. Est a verbo רוּם, cujus *Vav* transit aliquando in *Aleph*, idque vel quiescens, ut Prov. 24, 7. (רָאמוֹת), vel mobile, ut h. l. Chaldaeus: *et magnificabitur.* וְיָשְׁבָה תַּחְתֶּיהָ *Et habitabit subter se*, firmiter, loco suo non amplius movenda; cf. supra 12, 6. — לְמִשַּׁעַר בִּנְיָמִן *Inde a porta Benjaminis*, ceu boreali, memorata et Jer. 37, 13. 38, 7. — עַד־מְקוֹם שַׁעַר הָרִאשׁוֹן *Usque ad locum portae primae*, quae alias non commemorata reperitur, forsan est eadem, quae Neh. 3, 6. הַיְשָׁנָה *vetus*, aut quae hic dicitur שַׁעַר הַפִּנּוֹת *porta angulorum*, haud diversa, uti verisimile, ab ea quae 2 Reg. 14, 13. Jer. 31, 38. 2 Paral. 26, 9. שַׁעַר הַפִּנָּה *porta anguli* vocatur, inde fortassis, quod sita esset in *angulo* inter orientem et aquilonem. וּמִגְדַּל חֲנַנְאֵל *Et a turre Hananaelis* orientem versus, a qua porta ovium haud longe dissita, Neh. 3, 1. Jer. 31, 38. — עַד יְקְבֵי הַמֶּלֶךְ *Usque ad lacus torcularios regis*, qui quum haud dubie olim extra urbem fuerint, innui videtur, urbem Hierosolymitanam futuro tempore ultra priscos limites in longum latumque proferendam esse.

11. וְיָשְׁבוּ בָהּ *Et habitabunt in ea* scil. secure, ut in fine Versus dicitur. וְחֵרֶם לֹא יִהְיֶה־עוֹד *Et anathema*, quo terra et urbs prius percussa fuit (Mal. 3, 24.), *non erit amplius.* Chaldaeus חֵרֶם interpretatus est *occisionem.* Significatur, nullum posthac reatum in Urbe fore, quem Deus vindicare velit exstirpatione. וְיָשְׁבָה יְרוּשָׁלַם לָבֶטַח *Et habitabit Hierosolyma secure*, ita ut hostes nullos amplius metuendos habeat.

12. Redit jam ad ea, quae supra Vs. 3. sqq. de debellandis Hierosolymae hostibus dixit. הָמֵק בְּשָׂרוֹ *Contabefaciendo* scil. contabefacient *carnem* s. *corpus ejus*, scil. unius cujusque hostium, ita ut exarescens succo omni ac vigore destituatur, et in corruptionem abeat. וְהוּא עֹמֵד עַל־רַגְלָיו *Dum ipse* homo adhuc *stans est super pedibus suis*, ita ut veluti viva cadavera futuri sint.

13. תְּהִיָה מְהוּמַת־יְהוָה *Erit conturbatio Jovae*, i. e. a Jova ipsis immittenda (est enim Genitivus causae efficientis), sicut olim castris Midianiticis Jud. 7, 22., ac Philistaeis, quum hostes divinitus confusi arma contra se invicem ipsi stringerent, ut hic subjungitur: וְהֶחֱזִיקוּ אִישׁ יַד רֵעֵהוּ *ita ut arrepturi sint quisque manum socii sui*, scil. per errorem, quasi hostes essent, invicem commissi. Cf. supra 11, 6. — וְעָלְתָה יָדוֹ עַל־יַד רֵעֵהוּ *Et ascendet manus ejus contra manum socii sui*, i. e. ipsi manum conserent invicem. Bene Hieronymus: Apprehendet unusquisque manum proximi sui, et conseretur manus cum alterius manu, prae formidine, et malorum pondere quae supervenient. Chaldaeus: *et avelletur manus ejus cum manu socii sui.*

14, וְגַם־יְהוּדָה תִּלָּחֵם בִּירוּשָׁלַם *Sed et Juda pugnabit contra Hierosolymam* scil. coacte, ut recte notat Jarchi. Sic et

Chaldaeus: *quin et illos, qui sunt de domo Judae gentes adducent coactos pugnare pugnam in Hierosolymam.* Cf. not. ad 12, 2. Sunt quidem, qui בִּירוּשָׁלַם exponant *in Hierosolymis*, vel: pro *Hierosolymis*, ut urbem non expugnaturus sed defensurus Juda innueretur; verum post *pugnandi* verbum praepositio ב nominibus urbium praemissa adversative capienda est, Aid. Jud. 9, 45. 1 Sam. 23, 1. Praeterea hoc mirum non foret, *Judam in* vel *pro Hierosolymis* pugnare, quoniam ut fratres hoc sua sponte facturi praesumerentur, ita ut opus minime fuisset dicere: *sed et Juda pugnabit pro Hierosolymis*, quod rem minime exspectatam innuit. וְאֻסַּף *Colligetur tamen* ut spolium, scil. a Juda ad militandum coacto et ab Hierosolymitanis antea obsessis, nunc vero Jovae auxilio liberatis, ita ut fugatis caesisque hostibus opimas praedas ex eorum castris acturi sint. חַיִל *Robur*, i. e. opes, divitiae, veluti aurum, argentum, vestes, ut mox declaratur. Cf. de hoc nominis חַיִל significatu not. ad Ps. 49, 7. — לָרֹב מְאֹד *Usque ad multitudinem*, i. e. multas *valde*, ut 1 Paral. 4, 18.

15. וְכֵן *Et sic* pariter, q. d. ita vero Jova non solum hostes ipsos percutiet, sed jumenta quoque illorum, quae belli instrumenta sunt partim ad conflictandum, partim vero ad ferendas sarcinas et impedimenta. בַּמַּחֲנוֹת הַהֵמָּה *In castris illis* scil. populorum Hierosolymam oppugnantium. כַּמַּגֵּפָה הַזֹּאת *Secundum plagam hanc*, seu *eandem*, quam modo dixi, ita ut caro, pedes, oculi illorum tabefiant, Vs. 12. Cf. supra 12, 4.

16. כָּל־הַנּוֹתָר *Quisquis relictus fuerit*, quicunque non fuerint deleti e populis Hierosolymam oppugnantibus, illi posthac conversi Judaeorum sacris sese adjungent, acceptaeque cladis memores Deo obedient. וְעָלוּ *Et ascendent* scil. Hierosolymam; illi enim, qui ex mandato divino Exod. 23, 17. Deut. 16, 16. ter quotannis Hierosolymam ad festa celebranda petebant, dicebantur *ascendere* (vid. et Luc. 2, 42. Joa. 7, 8.), eo quod non solum urbs Hierosolymitana respectu reliquae terrae Israeliticae in excelso loco, quippe super montibus, erat posita, verum et inprimis templum, quo praecipue tendebant ascendentes, in vertice montis Moriah situm esset. Cf. Jes. 2, 2. Mich. 4, 1. — מִדֵּי שָׁנָה בְּשָׁנָה *De anno in unum*, quotannis, ut 1 Sam. 7, 16. 2 Paral. 24, 5. Jes. 66, 3. — לְהִשְׁתַּחֲוֹת לַמֶּלֶךְ יְהוָה צְבָאוֹת *Ad prosternendum se*, ad cultum exhibendum, *regi Jovae*, *agminum* Deo. *Rege* Hebraei interpretes tantum non omnes *Messiam* significari observant, sed לַמֶּלֶךְ esse in statu constructo positum, ut vertendum sit: *regi Jovae*, *dei agminum*, i. e. regi illi, quem Jova constituit, collato Ps. 2, 6., ubi Jova dicit, se Messiam regem unxisse. Sed rectius Chaldaeus לַמֶּלֶךְ capit absolute, vertitque: *coram rege seculorum*, *Jova agminum* deo. Cf. supra Vs. 9., ubi Jova ipse dicebatur fore *regem super*

universam terram. וְלָחֹג אֶת־חַג הַסֻּכּוֹת *Et ad feriandum festum tabernaculoram*, quod celebrabatur sub finem anni, post peractam messem Deut. 16, 13. 16. (unde et *collectionis* festum dicitur Exod. 23, 16.), mensis septimi die decimo quinto, Levit. 23, 34. Celebrabat in eo populus Judaicus memoriam habitationis in tabernaculis et vagi itineris per Arabiae deserta, Levit. 23, 39—43. Dicit igitur vates, multos ex gentibus, conspectis tantis Dei beneficiis in populum Judaicum, eorum sacris sese aggregaturos, et quum longius positi annuos dies festos celebrare non possint, ut Judaei, certe semel anno, autumni tempore, quod ad itinera commodissimum, venturos esse ad concelebrandum festum tabernaculorum.

17. מִשְׁפְּחוֹת הָאָרֶץ *Familiae terrae* vocantur gentes, ut Ezech. 20, 32. Amos 3, 2. — וְלֹא עֲלֵיהֶם יִהְיֶה הַגָּשֶׁם *Super eos igitur non erit pluvia.* Praefixum ו Latinis redundat, Hebraeis vero est *ἀποδόσεως* nota, membrum posterius cum praecedente connectens. Pluviae defectus vero omnem fere quae inde oriri in illis terris solet, comprehendit calamitatem, annonae caritatem, seditiones, pestem.

18. וְאִם־מִשְׁפַּחַת מִצְרַיִם לֹא־תַעֲלֶה *Quodsi vero gens Aegypti non ascendat*, cujus quidem regio pluviis non eget, quia Nilus eam oxundans rigat, cf. Deut. 11, 10. 11. — וְלֹא בָאָה *Nec veniet* scil. *ad adorandum*, Vs. 16. 17. — וְלֹא עֲלֵיהֶם *Tunc non super eos* scil. ascendet Nilus, ut Chaldaeus interpretatur. Nihil enim incrementum annuum Aegyptiis imbris vicem praestare constat. *Vav* ante לֹא igitur eodem modo est capiendum, ut Vs. 17. in וְלֹא עֲלֵיהֶם. Alii vertunt: *quamvis non super eos sit*, vel: *super quos* quidem *non* cadere solet imber. Quod de Aegypto praesertim superiore valet. Postcriore admissa interpretatione *ἀπόδοσις* post Athnachum demum sequeretur. Sed priorem interpretationem praeferimus, quum Vs. 17. *ἀπόδοσις* eodem, quo hic, modo expressa sit. תִּהְיֶה הַמַּגֵּפָה וגו׳ *Erit* ita super Aegyptios *eadem plaga*, *qua Jova percutiet populos* alios, *qui non ascendent* Hierosolymam *ad celebrandum festum tabernaculorum.* Quippe subtractis Nili aquis idem Aegyptii malum experientur, quod ceterae gentes subtracto imbre.

19. זֹאת תִּהְיֶה חַטַּאת *Hoc*, inquam, *erit peccatum*, i. e. poena, qua peccatum illud punietur. Nomina quae *culpam* proprie significant, subinde et poenam indicant, ut quae comes culpam premit, vid. Num. 18, 22. 33, 23. Thren. 4, 6. Gen. 19, 15.

20. יִהְיֶה עַל־מְצִלּוֹת־הַסּוּס קֹדֶשׁ לַיהוָה *Erit super tintinnabulis s. phaleris equorum* scil. scriptum: *sanctum Domino.* הַסִּירוֹת בְּבֵית יְהוָה *Ollae* quae sunt *in domo Jovae*, coquendis carnibus sacrificiorum, quas populus et sacerdotes absumerent,

2 Paral. 35, 13. — כַּמִּזְרָקִים לִפְנֵי הַמִּזְבֵּחַ *Erunt sicut paterae ante altare* (סַגִּיאִין כְּמִזְרָקַיָּא קֳדָם מַדְבְּחָא *multae* scil. erunt ollae *sicut paterae coram altari*, vertit Chaldaeus), ut vates innuat, tantam fore copiam victimarum, ut quot olim paterae, sive phialae fuere, tot futurae sint ollae. Ingens enim erat phialarum numerus, tum ad offerendam similam et oleum, tum ad fundendum sanguinem victimarum circa altare, et ad vinum suffitusque. Jarchi vero hoc indicari vult, et ipsas ollas, quae cineri removendo inservirent, futuras esse aureas et argenteas, sicut paterae altaris usui destinatae.

21. וְהָיָה כָּל־סִיר בִּירוּשָׁלַם וּבִיהוּדָה קֹדֶשׁ לַיהוָה *Eritque omnis olla Hierosolymis et in Judaea sancta Jovae*, quotquot erunt ollae in tota terra convertentur in usus sacros. וְלָקְחוּ מֵהֶם *Accipientque* aliquas *ex illis* ollis. וּבִשְּׁלוּ בָהֶם *Et coquent in eis* carnes victimarum. כְּנַעֲנִי Chaldaeus vertit *mercatorem*, et ita Aquilam quoque vertisse, testis est Hieronymus, qui eum sequitur. Sane *Cananaeo* significatur mercator Job. 40, 30. (ad quem loc. cf. not.) Prov. 31, 24. Jes. 23, 8. Hos. 12, 8. Dicit igitur: non fore ultra mercatores in templo, neque qui vendant sacerdotibus lebetes, phialas, oleum, thus, et similia, nam omnia ista ab advenis dono dabuntur plusquam satis. Qui vero כְּנַעֲנִי pro nomine proprio habent, *Cananaeo* indicari putant quemcunque profanum et impium, qui felicissimo illo aevo in templo Jovae non sit compariturus. Ita Noster hic idem fere dicet quod Ezechiel 44, 9.

IN MALACHIAM PROOEMIUM.

Eorum quae ad scriptorem postremi in *Δωδεκαπροφήτῳ* libri spectant, in ambiguo adco versamur, ut viri nomen ne satis quidem constet. Quum enim nomen מַלְאָכִי compositum multi habeant, ex מַלְאָךְ et יְהוָה, ut ultima litera י, quae prima est nominis יְהוָה, totius hujus nominis vicem impleat, adeoque *nuntium* sive *angelum Jovae* notet; *Maleachi* non *personae*, sed *muneris* nomen existimarunt, quemadmodum Haggai, propheta, sese vocat מַלְאַךְ יְהוָה *nuntium Jovae* (1, 13.). Atque *Esrae* quidem, sacerdotis, vitia ordinis sui hoc libro taxantis, cognomen fuisse *Maleachi*, vetus est Hebraeorum opinio, uti patet inde, quod Chaldaeus interpres in transferenda libri epigraphe (1, 1.) verbis בְּיַד מַלְאָכִי haec addidit: *cujus nomen appellatur Esra, scriba.* Quam sententiam ita commemorat HIERONYMUS (in Praefatione in Commentar. in hunc librum), ut eam sua assensione comprobet. „Malachi autem," inquit, „Hebraei Ezram aestimant sacerdotem, quia omnia, quae in libro illius continentur, etiam hic Propheta commemorat, dicens [2, 7.]: *Labia sacerdotis custodient scientiam, et Legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est* [cf. Esr. 7, 10.]. Tempus quoque titulusque conveniunt, quod et in Psalmis diximus, qui titulos non habent, eorum esse credendos, quorum priores Psalmi nominibus praenotati sunt. Igitur et Malachi, id est, Ezras, post Aggaeum et Zachariam, qui sub Dario prophetaverunt, fuisse credendus est. Et propterea titulum non habere, quia liber ejus pro titulo sit, in quo discimus, quod in regno Artaxerxis, regis Persarum, Ezras, filius Sarajae, et ceterorum, usque ad eum locum, ubi dicitur [Num. 25, 7.]: *Filius Phinees, filii Eleazar,*

filii Aaron Sacerdotis, ab initio ascenderit de Babylone, et dederit ei rex secundum manum Domini Dei sui omnem petitionem ejus, ascenderintque cum illo de filiis Israel, et de filiis Sacerdotum, et de filiis Levitarum, et de cantoribus, et de janitoribus, et de Nathineis in Jerusalem, anno septimo Artaxerxis regis, et venerint in Jerusalem mense quinto; ipse est annus septimus regis, quia in primo die mensis primi cepit ascendere de Babylone, et in primo mensis quinti venit in Jerusalem." Esram intelligendum esse Malachi nomine alii et inde verisimile existimant, quod quum Esr. 5, 1. 6, 14. Haggaei et Zachariae mentio fiat, de Malachia sileatur. Quod quam infirmum sit argumentum, quisque intelligat ipse. Pro nomine non proprio scriptoris, sed *officii* s. *muneris* ejus, compositum ex מַלְאָךְ et יְהוָה, nomen מַלְאָכִי et habet VITRINGA (*Observatt. SS.* Cap. 7. p. 539.). „In compositione enim," inquit, „nominum subinde *una* etiam *litera* integram vocem sustinere potuit, ut ה in voce אַבְרָהָם et שָׂרָה refert vocem הָמוֹן, cujus vocis litera ה primum signum est, et י in voce יְהוֹשֻׁעַ, additum nomini הוֹשֵׁעַ, signum sustinet, ut videtur, nominis יְהוָה. Certe vel id verum est, prophetam hoc nomine explicare voluisse *suum officium*, quod maxime probabile habeo; vel prophetam se hoc nomine *συμβολικῶς* appellasse, quod vaticinium ediderit (3, 1.) clarissimum in hac prophetia de aliqua illustri persona, sacerdote, praecursore Messiae, Joanne Baptista, titulo *Angeli Domini: ecce mitto* מַלְאָכִי *angelum meum*, et mox de ipso Messia, ut מַלְאַךְ הַבְּרִית *angelo foederis*. Quo sensu Coccejus docte scripsit: *in hoc nomine est μνημόσυνον potissimae prophetiae hujus libelli, quae exstat* Cap. 3, 1. Quid dicam, illum de sacerdotibus in genere idem hoc nomen usurpasse (2, 7.)? *Labia sacerdotis servabunt scientiam et legem requirent ex ore ejus,* כִּי מַלְאַךְ יְהוָה צְבָאוֹת הוּא *quia legatus Jovae exercituum ipse est.* Singula haec confirmant, nomen hoc sive sit *officii*, sive sit *memoriale* et *symbolicum*, non esse verum et proprium nomen prophetae, sed *factitium* et *σημαντικόν* ab ipso propheta formatum." Verum utut

speciose haec sint disputata, vehementer tamen dubitamus esse vera, quum nullum aliud in librorum V. T. inscriptionibus exstet exemplum positi nominis solius officii scriptoris, omisso nomine ejus proprio.

Malachiam vixisse post reditum Judaeorum e Babylonico exsilio, totius hujus libri argumentum evincit. Si quis in eo haereat, quod inscriptio hanc prophetiam ad *Israelitas* directam dicit, et inde concludendum existimet, illam editam esse antequam Israelitae, cives regni decem tribuum, abducti essent in Assyriam, expedivit hanc difficultatem jam ABEN-ESRA, qui docuit, Judaeos reduces ex exsilio, passim hoc nomine venire apud Esram (2, 70. 6, 17.) et Nehemiam (12, 47); atque eosdem illos, qui in libri inscriptione vocantur *Israel*, deinceps 2, 11. appellari nomine *Judae*. Haggaeo et Zacharia posteriorem fuisse Malachiam, inde patet, quod de aedificatione templi nihil monet, sed corrigit potius quae structo illo in cultu divino peccabantur (1, 10. 3, 1. 10., neque inter promotores structurae templi cum Haggaeo et Zacharia laudatur Malachias Esr. 5, 1. 6, 14.). Quia autem Malachia vaticinante *Politarcham* suum, seu *ducem politicum*, adhuc habebant Judaei, ut certum est ex Mal. 1, 8., ex historia autem non patet, post Nehemiam alium principem politicum Judaeis praefuisse (nam post illius obitum Pontifices simul Ethnarchae fuerunt, quorum nomina a temporibus Esrae ad Darii Codomanni aetatem breviter recensentur Neh. 12, 10. 11.); ideo hanc Malachiae prophetiam editam fuisse colligit Vitringa *post reditum alterum Nehemiae e Persia in Cananaeam*, post annum nimirum trigesimum secundum Artaxerxis Longimani (Neh. 13, 6.), cum pontifex Judaeorum esset Eljaschib (Neh. 12, 10.), aut filius ejus Jojada (Neh. 13, 28.). Id quod collata inter se Malachiae prophetia et Nehemiae historia evincitur. Non enim tantum *eadem crimina* in utroque monumento culpantur, sed paene *iisdem* etiam *verbis*. Veluti quod *Levitae* et *sacerdotes foedus Dei*, secum pactum, dicuntur *rupisse*, uxores ducendo ἀλλοφύλους, (et Hebraeas) quibus juncti erant, sive negligendo, sive repudiando,

coll. Mal. 2, 8—11. cum Esr. 9, 1. et Neh. 13, 23—29., item quod *decimas* Judaei non persolverint *Levitis*, qui proinde quisque ad agros suos profugerant, quo sibi de necessariis vitae subsidiis prospicerent, coll. Mal. 3, 8. 10. et Neh. 13, 5. 12. 10, 38. 39., cum Neh. 13, 6—13. Accessit *neglecta cura* et *depravatio cultus divini*, de qua Malachias conqueritur 1, 8. 11. 13. 2, 8. coll. Neh. 13, 15. seqq. Quum nimirum reversi e Babylonico exsilio Judaei ducibus Serubbabele principe, et Josua Pontifice, sub Cyri imperio non solum rempublicam constituissent, et templi fundamenta jecissent, sed deinde etiam, imperante Persis Dario Hystaspide, ab Haggaeo et Zacharia excitati ipsum templum aedificassent, et sacrum cultum rite instaurassent; post Serubbabelis et Josuae obitum, sub Artaxerxe Longimano primum Esras, anno Artaxerxis septimo (Esr. 7, 7.), et postea Nehemias, anno Artaxerxis vigesimo (Neh. 1, 1. 2, 1. 5. 8. 14.), rebus Judaeorum, ex negligentia sacerdotum et praefectorum denuo collapsis quidem succucurrerunt, vitia populi castigarunt et emendarunt, idque operam dederunt, ut populus rite lustratus solida legis divinae scientia imbueretur, ordo item Leviticus a criminibus, quibus se polluerat, purgaretur, et sacrarum litterarum studia ab eo majore industria excolerentur, urbs quoque Hierosolyma, novae reipublicae caput, probe muniretur. Attamen omni illorum diligentia et zelo adeo cautum non est in futurum, ut non brevi post, mortuo videlicet Esra, et Nehemia absente (Neh. 13, 6.), eadem vitia in populo recruduerint, et, qui maxime sacerdotum dignitatem tueri debebant, sacerdotes, eam profanis opinionibus et impura vita sua non prodiderint et prostituerint. Grassantibus itaque sceleribus istis Malachias Judaeos ad poenitentiam excitaturus, ab initio statim libri sui *totius populi* ingratam erga Deum mentem et impietatem perstringit (1, 2—5.), hinc speciatim *sacerdotes* polluti cultus divini arguit, quod sacrificia mutila, furto seu raptu accepta, et a profano populo oblata admitterent, remque sacram vel perfunctorie et negligenter, vel mercede conducti, ut rem suam facerent, avare et sordide

facientes, Jovae cultum in omnium contemtum deducerent (1, 6. scqq.). Praeterea illis exprobrat, quod alios non tantum non corrigerent, sed, violato pacto Levitico, ipsi pravo exemplo et falsa doctrina vulgo praeirent (2, 1 — 9.), illicitis praesertim connubiis cum feminis exterorum, neglectis vel repudiatis legitimis suis uxoribus (2, 10 — 16.). Cum autem ante Babylonicum exsilium ad idolorum cultum et peregrinas superstitiones proni fuissent Judaei et Israelitae, nunc quamplurimi, et ipsi etiam sacerdotes et doctores legis, plane erant irreligiosi, ita ut sibi persuaderent, Deum res humanas plane non curare, et vanam esse exspectationem magni illius regis, e gente Davidica oriundi, Messiae nomine celebrati (2, 17. 3, 13. seqq.). Unde vates Jova edoctus non solum adventum Messiae, ejusque praecursoris, per quos populus sit repurgandus, certo promittit (3, 1 — 4), sed etiam impiis illis contemtoribus pacti a Jova cum populo Hebraeo initi, nisi resipiscerent, gravissimas poenas minatur (3, 5 — 7.). Iterumque reprehensa plebis avaritia, quod decimas et primitias non persolverent (3, 8 — 12.), vanumque esse, servire Deo, putarent (3, 12 — 15.), piorum reliquias lactis promissionibus solatur (3, 16 — 24.).

Stylo utitur Malachias pro seculi sui genio, satis eleganti, terso, ac nitido, conciso tamen, et ad aculeos in legentium animis relinquendos composito, et argumento suo tam in corruptionibus, quam in promissis scite attemperato.

MALACHIAS.

CAP. I.

Argumentum.

Postquam vates demonstrasset amorem Dei singularem erga populum Israeliticum (Vs. 1—5.), exprobrat ei ingratum animum, manifestum in negligentia cultus divini (Vs. 6.), idque contra sacerdotum praesertim cavillationes probat (Vs. 7—13.), et gravissime damnat (Vs. 14.).

1. De phrasi מַשָּׂא־דְּבַר יְהוָה vid. not. ad Zach. 9, 1. אֶל־יִשְׂרָאֵל *Ad Israelem*, i. e. reduces ex exsilio Judaeos, Benjaminitas et Levitas, et qui e decem tribubus illis juncti fuerunt. בְּיַד מַלְאָכִי *Per Malachiam*, cf. not. ad Hagg. 1, 1.

2. אֲהַבְתִּי אֶתְכֶם *Dilexi vos*, et amorem meum demonstravi eo, quod vos in populum mihi peculiarem adoptavi, et vobis, Jacobi posteris, terram Cananaeam assignavi. Cf. Jes. 43, 4. Ante אֲמַרְתֶּם subaudienda est, recte observante Kimchio, particula אִם, *quodsi vero dicatis:* בַּמָּה אֲהַבְתָּנוּ *in quo dilexisti nos?* quo argumento apparet amor ille tantus in nos? Ita בַּמָּה et Gen. 15, 8. capitur: בַּמָּה אֵדַע כִּי אִירָשֶׁנָּה *quo argumento sciam me illam possessurum?* Quodsi igitur, inquit, ita interrogatis, Jova respondebit: הֲלוֹא־אָח עֵשָׂו לְיַעֲקֹב, transpositus est vocabulorum ordo vel pro הֲלוֹא־אָח לְיַעֲקֹב עֵשָׂו, vel, הֲלוֹא עֵשָׂו אָח לְיַעֲקֹב *nonne Esavus* erat *frater Jacobi?* וְאֹהַב אֶת־יַעֲקֹב *Et* tamen *amavi Jacobum* ejusque posteros, nam ut alias *Edom* et *Israel* utriusque posteritatem indicat, ita et hic progenitorum nomina comprehendunt posteros. Sensus est: etsi fratres fuerint gemelli Esau et Jacobus, et neuter eorum nascendi conditione altero deterior, non tamen pari amore prosequutus sum illos et eorum posteros. Jacobum enim et posteros ejus adoptavi iisque eximie benefeci; Esavum vero ejusque posteros illis postposui.

3. וְאֶת־עֵשָׂו שָׂנֵאתִי *Esavum vero odi*, i. e. minus amavi, eum ejusque posteros tanta benevolentia non sum complexus, quanta Jacobum ejusque posteros. Patet hic verbi sensus ex legibus justae oppositionis; si enim *amare*, ut supra vidimus, est, insignibus aliquem prae aliis, beneficiis ornare, *odisse* erit

insignibus aliquem ante allos beneficiis non ornare, nec tamen ideo aversari aut indotatum dimittere. Sic, comparative, pro *minus amare*, verbum שָׂנֵא usurpatur manifeste Gen. 29, 31. Lea dicitur שְׂנוּאָה *exosa*, i. e. minus chara, nam Vs. 30. dictum erat, Rahelam magis dilectam fuisse Jacobo quam Lea. Eodem sensu Deut. 21, 15. uxor חֲשְׂנוּאָה *exosa* est minus chara. Et Prov. 14, 20. pauper ab amicis et cognatis יִשְׂנָא, non tam *odio infestatur*, quam potius, *haud magni aestimatur*. Quod documento ostendat Deus se Judaeis postponere Idumaeos his verbis declarat: וְאָשִׂים אֶת־הָרָיו שְׁמָמָה *nam posui montes ejus vastitatem*, i. e. postquam quae ei habitanda concesseram montana devastavi (Jer. 49, 7. sqq. Ezech. 35, 2.), non ei, ut Judaeis Babylone reducibus, concedetur ruinarum restauratio, sed perpetua Edomi erit vastitas, usque eo, ut conanti etiam, me impediente, non successura sint molimina. Deus igitur hic non dicit, qua in re *olim* Judaeos Edomitis praetulerit, sed quodnam isto, dum haec loquebatur, tempore, esset majoris benevolentiae indicium declarat. Scilicet quum utraque, inquit, gens nuper feliciter Nebucadnezaris armis subactae et vastatae fuissetis, poteram utramque destituere, sed *Jacobum amavi et Esavum odi*, i. e. Edomitis repudiatis vos Israelitas restitui. וְאָשִׂים *Nam* (ita causaliter reddendum est h. l. praefixum ו, ut Gen. 20, 3. Exod. 26, 12.) *posui*, reddidi, destinavi, אֶת־הָרָיו *montes ejus* Esavi s. Edomi, montosam enim Idumaeorum ditionem fuisse constat, vid. Gen. 36, 8. Jos. 24, 4. — שְׁמָמָה *Desolationem*, i. e. desolatos, abstracto posito loco concreti, ad augendam et intendendam significationem. Nisi malis accipere per ellipsin praefixi לְ, posui לְשְׁמָמָה *in vastationem*. וְאֶת־נַחֲלָתוֹ *Et hereditatem* s. *possessionem*, quod per ἐπεξήγησιν additum, nam ditionem Idumaeorum, quam modo הָרָיו dixerat, nunc vocat נַחֲלָתוֹ interpretationis gratia. Ad לְתַנּוֹת מִדְבָּר repetendum וְאָשִׂים *posui*, destinavi *draconibus deserti*, תַּנּוֹת vix dubium ejusdem significationis esse cum תַּנִּים *belluis immanibus* et *monstrosis* (vid. not. ad Ps. 44, 20. et Ezech. 29, 3.), vel תַּנִּים *lupis* (cf. not. Jes. 13, 22.), quorum domicilia sunt loca sola et deserta, vid. laudatum Jesajae locum, et 34, 13., nec non Jer. 9, 10. Nec obstat quod de illis animalibus deserticolis alias Plurale masculinum usurpatur, quum plura nomina, praesertim communia, in Plurali terminationem masculinam aeque ac femininam recipere constet; vid. GESENII *Lehrgeb.* p. 533.

4. Ut autem, pergit Deus, dilucidius appareat, quanto majori vos, Israelitae, quam Edomitae apud me in pretio sitis, reparandae eorum desolationi locus, uti vobis quidem fuit, non erit. רָשַׁשְׁנוּ Hieronymus recte vertit: *destructi sumus*. Nam רָשַׁשׁ significare *destruere*, patet ex Jer. 5, 17., ubi verba יִרַשׁ עָרֵי מִבְצָרֶיךָ vix aliter verti commode possunt quam *destruet urbes tuas munitas*. וְנָשׁוּב וְנִבְנֶה חֳרָבוֹת *Sed revertemur et*

aedificabimus ruinas, h. l. iterum aedificabimus, restaurabimus. Verbum שׁוּב enim si jungitur alii verbo vel nude, vel intercedente particula ו, indicat repetitionem actionis, quam verbum cui jungitur exprimit, vertendum *iterum*, *rursus*, *denuo*, vid. Gen. 26, 18. 30, 31. Deut. 30, 3. al. וְקָרְאוּ לָהֶם גְּבוּל רִשְׁעָה *Et acclamabunt eis*, i. e. vocabitur (impersonaliter, ut Ezech. 39, 11.), *terminus impietatis*, i. e. regio impiorum. Terra quae solitudine sua de incolarum impietate testatur. וְהָעָם אֲשֶׁר זָעַם יְהוָה *Et populus cui indignatur Jova*, in quem, ad indicandam indignationem suam animadvertere pergit. עַד־עוֹלָם *Usque ad aeternitatem*, sine ulla spe refectionis aut recuperandarum opum, quarum jacturam fecerunt.

5. Ex his Edomitarum fatis Israelitas iis a Deo multo mitius haberi, ita apparere ait, ut propriam eorum confessionem elicitura sint. וְעֵינֵיכֶם תִּרְאֶינָה *Et oculi vestri* cum *videbunt* hanc Edomitarum calamitatem, וְאַתֶּם תֹּאמְרוּ *tum vos* de veritate convicti *dicetis:* יִגְדַּל יְהוָה *magnus sit Jova!* i. e. magnum esse Jovam nostra praedicatione audientibus innotescat! celebretur gloria Jovae. Quam formulam, quoties magno quodam beneficio mactabantur Judaei, iis solennem fuisse, docent loca Ps. 35, 27. 40, 17. — מֵעַל לִגְבוּל יִשְׂרָאֵל *Ultra terminum Israelis*, per omnem terrarum orbem; quae sententia infra Vs. 11. pluribus declaratur.

6. Post exordium, quo populo Judaico Jovae in ipsum merita in memoriam revocavit, vates orditur orationem suam ad populum impium redarguendum comparatam, et primum quidem in sacerdotes invehitur. Argumentatur autem e concessis. Nempe quum Jovam patrem herumque ipsi profiteantur suum, patri autem et hero obsequium cultumque a filiis famulisve deberi, nemo non agnoscat; non apparere ait, qua fronte illi, divini humanique juris velut arbitri, tam negligentes esse possint in cultu rite ei exhibendo. בֵּן יְכַבֵּד אָב *Filius honorabit patrem*, i. e. honorare eum debet. Vid. Futurum eodem sensu capiendum infra 2, 7. — וְעֶבֶד *Et servus* scil. יְכַבֵּד seu יִירָא *timere debet* (e מוֹרָאִי, quod mox sequitur, subaudito) אֲדֹנָיו *dominum suum.* Pluralis אֲדוֹנִים pro singulari, ut Jes. 19, 4. אֲדֹנִים קָשֶׁה *dominus durus;* cf. Gen. 42, 30. Deut. 10, 17. — וְאִם אָב אֲנִי Jam vero *si pater ego* sum vobis, si me talem erga vos exhibui, et vos me talem agnoscitis, vid. Jer. 3, 4. — אַיֵּה כְבוֹדִי *Ubi* est *gloria mea?* qua me honorare debetis.

7. Interrogantibus sacerdotibus, quonam ostendant se Deum contemnere, jam iis respondet: מַגִּישִׁים עַל־מִזְבְּחִי לֶחֶם מְגֹאָל *affertis super altari meo panem pollutum*, quo non tantum sacrificia inanimata, quae e frugibus et similagine constabant, ut Grotius vult, sed victimae etiam, et quaevis aliae oblationes intelliguntur, ut e Versu 8. patet. Et Levit. 3, 11. 21, 6. 8. 17. al.

sacrificia ex animantibus vocantur לֶחֶם *cibus*. Is vero erat מְגֹאָל *pollutus*, quod, ob gentis avaritiam, aut pecudes vitio laborantes, aut panes e frumentis non satis selectis ac palea purgatis pisti obiterque cocti offerrentur. HIERONYMUS intelligit *panes propositionis*, „quos juxta traditiones Hebraicas ipsi serere, ipsi demetere, ipsi molere, ipsi coquere debebatis; et nunc sumitis quoscunque de medio." Jam porro instantibus sacerdotibus: בַּמָּה *quanam re?* quonam argumento declarabis, quod גְּאַלְנוּךָ *polluamus* i. e. dicamus, pollutum esse *te*, i. e. per metonymiam subjecti pro adjuncto, altare et sacrificia tua. Sic enim ut hanc dictionem interpretemur *συνάφειᾳ* cum antecedenti postulat; oportet enim inter praecedentem Dei accusationem et ejusdem accusationis repetitionem a reo sui defendendi causa susceptam, exactam, si non verborum, certe sensus esse convenientiam. Reddimus גְּאַלְנוּ *dicimus pollutum esse*, quia forma *transitiva* verborum saepe declarationem notat ejus rei, quae forma simplici indicatur, veluti Prov. 17, 15. מַצְדִּיק *dicens quod quis justus sit*, et Jes. 6, 10. הַשְׁמֵן et הַכְבֵּד *dic* et pronuntia quod impinguata sint corda eorum et aggravatae aures eorum. Affixum secundae personae ךָ positum pro לַחְמְךָ vel מִזְבַּחֲךָ לֶחֶם *panem arae tuae*, uti saepius persona pro personae adjuncto posita, veluti 1 Sam. 8, 7. לֹא אֹתְךָ מָאָסוּ *non te* i. e. tuum imperium *repudiarunt*. Item 1 Sam. 10, 19. מְאַסְתֶּם אֶת־אֱלֹהֵיכֶם *repudiastis Deum vestrum*, i. e. Dei vestri imperium, *θεοκρατίαν*. Sequitur divina responsio: בֶּאֱמָרְכֶם *per dicere vestrum*, i. e. eo quod dicitis: שֻׁלְחַן יְהוָה *mensa Jovae*, i. e. ara ejus, quae eodem nomine et Ezech. 41, 22. 44, 16. appellatur, נִבְזֶה הוּא *contemta est*, est res vilis nec magni facienda. Dum enim officio suo obiter fungebantur sacerdotes, et quaslibet hostias, etiam lege Mosaica reprobatas, facile admittebant, satis ostendebant, se flocci facere religionem, cujus praecipua pars erat cultus Leviticus, sacrificiis occupatus. At malebant, avaritia stimulante, aliquid, quam nihil a gente egena et in sumtibus in rem divinam faciendis parum sedula, accipere, quandoquidem pars victimarum haud contemnenda ipsis sacerdotibus debebatur, qua excidebant, si parcius afferebantur.

8. Quod in fine Versus superioris dixerat Jova jam probat et magis explicat. ו ante כִּי est aetiologicum, rationem subjungens, unde patescat, sacerdotes sacra contemtim habere, et palam quoque profiteri, vili apud se in pretio esse aram Jovae. *Nam quando* evenit, ut, quod persaepe istis aerumnosis et egenis temporibus esse factum, haec ipsa oratio credere suadet, vobis pecus afferatur insigni quodam naevo lege expressa Lev. 22, 21. Deut. 15, 21. reprobato laborans, vosque illam oblatam תַּגִּישׁוּן *adducitis*, scil. ad aram, quamvis vobis ignotum non sit, eam esse עִוֵּר *coecam;* nihilominus tamen eam adducitis לִזְבֹּחַ *ut sacrificetis*, adeo improbi estis, ut dicatis אֵין רָע *non est malum*,

aut ineptum. Per mimesin Deus verba avarorum et gratiam plebis ista intempestiva indulgentia venantium sacerdotum perstringit; subinde enim, quotiescunque inepta offerebantur pecora, ingeminabant: אֵין רָע *malum non est*, satis abundeque aptum est; hanc familiarem iis frequenterque emissam vocem vates repetit, et simul ut impiam pudendamque exprobrat. פִּסֵּחַ *Claudum*, vetitum erat et hoc Deut. 21, 15. וְחֹלָה *Et morbidum;* ejus species enumerantur Lev. 22, 22. sqq. Ut sacerdotes eo magis convincat suae impudentiae et iniquitatis, addit: הַקְרִיבֵהוּ נָא לְפֶחָתֶךָ *offer, quaeso, illud*, offer modo tale quoddam vile munus, *principi tuo;* de voce פֶּחָה vid. not. ad Hagg. 1, 1. הֲיִרְצֶךָ *Et* vide, *an te benevole acceptur sit?* Idem est ac הֲיִרְצֶהָ בְךָ, nam verbum רָצָה cum Accusativo et cum ב constructum legitur, vid. 1 Paral. 28, 4. — אוֹ הֲיִשָּׂא פָנֶיךָ *Aut an accepturus sit faciem tuam?* i. e. an te honoraturus et aliquo in pretio sit habiturus, ita ut annuat petitis tuis? שְׂאֵת פָּנִים *Accipere faciem* alicujus notat *eum aestimare*, gratum et acceptum habere, vid. Gen. 19, 21. 32, 21. Job. 13, 10. 31, 21.

9. A reprehensione transit vates ad exhortationem et resipiscentiam. חַלּוּ־נָא פְנֵי־אֵל *Deprecamini faciem Dei*, orate Deum ut nostri misertus avertat mala quae patimur. Nam vestri est, Deum deprecari pro populo; nam sacerdotes estis. De phrasi חַלָּה פְּנֵי פלוני vid. not. ad Ps. 45, 12 וִיחֻנֵּנוּ *Ut misereatur nostri.* Potuisset dicere *vestri;* sed maluit dicere *nostri*, ne se videretur eximere; licet culpam hac quidem in re nullam haberet. Eodem modo Moses loquutus est Exod. 34, 9. *condonabis culpam nostram.* מִיֶּדְכֶם הָיְתָה זֹאת *A manu vestra fuit hoc*, i. e. quod populus illicita sacrificat, ejus rei auctores vos ei estis, dum hostias lege prohibitas declaratis aptas ad sacrificandum. הֲיִשָּׂא מִכֶּם פָּנִים *Num accipiet a vobis facies?* ut accepti et grati ei sitis? Vid. de hac phrasi ad Vs. 8.

10. מִי גַם־בָּכֶם וְיִסְגֹּר דְּלָתַיִם *Quis etiam inter vos ut claudat portas* scil. templi, ut ex iis quae sequuntur patet. Chaldaeus addit: *domus sanctuarii.* Sensus est: utinam aliquis vestrum pio zelo accensus fores templi clauderet, et hujusmodi hostias illegitimas excluderet! Satius enim, non sacrificare omnino, quam talibus victimis facere. Alii avaritiam et ingratum animum sacerdotibus exprobari existimant, et חִנָּם *gratis* ex membro sequenti huc trahunt, hoc modo: *quis vestrum, qui claudat ostia* gratis? *imo ne altare quidem meum gratis accenditis.* Verum haec cum altero commatis hemistichio minus apte cohaerent. Quare non dubitamus superiorem interpretationem praeferre, cui et Versus proximus 11. favet, ubi redditur ratio, cur Deus templi portas claudi et sacra plane intermitti malit? quia ista plane abominetur, et meliora alibi exspectet. וְלֹא־תָאִירוּ מִזְבְּחִי *Nec lucere faciatis*, i. e. incensum faciatis in altari meo, ne hostias

igne consumendas offeratis. חִנָּם *Frustra*, nam oleum et operam perdit, qui hoc modo sacrificat. Nisi sacra ex Dei praescripto peragantur, nullus inde fructus ad offerentes tradit. Nomine מִנְחָה, quod proprie munus notat quodcunque, vid. Gen. 32, 21., hic indicatur munus illud sacrum frumentaceum, Deo tum alias (vid. Lev. 2, 1. sqq.), tum mane et vesperi cum sacrificio jugiter immolando offerendum, Num. 28, 4. 5.

11. Istiusmodi vilia sacrificia, inquit, indigna sunt mea majestate, quae per totum terrarum orbem, quam late patet, celebratur. Phrasi מִמִּזְרַח־שֶׁמֶשׁ וְעַד־מְבוֹאוֹ *ab ortu solis usque ad occasum ejus*, totus terrarum ambitus significatur, ut Ps 50, 1. 113, 3. Jes. 45, 6. 59, 19. Rationem, cur non addi soleat: *a septentrione ad austrum*, KIMCHI reddit hanc, quod ad utrumque hunc polum terra non sit habitabilis. Verba, quae sequuntur, וּבְכָל־מָקוֹם מֻקְטָר מֻגָּשׁ לִשְׁמִי וּמִנְחָה טְהוֹרָה *et in omni loco suffitus offertur nomini meo et fertum purum*, Chaldaeus ita exposuit: *quo tempore cunque vos feceritis voluntatem meam ego suscipiam preces vestras, atque ita nomen meum magnum sanctificabitur per vos, et preces vestrae ut oblatio munda erunt coram me.* ABEN-ESRA sensum horum verborum hunc esse putat, quum omnes totius orbis terrarum incolae Jovam revereantur, reputari hoc ab ipso non secus, ac si ubivis locorum ipsi omnigenos suffitus et sacra ipso digna offerant. Nos Participium passivum מֻגָּשׁ hoc loco per Participium passivum futurum *offerendus* (ut נוֹרָא *timendus*, נִבְחָר *eligendus*, מְהֻלָּל *laudandus*) exprimendum esse haud dubitamus, ut dicat vates Deum loquentem inducens: ego dignus sum cui ubique terrarum suffitus offeratur et fertum purum. Participium Hophal מֻקְטָר nominis substantivi vicem gerere, recte notat Aben-Esra.

12. וְאַתֶּם מְחַלְּלִים אֹתוֹ *Vos autem*, sacerdotes, *profanatis illud*, nomen meum, שְׁמִי, Vs. 11. De verborum בֶּאֱמָרְכֶם שֻׁלְחַן sensu vid. not. ad Vs. 7. וְנִיבוֹ נִבְזֶה אָכְלוֹ יְהוָה מְגֹאָל הוּא *Et proventum ejus* scil. mensae, s. arae Jovae, quod attinet *contemtus est cibus ejus*, i. e. non possumus multum arae Jovae tribuere, quia ad illam parum redundat: nam omnis ejus proventus in qualibuscunque et parce oblatis victimis, quae tenue satis laboribus nostris praemium sunt, nobisque alendis minime sufficiens. נִיב, quod a verbo נוב *progerminare*, proprie *proventum*, *fructum* notare videtur, hic dicitur de sacrificiis, quae altari idem fuerunt, quod agris sunt frumenta et fervente per gentem religione illis non magis, quam fertile solium frugibus carebat. Chaldaeus vertit: *et contemta sunt munera ex ea.*

13. מַתְּלָאָה *Quanta defatigatio* s. *molestia!* scil. devoranda nobis est pro vili vel exiguo reditu altaris. Vox est sacerdotum, de magno suo labore tenuique salario querentium. Alii populi

verba esse volunt indignantis, quod sacra optima et integerrima offerre cogeretur. מַתְלָאָה pro תְּלָאָה מַה, saepe enim מַה cum Macceph primae sequentis vocis literae imprimit Dagesch forte, ut מַה־לִּי *quid mihi?* Jud. 11, 12. מַה־זֹּאת *quid istud?* Jud. 15, 11. Interdum abjecto ה coalescit cum sequente voce, ut מָזֶּה pro מַה־זֶּה *quid est?* Exod. 4, 2. מַלָּכֶם pro מַה־לָּכֶם *quid vobis?* Jes. 3, 15. Veteres pro מַתְלָאָה legerunt מְתֻלָאָה, nam LXX vertunt: *ταῦτα ἐκ κακοπαθείας ἐστί*, Hieronymus, *ecce de labore*, et Chaldaeus, *quod offerimus de labore nostro est*, quasi verba haec sint Judaeorum indignante animo partas sudore pecudes afferentium. וְהִפַּחְתֶּם אֹתוֹ *Et exsufflari*, i. e. contemni *facitis illud* scil. altare meum. Flatus enim est gestus contemnentium, qui si quid flocci faciunt vel efflant, vel difflare se posse ajunt. Sic sacerdotes tenuitatem redituum exaggeraturi vel flatu dispelli posse quicquid e sacerdotio luerentur affirmabant. Chaldaeus exposuit: *et projicitis illud.* Hieronymus: „Hujus orationis: *ecce de labore, et exsufflastis illud*, hic sensus est: e captivitate reversi sumus, hostibus praedae fuimus, multum in longo itinere laboravimus, pauperes sumus, quicquid habere potuimus viae labore consumtum est; qualiacunque habemus, offerimus et haec dicendo exsufflastis vestra sacrificia, id est, exsufflatione mea digna fecistis. Sive, ut in Hebraeo legi potest: *et exsufflastis me* haec dicendo, non sacrificio, sed mihi, cui sacrificabatis, fecistis injuriam.“ E quibus verbis colligere licet, esse jam Hieronymi temporibus illas scribendi varietates notatas, quas Masorethae תִּקּוּנֵי סוֹפְרִים *correctiones scribarum* vocant. Est enim hic locus unus e numero octodecim illorum, quos illo nomine Critici Hebraei appellant; quod vetus scriptura in iis immutata fuerit, ne quid Deo indignum dici videatur. Et nostro quidem loco observant, olim lectum fuisse אֹתִי *me* hoc sensu: *exsufflare facitis me*, i. e. vos me, Jovam, miserrime angitis, coll. Job. 11, 20. Quod quum visum esset veteribus Criticis Deo indignum, ad emolliendam dictionem reposuisse אֹתוֹ, quod ad שֻׁלְחַן יְהוָה Vs. 12. referendum. Sed verisimile est, in octodecim illis locis, in quibus תִּקּוּן סוֹפְרִים habetur, esse illud, quod hodie in textu exstat, genuinum, et varietatem scribendi a Criticis ideo esse notatam, ne quis quod in textu receptum est privato ausu interpolare, aliudque quid, quod commodius videri possit, substituere audeat. Sic etiamsi hoc loco commodior sensus oriri videri queat si legatur אֹתִי, inhaerendum tamen τῷ אֹתוֹ esse. Cf. not. ad Hab. 1, 12. — גָּזוּל *Raptum* non significat, uti vult Grotius, a feris dilaniatas pecudes, quales non in privatum esum concessae erant (vid. Exod. 22, 30. Levit. 17, 15.), multo minus ad aram admittebantur, illae enim vocantur טְרֵפָה; sed quod seu vi hostili et palam, seu dolo malo, justo possessori est ereptum, quale istis temporibus saepenumero pro sacrificio oblatum esse perquam credibile est. Siracides quoque 34, 18.

τοὺς θυσιάζοντας ἐξ ἀδίκου carpit. וְהֻבְאתֶם אֶת־הַגְּזֵלָה *Et offertis et fertum* scil. simile, e frugibus raptis aut corruptis.

14. נוֹכֵל *Dolosus* hic dicitur qui paupertatem mentitur eo consilio, ut Deo quod debebat subduceret. וְיֵשׁ בְּעֶדְרוֹ זָכָר *Quum sit in grege ipsius masculum* pecus, quod quum h. l. *corrupto* opponatur patet eo indicari integram et eximiam victimam, quae proprio vocabulo תָּמִים appellatur. וְנֹדֵר וְזֹבֵחַ מָשְׁחָת *Et* tamen *vovet aut immolat corruptum*, i. e. morbidum aut vitiosum, Vs. 13.

CAP. II.

Argumentum.

Pergit sacerdotum vitia castigare, et primo quidem illos arguit socordiae et negligentiae in offerendis sacrificiis (Vs. 1. 2. 3.), tum sinistrae et perversae legum interpretationis (Vs. 4 — 8.), porro injustitiae in decidendis causis in foro (Vs. 9. 10.). Una cum sacerdotibus vero etiam illos de populo reprehendit, qui uxores alienigenas ducebant (Vs. 11. 12.), innocentes uxores adfligebant (Vs. 13 — 16.), atque Deum curare res humanas negabant (Vs. 17.).

1. וְעַתָּה hic non est temporis, sed inferendi particula, qua Deus sacerdotes monet, ne culpam a se ad alios, nempe in offerentes amoliantur. Nomen הַמִּצְוָה alias quidem *praeceptum* notat; sed quum neque in iis quae praecesserunt, neque in hoc ipso Capite praeceptum aliquod detur, sed praecepti dudum dati violatio interpositis minis redarguatur; apparet, nomen illud etiam de *admonitione* et *seria* ad obeundum officium *cohortatione* capi posse, imo hoc loco oportere, nec tantum referri debere ad id, quod in sacrificiis, sed et quod in reliquis suis officiis, quorum hoc Capite mentio fit, sacerdotes peccabant.

2. וְאִם־לֹא תָשִׂימוּ עַל־לֵב *Et si non posueritis ad cor*, si animum non adverteritis monitis, eadem phrasis Jes. 57, 1. Dan. 1, 8. — לָתֵת כָּבוֹד לִשְׁמִי *Dare honorem nomini meo*, ut debitum honorem mihi exhibeatis. וְשִׁלַּחְתִּי בָכֶם אֶת־הַמְּאֵרֵה *Tum immittam in vos execrationem*, i. e. egestatem, ut recte Hieronymus vertit. Et in Commentario haec scribit: „Obtenditis paupertatem et captivitatis injuriam, et tenuitatem rei familiaris. Sed quum habeatis quae optima sunt, offertis quae mala sunt. Ad vos igitur, sacerdotes, hoc mandatum est: fecistis quod impium est in contemtum mei. Sed quia malo poenitentiam peccatoris, quam mortem, etiam nunc dico: si me audire nolueritis, nec intelligere, ut detis nomini meo gloriam, quod est horribile in gentibus, veram in vos mittam penuriam, ut nequaquam

mentientes, sed omnium rerum coacti egestate dicatis vos non habere optima quae offeratis.“ וְאָרוֹתִי אֶת־בִּרְכוֹתֵיכֶם *Et maledicam benedictionibus vestris*, hoc est, inquit HIERONYMUS, his quae nunc meis benedictionibus possidetis. „In lingua Aethiopica בְּרָכָה absolute ponitur saepe pro *bonis*, ut Luc. 12, 18. *Cogam illuc omnes proventus meos*, καὶ τὰ ἀγαθά μου, *et bona mea*, Aethiopicus interpres וברכתי. Sic Vs. seq. *Dicam animae meae: anima, habes* πολλὰ ἀγαθά, בזוח ברכת. Ita et hic accipi potest: *maledicam bonis vestris.* Hinc factum, quod quum de bonis suis munus aliquod alteri offerrent, בְּרָכָה *benedictionem* vocaverint, Gen. 33, 11. 1 Sam. 25, 27. Ubi *haec benedictio, quam attulit ancilla tua domino meo*, verti posset, *haec bona quae attulit* rel.“ LUDOV. DE DIEU. וְגַם אֲרוֹתִיהָ *Quin etiam*, jam *maledixi ei*, unicuique benedictioni vestrae, coepi jam calamitates vobis immittere.

3. הִנְנִי גֹעֵר לָכֶם אֶת־הַזָּרַע *En ego increpo vobis sementem.* Verbum גָּעַר, *increpare*, notat et *increpando repellere*, *profligare*, ut Ps. 9, 6. 68, 31., et h. l. valet serio interdicere semini, ne germinet aut fructum ferat, ita ut in agro torpeat, aut etiam in ipsa herba a locustis absumatur. Cf. 3, 10. 11. לָכֶם *Vobis*, sacerdotibus, damno vestro, ut contra infra 3, 10. 11. est Dativus, quem vocant, commodi. זָרַע sensum fundit perquam aptum. Nam, ut recte observat ABARBENEL, *seminis* mentionem facit in respectu ad Mincham, sive fertum, et *stercoris* in respectu ad animalia immolanda. וְזֵרִיתִי פֶרֶשׁ עַל־פְּנֵיכֶם *Et spargam stercus* exenteratarum victimarum, *contra facies vestras*, i. e. summo dedecore vos afficiam, ut si quis stercus conjiceret in facies vestras. Chaldaeus; *patefaciam turpitudinem scelerum vestrorum in facies vestras.* פֶּרֶשׁ חַגֵּיכֶם *Stercus festorum vestrorum*, i. e. victimarum, quae diebus festis immolantur. Chaldaeus: *et abolebo magnificentiam festorum vestrorum.* Verba Versus postrema, וְנָשָׂא אֶתְכֶם אֵלָיו, bene interpretatur LUD. DE DIEU: „ad וְנָשָׂא subintelligo אִישׁ *quisque*, quomodo impersonalia sua formare solent Hebraei, ut Jes. 9, 5. וַיִּקְרָא שְׁמוֹ *et vocavit nomen ejus*, nempe אִישׁ *quisque*, i. e. vocatur nomen ejus, ut recte LXX: καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Ita et hoc loco: *quisque feret vos ad illud*, i. e. feremini ad illud. Sensus est: ne existimate facies vestras stercus quod dixi effugere posse; si vos id fugitis, quisque portabit vos eo ut conspergamini. Phrasis eadem occurrit infra Vs. 6. עַוְלָה לֹא יִמָּצֵא בְשִׂפְתָיו *iniquitatem non inveniebat in labiis ejus*, nempe אִישׁ *quisquis*, i. e. non inveniebatur.“ Chaldaeus: *et prohibetur portio vestra ab ea* scil. celebritate festorum, non eritis illius celebritatis festorum participes.

4. וִידַעְתֶּם כִּי שִׁלַּחְתִּי אֲלֵיכֶם אֶת הַמִּצְוָה הַזֹּאת *Ut* poenis edocti *cognoscatis quod miserim ad vos per* prophetam ministrum meum, *hoc mandatum*, hanc exhortationem, quae in superioribus

legitur. Cf. supra Vs. 1. לִהְיוֹת בְּרִיתִי אֶת־לֵוִי *Quod est foedus meum cum Levi*, quod cum tribu Levi hoc foedus inivi, ut sacra mea diligenter curarent, id quod bonis omnibus me velle illis rependere promisi. Num. 8, 14. 25, 12., quod vates ipse Versu proximo disertius declarat.

5. בְּרִיתִי הָיְתָה אִתּוֹ הַחַיִּים וְהַשָּׁלוֹם *Foedus meum cum eo*, tribu Levi, *erat vita et pax*, omnia ipsis felicia promisi, si imperata facerent. Respiciunt haec verba manifeste locum Num. 25, 12, ubi Jova Pinehaso et ei successuris in sacerdotio dicit: *ecce do ei foedus meum pacem*, i. e. omnis generis prosperitatem ei promitto. וָאֶתְּנֵם־לוֹ מוֹרָא *Et dedi ea*, vitam et pacem, *ei*, tribui Levi, *ad s. ob timorem mei*, ut me coleret, uti additur, וַיִּרָאֵנִי, ut debitum cultum mihi sacris faciundis exhiberet. מוֹרָא elliptice positum est pro לְמוֹרָאִי, cf. supra 1, 6. Lud. de Dieu מוֹרָא mallet esse asyndeton, aut subaudire Particulam ב *cum*, ut sit pro בְּמוֹרָא, ac sensus hic sit: foedus vitae ac pacis cum eo, et ut ea foedere promisi, sic et dedi ipsis; nec sola dedi, sed et timorem meum, vel, *cum timore meo*, unde sequitur, *et timuit me.* וּמִפְּנֵי שְׁמִי נָחַת הוּא *Et a facie nominis mei territus erat* (verbum חָתַת *fractum*, *contritum esse*, hic *pavere* valet, ut Deut. 1, 21. Jer. 1, 17. Ezech. 2, 6.), summa reverentia me est prosequutus, magna cum religione veteres illi sacerdotes accedebant ad sacra. Laudatur hic et Versu proximo antiquorum sacerdotum et Levitarum religiosa industria, quantumcunque ab illorum exemplo sacerdotum vatis tempore viventium negligentia et in Deum irreverentia differat ostenditur Vs. 8.

6. תּוֹרַת אֱמֶת הָיְתָה בְּפִיהוּ *Lex*, doctrina *veritatis erat in ore ejus*, docebant populum legi congruentia. וְעַוְלָה לֹא־נִמְצָא בִּשְׂפָתָיו *Et perversitas non inveniebatur in labiis ejus*, judicibus in causa controversa fideles erant consiliarii, nec quicquam ad suum quaestum comminiscebantur. Constat enim, causas difficiliores ad summum sacerdotem et collegas fuisse deferendas, Deut. 17, 8. 9. 19, 17., inprimis autem judicium de sacrificiis idoneis aut rejiculis, de mundis ac immundis penes sacerdotes erat, ubi multa poterant perverse et praeter fas judicari, si qua causa in sacerdotem avarum, timidum, socordem incideret. בְּשָׁלוֹם וּבְמִישׁוֹר הָלַךְ אִתִּי *In pace et in aequitate ambulavit mecum;* amicitiam meam retinuit recte agendo. *Cum Deo ambulat* qui eum ducem indivulsis vestigiis sequitur, ex praeceptis ejus pie ac religiose vitam instituit, uti de Henocho, Gen. 5, 22., Noacho, 9, 9., Abrahamo, 17, 1. dicitur. Idem est *ambulare in viis Dei*, vid. 1 Reg. 3, 14. Porro *ambulare cum aliquo in pace*, est, nihil committere, quod illi indignandi occasionem praebeat, quod simultatem pariat, quod amicitiae vinculum quocunque modo solvat. *In rectitudine*, i. e. recte, sincere, sine fuco ac simulatione. וְרַבִּים הֵשִׁיב מֵעָוֹן *Et* sic *multos convertit ab iniquitate*, dum legem

fideliter docuerunt populum, multos in viam reduxerunt, et a peccando averterunt. Neque enim de solo Aarone, sed de tota tribu Levi hacc sunt intelligenda.

7. כִּי־שִׂפְתֵי כֹהֵן יִשְׁמְרוּ־דַעַת *Nam labia sacerdotis custodiunt*, i. e. custodire debent (vid. Futurum eodem modo capiendum supra 1, 6.) *scientiam* scil. legis et rerum divinarum. Sacerdotum est callere legem, et alios eam fideliter docere. וְתוֹרָה יְבַקְשׁוּ מִפִּיהוּ *Et legem*, i. e. institutionem et interpretationem legis *quaerunt*, quaerere debent rudiores *ex ore ejus;* sacerdotum enim erat respondere ad interrogata populi cum de lege ejusque genuino sensu dubitaret. Vid. Levit. 10, 11. Deut. 33, 10. et cf. Hagg. 2, 11. — כִּי מַלְאַךְ יְהוָה־צְבָאוֹת הוּא *Quia nuntius Jovae*, dei *agminum ille est*, saltim pro muneris sui ratione esse debet. Nam quae statim subjicit vates luculenter indicant, hic doceri, non quales *sint*, sed quales *esse debeant* sacerdotes. מַלְאַךְ Chaldaeus hic recte מְשַׁמֵּשׁ *ministrum* vertit. Vocatur sacerdos *minister* s. *nuntius Jovae*, quia populum certiorem reddit de Dei voluntate patefacta in Lege.

8. וְאַתֶּם סַרְתֶּם מִן־הַדֶּרֶךְ *Ad vos*, sacerdotes hujus aetatis ipsimet *recessistis a via* recta, a Deo praescripta, vel, ut alii volunt, a via sacerdotum illorum priorum, de quibus in superioribus, ut sensus sit: ab institutis majorum deflectitis. הִכְשַׁלְתֶּם רַבִּים בַּתּוֹרָה *Impingere fecistis multos in lege*, pravo exemplo et perversa doctrina causa iis fuistis, ut ab ea recesserint, et contra eam peccaverint, cum veteres illi multos converterent, Vs. 6. Quam perverse et improbe sacerdotes illis temporibus egerint cognoscitur e Neh. 13, 4. sqq. שִׁחַתֶּם בְּרִית הַלֵּוִי *Corrupistis foedus Levi*, irritum fecistis foedus quod cum tribu Levi inieram, de quo Vs. 5. Non implendo vestra promissa me quoque liberastis ab iis quae Levitis, nominatimque Pinchaso ejusque successoribus promiseram.

9. Particula וְגַם hic commode *praeterea* redditur. Neque enim hic Versus cum iis, quae praecesserunt, ita cohaeret, ut poenam subjungat peccatis Vs. 8. commemoratis; sed novam poenam novo crimini statutam indicit, videlicet *sacerdotum in jure dicendo injustitiae*, quod recte Grotius vidit. Alii quidem interpretes hoc Versu poenam indici sacerdotibus existimant ob illorum in accipiendis sacrificiis levitate et iniquitate. Sed ut taceamus, non esse probabile, prophetam quod Capite primo abunde tractaverat, de impietate sacerdotum in acceptilandis hostiis, hic, post interjectam aliam materiam, de perversa legis interpretatione (Vs. 5—8.) retractare, phrasis שְׂאֵת פָּנִים בַּתּוֹרָה in fine hujus Versus de judiciis forensibus usurpari constat, neque apparet, quomodo ea ad sacerdotum promtitudinem in promiscue admittendis quibuscunque hostiis commode quadret; quando quidem, avaritia ducti, omnia omnium admittebant, neminis repu-

diabant sacra, sive essent integra, sive manca. Minatur igitur Deus, se sacerdotes redditurum esse נְבָזִים וּשְׁפָלִים לְכָל־הָעָם *contemtos et humiles*, abjectos, *omni populo* Judaico inter quem multum auctoritate valuerunt. כְּפִי אֲשֶׁר *Ad eundem* planc *modum* hoc vobis obtinget, quo vos me contemnitis dum אֵינְכֶם שֹׁמְרִים אֶת־דְּרָכָי *vos non observatis vias meas.* Chaldaeus: *vias quae rectae sunt coram me.* וְנִשְׂאִים פָּנִים בַּתּוֹרָה *Et accipitis facies in lege*, majorem personarum, quam veri et recti, rationem habetis in negotio legis. In judiciis, quae secundum legem exercere debebatis, locum dedistis gratiae, et ad potentiorum vota aptastis sententias. Nam phrasi שְׂאֵת פָּנִים illud crimen judicum significari, quod alias, veluti Deut. 1, 17. 16, 19. Jes. 3, 9. הַכִּיר פָּנִים *agnoscere faciem* alicujus dicitur, apparet ex 2 Chron. 19, 7., ubi Josaphath constitutos a se judices hoc argumento ad rite fungendum officio suo excitat, quia et Deus, cujus vices ipsi gerant, juste judicet, *non est enim apud Jovam, Deum nostrum, acceptio personarum.*

10. Indignitatem illius partium studii demonstraturus vates argumentum petit a facti iniquitate. Iniquum enim esse ait, jus non ex aequo dicere, sed pravo effectu intorquere, ubi lis inter eos componenda est, qui ejusdem sunt dignitatis. Jam ejusdem omnes Judaeos juris esse duplici argumento ostendit, quorum alterum a communitate natalium, alterum a pari sorte primae creationis accersit. הֲלֹא אָב אֶחָד לְכֻלָּנוּ *Nonne pater unus nobis omnibus?* scilicet Deus, ut subsequens epexegesis declarat, atque ipse se ita vocat supra 1, 6. Cf. Deut. 32, 6. Jes. 64, 7. Alii *patre* intelligunt Abrahamum aut Jacobum. מַדּוּעַ נִבְגַּד אִישׁ בְּאָחִיו *Quare* ergo *perfide agimus vir in fratrem suum?* unus in alterum? Verbum בָּגַד, quod alias plerumque de servorum in dominos aut maritorum in uxores perfidia dici constat, hinc synecdochice de omni injuria, sive in Deum, sive in homines admissa, et hic speciatim de iniquitate judicis in reum usurpatur. Grotius his verbis tangi putat historiam, quae est apud Nehemiam 5, 3. 4. seqq. de oppressione pauperum foenore per avaritiam extorto, contra legem, quae usuras a popularibus accipi vetabat, Exod. 22, 24. sqq. Levit. 25, 35. sqq. לְחַלֵּל בְּרִית אֲבֹתֵינוּ *Profanando*, violando, *foedus patrum nostrorum*, foedus quod Jova olim in deserto cum patribus nostris pepigerat, quo inter alia plura et illud sancitum erat, ut judices jus omnibus ex aequo dicerent, vid. Exod. 23, 6. Levit. 19, 15. Deut. 1, 17. 16, 19. Est igitur foedus Jovae cum Judaeorum majoribus initum idem quod תּוֹרָה *lex*, Vs. 9.

11. Hactenus sacerdotum perversitatem castigaverat, jam transit ad redarguendos eos, qui uxores peregrinas ducebant (Vs. 11. 12.), et suas conjuges innocentes affligebant (Vs. 13. sqq.), ad quod commode fit transitus per verbum בָּגַד e Versu superiore

repetitum. בָּגְדָה יְהוּדָה *Perfide agit Juda*, Jovae sacro foedere desponsata, Hos. 2, 21. (al. 18.). Verbum ponitur femininum, quia gentes mulierum imagine sistuntur, vid. Hos. 5, 9. — וְתוֹעֵבָה נֶעֶשְׂתָה *Et abominatio facta est*, res detestabilis et omnibus piis Judaeis abominanda admissa est. בְּיִשְׂרָאֵל *In Israele.* Nomina *Juda* et *Israel* h. l. plane idem sunt, ut Esr. 6, 16. 21. *Israelitis* omnes omnino e Babylone reduces significantur, qui maxima ex parte Judaei erant. Emphasi vero haud carere videtur, quod hic additur וּבִירוּשָׁלָם, quasi dicat: etiam in urbe primaria, in conspectu templi. Particula כִּי h. l. non est causalis, sed *explanativa*, ut Hos. 11, 10. Amos 3, 14. et *nempe* valet. חִלֵּל יְהוּדָה קֹדֶשׁ יְהוָה *Profanavit Juda sanctitatem Jovae*, qua Grotius dignitatem populi Judaici intelligit, cujus pars non exigua in eo posita erat, ne Judaei cum idolorum cultoribus matrimonia inirent, vid. Exod. 34, 16. Deut. 7, 3. Quae et Kimchii est sententia. Sed recte Jarchi *ipsum populum Judaicum* illo nomine indicari observat ex Jer. 2, 3. Ita et Chaldaeus, qui sic vertit: *nam violarunt qui sunt de domo Juda animam suam, quae sacrata est Jovae*, i. e. se ipsos, qui Deo sunt sacri, vid. Exod. 22, 30. Levit. 11, 44. 19, 2. 20, 7. Populum Judaicum *sanctitate Jovae* significari, apparet et inde, quod statim subjungitur: אֲשֶׁר אָהֵב *quam dilexit* Jova. וּבָעַל בַּת־אֵל נֵכָר *Et uxorem duxit filiam Dei peregrini*, i. e. uxores, quae deos alienos colunt, quae quasi de familia Dei alieni sunt. Nam sicut Dii a suis *patres* dicuntur (vid. Jer. 2, 27.), ita qui eos colunt *filii*. Cf. supra 1, 6. Chaldaeus: *et delectati sunt sumere sibi uxores filias gentium.* Recte Hieronymus observat, respicere haec ad ea, quae Esr. 9, 2. sqq. et 10, 18. 19. narrantur. Cf. Neh. 10, 31. 15, 23. sqq.

12. יַכְרֵת יְהוָה לָאִישׁ אֲשֶׁר יַעֲשֶׂנָּה עֵר וְעֹנֶה *Exscindet Jova viro qui fecerit hoc vigilem et respondentem*, loquutio proverbialis, cujus scopus e contextu, simplex autem sensus non aeque patet. Chaldaeus vertit: *filium et nepotem.* Quod sequutus Abarbenel sensum esse dicit: Deus illi non superesse sinet *filium aut posteros.* Sed sic ratio loquutionis haud constat. Hebraei veteres Jarchio et Kimchio memorati nomine עֵר *magistrum*, doctorem, qui interrogando et adhortando *excitat*, aut pro discipulis vigilat, עֹנֶה vero *discipulum*, sapientiae studiosum, cujus est ad quaesita magistri respondere, indicari tradunt. Ita Hieronymus, qui *magistrum et discipulum* vertit. Ipse vero Kimchi עֵר *vigile* intelligit *viventem*, et sensum ita exponit: eliminabit Jova quemcunque viventem, qui non dormiat somnium mortis, et eum qui respondere valeat acclamanti seu pulsanti. Similiter Munsterus: eliminabit Deus totam illius hominis familiam, ut ne quidem in domo remancat, qui alterum e somno *suscitet*, aut qui clamanti e domo *respondeat*, aut obsequatur

monitori. Sed עֵר Participium Kal non *suscitantem* scd *vigilem* denotat. J. D. Michaeli in *Supplemm.* p. 1873. עֵר וְעֹנֶה est *vigil et respondens*, inde, inquit, „petita loquutione, quod vigiles nocturni adclamare sibi et respondere solent. Nil notius, estque mos jam antiquus, vid. Jes. 62, 6 Sententia: *ejusmodi sacerdoti non erunt posteri excubias in templo agentes, ex tali connubio ei nati reprobabuntur a Deo et sacerdotio excludentur.*“ Non dubium est, adagialem esse loquendi modum, quo significentur *omnes*, nullo excepto, qualis ille in *Vita Timuri* T. I. p. 108. de urbe ita vastata, ut nemo vivus in ea superstes esset: *non erat in ea vocans nec respondens.* מֵאָהֳלֵי יַעֲקֹב *E tabernaculis Jacobi.* *Tabernaculum* pro qualibet *domo*, nam antiquitus in tabernaculis habitabatur; cf Num. 24, 5. Ps. 52, 7. Deut. 16, 7. — וּמַגִּישׁ מִנְחָה לַיהוָה *Et offerentem fertum Jovae* scil. exscindet. Chaldaeus: *et si sacerdos fuerit non erit ei* (superstes) *qui offerat oblationem in domo sanctuarii Jovae.* Nam et sacerdotes ab ista profanitate illicitorum connubiorum non abstinuerant.

13. וְזֹאת שֵׁנִית תַּעֲשׂוּ *Et hoc secundum facitis*, praeter crimen superius commemoratum, quod uxoribus alienos deos cultricibus matrimonio vos jungitis, aliud etiam committitis. כַּסּוֹת *Operiendo* scil. *operietis*, vide similem ellipsin verbi finiti post infinitum 2 Reg. 3, 16. עָשֹׂה *faciendo*, scil. facite in valle ista foveas. 11, 15. הָמֵת *interficiendo* scil. interficite. Levit. 6, 7. הַקְרֵב *offerendo* scil. offerent illud, fertum. דִּמְעָה *Lacrymis* nempe mulierum Israelitarum, quas in gratiam extranearum illarum vel repudiabant, vel quasi mancipia tractabant. אֶת־מִזְבַּח יְהוָה *Altare Jovae*, q. d. tantum abest, ut gratum mihi cultum praestetis, quin potius lacrymae innocentium uxorum, cum fletu et gemitu ad altare meum effusae de vestra, maritorum, injuria queruntur et vindictam exposcunt. מֵאֵין עוֹד פְּנוֹת אֶל־הַמִּנְחָה *Ut non possim amplius respicere ad fertum.* וְלָקַחַת רָצוֹן idem quod וּמֵאֵין לָקַחַת לְרָצוֹן *atque ut non possim accipere in gratiam*, s. *grate*, ut non possim accepta habere.

14. וַאֲמַרְתֶּם עַל־מָה *Attamen dicitis: quam ob causam?* scil. non potes grata habere dona nostra? עַל כִּי־יְהוָה הֵעִיד בֵּינְךָ וּבֵין אֵשֶׁת נְעוּרֶיךָ *Propterea quod Jova testis fuit in* contrahendo matrimonio *inter te et inter uxorem juventutis tuae*, quam juvencm juvenis duxisti, ut Jes. 54, 6. Prov. 5, 18 Sic Laban Deum appellat testem matrimonii filias suas inter et Jacobum initi (Gen 31, 50.): *Quod si tu meas filias asperius tractabis, aut si alias praeter eas in matrimonium duces, nemo apud nos adest, atque hujus quidem rei nobis Deus testis esto.* אֲשֶׁר אַתָּה בָּגַדְתָּה בָהּ *In* vel *contra quam perfide agis*, dum, flore aetatis ejus decerpto, vel repudias, vel, extraneam superinducendo, proculcas. וְהִיא חֲבֶרְתְּךָ וְאֵשֶׁת בְּרִיתֶךָ *Quum illa*

tamen sit socia tua, et uxor foederis tui, quae matrimonio pacto tibi juncta fuit. Sic Obad. Vs. 7. אַנְשֵׁי בְרִיתֶךָ *viri foederis tui*, i. e. qui foedere tibi juncti sunt.

15. Hemistichii prioris sensus est obscurus, quum quisnam per אֶחָד intelligendus sit ignoretur. Chaldaeus de *Abrahamo* explicat, qui et Jes. 51, 2. atque Ezech. 33, 24. אֶחָד vocatur. Kimchi quoque *uno* intelligit Abrahamum, sed ita, ut prima hujus Versus verba impiorum esse existimet, Abrahami exemplo sese defendentium, in hunc sensum: ecquid vero exprobras nobis connubia cum feminis alienigenis? quum ipse Abrahamus deserta uxore duxerit Hagarem, ancillam. Quibus respondeat propheta: minime sic fecit, *quia reliquiae* excellentis et praestantissimae virtutis fuerunt *in spiritu ejus*. Alii hoc modo: *neque unus* et prole nondum auctus Abrahamus, cujus exemplo malitiam vestram tueri conamini, ita *fecit*, quando suasu et jussione uxoris Hagarem domesticam in thorum admisit (Gen. 16, 1—4.), *nam reliquiae spiritus* scil. divini, et alius, quam vester est, illi erant et manebant, quum vos malo vestro genio indulgeatis. *Ecquid* enim faciebat *unus* ille Abrahamus quum Hagarem adscisceret? fecitne illud in damnum uxoris, ut huic aegre esset, ipse autem cum impia quadam femina libidinem expleret? Minime omnium ita fecit. Sed *quaerens* erat *semen Dei*, i. e. sobolem a Deo ipsi promissam; vel, uti Grotius vult, hoc unice agebat, ut haberet, qui Deum colerent, vos autem eas praefertis matres, quae filios ad idola deducant. Nova ratione hunc locum exposuit Abarbenel. Verba prima, וְלֹא־אֶחָד עָשָׂה, ita capit: *et non unus facit* scil. hoc, i. e. malum hoc, connubium cum pluribus et alienigenis feminis, non perpetrat unus duntaxat e vobis, ut dicere possitis vel debeatis: vir unus peccat, et contra totum coetum irascitur Deus. Non unus duntaxat e vobis facit hoc, וּשְׁאָר רוּחַ לוֹ *et ceteris* est *excellentia spiritus*, i. e. et ceteris se custodientibus suamque animam ab hoc flagitio puram et inculpatam servantibus. Quia et si maxime unus tantum esset, quaererem ex eo, quidnam quaereret ex tali conjugio? (וּמָה הָאֶחָד מְבַקֵּשׁ) an ut liberi ex tali conjugio procreati sint semen Dei? Atqui hoc fieri non potest, quum mater alienum Deum colat. Quum ergo ita se res habeat, ut vos omnes hujus culpae rei sitis, quumque videatis, eum, qui hanc praevaricationem commiserit, non posse procreare semen Dei, ideo moniti estote, ut vobis caveatis, et quae sequuntur. Sed et haec explicatio coacta est. Reliquis simplicior videtur ea, quam Ludov. de Dieu proposuit „לֹא־אֶחָד, sicut per metaphoram conjunguntur, possunt et sensu conjungi, ut sit *non unus*, i. e. nullus. Eo sensu sic verto: *Et nullus id facit*, cui *reliquiae spiritus sunt, et quidquid quispiam* id faceret *quaerens semen Dei? cavete ergo spiritui vestro, ut in uxorem non perfide agatis.* הָאֶחָד *Unus*

aliquis, indefinite, ut Gen. 21, 15. 26, 10. 42, 27. et saepius. Sensus est: tu perfide agis in uxorem, quae tibi socia est, tibique foederata; hoc nemo facit, qui vel tantillum spiritus divini reliquum habet: et quaeso, quomodo quisquam id faceret, qui quaerit semen Dei? i. e. liberos, qui Deum colant?" וְנִשְׁמַרְתֶּם בְּרוּחֲכֶם *Proinde cavete spiritui vestro*, vobis ipsis. Hieronymus: *custodite ergo spiritum vestrum*, „ne abducamini libidine, ne alienigenarum amore vincamini," ut in Commentario addit. Verbum נִשְׁמַר hic cum ב construitur eodem sensu quo Jer. 17, 21. הִשָּׁמְרוּ בְנַפְשׁוֹתֵיכֶם *cavete vobis*, idem quod Deut. 4, 15. Jos. 23, 11. וְנִשְׁמַרְתֶּם לְנַפְשׁוֹתֵיכֶם. Addit: וּבְאִשַּׁת נְעוּרֶיךָ אַל־יִבְגֹּד *Et in* s. *contra uxorem juventutis tuae ne perfide agat* quisque vestrum, s. *spiritus vester*. Mutatur persona, ut quod coetui dixit de singulis intelligatur.

16. Verba כִּי שָׂנֵא שַׁלַּח *si oderit dimittat* Chaldaeus sic vertit: *nam si oderis eam dimitte eam*, praestaret eam dimitti, si odio est, quam eam contumeliose tractare. Repudium concessum fuit lege Deut. 24, 1. (*propter duritiem cordis*, uti dicitur Matth. 19, 7. 8. coll. 5, 32.). Sensus verborum וְכִסָּה חָמָס עַל־לְבוּשׁוֹ obscurus est. Chaldaeus vertit: *nec obtege peccatum vestimento tuo.* „Legit nimirum," inquit Grotius, „cum interrogatione: *operiatne* aliquis hoc faciens *iniquitatem vestimento suo?* i. e. adhucne tam apertae injustitiae velamenta aliquis quaerat? Hoc est quod modo *praetextum*, modo *obtentum* dicunt Latini, Graeci *πρόφασιν*." Jarchi: „Sed hoc numquid convenit facere, ut expandas pallium tuum super eam (cf. Ruth 3, 9. Deut. 22, 30. al. 23, 1. 27, 20.), ut eam retineas tanquam conjugem tuam, et violentia expansa sit super illo pallio, quum in corde tuo erga illam sit odium, atque eam continuo vexes et affligas." Kimchi: „*Unusquisque vestrum nititur tegere injuriam*, qua uxorem affecit, retinendo eam, ut scilicet homines intelligant illam ab ipso amari, quum res secus habeat; *tegere*, inquam, nititur, quemadmodum *vestimento* aliquid tegere solemus." Hieronymus vertit: *operiet autem iniquitas vestimentum ejus.* Ad quae in Commentario: „Quicunque autem, excepta causa fornicationis, uxorem inique dimiserit, *operiet vestimentum ejus iniquitas*, id est, corpus quo anima vestitur, ut in quo peccavit in ipso puniatur." Plures vertunt: *tegit*, celat, *violentiam veste sua.* Quod jure improbat Ludov. de Dieu, neque Hebraismum id pati demonstrat; עַל enim post כִּסָּה non *id quo tegitur*, sed *rem tegendam* semper denotare docet. Sic Deut. 13, 8. לֹא תְכַסֶּה עָלָיו *non teges super eum*, non proteges eum. Habac. 2, 14. כַּמַּיִם יְכַסּוּ עַל־יָם *sicut aquae tegunt abyssum.* Vid. et Ps. 44, 20. Neh. 4, 5. „Itaque," pergit, „et hoc loco vertendum: *et texit injuria vestem ejus.* Notum est, in re matrimoniali *vestem* sumi pro *fide* et *protectione* conjugali, ut

Ezech. 16, 8. *expandi oram meam super te, et texi nuditatem tuam, et intravi in foedus tecum.* Unde Ruth dicebat Boazo Ruth 3, 9. *expande oram tuam super ancillam tuam, quia tu vindicator hereditatis tuae* (גֹּאֵל) *es.* Ita *revelare oram vestis* dicitur de usu thori Deut. 23, 1. Existimo ergo hoc a Deo carpi per Malachiam, quod quum ipsi ora vestis suae deberent tegere uxores, injuria tegeret ipsorum vestem, dum perfide uxores odissent, exosas dimitterent, ut alienas ducerent. Aut *tegit iniquitas vestem ejus* significat spurcitiem adulterii, qua undiquaque obtectus esset, sicut in epistola Judae Vs. 23. sumitur *χιτῶν ἀπὸ τῆς σαρκὸς ἐσπιλομένος.*" De phrasi וְנִשְׁמַרְתֶּם בְּרוּחֲכֶם vid. not. ad Vs. 15. וְלֹא תִבְגֹּדוּ *Nec* datam conjugi *fidem violetis*, Vs. 11. 14.

17. Nova sequitur accusatio Judaeorum, quos redarguit ob extremam istam improbitatem, in quam paulatim ex superiorum vitiorum adsuefactione erant delapsi, ut etiam Dei justitiam impiis dicteriis proscinderent. הוֹגַעְתֶּם יְהוָה *Defatigatis Jovam*, molestiam ei creatis, eumque ad indignationem provocatis, eo quod dicitis: כָּל־עֹשֵׂה רָע טוֹב בְּעֵינֵי יְהוָה, quae verba fere sic reddunt: *omnis faciens malum bonus* est *in oculis Jovae.* Sed recte monet Ludov. de Dieu, eam sententiam ita potius exprimendam fuisse: טוֹב בְּעֵינֵי יְהוָה כָּל־עֹשֵׂה רָע. Verba vero quae hic leguntur, esse sic reddenda: *quicunque facit malum bonum in oculis Jovae*, i. e. quamvis quis sit palam impius, adeo ut coram ipso Deo malum praedicare bonum, gratus tamen Deo est. Idem est quod Jes. 5, 20. הָאֹמְרִים לָרַע טוֹב *qui dicunt malum bonum.* Vav ante בָּהֶם הוּא חָפֵץ observat esse retributivum, non copulativum: *iis ille delectatur.* Hieronymus: „Hunc locum plenius septuagesimus secundus [tertius] Psalmus exsequitur, cujus principium est: *Quam bonus Israel Deus his qui recti sunt corde; mei autem paene moti sunt pedes*, et quae sequuntur. Reversus ergo populus de Babylone, et videns cunctas in circuitu nationes, ipsosque Babylonios idolis servientes abundare divitiis, vigere corporibus, omnia, quae bona putantur in seculo, possidere, se vero, qui habeat notitiam Dei, squalore, inedia, servitute coopertum, scandalizatur et dicit: non est in rebus humanis providentia, omnia casu feruntur incerto, nec Dei judicio gubernantur, quin potius mala ei placent, et bona displicent: aut certo si Deus cuncta dijudicat, ubi est illius aequum justumque judicium?" אֱלֹהֵי הַמִּשְׁפָּט *Deus judicii*, i. e. judicium aequum et justum exercens, ut Jes. 30, 18.

CAP. III.

Argumentum.

Sex primis hujus Capitis Versibus praedicitur adventus Messiae, qui et doctrinam cultumque divinum sit purgaturus (Vs. 1 — 4.), et impiis ac profligatis hominibus supplicia sit inflicturus (Vs. 5. 6.). Tum redarguitur fraudulentia a patribus familias in offerendis decimis aliisque sacris oblationibus commissa, et ita quidem, ut partim atrocitas peccati cum tristissimo ejus effectu commemoretur (Vs. 7 — 9.), partim opposita ei liberalitas commendetur (Vs. 10 — 12.). Hinc refutatur impia illorum sententia, qui Jovam nihil discernere inter bonos et malos opinantur (Vs. 13 — 21.). Postremo vates cohortatur gentem suam tum ad obsequium legi Mosaicae praestandum, tum ad morem monitori, Eliae, gerendum, quo avertant imminens ipsis excidium (Vs. 22 — 24.).

1. Initium hujus Capitis arctissime cohaeret cum fine superioris. Quum enim interrogassent Judaei (2, 17.), ubinam sit Deus judicium exercens bonisque et malis pro meritis rependens? jam respondet, certissime affore vindictae tempus. הִנְנִי שֹׁלֵחַ מַלְאָכִי *En! mitto nuntium meum*, quo Kimchi indicari putat coelestem aliquem spiritum, ut Exod. 23, 20., ubi Deus populo Hebraeo promittit: *En! ego tibi sum praemissurus angelum, qui te tueatur in itinere et perducat in locum a me praeparatum.* Jarchi angelum intelligit, qui exstirpaturus et remoturus sit impios; Aben-Esra alterum Messiam, Josephi filium: constat enim Judaeos duplicem Messiam fingere, alterum e tribu Josephi oriturum e Deut. 33, 16. 17. eumque moriturum, alterum e prosapia Davidis, et illum perpetuo victurum. Sed quum vates et doctores divinitus missi *Jovae nuntii*, appellentur ab Haggaeo 1, 13. et ab ipso Malachia supra 2, 17.; talem et hic intelligendum esse verisimile est. Et infra Vs. 23. Messiae praemittendus dicitur Elias, propheta. Recte igitur Judaei Hieronymi tempore, ipso referente in Commentario ad h. l., „hoc quod dicitur: *ecce ego mitto angelum meum* de Elia propheta dictum intelligunt.“ Ad Joannem, baptistam, Jesu Christi praecursorem, hoc refertur Matth. 3, 3. 11, 10. Marc. 1, 2. Luc. 7, 27. וּפִנָּה־דֶרֶךְ *Et parabit viam*, expeditam reddet, removendo ea, quae incessuro ingrata vel impedimento esse possint. Cf. Jes. 40, 3. Kimchi *praeparatione viae* intelligit collectionem Judaeorum e terris, per quas exsules dispersi erant. לְפָנָי *Ante me*, Messiam, qui hic loquens inducitur; uti apparet ex iis, quae statim adduntur de eo, cujus anteambulo erit nuntius divinitus missus. וּפִתְאֹם יָבוֹא אֶל־הֵיכָלוֹ *Et subito*, citius opinione vestra, *veniet ad templum suum*, nempe secundum, quod per Messiae adventum gloriosius primo templo futurum esse praedixerat etiam Haggaeus 2, 7. 8. 9.

Ceterum observa subitam personarum mutationem in libris propheticis sequentem; nam qui modo de se ipso in prima persona loquutus erat, de eodem jam vates in persona tertia loquitur. הָאָדוֹן אֲשֶׁר־אַתֶּם מְבַקְשִׁים *Dominus ille quem quaeritis*, justum judicem, de quo 2, 17., quo divinum illum regem, Messiam dictum, hic indicari non est dubium. Ceterum אָדוֹן cum *He* articuli alias semper *Deum* notat, vid. Exod. 23, 17. 34, 23. Jes. 1, 24. 3, 1. 10, 16. 33. 29, 4. De Messiae divina natura vid. Jes. 9, 5. et ad eum loc. not. Idem Messias hic porro vocatur מַלְאַךְ הַבְּרִית *nuntius foederis*, i. e. magnus ille legatus, qui panget cum Judaeis foedus illud novum, vetere longe praestantius, de quo Jeremias 31, 31—34. — אֲשֶׁר אַתֶּם חֲפֵצִים *Quem vos vultis*, quem summo cum desiderio exspectatis. הִנֵּה בָא *Ecce venit*, certissime venturus est. Notum est, solere prophetas futura, licet longo temporis intervallo a tempore pronuntiati vaticinii disjuncta ut *praesentia* exhibere ob rei eventurae certitudinem.

2. וּמִי מְכַלְכֵּל אֶת־יוֹם בּוֹאוֹ *Et quis sustinens* erit *diem adventus sui*, cum veniet ad plectendos impios, cf. infra Vs. 19. 23. et Jocl 2, 11. — וּמִי הָעֹמֵד בְּהֵרָאוֹתוֹ *Et quis stans* erit, s. *consistet cum apparuerit?* Metaphora ab iis desumta, quorum oculi exorientis solis splendorem recte intueri aut ferre nequeunt. כִּי־הוּא כְּאֵשׁ מְצָרֵף *Nam ille* (Chaldaeus: *ira ejus*) erit *sicut ignis conflatoris*, qui liquefacit metalla, ut omne impurum excernatur. וּכְבֹרִית מְכַבְּסִים *Et sicut sapo fullonum*, qui maculas eluunt et vestes candefaciunt. בֹּרִית proprie notat *salem lixivii (Potasche)*, *salem Alcali*, qui infusa aqua ex cinere combustarum arborum, fruticum, herbarum extrahitur, maxime quorundam fruticum Arabibus *Kali* dictorum.

3. וְיָשַׁב מְצָרֵף *Et sedebit conflans*, sicut auro et argento explorando operam navantes operi suo assident idque non leviter et cursim sed magno studio tractant, ita Messias judex sedebit. וְטִהַר אֶת־בְּנֵי־לֵוִי *Et purgabit filios Levi*, i. e. Levitas et sacerdotes, quorum vitia taxaverat supra 1, 6. 2, 1. וְזִקַּק אֹתָם *Et eliquabit eos*, sicut liquando purgatur aurum et argentum ab ignobilioribus metallis ac faecibus, ita Messias doctrinam perversam et mores depravatos sacerdotum et Levitarum purgabit. וְהָיוּ לַיהוָה מַגִּישֵׁי מִנְחָה בְּצֶדֶק *Et erunt Jovae* scil. consecrati ejus voluntati (nam voci לַיהוָה appositus est accentus distinctivus major *Sakeph katon*), *offerentes*, s. *qui offerant fertum cum justitia*, i. e. juste, rite, legitime.

4. Grata tunc erunt Jovae ferta a Judaeis et nominatim Hierosolymitanis oblata כִּימֵי עוֹלָם *sicut diebus aeternitatis*, i. e. sicut temporibus priscis, ut Aben-Esra exponit, cum adhuc essent in templo primo a Salomone condito, ubi sacra majori cura administrabantur. עוֹלָם hic ut alias, veluti Prov. 22, 28.

Ps. 139, 24. (ad quem loc. vid. not.), Jes. 58, 12. 61, 4. *longissimum retro tempus*, tempora vetustissima, קַדְמֹנִיּוֹת, ut hic statim additur, denotat.

5. וְקָרַבְתִּי אֲלֵיכֶם לַמִּשְׁפָּט *Appropinquabo ad vos ad judicium*, i. e., uti recte Chaldaeus vertit, *apparebo contra vos ad exercendum judicium*, me praesentem inter vos ad judicandum adesse re ipsa ostendam. Respondet Deus his verbis serio isti dicto supra 2, 17. *ubi est Deus judicii?* Ceterum nomen מִשְׁפָּט hic ponitur loco Infinitivi, לִשְׁפֹּט *ad judicium exercendum*, sive, לַעֲשׂוֹת מִשְׁפָּט, ut Jes. 7, 1. *ascendit Rezin Hierosolymam* לַמִּלְחָמָה עָלֶיהָ *ad bellum* i. e. ad bellandum *contra illam*. וְהָיִיתִי עֵד מְמַהֵר *Et ero testis festinans*, repente adero testis simul et vindex scelerum vestrorum. מְמַהֵר *festinus*, omnem remoram rumpens, et protinus ad ultionem se cingens. Est autem *repentinum* ex sacrarum literarum usu non modo quod sine ulla interjecta mora fit, verum et, quod post aliquod tempus securis et comminationum immemoribus praeter exspectationem ingruit. Quo sensu *αἰφνίδιος* et repentinus futurus dicitur olim dies extremi judicii Levit. 21, 34. וּבַנִּשְׁבָּעִים לַשָּׁקֶר *Et contra jurantes ad mendacium* confirmandum, perjuros, qui falso jurant, addunt LXX *τῷ ὀνόματί μου, per nomen meum.* וּבְעֹשְׁקֵי שְׂכַר־שָׂכִיר *Et contra eos qui opprimunt mercedem mercenarii*, i. e. qui mercenarium eo opprimunt, affligunt, quod mercedem ei subtrahunt injuste et negant, contra legem Deut. 24, 14. אַלְמָנָה וְיָתוֹם (וּבְעֹשְׁקֵי) *Et* contra eos qui opprimunt *viduam et orphanum*, quod interdictum lege Exod. 22, 21. Deut. 24, 17. — וּמַטֵּי גֵּר *Et declinantes peregrinum*, i. e. מִשְׁפַּט גֵּר *jus peregrini*, ut plene habetur Deut. 27, 19. Chaldaeus: *et pervertentes judicium peregrini.* Metaphora desumta est a viatoribus, qui a recto itinere in devia deflectentes נוֹטִים dicuntur Num. 20, 17. Sic qui judices in decidendis litibus aut personarum ratione habita aut largitionibus corrupti ad partes inclinant, rectam legum et juris viam deserunt; id quod hac ipsa loquutione exprimitur Prov. 18, 5. Denique omnes futuri judicii reos in unum colligit dum addit: וְלֹא יְרֵאוּנִי *et* contra *eos qui non timent me*, quicunque praeter jam memoratos me non timent (pro וּבְלֹא יְרֵאָי).

6. כִּי אֲנִי יְהוָה לֹא שָׁנִיתִי *Nam ego, Jova, non mutor*, q. d. quod ultio mea non illico in malos saevit, non putetis propterea nullum futurum judicium. Nam ut promissiones meae irritae non sunt, sic nec minarum oblíviscar, siquidem ego non muto sententiam, ut homines solent, cf. Num. 23, 19. — וְאַתֶּם בְּנֵי יַעֲקֹב לֹא כְלִיתֶם *Ideo et vos, filii Jacobi, non estis consumti*, constantiae meae insigne documentum habetis in eo, quod vos, licet commeruissetis (siquidem a vetustissimis inde temporibus a meis praeceptis recessistis Vs. 7.), tamen clementia mea non periistis, quum memor sim promissorum, quae majoribus vestris dedi, Mich. 7, 20.

7. לְמִימֵי אֲבוֹתֵיכֶם *A diebus patrum vestrorum;* ל hic mere est prostheticum, ut saepius ante מ terminum *a quo* notans, v. c. Jes. 38, 26. לְמֵרָחוֹק *e longinquo*, Jer. 7, 7. לְמִן עוֹלָם *ab aeterno*, et 2 Reg. 19, 25. לְמִימֵי קֶדֶם *inde a diebus antiquitatis* (efformavi illa). סַרְתֶּם מֵחֻקַּי *Recessistis a statutis meis*, scil. gens tota (הַגּוֹי כֻּלּוֹ Vs. 9.), et sacerdotes, 2, 8. Verba שׁוּבוּ אֵלַי וְאָשׁוּבָה אֲלֵיכֶם Chaldaeus recte sic interpretatur: *revertimini ad cultum meum, tunc et ego revertar in verbo meo ad benefaciendum vobis.* וַאֲמַרְתֶּם *Vos autem dicitis* impudenter, ac si nesciatis iniquitatem, a qua convertere vos debeatis. Kimchi: „Numquid aliud inter nos criminis est praeter id, quod jam supra in nobis taxasti? nempe de sacrificiis 1, 8. sqq., de uxoribus 2, 10. sqq.“ Similes interrogationes vid. supra 1, 2. 6. et infra Vs. 13.

8. הֲיִקְבַּע אָדָם אֱלֹהִים *An ergo fraudabit homo Deum?* q. d. an ergo nescitis, minime decere, ut homo Deum suum fraudet? Verbum קָבַע apud Aramaeos *spoliandi, rapiendi* significatum obtinere asserit Jarchi ad h. l. Et Kimchi illud *rapere et auferre aliquid per vim* notare, ex Prov. 22, 23 colligit. Arabibus قَبَعَ notat *abdidit, retraxit se, abiit*, hinc hebraicum קָבַע proprie *occulte, fraudulenter agere* videtur significare, quemadmodum in aliis verbis *tegendi* et *defraudandi* notiones conjunctae sunt. Ante הַמַּעֲשֵׂר וְהַתְּרוּמָה e praecedente בַּמָּה repetendum est praefixum ב, *in decimis et oblationibus* scil. me fraudatis, quam dum sacerdotibus et Levitis rapitis mihi etiam rapitis. *Decimarum* quum quatuor exstitissent species, scil. *primae*, quas colonus ex omni suo proventu annuo Levitis solvebat, Levit. 27, 30., decimae *secundae*, quas ex primis a colono acceptis Levitae sacerdotibus pendebant in thesaurum sacrum deferendae, Num. 18, 26. Neh. 10, 38., decimae *tertiae*, quas colonus de suis proventibus quantum eorum post decimas primas Levitis depensas supererat, denuo pendere tenebatur, et Hierosolymis cum suis, et Levitis et peregrinis, laeta mente absumere jussus erat, Deut. 10, 6. 7.; decimae demum *quartae*, quae tertio quolibet anno praeter illas tres supra commemoratas pendebantur in usum pauperum et viduarum, Deut. 26, 12., hoc loco inprimis duae priores, utpote ad sustentandos sacris operantes necessariae intelligi videntur, quia Versu proximo appellantur *cibus in domo Dei*, quod de reliquis duabus praedicari posse non apparet. תְּרוּמָה *Oblatio* erat pars non minor sexagesima de frumento, musto, oleo etc., vid. Deut. 12, 6. 18, 4. Neh. 13, 5. תְּרוּמַת הַכֹּהֲנִים dicta.

9. בַּמְּאֵרָה אַתֶּם נֵאָרִים Ideo vero *per exsecrationem meam vos exsecrati estis.* Hieronymus: „Quia mihi non reddidistis decimas et primitias, idcirco in fame et penuria maledicti estis,“ vid. Vs. 10. 11. הַגּוֹי כֻּלּוֹ *Populus totus.* Grotius: „Quia quum

plebs videret Levitas non ali (quod sacerdotes omnes decimas ad se trahebant, Neh. 13, 10. sqq. et sacrificia tamen perfunctorie faciebant, ut supra 1, 6. sqq. vidimus), abstinebat adferre decimas.“ Cf. 2, 9.

10. Quodsi vero non hanc ob causam sed casu istam penuriam (מְאֵרָה) vobis accidisse putatis, agite, rem ita exploremus: הָבִיאוּ אֶת־כָּל־הַמַּעֲשֵׂר אֶל־בֵּית הָאוֹצָר *adferte omnem decimam*, varias omnium illorum aut fructuum aut animalium decimas, quae lege exigebantur (de quibus vid. not. ad Vs. 8.) *ad domum thesauri*, erat conclave illud ad templum, in quod collectae decimae inferendae erant, ab Eljaschibo, Pontifice, in usum adfinis sui, Tobiae instructum, de quo Neh. 13, 5. 12. 13. coll. 10, 38. 39. Verba quae sequuntur, וְיִהְיוּ טֶרֶף בְּבֵיתִי, Chaldaeus exposuit: *ut sit alimentum iis, qui ministrant in domo sanctuarii mei.* טֶרֶף, quod alias *animalium de rapto viventium escam* significat, et de *hominum cibo* et victu dicitur (Graec. τροφή), ut Ps. 111, 5. et Prov. 31, 15. ubi de cibo usurpatur, quem famulitio parat proba mater familias וּבְחָנוּנִי נָא בָזֹאת *Tum, quaeso, probate me in hoc*, periculum quasi hac in re de me facite. אִם לֹא אֶפְתַּח לָכֶם אֶת אֲרֻבּוֹת הַשָּׁמַיִם *Annon aperiam vobis cataractas coeli* (coll. Gen. 7, 11. 2 Reg. 7, 2. 19.), ad dandam pluviam terrae vestrae statis temporibus. Oppositum est *clausum, aeneum et ferreum coelum*, Levit. 26, 19. Deut. 11, 17. — וַהֲרִיקֹתִי לָכֶם בְּרָכָה *Et effundam vobis benedictionem*, affluentiam bonorum copiosissimam. Eandem *effusionis* s. largitatis notionem obtinent verba יָצַק Jes. 44, 3. et שָׁפַךְ Joel 3, 1. Zach. 12, 10. Verba עַד־בְּלִי־דָי *usque ad non sufficientiam* nonnulli ad personas Judaeorum referunt, ut non satis multi futuri sint ad absumendam omnem abundantiam. Alii, Kimchium sequuti, referunt ad vasa vel horrea, *usque non sit sufficientia* vasorum et horreorum ad capiendam copiam frugum. Rectius Ludov. de Dieu ad Deum effundentem, vel ad copiam effundendam refert, ut sensus sit: effundam in vos bonorum copiam usque dum consumta sit sufficientia in me effundente. Vel: *usque dum non sit satis* ad effundendum, quod quum fieri non possit, semper enim in Deo est sufficientia, sensus est: effundam in vos benedictionem quamdiu erit sufficientia. Eodem modo, quo Ps. 72, 6. dicitur, *erit multitudo pacis* עַד בְּלִי יָרֵחַ *usque ad consumtionem lunae*, i. e. quamdiu erit luna, perpetuo. Chaldaeus: *et deducam vobis bonum, donec dicetis: satis est.*

11. „Sed fieri potest,“ Hieronymi sunt verba, „ut agris irrigantibus pluviis sit quidem fertilitas, verum aut locusta aut bruchus, aut aerugo aut eruca destruant, et labores hominum pereant; propterca jungit et dicit: *et increpabo pro vobis devorantem*,“ וְגָעַרְתִּי לָכֶם בָּאֹכֵל, quae verba Chaldaeus sic interpretatur: *et increpabo vobis perditorem*, locustas puta, qua

fruges absumebant, vid. not. ad Joel 1, 4. sqq. וְלֹא־תְשַׁכֵּל לָכֶם הָאֲדָמָה הַגֶּפֶן בַּשָּׂדֶה *Nec* terra (nam verbum est femininum ad הָאֲדָמָה referendum) *orbam vobis reddet vitem in agro*, s. *ne abortum vobis faciat vitis*, est enim גֶּפֶן generis communis. Verbum שָׁכַל de terra fruges non proferente dicitur 2 Reg. 2, 19. 21.

12. וְאִשְּׁרוּ אֶתְכֶם כָּל־הַגּוֹיִם *Et beatos vos dicent omnes populi.* Idem promittitur Deut. 33, 29. Zach. 8, 13. Summa est: si Deo sua sint reddituri, et decimas persoluturi, ipsos fore ad invidiam usque felices, propter cumulata in ipsos Dei beneficia. כִּי־תִהְיוּ אַתֶּם אֶרֶץ חֵפֶץ *Nam eritis vos terra desiderii*, i. e. incolae ejus terrae, quae grata erit Deo, אֶרֶץ אֲשֶׁר יְהוָה חָפֵץ בָּהּ, uti e Jes. 62, 4. nostram dictionem supplet Jarchi. Vel indicatur terra aliis gentibus desiderata, uti Palaestina Zach. 7, 14. אֶרֶץ חֶמְדָּה *terra exoptatissima*, Dan. 11, 16. אֶרֶץ צְבִי *terra ornatissima*, et Ps. 48, 3. יְפֵה נוֹף מְשׂוֹשׂ כָּל־הָאָרֶץ *pulcherrimus tractus, laetitia omnis terrae* appellatur.

13. חָזְקוּ עָלַי דִּבְרֵיכֶם *Invaluerunt* s. *dura sunt adversus me verba vestra*, i. e. dura et iniqua adversus me loquimini. Hunc Versum Kimchi observat esse ἐπάνοδον, seu a digressione reditum ad id quod 2, 17. Judaeis exprobaverat, nempe, quod dicebant, non esse judicium aut judicem futurum. מַה־נִּדַּבַּרְנוּ עָלֶיךָ *Quid invicem loquuti sumus contra te?* De significatione Conjugationis Niphal verbi דָּבַר vid. not. ad Ezech. 33, 30.

14. שָׁוְא עֲבֹד אֱלֹהִים *Vanum est servire Deo*, nil commodi e cultu ejus ad nos redundat, ubi statim addit: וּמַה־בֶּצַע כִּי שָׁמַרְנוּ מִשְׁמַרְתּוֹ *Et quid lucri* fuit *quod observavimus custodiam ejus?* Chaldaeus: *et quid divitiarum comparamus nos si custodimus custodiam verbi ejus?* מִשְׁמֶרֶת יְהוָה *Custodia*, observantia *Jovae* notat, quae Deus hominibus observanda praecepit, ut Gen. 26, 5. Levit. 8, 35. 18, 30. — וְכִי הָלַכְנוּ קְדֹרָנִית *Et quod ambulavimus atrate*, squalide, ut lugentes et poenitentes ob sua peccata decet. De קָדַר, propr. *ater*, hinc *squalidus*, vid. not. ad Ps. 35, 14.

15. וְעַתָּה אֲנַחְנוּ מְאַשְּׁרִים זֵדִים *Nunc igitur*, postquam videmus, nullam ex cultu Jovae ad nos redundare utilitatem, quin potius damna, ideo *nos beatos statuimus superbos*, i. e. protervos, contumaciter et petulanter impios; cf. not. ad Ps. 19, 14. — גַּם נִבְנוּ Nam *etiam*, non minus ac pii, et plus adhuc *aedificantur*, i. e. sobole, honore, et opibus florent, ac prosperis omnibus fruuntur; cf. de hac verbi נִבְנָה significatione not. ad Job. 22, 23. — גַּם בָּחֲנוּ אֱלֹהִים וַיִּמָּלֵטוּ Imo *etiam tentant Deum*, insuper habitis poenarum gravissimarum comminationibus peccare pergunt, *et* tamen *eripiuntur*, salvi atque incolumes pericula evadunt.

16. אָז נִדְבְּרוּ יִרְאֵי־יְהוָה אִישׁ אֶל־רֵעֵהוּ *Tunc*, cum impii talia proferunt, quae Vs. 15. leguntur, *colloquuntur timentes Jovam alter cum altero* scil. longe aliter atque isti, et inde occasionem capient sese in coelesti veritate confirmandi, suaque fata omnia ad Deum referendi. וַיִּכָּתֵב סֵפֶר זִכָּרוֹן לְפָנָיו *Scriptusque est liber memorialis coram eo*, „ut, cum dies judicii venerit, reddat et blasphemantibus poenas, et timentibus praemia," uti dicit HIERONYMUS. GROTIUS: „Solent reges eorum, qui ipsis commendantur, indiculum facere, ut eorum curam habeant singularem, ut si qui honores vacent, illos provehant: inde sumta similitudo. Non dispar translatio Dan. 7, 10. [*Judicium sedit, et libri aperti sunt*]. Graeci dicunt: *ἐγράφη ἐν Διὸς δέλτοις.*" De qua adagiali loquutione vid. ERASMI *Adagia* s. v. *Fides et veritas*, edit. Wechel. 1643. p. 247. col. 1. Eodem sensu Graeci *διφθέρας* etiam Jovi tribuebant, unde divinam scelerum vindictam, paulo serius tamen sumtam descripturi, *ὁ Ζεὺς κατεῖδε χρόνιος εἰς τὰς διφθέρας*, *Jupiter serus*, i. e. aliquando serius, *suas tabulas inspexit*, proverbiali Jambo senario dicere solebant. Cf. et Apocal. 20, 12. לְיִרְאֵי יְהוָה *Iis qui timent Jovam*, pro iis, in eorum commodum. וּלְחֹשְׁבֵי שְׁמוֹ *Et aestimantibus nomen ejus.* Chaldaeus: *et iis qui cogitant honorare nomen ejus.* LXX: *εὐλαβουμένοις τὸ ὄνομα αὐτοῦ.*

17. Versus hujus hemistichium prius HIERONYMUS sic vertit: *Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die, qua ego facio, in peculium mihi.* Quae in Commentario ita illustrat: „Et erunt Domino exercituum in peculium timentes Dominum, in die, qua judicii tempus advenerit." Kimchi quoque et qui eum sequuntur interpretes recentiores plerique, verba hujus Versus prima, וְהָיוּ לִי, jungunt ultimo hemistichii prioris vocabulo, סְגֻלָּה, et verba intermedia, לַיּוֹם אֲשֶׁר אֲנִי עֹשֶׂה, hoc sensu: *quo die facturus sum* scil. judicium de reprobis, tunc illi, de quibus supra, *mihi erunt* eo loco, quo solet hominibus esse *peculium*, i. e. erunt in magno pretio et valde cari. Verum etsi populus Hebraicus et Exod. 19, 5. Deut. 7, 6. Ps. 135, 4. *Jovae peculium* appelletur; hoc tamen loco nomen סְגֻלָּה alio sensu capiendum esse docent accentus. Etenim verba עֹשֶׂה סְגֻלָּה accentu Munach arctissime conjunguntur, et haec verba cohaerent cum iis, quae proxime praecedunt, ut integrum hemistichium prius sit ita interpretandum: *et erunt mihi*, mihi cari erunt pii illi, de quibus Vs. 16., *die quam ego facio peculium*, i. e. plane peculiarem, sive, ut Jarchi exponit: quem diem reposui et asservavi, ut eo retribuam poenas meas. עַל־בְּנוֹ הָעֹבֵד אֹתוֹ *Erga filium suum qui ei servit*, i. e. qui ei obsequitur. Hoc non temere adjectum. Nam cum erga omnes liberos suos indulgentia utantur parentes, tum potissimum iis indulgent, qui officiose ipsos observant et colunt.

18. וְשַׁבְתֶּם וּרְאִיתֶם בֵּין צַדִּיק לְרָשָׁע *Et convertemini et videbitis*, i. e. rursus videbitis *differentiam justi ad impium*, i. e., ut recte Hieronymus vertit: *quid sit inter justum et impium*, בֵּין proprie est nomen, *medietatem*, *interstitium*, *distinctionem* denotans. Hinc adsciscit Praepositionem, ut Jes. 44, 4. בְּבֵין חָצִיר *in medio herbae*, inter herbas. Et assumit formam Pluralis, ut Ezech. 10, 2. Eandem, quae hic habetur, nominis בֵּין cum sequente לְ constructionem vid. Gen. 1, 6. et 2 Sam. 19, 36. Prima Versus verba alii sic vertunt: *et conversi videbitis*. Verum recte Ludov. de Dieu monuit, Deum alloqui impios, qui non convertuntur; hinc vertendum esse: *et rursus videbitis*, ut sensus sit: antehac cum populo meo benedixi, apparuit discrimen inter pios et impios; jam vero discrimen id negatis, quia totus meus populus afflictus est; at faciam denuo diem, quo rursus discrimen illud videbitus.

19. Hoc Versu in pluribus libris editis novum Caput, quartum, incipit; et in codicibus haud paucis spatium praemittitur. בֹּעֵר כַּתַּנּוּר *Ardens sicut clibanus* s. *furnus*, cujus flamma propter repercussum longe vehementior est igne, qui in libero aëre succenditur. לֹא יַעֲזֹב לָהֶם שֹׁרֶשׁ וְעָנָף *Non relinquet iis radicem aut ramum*, qui restituendae reipublicae spem faciat. Chaldaeus: *ut non relinquat illis filium aut nepotem.*

20. Impios dies ille futuri judicii consumet, Deum autem colentibus orietur eodem illo die שֶׁמֶשׁ צְדָקָה *sol salutis*, i. e. salutaris, tempus quo ex omni malo eripiemini et summa fruemini felicitate. צְדָקָה saepe notare constat divinam *benignitatem*, *salutem divinitus praestitam*, idemque valet quod יֶשַׁע et יְשׁוּעָה, cum quo nomine jungitur Jes. 45, 8. 48, 18. 51, 6. 8. — וּמַרְפֵּא בִּכְנָפֶיהָ *Et sanatio in alis ejus.* Soli tribuuntur alae, quia lumen suum super terram, ut volucris suas alas expandit, ejusque ortus pansis alis similis est, ut dicitur Joel 2, 2. *Sicut aurora expansa super montes.* Illa igitur dies, impiis terribilis, probis Jovae cultoribus diu oppressis fortunae restitutionem afferet. וִיצָאתֶם *Et exibitis* e vinculis quasi soluti, malis et aerumnis liberati. וּפִשְׁתֶּם *Et gestietis* prae gaudio, vid. de hoc verbo not. ad Habac. 1, 8. כְּעִגְלֵי מַרְבֵּק *Sicut vituli saginarii*, altiles. De מַרְבֵּק vid. not. ad Amos 6, 4.

21. Commutabuntur tunc rerum vices; nam impii, qui persequebantur bonos et opprimebant, die illa judicii subjacebunt horum pedibus, sicut *cinis* (אֵפֶר), quippe quos die illa, igni vehementi supra Vs. 19. comparata consumet et in cinerem rediget. בַּיּוֹם אֲשֶׁר־אֲנִי עֹשֶׂה *Die qua ego facturus sum* scil. illa omnia.

22. Interim vero, dum adveniat dies illa, זִכְרוּ תוֹרַת *memores estote legis Mosis*, scil. לְשָׁמְרָהּ *observare eam*,

s. לַעֲשׂוֹתָהּ *facere eam*, cf. Num. 15, 40. Litera majuscula *Sajin* in זָכְרוּ HILLERUS in *Arcano Kethibh et Keri* p. 166. duplicem, quae olim in codicibus exstiterit, vocalium scripturam innui existimat, unam זְכֹרוּ pro זָכְרוּ (2 Chron. 6, 42.), sed Camez in Cholem verso, ut in זְמָעָה *detestare*, Num. 23, 7., alteram זָכְרוּ, significatu plane eodem. אֲשֶׁר צִוִּיתִי אוֹתוֹ בְּחֹרֵב *Quam ei praecepi in Horeb*, montis nomen, Sinai vicinum, aut pars ejus, solenni Legis promulgatione nobilitatus Deut. 4, 10. 15. 1 Reg. 8, 9. — חֻקִּים וּמִשְׁפָּטִים Legem videlicet continentem *statuta et jura*, cf. Deut. 4, 5. 8. 14. Levit. 26, 46.

23. אֵלִיָּה LXX *Ἠλιάν τὸν Θεσβίτην*, quem et Siracides 48, 10. hic significari putavit. E nostro loco nata communis illa Judaeorum Jesu tempore viventium opinio de Elia ante Messiae adventum ad Judaicae gentis conversionem his terris reddendo, vid. Matth. 17, 11. Sed in N. T. edocemur, intelligendum esse Joannem, Baptistam, nuntium et praecursorem Messiae, moribus, instituto vitae, ingenti suos emendandi studio, vel, ut Angelus dicit Luc. 1, 17. *ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει* Eliam repraesentaturum, vid. Matth. 11, 10—14. 17, 10—13. Marc. 9, 11—13. Luc. 1, 16. 17. 76. 77. Eliam Thisbitem, quem Judaei, hoc Malachiae loco ducti, antequam Messias sit adventurus, appariturum exspectabant, se esse ipse negavit Joannes, Jo. 1, 17. הַנָּבִיא *Propheta* vocatur Elias Thisbites 1 Reg. 18, 30. 2 Chron. 21, 12, et jubebatur 1 Reg. 19, 16. Elisam ungere, qui *sui loco* propheta esset. Joannem Baptistam autem prophetam fore non solum praedixit pater Zacharias Luc. 1, 76., verum et eum fuisse testatus est Christus Matth. 11, 9., sed talem etiam agnovit vulgus Judaeorum, Matth. 14, 5. 21, 26. לִפְנֵי בוֹא יוֹם יְהוָה *Antequam veniet dies Jovae*, i. e. tempus illud, quo Jova exsequetur quae Vs. 19. dicebantur. De יוֹם יְהוָה cf. not. ad Joel 1, 15. Eadem dies vocatur הַגָּדוֹל *magna* ob magnitudinem rerum illo tempore exsequendarum, cf. not. ad Joel 2, 11. — וְהַנּוֹרָא *Et formidabilis*, ob supplicia impiis infligenda, de quibus supra Vs. 19.

24. Primum hujus Versus hemistichium, וְהֵשִׁיב לֵב־אָבוֹת עַל־בָּנִים וְלֵב בָּנִים עַל־אֲבוֹתָם, sunt qui sic interpretentur: *et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres suos*, hoc sensu: hoc aget Elias, ut animum patrum a liberis alienatum ad hosce, et vicissim affectum liberorum a patribus aversum ad istos sit conversurus, concordiaeque vinculum utrinque laxatum firmaturus. Mutuae caritatis instillabit praecepta, et ad unum magistrum, Messiam, omnes remittet. Qui interpretes עַל pro אֶל, ut alias haud raro, positum sumunt. Sed praestat, cum Kimchio עַל h. l. pro עִם positum capere, ut sensus sit, Eliam tum patres tum filios adhortaturum esse, ut se ad Deum toto corde omnes convertant. Quod probatur STEUDELIO in *Commentat.*

in Joel. Cap. 3., ubi p. 9. hunc locum ita exponit: Missurum se promittit Jova, antequam stupendus ille dies (de quo Vs. 23.) appareat, Eliam prophetam, qui, ne forte interveniens Jova internecione ferire terram cogatur, animos patrum cum animis filiorum, filiorumque animos una cum animis patrum sit conversurus, aut convertere sit quaesiturus, i. e. omnium et singulorum animos ad Jovam Deoque gratam mentem sit conversurus. Quum Messiana sine dubio tempora essent, quae non ingruere coaevi prophetae dolebant, dies etiam hicce Jovae alius esse non potest, ac Messianum tempus; cujus ideam puriorem et perfectiorem popularibus indere cupit, scilicet censentibus nulli e Judaeorum gente defuturum esse bonorum ejus consortium; quare docet, mentis emendatione opus esse iis, qui eodem gaudere velint.“ פֶּן־אָבוֹא וְהִכֵּיתִי אֶת־הָאָרֶץ חֵרֶם *Ne forte veniam et percutiam terram devotione* s. *exsecratione*, i. e. internecione; cf. de nomine חֵרֶם not. ad Zach. 14, 11. Per הָאָרֶץ alii terram Judaicam tantummodo hic indicari putant, quod praemisso articulo ה certe aliqua terra veluti digito ostendi videatur, illa nempe, cujus incolas per totum hoc vaticinium compellaverat, arguerat, monuerat.

Apr. 23. 1851.

BS1145 .R815 1828 v.6
scholia in Vetus Testamentum in
Princeton Theological Seminary-Speer Library
1 1012 00066 3577